IDC

# SACRORUM

# CONCILIORUM

## NOVA ET AMPLISSIMA COLLECTIO

CUIUS

**IOANNES DOMINICUS MANSI**

ET POST IPSIUS MORTEM FLORENTINUS ET VENETUS EDITORES

AB ANNO 1758 AD ANNUM 1798 PRIORES TRIGINTA UNUM TOMOS EDIDERUNT

NUNC AUTEM CONTINUATA ET DEO FAVENTE ABSOLUTA

CURANTIBUS

**IOANNE BAPTISTA MARTIN**

SACERDOTE, PROFESSORE IN CATHOLICA UNIVERSITATE LUGDUNENSI

ET

**R. P. LUDOVICO PETIT**

E CONGREGATIONE AUGUSTINIANA AB ASSUMPTIONE.

**TOMUS QUADRAGESIMUS QUARTUS**

SYNODI OCCIDENTALES, 1850-1853.



**PARISIIS**

MDCCCCXI.

EXPENSIS HUBERTI WELTER, BIBLIOPOLAE.

# INDEX CHRONOLOGICUS TOMI XLIV.


| Anno Christi | | |
|---|---|---|
| 1850 | iunii 30 - iulii 7. — Concilium provinciale Senense in Italia | 1-30 |
| 1850 | iulii 10-7. — Concilium provinciale Rothomagense in Gallia | 29-52 |
| 1850 | iulii 14. — Concilium provinciale Burdigalense in Gallia | 51-152 |
| 1850 | iulii 17. — Synodus dioecesana Remensis in Gallia | 151-2 |
| 1850 | augusti 22. — Synodus plenaria episcoporum Hiberniae apud Thurles | 151-212 |
| 1850 | mense augusto. — Synodus dioecesana Sancti Ludovici in Foederatis Statibus Americae septentrionalis. | 211-2 |
| 1850 | septembris 2-15. — Concilium provinciale Senonense in Gallia | 213-300 |
| 1850 | septembris 8-23. — Concilium provinciale Aquense in Gallia | 301-68 |
| 1850 | septembris 10-9. — Concilium provinciale Tolosanum in Gallia | 367-418 |
| 1850 | septembris 30 - octobris 5. — Synodus dioecesana Parisiensis in Gallia | 417-8 |
| 1850 | octobris 1. — Conventus provincialis Frisingensis episcoporum Bavariae | 417-52 |
| 1850 | octobris 6-21. — Concilium provinciale Claromontense in Gallia | 453-528 |
| 1850 | ante octobris 18. — Synodus dioecesana Catalaunensis in Gallia | 527-8 |
| 1850 | novembris 27. — Conventus episcoporum provinciae Mediolanensis in Italia | 527-42 |
| 1850 | Synodus dioecesana Dublinensis in Hibernia | 541-2 |
| 1850 | Synodus dioecesana Ludovicopolitana in Statibus Foederatis Americae septentrionalis | 541-4 |
| 1850 | Synodus dioecesana Meldensis in Gallia | 543-4 |
| 1850 | Synodus dioecesana Suessionensis in Gallia | 543-4 |
| 1851 | februarii 5. — Conventus Friburgensis episcoporum provinciae Rheni superioris in Germania | 543-60 |
| 1851 | maii 6. — Synodus dioecesana Lingonensis in Gallia | 559-60 |
| 1851 | iulii 16-7. — Synodus dioecesana Nannetensis in Gallia | 559-60 |
| 1851 | augusti 15. — Concilium provinciale Quebecense in America septentrionali | 559-96 |
| 1851 | augusti 17 - septembris 2. — Concilium provinciale Auscitanum in Gallia | 595-652 |
| 1851 | septembris 6-8. — Synodus dioecesana Cenomanensis in Gallia | 651-2 |
| 1851 | septembris 22-6. — Synodus dioecesana Corisopitensis in Gallia | 651-2 |
| 1851 | septembris 23-5. — Synodus dioecesana Leodiensis in Belgio | 651-4 |
| 1851 | septembris 23-8. — Synodus dioecesana Remensis in Gallia | 653-4 |
| 1851 | septembris 29 - octobris 2. — Synodus dioecesana Vivariensis in Gallia | 653-4 |
| 1851 | septembris 30 - octobris 4. — Synodus dioecesana Ambianensis in Gallia | 653-4 |
| 1851 | septembris 30 - octobris 1. — Synodus dioecesana Venetensis in Gallia | 653-4 |
| 1851 | octobris 1. — Synodus dioecesana Gratianopolitana in Gallia | 653-4 |
| 1851 | Synodus dioecesana Buffalensis in Foederatis Statibus Americae septentrionalis | 653-6 |
| 1851 | Synodus dioecesana Rupellensis in Gallia | 655-6 |
| 1852 | februarii 10-2. — Synodus dioecesana Briocensis in Gallia | 655-6 |
| 1852 | maii 9-20. — Concilium plenarium Baltimorense in Foederatis Statibus Americae septentrionalis | 655-700 |
| 1852 | iulii 6-17. — Concilium provinciale Westmonasteriense I in Anglia | 699-802 |
| 1852 | augusti 4. — Synodus dioecesana Petragoricensis I in Gallia | 801-2 |
| 1852 | augusti 25-7. — Synodus dioecesana Montisalbanensis in Gallia | 801-2 |
| 1852 | mense augusto. — Synodus dioecesana Divionensis in Gallia | 801-4 |
| 1852 | mense augusto. — Synodus dioecesana San-Claudiensis in Gallia | 803-4 |
| 1852 | septembris 28-9. — Synodus dioecesana Aurelianensis in Gallia | 803-4 |
| 1852 | octobris 4-8. — Synodus dioecesana Aeduensis in Gallia | 803-4 |
| 1852 | octobris 5-8. — Synodus dioecesana Belvacensis in Gallia | 803-4 |
| 1852 | octobris 10. — Statuta dioecesis Foroiuliensis in Gallia | 803-4 |
| 1852 | octobris 11-4. — Synodus dioecesana Aquensis in Gallia | 805-6 |
| 1852 | octobris 19-21. — Synodus dioecesana Aginnensis in Gallia | 805-6 |
| 1852 | Synodus dioecesana Buffalensis in Foederatis Statibus Americae septentrionalis | 805-6 |
| 1852 | Synodus dioecesana Clevelandensis in America | 805-6 |
| 1852 | Synodus dioecesana Cameracensis in Gallia | 805-6 |
| 1852 | Synodus dioecesana Pictaviensis I in Gallia | 805-6 |
| 1853 | ianuarii 10-9. — Concilium provinciae Remensis, celebratum Ambianis in Gallia | 805-40 |
| 1853 | aprilis 1. — Statuta dioecesis Baiocensis in Gallia | 841-2 |

| Anno Christi | | |
|---|---|---|
| 1853 | maii 15-7. — Synodus dioecesana Mandelensis I in Italia | 841-2 |
| 1853 | iunii 28 — Concilium provinciale Dublinense in Hibernia | 841-72 |
| 1853 | iunio. — Synodus dioecesana Baltimorensis in America septentrionali | 871-2 |
| 1853 | iulii 6-10. — Synodus dioecesana Vapincensis in Gallia | 871-2 |
| 1853 | iulii 24 - augusti 2. — Concilium provinciae Burdigalensis, celebratum Rupellae in Gallia | 871-922 |
| 1853 | mense iulio. — Synodus dioecesana Ruthenensis in Gallia | 921-2 |
| 1853 | augusti 10-2. — Synodus dioecesana Molinensis in Gallia | 921-2 |
| 1853 | septembris 1-6. — Concilium provinciale Casseliense in Hibernia | 921-950 |
| 1853 | septembris 25-7. — Synodus dioecesana Tarbeiensis in Gallia | 949-50 |
| 1853 | octobris 18-21. — Synodus dioecesana Lemovicensis in Gallia | 949-50 |
| 1853 | novembris 8-11. — Synodus dioecesana Constantiensis in Gallia | 949-50 |
| 1853 | novembris 21. — Constitutiones dioecesis Bituricensis in Gallia | 949-50 |
| 1853 | Synodus dioecesana Divionensis in Gallia | 949-52 |
| 1853 | Synodus dioecesana Novarcensis in Statibus Foederatis Americae septentrionalis | 951-2 |
| 1853 | Synodus dioecesana Remensis in Gallia | 951-2 |
| 1853 | Statuta synodalia dioecesis San-Claudiensis in Gallia | 951-2 |

# INDEX TOPOGRAPHICUS TOMI XLIV.


*Aeduensis* in Gallia synodus dioecesana, 1852 octobris 4-8 803-4

*Aginnensis* in Gallia synodus dioecesana, 1852 octobris 19-21 805-6

*Ambianensis* in Gallia synodus dioecesana, 1851 septembris 30 - octobris 4 653-4

*Ambianense* in Gallia concilium provinciae Remensis, 1853 ianuarii 10-9 809-40

*Aquense* in Gallia concilium provinciale, 1850 septembris 8-23 301-368

*Aquensis* in Gallia synodus dioecesana, 1852 octobris 11-4 805-6

*Aurelianensis* in Gallia synodus dioecesana, 1852 septembris 28-9 803-4

*Auscitanum* in Gallia concilium provinciale, 1851 augusti 17 - septembris 2 595-652

*Baiocensis* in Gallia dioecesis statuta, 1853 aprilis 1 841-2

*Baltimorense* in Foederatis Statibus Americae septentrionalis concilium plenarium, 1852 maii 9-20 655-700

*Baltimorensis* in America septentrionali synodus dioecesana, 1853 iunio 871-2

*Bavariae* episcoporum conventus provincialis Frisingensis, 1850 octobris 1 417-52

*Belvacensis* in Gallia synodus dioecesana, 1852 octobris 5-8 803-4

*Bituricensis* in Gallia dioecesis constitutiones, 1853 novembris 21 949-50

*Briocensis* in Gallia synodus dioecesana, 1852 februarii 10-2 655-6

*Buffalensis* in Foederatis Statibus Americae septentrionalis synodus dioecesana, 1851 653-6

*Buffalensis* in Foederatis Statibus Americae septentrionalis synodus dioecesana, 1852 805-6

*Burdigalense* in Gallia concilium provinciale, 1850 iulii 14 51-152

*Burdigalensis* provinciae concilium celebratum Rupellae in Gallia, 1853 iulii 24 - augusti 2 871-922

*Cameracensis* in Gallia synodus dioecesana, 1852 805-6

*Casseliense* in Hibernia concilium provinciale, 1853 septembris 1-6 921-50

*Catalaunensis* in Gallia synodus dioecesana, 1850, ante octobris 18 527-8

*Cenomanensis* in Gallia synodus dioecesana, 1851 septembris 6-8 651-2

*Claromontense* in Gallia concilium provinciale, 1850 octobris 6-21 453-928

*Clevelandensis* in America synodus dioecesana, 1852 805-6

*Constantiensis* in Gallia synodus dioecesana, 1853 novembris 8-11 949-50

*Corisopitensis* in Gallia synodus dioecesana, 1851 septembris 22-6 651-2

*Divionensis* in Gallia synodus dioecesana, 1852 mense augusto 801-4

*Divionensis* in Gallia synodus dioecesana, 1853 949-52

*Dublinensis* in Hibernia synodus dioecesana, 1850 541-2

*Dublinense* in Hibernia concilium provinciale, 1853 iunii 2 841-72

*Foroiuliensis* in Gallia statuta dioecesis, 1852 octobris 10 803-4

*Friburgensis* in Germania conventus episcoporum provinciae Rheni superioris, 1851 februarii 5 543-60

*Frisingensis* episcoporum Bavariae conventus provincialis, 1850 octobris 1 417-52

*Gratianopolitana* in Gallia synodus dioecesana, 1851 octobris 1 653-4

*Hiberniae* episcoporum synodus plenaria apud Thurles, 1850 augusti 22 151-212

*Lemovicensis* in Gallia synodus dioecesana, 1853 octobris 18-21 949-50

*Leodiensis* in Belgio synodus dioecesana, 1851 septembris 23-5 651-4

*Lingonensis* in Gallia synodus dioecesana, 1851 maii 6 559-60

*Ludovicopolitana* in Foederatis Statibus Americae septentrionalis synodus dioecesana, 1850 541-4

*Mandelensis I* in Italia synodus dioecesana, 1853 maii 15-7 841-2

*Mediolanensis* provinciae in Italia episcoporum conventus, 1850 527-42

*Meldensis* in Gallia synodus dioecesana, 1850 543-4

*Molinensis* in Gallia synodus dioecesana, 1853 augusti 10-2 921-2

*Montisalbanensis* in Gallia synodus dioecesana, 1852 augusti 25-7 801-2

*Nannetensis* in Gallia synodus dioecesana, 1851 iulii 16-7 559-60

*Novarcensis* in Foederatis Statibus Americae septentrionalis synodus dioecesana, 1853 951-2

*Parisiensis* in Gallia synodus dioecesana, 1850 septembris 30 - octobris 5 417-8

*Petragoricensis I* in Gallia synodus dioecesana, 1852 augusti 4 801-2

*Pictaviensis I* in Gallia synodus dioecesana, 1852 805-6

*Quebecense* in America septentrionali concilium provinciale, 1851 augusti 15 559-96

*Remensis* in Gallia synodus dioecesana, 1850 iulii 17 151-2

*Remensis* in Gallia synodus dioecesana, 1851 septembris 23-8 653-4

*Remensis* provinciae concilium celebratum Ambianis in Gallia, 1853 ianuarii 10-9 805-40

*Remensis* in Gallia synodus dioecesana, 1853 951-2

*Rothomagense* in Gallia concilium provinciale, 1850 iulii 10-7 29-52

*Rupellensis* in Gallia synodus dioecesana 1851, 655-6

*Rupellense* in Gallia concilium provinciae Burdigalensis, 1853 iulii 24-augusti 2 871-922

*Ruthenensis* in Gallia synodus dioecesana, 1853 mense iulio 921-22

*San-Claudiensis* in Gallia synodus dioecesana, 1852 mense augusto 803-4

*San-Claudiensis* in Gallia dioecesis synodalia statuta, 1853 951-2

*Sancti Ludovici* in Foederatis Statibus Americae septentrionalis synodus dioecesana, 1850 mense augusto 211-2

*Senense* in Italia concilium provinciale, 1850 iunii 30-iulii 7 1-30

*Senonense* in Gallia concilium provinciale, 1850 septembris 2-15 213-300

*Suessionensis* in Gallia synodus dioecesana, 1850 543-4

*Tarbeiensis* in Gallia synodus dioecesana, 1853 septembris 25-7 849-50

*Thurlesianum* concilium plenarium episcoporum Hiberniae, 1850 augusti 22 151-212

*Tolosanum* in Gallia concilium provinciale, 1850 septembris 10-9 367-418

*Vapincensis* in Gallia synodus dioecesana, 1853 iulii 6-10 871-2

*Venetensis* in Gallia synodus dioecesana, 1851 septembris 30-octobris 1 653-4

*Vicariensis* in Gallia synodus dioecesana, 1851 septembris 29-octobris 2 653-4

*Westmonasteriense I* in Anglia concilium provinciale, 1852 iulii 6-17 699-802

# SACRORUM
# CONCILIORUM
## NOVA ET AMPLISSIMA COLLECTIO.

## TOMUS QUADRAGESIMUS QUARTUS.

---

## CONCILIUM PROVINCIALE SENENSE
### 1850 iunii 30 - iulii 7.

Concilium provinciale Senense in Italia, celebratum a die 30 iunii ad diem 7 iulii 1850, sub Iosepho Mancini, archiepiscopo Senensi.

### Bibliographia.

1) Constitutiones et decreta synodi provincialis Senarum anni MDCCCL, pro dioecesibus metropolitana et suffraganeis nec non Arretina, Pientina, Ilcinensi et Montis Politiani. Senis, ex archi- A episcopali typ. Ioannis Baroni, ad signum Lupae, 1851.

In-8°, 76 p. - 1 f. (index). — Roma, Propaganda; Roma, Vaticano.

2) Acta et decreta sacrorum conciliorum recentiorum, collectio Lacensis, presbyteris s. J., e domo b. v. M. sine labe conceptae ad Lacum. Tomus sextus. Friburgi Brisgoviae, sumtibus Herder, MDCCCLXXXII, col. 255-82.

---

*Venerabili fratri Iosepho, archiepiscopo Senensi*

PIUS PAPA IX.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Pergratae nobis fuerunt obsequentissimae tuae litterae, die 3 proximi mensis februarii datae, quas aliorum quoque venerabilium fratrum Hetruriae antistitum nomine scriptas, libentissimo prorsus animo accepimus. Etenim ex illis non levi certe consolatione novimus, quae tua fuerit atque eorumdem antistitum alacritas nostris votis obsequendi, quaeque celeritas conveniendi Florentiam ad sacrum habendum conventum, in quo, collatis studiis atque consiliis, ea inter vos statuere possetis, quae in provincialibus deinde synodis ad maiorem Dei gloriam amplificandam eiusque sanctae ecclesiae causam magis magisque propugnandam, et spiritualem christiani populi utilitatem promovendam essent tractanda. Equidem, non mediocri iucunditate ex ipsis litteris agnovimus in eiusmodi conventu vestras curas cogitationesque contulisse in C ea praesertim ineunda consilia, quibus in vestris dioecesibus cleri disciplina, sanctitas, doctrina, zelus foveri, et in populis curae vestrae commissis morum honestas, pietas ac solidior sanctissimae nostrae religionis cognitio promoveri, et effrenata novae artis librariae licentia tum religioni, tum civili ipsi societati tantopere perniciosa coerceri, et pestifera tot pessimorum et undique volantium voluminum ac libellorum colluvies, e tenebris ad exitium et vastitatem emersa, eliminari, et optimorum librorum lectio propagari possit, quo fideles insidiantium hominum fraudes et errores addiscant, devitent, ac salutari et prorsus catholica imbuantur doctrina. Ac perlibenter vidimus, qua episcopali sollicitudine et quo unanimi consensu dilectissimi in Christo filii nostri Leopoldi, magni Hetruriae ducis, pietatem commovere studuistis, ut pro sua auctoritate gravissimis sane damnis occurrat, quibus religio in sua ditione afflictatur, et quamprimum efficiat, ut ecclesia B in regionibus sibi subditis plena libertate fruatur, et legitima ipsius ecclesiae iura inibi sarta tecta habeantur. In eam porro spem erigimur, fore ut idem princeps iteratis nostris ac vestris petitionibus obsequi, atque ita suae quoque et populorum suorum tranquillitati et prosperitati consulere velit, quae sanctissima nostra religione vel maxime continentur. Itaque, dum tibi atque aliis Hetruriae antistitibus de his rebus vehementer gratulamur ac meritas tribuimus laudes, optamus, ut provinciales synodi a vobis ex sacrorum canonum norma concelebrentur, quo consilia, in commemorato praesertim conventu inita, ad optatum exitum perducere possitis. Cupimus autem, hos nostros sensus ipsis venerabilibus fratribus per te significari, eosque certiores fieri de praecipua ac studiosissima illa benevolentia, qua te atque ipsos prosequimur. Cuius quoque pignus adiungimus apostolicam benedictionem, quam tibi atque ipsis venerabilibus fratribus, cunctisque Hetruriae clericis laicisque fidelibus intimo cordis affectu amantissime impertimur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die 2 maii 1850, pontificatus nostri anno quarto.

Pius papa IX.

### ALLOCUTIO AD SYNODUM
*per illustrissimum ac reverendissimum archiepiscopum Senarum.*

Quod praelongo abhinc temporum spatio, venerabiles in Christo fratres ac praesules amplissimi, in Hetruriae provinciis maxime optandum erat, ac

desperandum prope videbatur, synodorum scilicet A convocatio: hoc singulari providentia, et iam in duabus Hetruriae provinciis factum novimus, et nos hodierna die beatissimis Petro et Paulo apostolis sacra promptis animis aggredimur.

Haec est ergo dies, quam fecit Dominus, haec auspicata illa dies, albo vere lapillo signanda, qua ab antiquissimo aevo ecclesiarum Senensis provinciae pastores se propius consalutant, et sancto caritatis vinculo consociati, ad ovium sibi commissarum salutem procurandam, iunctis animis conveniunt.

Quod sane sanctissimi domini nostri Pii papae IX ardentissimo zelo ac prudentiae adscribendum est, qui tot ac tam ingentia mala religioni dudum ab impiis illata considerans, summum quoque fidei periculum, in quo etiam nunc Italia versatur ob acerrimos heterodoxorum conatus, non satius esse ratus est, quam si episcoporum consessus haberentur, quibus celebrandis beatissimi apostoli usque B ab ecclesiae primordiis luculentissima exempla praebuere. Porro, quamvis legitima concilia cuiusque generis omni tempore ecclesiae perutilia evaserint, tum vero cum ob singularium errorum atque haeresum monstra summo in discrimine christiana fides versaretur, conciliorum maxima utilitas clarius innotuit. Cum ergo, ut modo innuimus, a supremo ecclesiae pastore nostrorum temporum acerbitas probe dignosceretur, sapientissimo certe consilio ad fidei pericula arcenda, ad cleri disciplinam populique mores corrigendos, provincialia concilia etiam in Hetruria haberi curavit; ac pluries, qua voce, qua scriptis, hanc suam voluntatem metropolitanis antistitibus aperuit. Inter quae laudemus oportet ipsius encyclicam ad archiepiscopos et episcopos Italiae de die 8 decembris 1849; duas vero epistolas mihi datas, primam de die 2 aprilis huius anni, quam vobis rite transmittendam curavi, C alteram vero de die 2 maii, quam modo perlegimus. Ex hisce apostolicis litteris plane eruuntur synodi convocandae causae ac res etiam, quae nobis potissimum tractandae proponuntur. Et quamvis innumera sint, quae episcopale munus respiciunt, et ad animarum regimen referri possunt, ad ea tamen capita, quae nobis definita sunt, nostras sessiones circumscribi posse, aequum et congruum videtur. Nec pauca sane, nec levia illa sunt, quin in iis, ut par est, evolvendis ac discutiendis magnum nobis negotium facessant; atque, ut unum pertingam, quae cleri disciplinam populique instructionem spectant, quam late protendi possint, nemo vestrum est qui non videat. Liberum tamen esse cuique ex vobis, antistites amplissimi, quaedam graviora negotia in medium afferre, quae peculiarem uniuscuiusque dioecesim attingant, absque ullo dubio retinendum est.

D Quoniam vero dies pro synodo habenda pauci admodum sunt, respectu eorum, quae tractanda occurrunt, opportunum fore duximus ad sessiones contrahendas, quoddam decretorum specimen vestrae fraternitati proponere, ad hoc scilicet, ut quisque ex vobis ad singula decreta et ad ipsorum partes sententiam suam proferat. Hoc, ni fallor, non solum brevitati, sed ordini etiam ac perspicuitati disputationum profuturum evadet.

Quod si, approbatione iam a sancta sede obtenta, ipsamet decreta typis mandare vobis placuerit, venerabiles fratres, hoc certe ad cleri instructionem ac disciplinam atque ad fidelium aedificationem perutile obventurum non dubitaverim. Nec alio sane modo fieri posse existimo, ut clero populoque totius provinciae concordis patrum voluntas sine ulla ambiguitate perspecta sit quoad singula, dum omnes decretorum tenorem prae oculis habeant. Enimvero, in hisce decretis, quae iudicio vestro subiiciuntur, nihil impudens, vel nimis audax, aut legibus ac regiae potestati ulla ex parte iniurium, sive etiam immoderatius ac severius uspiam reperiri, sapientiam vestram perspecturam fore confido.

Optandum profecto erat, ut synodorum Hetruriae decreta tunc evulgarentur ac legis vim habere inciperent, cum concordatum inter sanctam sedem nostrumque gubernium iam confectum esset; tunc enim ad reformandum clerum et vitia populi extirpanda latior ac expeditior nobis pateret via. Sed quoniam de synodis nunc celebrandis supremi pastoris voluntas fuit, illas certe Dei auxilio protegendas fore, et non pauca bona ab iis derivari posse, certe fidendum est. Nec praeterea inficiandum, pleraque, quae ab episcopis per synodum discutienda ac definienda sunt, eorum auctoritati penitus fore subiecta; et varias ordinationes, quae ad spirituale bonum diriguntur, eas maxime, quae clerum respiciunt, per civiles leges nullatenus praepediri posse.

Utinam vero praelatorum votis clerici respondeant! Utinam eorum iussionibus omni docilitate obsequantur! Hoc opus, hic labor; quandoquidem in clero reformando tota pene stat summa rerum, quae ab episcopis decerni possunt. Clerus vero, si episcoporum dicta audiens ac praeceptis obediens erit, quasi muro inexpugnabili domus Sion circumcingetur, et a luporum insidiis protegetur.

Equidem, haec bona speranda nobis erunt, si admodum pauci, sed vere a Deo vocati, ad maiores ordines promoveantur; hi enim clerici legibus parebunt, quae inanes efficientur, si earum observantia desideretur.

Nec tamen, venerabiles in Christo patres, quamquam dies mali sunt, nobis animo despondendum; nec a legibus condendis, quae clero populoque utiles sint, prorsus abstinendum. Nostrum erit plantare et rigare, incrementum vero dabit Deus, qui pro infinita sapientia, iustitia ac bonitate sua vel laboribus nostris proventum adiiciet, vel certe, voluntatem nostram respiciens, labores ipsos praemio et corona vacuos esse non patietur.

# CONSTITUTIONES ET DECRETA.

### De concordati postulatione.

Cum vel ex epistola a regiis administris sub die 6 iulii 1849 cunctis Hetruriae episcopis transmissa, vel innumeris aliis testimoniis certissimum videri possit, concordatum circa res ecclesiasticas inter apostolicam sedem nostrumque gubernium brevi ineundum fore; ut tam laudabile tamque necessarium opus quamprimum conficiatur, congregati patres unanimi voce vehementer se optare declarant, immensas optimo principi grates reddituri, si non secus ac Augustus Propinquus, Austriae imperator, debitam libertatem ecclesiae ad Tridentini et sanctae sedis placita restituendam esse decernat. Insuper, postulationi illi, quae super hac re a septem praelatis Florentiae congregatis (inter quos metropolitanus Senensis) suae celsitudini imperiali ac regali exhibita fuit, se in omnibus adhaerere profitentur.

### De fide.

Cum fides omnium christianarum virtutum sit radix et veluti fundamentum, ex quo totius ecclesiastici aedificii altitudo consurgit: ideo, ab hac theologali virtute nostras synodales constitutiones exordiendas esse perspicuum est; eaque de causa

professio fidei secundum formam Pii papae IV a patribus omnibusque aliis, qui huic concilio intersunt, ut par est, emissa fuit.

Quod si anteactis temporibus hoc argumentum iure meritoque in conciliis primo loco pertractandum fuit; cum hac nostra aetate fidem undique oppugnari ac labefactari cernamus, ad ea potissimum animum intendere, quae sacrosanctam catholicam fidem contutari ac fovere possint, unanimis patrum voluntas est. Et quoniam hac tempestate maximo reipublicae detrimento multi vel fidei documenta ignorant vel a fide aberraverunt, idcirco omnia illa remedia, quae tot incommodis arcendis apta videri possunt, per distincta capita hic subiiciuntur.

### De doctrina christiana pueris tradenda.

Iuxta praescriptum sacri concilii Tridentini[1] parochi omnes vel ipsorum coadiutores pueros edocere tenentur fidei rudimenta, saltem dominicis et festis diebus. Ex quibus verbis luculenter apparet, doctrinae christianae pueris tradendae munus quam frequentissime a parochis ipsis vel ab iis, ad quos spectat, exercendum esse. Graviter igitur officio suo desunt, qui raro de hac puerorum institutione occupantur; gravius vero, qui eam solo quadragesimali tempore suscipiunt. Hi omnes profecto, iuxta sanctionem Tridentini, a nobis compellendi sunt, etiam si opus sit per censuras ecclesiasticas. Sciant ergo, qui in hoc munere explendo forte adhuc negligentes fuerint, monitis atque increpationibus episcoporum ac etiam poenis ad arbitrium subiiciendos fore. Noscant etiam hoc munus quasi obiter et perfunctorie ab iis exercendum non esse, sed per id temporis spatium atque ea sedulitate, industria, patientia, ut illis demum exploratum sit singulos pueros illa omnia, quae cuique per aetatem saltem quinquennio maiorem, licet memoriter callere. Rudiores vero et ineptiores, quin peculiari atque domestica exercitatione instruantur, praetermittere non debent; sed, si opus sit, de hoc negotio eorum parentes monere et nil intentatum relinquere, ut pueri, quae ad salutem necessaria sunt, tandem ediscant. Haec ruri commode plus minusve perfici possunt, si quisque parochus vero religionis amore animarumque zelo affectus sit. Sane hoc opus in civitatibus magis arduum laboriosumque fore, patres probe norunt. Quot ergo mala, quot incommoda puerorum de fidei rudimentis inscitia religioni pariter ac reipublicae intulerit, serio perspicientes, aliquot scholas seu sodalitates fundare, ut Pisis et Lucae, iam sibi proponunt; atque etiam operam dare, ut quidam sacerdotes horis vespertinis, praesertim hyemali tempore, ad hoc opus incumbant.

Interim vero, quod a sancto Carolo in quinta provinciali synodo anni 1579 egregie statutum est[2], in tota hac provincia servari decernunt. Ea verba: „Confessarii gravissimam poenitentiam imponant itemque concionatores divinam ultionem denuntient et patribusfamilias et dominis, qui, nulla aut saltem parva diligentia adhibita, omnem rationem non ineunt, ut sui liberi ac famuli christianam doctrinam addiscant; neque eis, quos in famulatu habent, tantum, diebus saltem festis, vacui temporis concedunt, quo in ecclesias aliaque loca pia, ubi ea doctrina traditur, ad eam percipiendam convenire possint."

Decernit etiam synodus, ut clerici omnes, qui ad sacerdotium promovendi sunt, in doctrina pueris A tradenda, singulis dominicis aliisque festis diebus, propriis parochis adiutores sint; quod si hoc neglexerint, ad ulteriores ordines non admittantur. Hoc vero ex respectivi parochi attestatione constare debebit. Denique, illud patribus est in votis, ut unicus atque idem exstet in cuncta provincia libellus, quo fidei rudimenta contineantur, et illa complectantur, quae usque ad primam communionem pueris scitu necessaria sunt.

### De catechismo pro adultis atque evangelii explanatione.

Maximi sane momenti ac pernecessaria est, nostra potissimum aetate, christianae doctrinae adultis traditio. Haec saepius a summo pontifice nobis, sapientissimo certe consilio, commendata fuit. Etenim sive ad miserandam populi de his, quae ad fidem pertinent, inscitiam oculos intendamus, B sive ad teterrimos impiorum hominum conatus, quibus verbo ac scripto fidem, maxime catholicam, funditus evertere moliuntur: nihil plane ad haec monstra terrenda et profliganda opportunius ac securius excogitari potest, quam recta et assidua christianae doctrinae per catechismum expositio.

His rationibus permoti, ut a parochis cunctarum dioecesum huius provinciae catechismus in festis habeatur, nec minus quam per tertiam horae partem, patres synodi decernunt; ruri saltem per sex menses, in urbibus vero non minus quam octo, vel continenter vel etiam discontinuatim. Nec sine proprii episcopi licentia praescripta tempora minui possint. Hanc vero licentiam ab episcopis quarumdam dioecesum libere concedi posse, iuxta locorum circumstantias, synodus declarat.

Ea insuper patribus mens est, ut, si fieri potest, in aliqua urbium illustriori ecclesia ex non parochia-C libus catechismus tradatur, qui studiosae praesertim iuventuti utilis evadat, et ad serpentes contra fidem errores profligandos praesto sit.

Quoniam vero, quibusdam in locis, regularium magis quam saecularium sacerdotum ecclesiae a fidelibus frequentantur, consultum sane patribus videtur (quod etiam septem episcopis, qui Florentiae convenerunt, in votis fuit) synodi nomine summo pontifici petitionem fieri, ut ab eo episcopis facultas detur regulares nominatim invitandi ad doctrinam pueris tradendam, sicuti catechismum et evangelium adultis explicandum.

Palmarium erit, in civitate contra absurda illa et impia commenta haereticorum verba facere, exempli gratia ecclesiam catholicam veram non esse; summum pontificem non esse caput ipsius visibile et Christi vicarium; exomologesin esse abusum; cultum externum reprobandum, aeque D ac missae sacrificium; purgatorium non existere; bona opera ad salutem necessaria non esse etc. Haec tamen caute et prudenter tractanda sunt, nec passim illiteratis evulganda: ne forte ineptiores ac infirmi in fide per ea in laqueum incidant, vel si errores minus erudite confutentur, maius sit damnum quam lucrum.

Quae de evangelii explicatione in singulis provinciae dioecesibus constituta sunt, rite serventur. In ecclesiis ruralibus, ubi tam ingens est populi copia, ut necessarium sit, ipsum per duas partes dividi et diversis horis ad sacrum convenire, statuunt patres, ut, praeter expositionem evangelii, quae a parocho in sua missa conficietur, quaedam alia moralis concio vel saltem lectio in alia missa habeatur. Hoc vero decretum de sermone vel viva voce vel per lectionem peragendo, etiam in ecclesiis non parochialibus, ubi plerumque in festis missa celebratur, servandum esse praecipiunt.

[1] Sess. XXIV, cap. 4, *de ref.*
[2] Part. I, cap. 2, *de praedicatione* etc.

### De sacris concionibus.

Nemo ex clericis, ne parochis quidem exceptis, extra ipsorum ecclesiam praedicationis officium suscipere poterit, nisi de sui episcopi venia, litteris vel saltem oretenus expressa, quamvis alias approbatus ad id munus fuerit.

Illud patribus maxime cordi est, quod concionatoribus stricte praecipiunt, ut sermones Dei nil humanum profanumve redoleant, at perspicui sint, breves facilesque et auditorum captui accommodati, non vanis commentis ac fucis referti, de mysterio fidei, de doctrina legis tractantes, acriter vitia carpentes, et ad poenitentiam provocantes. Magnum atque evidens bonum a sacris missionibus et spiritualibus exercitiis in populos derivari, passim experientia docet. Fatendum est, saepe ab una missione maiorem longe fructum obtineri, quam a consuetis praedicationibus quadragesimae et adventus. Nec adeo B brevis et fugax est hic fructus, ut aliqui dictitant, sed diuturnus etiam ac perseverans, si a parochis modo excultae vineae in sua novitate serventur, maxime vero si ad sacramentorum frequentiam deinceps fovendam parochi allaborent. Quo in loco a patribus duo accurate notata sunt: primum non multos esse cleri saecularis, qui ad missiones peragendas a sacerdotii primordiis se rite componant, atque huic salutari operi sese aptos reddant, vel ipsum libenter curent; alterum quod, etiam in regularibus, magna eorum, qui missionibus dedicentur, raritas appareat. Cum vero in Hetruria missionarii proprie dicti perpauci sint ac tot dioecesibus impares, utilissimum certe foret, si quidam regularium ordines, ii maxime, qui religiosis scatent, ut patres reformati, observantiae et capuccini, plures e suis ad hoc praedicationis genus efformarent.

### De malis libris arcendis et bonis propagandis. C

Perspicuum est et luce meridiana clarius, ex quo sancti concilii Tridentini ac summorum pontificum leges et statuta circa librorum impressionem in desuetudinem abiere, divina omnia atque humana in deterius collapsa esse, fidei ac morum puritatem sensim defecisse, immo ab integro prope saeculo in praeceps corruisse. Incredibile prorsus est et sanae mentis hominibus veluti portentum apparet, cunctis indiscriminatim libros edendi facultatem dari, ac perditis quibusque et flagitiosis scriptoribus liberum esse pestiferos errores atque absurdissima commenta in vulgus prodere, atque ita, libertatis nomine, effrenem licentiam ac omne, quod reipublicae et religionis bono adversatur, in ipsis legibus perfugium habere, atque ab ipsis quoquo modo fulciri.

Hoc est malum nostrae aetatis praecipuum, atque, ultra quam dici potest, religioni infestum atque exitiale. Quamobrem, sapientissime hac de re summus pontifex, in sua epistola data die secunda maii, quam sub initio huius synodi perlegimus, nobis gratulari se dicit, quod inter cetera „ad hoc consilia nostra contulimus, ut effraenata novae artis librariae licentia tum religioni tum civili ipsi societati tantopere perniciosa, coerceri, et pestifera tot pessimorum et undique volantium voluminum ac librorum colluvies e tenebris ad exitium et vastitatem emersa eliminari, et optimorum librorum lectio propagari possit; quo fideles insidiantium hominum fraudes et errores addiscant, devitent ac salutari et prorsus catholica imbuantur doctrina“.

Quibus verbis excitati ac roborati, synodi patres ad hanc teterrimam pestem librorum profligandam totis viribus decertare sibi firmum habeant. Certum quippe est iura episcopatus, quae illis adtribuit A sacrosanctum Tridentinum concilium in Hetruria receptum, penitus violata fuisse.

Etenim, regula X inter alias eiusdem concilii iussu editas, diserte statuit, ut approbatio et examen librorum, qui imprimendi sunt, ad deputatos spectet ab episcopo eligendos; ac insuper manuscripta vulganda non esse, nisi praevia ipsorum approbatione. Statuit etiam, ut bibliothecae librorum venalium saepius visitentur a deputatis ab episcopo; iubetque, bibliopolas indicem habere librorum venalium cum subscriptione eorumdem deputatorum. Decernit pariter, libros, qui in civitatem introducuntur, iisdem renuntiandos esse, vel, si locus publicus mercibus eiusmodi constitutus sit, ministri publici eius loci praedictis deputatis significent libros esse adductos.

Plura alia in hac regula X et in superioribus egregie constituuntur quoad librorum lectionem, impressionem et evulgationem, quae iamdiu hic neglecta sunt, et pene obliterata dici possunt.

Porro, cum certum sit ecclesiae magisterium temporum intervallo non aboleri, idcirco, ad tot mala compescenda aut saltem minuenda, patres synodi propositum habeant omnem lapidem movere et se tamquam murum opponere pro domo Israel. Quapropter, ut eis liberum sit super librorum et opusculorum editione ac circulatione ex officio vigilare, librariorum apothecas per deputatos invisere, de admittendis vel reiiciendis libris palam iudicium ferre et, si opus sit, in suis dioecesibus prohibere, unanimes curabunt, religiosissimo Magno Duci litteras daturi, quae episcopatus iura luculenter asserant atque tueantur eiusque animum ad ea regio favore communienda inclinent. De quo suae celsitudinis praesidio eo magis fidendum est patribus, quod alii potentissimi principes, extremum reipublicae discrimen advertentes, nuperrime ad episcoporum iura circa libros vindicanda, optimis editis legibus, animos adiecerunt; et quod etiam in universa Hetruria religio catholica a statutis unica et sola declaratur; unde recte consequitur, nemini contra hanc religionem publice scripta evulgare fas esse, ac propterea ad episcopos, qui huius religionis magistri sunt, iudicium circa typorum opera pertinere; hoc vero ius maxime tuendum esse hac tempestate, qua religionis catholicae ignorantia vel odium adeo ubique locorum grassatur, et scriptorum malitia adeo excrevit, ut permulta volumina, ephemerides, chartulae, quae a religionis causa extraneae videntur, complures tamen errores contra ipsam evangelii doctrinam, pietatem ac sacras vel res vel personas saepe saepius contineant.

Ad haec accedit, magnam heterodoxorum coniurationem (incredibile dictu) iam efformatam ac dispositam esse, quae toto nisu infandisque conatiD bus e nostris regionibus catholicam religionem removere et rationalismum sive protestantismum fundare propositum sibi fixumque habet. Ad quae monstra compescenda ac sternenda, luce clarius patet, necessarium esse, ut principes debitam libertatem episcopatui restituant, quae maxime libros respiciat.

Nunc ad alteram huius tractationis partem transire oportet.

Persuasum est patribus, plus religionem malis libris offendi quam bonis iuvari, quin tamen postremum hoc negligendum putent synodi patres; propagationem, ut aiunt, bonorum librorum egregium religionis tutamen esse concorditer asserunt, tantumque opus, veluti coelesti consilio promotum ac verae sapientiae plenum, summopere commendant. Illud a summo pontifice saepe collaudatum et in variis ac cultioribus Europae regionibus in-

valuisse probe norunt. Ad ea bona assequenda isthaec patrum sententia fuit, quod cum opus propagationis bonorum librorum episcopatus nomine auspicatum fuerit, non iam uni aut alteri deputationi demandetur, ut ab ipsa dirigatur, sed eorumdem episcoporum auctoritati ac regimini omnino subiaceat. Quod non sic intelligi volunt, ut coadiutores aut deputatos sibimet eligere prohibeantur, qui potissimum administrationi ac dispensationi librorum incumbant; sed ut tam grave opus sub episcoporum auspiciis tranquillius ac securius procedat. Hoc ergo in votis habent, ut in unaquaque Hetruriae provincia, et quidem in metropolitanis urbibus, expresso prius ac typis evulgato provincialium episcoporum assensu, societas constituatur de optimorum librorum propagatione, et a singulis episcopis encyclicae parochis mittantur, qui suae parochiae fideles invitent, et adscriptorum nomina ad proprium episcopum deferant. Interim vero quod Senensem provinciam spectat, totius operis regimen atque administrationem metropolitae Senensi adiudicandam, ipsique a suffraganeis notam sociorum praefinitis diebus remittendam esse decernunt. Illud etiam patres ratum habent, quod de electione librorum, qui imprimendi sunt, singuli episcopi iudicium ferant; et liquido constet, eos in omnibus, quae opus propagationis respiciunt, metropolitis in solidum coniunctos esse.

## De seminariis ac de studiis clericorum tam in seminariis quam extra.

Seminarii institutio ac recta gubernatio, quam utilis sit ac necessaria ad cleri disciplinam in singulis ecclesiis propagandam, cum ex concilii Tridentini decreto [1], tum ex communi experientia patet. Quapropter, in hanc episcopalis sollicitudinis praecipuam partem animum viresque suas hucusque patres intenderunt. Multis autem in synodo diligenter perpensis, quae ad perfectiorem seminariorum statum apta forent, gravia item impedimenta revolventes, quae ad hunc finem assequendum in quibusdam dioecesibus occurrunt, rem alias maturius discutiendam censent, atque unanimi consensu hanc tractationem ad aliud provinciale concilium differendam esse declarant.

Interim vero, ne studiorum ratio periculum ex mora patiatur, et [ut] ipsorum incremento citius provideatur, quaedam super hoc capite, tam pro clericis, qui in seminario degunt, quam pro externis, patres definienda esse necessarium putant. Et quoniam clericorum studia eo dirigantur, ut ad suscipiendos ordines idonei reddantur, ac, tandem sacerdotio insigniti, vere magistri fidelium evadant, idcirco, quasdam regulas hic subiiciunt pro examine ordinandorum, quarum ad trutinam clericorum studia rite procedent.

Primum ergo studia linguae latinae, historiae praesertim sacrae (etiam pro iunioribus) et catechismi Romani usum, item rationalem philosophiam, nec non physices et matheseos quasdam notiones theologicae studiis generatim praemitti debere synodus decernit, atque, ubi fieri potest, de hisce scholas institui.

Ad minores ordines promovendi doctrinam christianam scire et saltem linguam latinam intelligere debebunt [2].

De annorum spatio a clericis impendendo in dogmatica vel moralis theologiae studio, priusquam ad subdiaconatum vel diaconatum accedant, definire minus prudens arbitrantur patres. Illud tantum generatim statuunt, clericos ad sacerdotale munus provehendos non esse, nisi per quatuor integros annos theologicis disciplinis atque etiam iuri canonico operam navaverint, et, ubi facultas detur, biblicam scientiam praelibaverint.

Quoad presbyteros vero haec synodus decernit.

1. Novi sacerdotes in scholis seminarii vel alibi biennium se exerceant circa praxim confessionis ac sacrae eloquentiae, praesertim quoad evangelia explananda et catechisticas conciones habendas.

2. Qui ab hisce scholis frequentandis dispensationem obtinuerint, scholas peculiares adeant ad nutum episcopi.

3. Nemini sacerdoti confirmetur *celebret*, nisi testimonium in scriptis exhibeat, se adsignatas scholas frequentasse et in studiis profecisse.

Denique, a praescribendis certis theologiae scriptoribus abstinentes, commendatas habuere theologiam dogmaticam patrum Perrone et Liebermann, moralem vero Scavinii et Stapf, quantum autem ad praxim, instructionem pro confessariis sancti Alphonsi de Ligorio, et pro iure canonico institutiones Praesulis Devoti.

Has ergo regulas, utpote temporum necessitati et reformationi cleri accommodatas, patres huius synodi pro studiis universae provinciae adoptandas ab omnibusque servandas esse declarant.

Ceterum, cum tot circumstantiae hac illac occurrere possint, quibus hanc sanctionem modificare opus sit, illud tamen sartum tectum ubique servari volunt patres, ut sacrarum scripturarum studium inter clericos introducatur, nec ulla excusatio ab eo colendo admitti debeat, illud etiam iuris canonici in florentioribus provinciae locis. Aliud denique instituere cogitant synodi patres, quod maximo adiumento ad studia cleri dirigenda atque amplificanda futurum existimant, illud scilicet, ut sacerdotes probitate ac doctrina conspicui in unaquaque dioecesi eligantur, e quibus deputatio conficiatur tribus veluti sectionibus constans, litteraria scilicet, philosophica ac theologica. Anno studiorum expleto, singuli inferiores clerici, qui uni ex praedictis scientiis vacarunt, coram propria sectione de profectu in studiis experimentum facient, ac tres illi vel duo deputati de eorum peritia iudicium ferent; et, si ad aliam facultatem promoveri possint, per secreta suffragia vel oretenus decernent et episcopo haec vota indicabunt.

Haec vero, quae in latioribus dioecesibus sat commode fieri possunt, in angustioribus per tres tantum deputatos confici poterunt.

## De vita et honestate clericorum.

De recta clericorum disciplina apprime solliciti, patres ea, quae millies a sacris canonibus et ab innumeris synodis definita sunt, et in singulis dioecesibus saepe saepius constituta, a multis passim clericis negligi ac contemni, non sine magno ipsius cleri ac religionis dedecore, († patres) perfecte noscunt ac vehementer dolent.

Cum ergo ad hoc potissimum haec nostra synodus congregata sit, ut cleri disciplina luctuosis his temporibus reformetur ac undique reflorescat, et iam nimis acerbum atque intolerabile sit praelatis, quorundam clericorum vitam destructioni potius quam aedificationi ansam praebere: ut paucis verbis permulta complectantur, patres ea omnia, quae in singulis provinciae dioecesibus, vel per synodos, vel per singulares antistitum leges quoad vitam et honestatem clericorum constituta sunt, plena auctoritate confirmant atque iuxta sensum a singulis concilii patribus intellectum, ad amussim a

[1] Sess. XXIII, cap. 18.
[2] Conc. Trid., sess. XXIII, cap. 11, *de ref.*

cunctis clericis, cuiusque dignitatis vel ordinis illi sint, servari decernunt.

His positis, quaedam peculiaria et graviora districte praecipiuntur: ut missae absque ulla festinantia ac irreverentia celebrentur; ut sacra officia, etiam funeraria, quibus parochi (ruri praesertim) convenire solent, omni modestia, gravitate ac rituum observantia peragantur; ut confabulationes, risus, ioci a choris et ecclesiis penitus exterminentur; ut vita et conversatio tam sacerdotum, quam inferioris ordinis clericorum tandem aliquando reformetur, ne iuste laicorum obiurgationibus pateat clerus; atque insuper, ut scandala, quae nupera aetate a quibusdam clericis ecclesiae illata sunt, demum reparentur. Quae nunquam obtineri poterunt, nisi clerici, et maxime sacerdotes, qui tremendum nimis mysterium quotidie Deo offerunt, tandem a veterno excitentur et perfectiorem vitae rationem ineundam serio se dedant.

Durissimum est synodi patribus, suimet ministerii coadiutores, qui orationi, studio aliisque piis operibus iugiter intenti esse deberent, laicorum prope vitam degere, vana et ludicra sectari, obtruncatas et prope laicas vestes, turritos crines, turbinatos pileos, vittas circa collum, catenulas et cirros ad sinum gestare, spectacula, symposia ac theatra frequentare, uno verbo, a propria vocatione et officio penitus aberrare. Hinc ipsi patres, intimo cordis dolore perciti, propter Sion non tacebunt et propter Ierusalem non quiescent, donec tot indecora, tot turpia e medio cleri tollantur. Haec concilii vox est, haec patrum firma voluntas, qui unanimiter statuunt, quod, ubicumque id genus vitia obrepserint, leges condent vel renovabunt et gravibus poenis adversus contumaces illas communient. Neque enim sine iusta severitate, in tanto religionis contemptu, suus honor clero restituetur, si, quod hactenus a cordatis viris deploratum, clerici, quantumvis a criminum foeditate alieni sint, per loca publica usque cursitare, et laicis permixti in apothecis tempus terere, atque inter nugas et crepundia marcescere non desinant. A mundanis triviis, a saeculi pompis se abstineant, solitudinem colant, sacrae scripturae ac patrum studia sectentur, sacerdotales vires exerant, et sic demum impii in tenebris conticescent, fides in multis roborabitur, ac suorum militum praesidio suffulta in altius fastigium assurget religio.

Haec sane totius ecclesiasticae disciplinae capita generatim respiciunt. Unum tamen est, quod concilii patres peculiari modo decernere pernecessarium existimant, quod etiam paucis abhinc diebus in Florentina synodo factum est. Talares vestes a clericis gestandas esse semper voluit iussitque sancta Dei ecclesia, ac innumera prorsus exstant summorum pontificum, conciliorum atque episcoporum decreta, quae usum harum vestium solemniter praecipiunt, ac severioribus etiam poenis ad ipsum servandum omnes compellunt. Dolendum igitur, tam salutarem usum admodum in Hetruriae dioecesibus defecisse, et talaris habitus formam curtioribus sagulis, vulgo *soprabiti*, longe lateque locum cessisse. Quod si hoc sequioris indumenti genus, utpote commune, a patribus tolerandum videatur, ruri praesertim: non ita tamen, ut in promovendo talarium vestium usu ecclesiae pastores non allaborent, atque immodicae libertati, quae hucusque inolevit, ea sagula ferme ubique gestandi modum non imponant; etenim, quia illa semper vestem clericalem referant, plerumque nec ad talos descendunt, nec sinus protegunt, et adeo concinna sunt, ut multum a gravitate et modestia clericali abhorreant.

A Ne ergo vel faciliores sint vel severiores, omnibus bene perpensis, haec solum praefinienda ac decernenda statuunt concilii patres. Omnes presbyteri et aliorum ordinum clerici vestem talarem habeant, qua si careant, intra quatuor menses ipsam sibi comparent.

In civitate, clerici omnes ad altiores gradus promovendi talarem tunicam gestent.

Sacerdotes in civitate missam celebrantes semper tunica induti sint, et sacristae vel ecclesiarum rectores ad sacrum faciendum sine talari veste non alios admittant quam exteros, qui per transitum in civitate degunt (dummodo celebrandi veniam ab episcopo obtinuerint), qui tamen decens sagulum habeant et patenti corona sint insigniti.

Parochis et aliis presbyteris, qui ruri commorantur, districte iubent patres concilii, ut saltem dominicis omnibusque festivis diebus missam celebrent B coram populo talari veste induti, sub poenis arbitrio episcopi. Denique, in aliis omnibus ecclesiasticis functionibus et officiis, maxime in sacramentorum administratione, talarem vestem a cunctis clericis adhibendam esse edicunt, exceptis tamen casibus, quibus, maxime ruri, ob temporis aut viarum nimiam asperitatem breviores ac expeditiores vestes adhiberi posse, episcopus quisque iudicet.

Collaria ubicumque locorum publice gestanda esse a clericis sub poenis ad arbitrium iubent patres. Pileos vero non undique orbiculatos, ut laici, sed ecclesiasticae formae una cum talari veste in cunctis urbibus ac maioribus locis adhibendos esse decernunt. Huius vero pilei frequentiorem usum, etiam ruri et in pagis, enixe commendant, praesertim cum in festis magna est populi frequentia.

Fumum denique a foliis extractum per cannulas publice glutire stricte clericis prohibetur.

C

### De conferentiis theologiae moralis et sacrorum rituum.

Conferentiae morales seu casuum conscientiae ab ultima Romana synodo sub papa Benedicto XIII initium duxere, ut testatur Benedictus XIV in sua institutione XXXII, qui tunc temporis secretarius erat congregationis concilii. Hinc factum est, ut in instructione eiusdem sacrae congregationis pro relatione ab archiepiscopis et episcopis etc. unoquoque triennio sanctae sedi exhibenda, iidem praelati rationem reddere debeant, „*an habeantur conferentiae theologiae moralis seu casuum conscientiae et etiam sacrorum rituum, et quot vicibus habeantur, et qui illis intersint, et quinam profectus ex illis habeatur.*“

Quocirca, huius synodi patres de cleri instructione sollicitti, et apostolicis iussionibus obtemperare volentes, hoc sibi ratum ac solemne habeant, ut D casuum conferentiae in unaquaque dioecesi, ea qua par est frequentia, ab universis clericis, praesertim confessariis, adeantur, atque etiam de sacris ritibus collationes identidem per anni cursum agantur. Et quoniam conferentiae casuum ad hoc institutae sunt, ut rerum moralium scientia a mentibus clericorum non excidat, ac magis magisque in scientiae moralis studio proficiant, ad hunc finem obtinendum praecipuum erit, ut ab omnibus resolutiones casuum scriptis exarentur, et qui sorte extrahuntur, eas in conferentiis legant, ac deinde cunctae solutiones revisioni tradantur. Ruri vero, quolibet mense, per menses intra annum a singulis episcopis definiendos, in parochiis praelato beneviso, parochi se colligent quotquot in vicariatu foraneo seu plebatu degunt.

Ut etiam de sacris ritibus collationes identidem fiant, et a singulis clericis de caerimoniarum peritia

deputatis pro cleri disciplina ratio reddatur, omni meliori modo patres curabunt.

### De exercitiis spiritualibus sacerdotum.

Exercitia spiritualia saltem quotannis a clericis peragenda esse in aliqua pia vel religiosa domo, Clemens papa XI sancivit in sua encyclica anni 1710, data die 1 februarii, quae cardinalis Lambertinus, postea Benedictus papa XIV[1] ac permulti alii episcopi, et signanter cardinalis Alexander Zondadarius, archiepiscopus Senarum, in sua quisque dioecesi peragenda statuerunt. Ea igitur nostrae synodi voluntas est, ut, quantum fieri potest, lex de exercitiis a clero habendis in cunctis dioecesibus debitae executioni mandetur.

### De collationibus inter sacerdotes.

Permagna utilitas civitatis clero obvenire potest ex divinarum rerum collationibus, quae inter sacerdotes fiant. Hae a sancto Vincentio a Paulo originem traxere, et profecto tam ingenti fructu, ut Galliarum clerus, in quo vitia multa obrepserant, ex eo tempore alius omnino videretur et esset. In hoc sane opere tenuis labor, sed non parum lucri. Etenim, una ac simplex harum exercitationum ratio est, ut scilicet ab aliquo sacerdote ecclesiasticorum munera et obligationes, familiari quodam sermone, explicentur, et ad perfectiorem disciplinam animarumque zelum presbyteri excitentur. Hoc saluberrimum opus novum in Italia non esse nostrates sciant; atque ut illud a clero nostrae provinciae gestientibus animis excipiatur, hoc dicere sufficiat, Romae iamdiu vigere, et ab episcopis etiam aliisque praelatis frequentari, inter quos summus pontifex eminebat, qui tunc archiepiscopus aliquando in hac congregatione conciones habuit.

Nihil ergo gratius erit synodi patribus, quam huiusmodi institutionem maxime in urbibus creare.

### De congregatione clericorum, qui ad superiores ordines promovendi sunt.

Cum magna pars clericorum, qui sacerdotio se disponunt, etiam ubi adsunt seminaria, in paterna domo vitam ducant et per urbes et castella libere vagentur, maxime curandum est episcopis, ut, seminariorum defectum supplentes, ecclesiasticae horum iuvenum educationi per congrua subsidia solerter provideant. Inter quae nullum forte aptius ac securius inveniri potest, quam erectio congregationum pro huiusmodi clericis, quae sub uno vel pluribus rectoribus, semel vel pluries in mense, in aliqua ecclesia vel oratorio se colligant, ibique spiritualibus exercitationibus vacent. Inter has vero praecipuum locum tenent:

1. Brevis lectio et per magistrum explanatio alicuius partis novi testamenti.

2. Familiaris concio de clericorum officiis, qua salutaria monita per moderatorem ipsis praebeantur.

3. Praxis meditationis, etiam per libri lectionem. Perutile adhuc erit, si adultiores clerici, theologiae studentes, in his collationibus alternatim sermonem recitent, atque ita ad praedicationem sese comparent.

Liber vero a moderatore habetur, quo acta cuiusque congregationis describit, singulorum frequentiam notat; et, stato tempore, librum episcopo exhibet, qui exinde argumenta desumit ad clericos maioribus ordinibus promovendos vel ab ipsis arcendos.

Maximae ergo utilitatis has congregationes futuras esse pro clericis extra seminaria degentibus patres synodi mature expendentes, et aliarum

A dioecesum exemplo adducti, ipsas in sua quisque dioecesi et in praecipuis dioecesis locis fundare et legibus munire decernunt; parum referre existimantes, si eaedem congregationes ex pluribus vel paucioribus clericis constent.

### De servitio chori.

Omnes, qui interesse choro tenentur, prae oculis habeant, ut divinae laudes digne, attente ac devote persolvantur, et ritus ac constitutiones ecclesiasticae perdiligenter observentur; ne pro benedictione maledictionem acquirant, et populo scandalum fiat.

Iubent synodi patres, ne canonici et alii sacerdotes cathedralium sive collegiatarum servitio adscripti, diebus festis vel ferialibus, respectivas ecclesias deserant, quin prius omnino curaverint, ut nil detrimenti servitium chori capiat, sub poenis arbitrio episcoporum statuendis, praeter punctaturas,
B quas volunt, ut moris est, esse omnino persolvendas.

Quoad collegiatas autem, in quibus saepe saepius diebus festis missae statutis horis desiderantur, decernunt iidem patres, ne quis audeat dictis diebus a propria ecclesia discedere absque venia vicarii foranei vel superioris respectivae collegiatae, cuius erit licentiam concedere uni vel pluribus canonicis alternatim, inspecto numero canonicorum earumdem collegiatarum, dummodo eorum absentia servitio ecclesiae non officiat, et numerus praescriptus missarum minime desit.

### De absolutione a censuris latae sententiae a praeteritis provincialibus conciliis inflictis.

Ut fidelium conscientiae provideatur, concilii patres omnibus adprobatis confessariis facultatem tribuunt absolvendi a quibuscumque censuris latae
C sententiae in praeteritis provincialibus conciliis quomodolibet inflictis, eos omnes, qui fortasse in eas incurrerint usque ad concilii publicationem. Quoad vero ecclesiasticos viros, si quis ob praedictarum censurarum violationem etiam in irregularitatem inciderit, ab hac inhabilitate (in casibus tantum occultis) a proprio episcopo vel a proprio confessario, cui crimen patefecerit, poterit dispensari.

### De promulgatione huius concilii.

Tandem cum nulla vera lex dici possit, si necessaria careat promulgatione, ea de re decernunt patres, quod omnes et singulae huius concilii constitutiones et decreta, postquam supremo sanctae sedis iudicio fuerint subiectae et optatam obtinuerint adprobationem: in synodis dioecesanis, quas celebrari contigerit, promulgentur, et quomodolibet legantur in congregationibus sive conferentiis ca-
D suum moralium, quae per annum in unaquaque dioecesi haberi solent.

### APPENDIX.

Ad synodi finem, patres unanimi voce proclamarunt expostulationem fieri domino nostro Pio papae IX pro dogmatica definitione immaculatae conceptionis beatissimae virginis Mariae.

Ioseph, archiepiscopus Senarum, comitii praeses.
Attilius, episcopus Arretii exemptus.
Claudius, episcopus Politianus exemptus.
Ioseph-Maria, episcopus Massae et Populoniae suffraganeus.
Franciscus-Maria, episcopus Suanae et Pitiliani suffraganeus.
Ioannes-Dominicus, episcopus Grossetanus suffraganeus.
Ioannes-Baptista, episcopus Clusinus et Pientinus.

[1] Constitutione LI.

Pardus, sacerdos, et advocatus Pardi, procurator illustrissimi et reverendissimi domini episcopi Ilcinensis.

Concordant haec acta cum eorum autographis manu singulorum episcoporum subsignatis.

Senis, die 31 iulii 1850.

*Firmatum:* Archiepiscopus Senarum.

Loco † signi.

*Firmatum:* Fidelis Vannucci, secretarius, de mandato.

## FORMULAE ACCLAMATIONUM.

*Dicetur:* Deo patri misericordiarum et Deo totius consolationis et gratiae omnis laus, honor et gloria in saecula saeculorum.

*Responsio:* Amen, amen, amen.

*Dicetur:* Beatissimo domino nostro Pio papae IX, sanctae et universalis ecclesiae pontifici, christiani nominis in omnes terrarum partes propagatio, cunctarum gentium obedientia, pax vera, diuturna prosperitas.

*Responsio:* Domine Deus, sanctissimum patrem nostrum ecclesiae tuae conserva, mitte illi auxilium de sancto, ut, eo gubernante, gentes omnes illuminentur; et quae dispersae sunt in unum ecclesiae tuae ovile colligantur.

*Dicetur:* Reverendissimis dominis archiepiscopo, huius synodi praesuli, ceterisque patribus huius synodi salutaris vigilantia, in laboribus constantia et felix exitus.

*Responsio:* Omnipotens Deus, super servos tuos benedictionum tuarum dona perpetua multiplica.

*Dicetur:* Leopoldo magno-duci et omnibus principibus christianis catholicis religionis zelus, iustitiae et pacis foecunditas et contra christianae fidei hostes victoria.

*Responsio:* Princeps caelestis, terrenos principes catholicae fidei, aequitatis et concordiae conservatores atque hostium nostrorum exterminatores custodi.

*Dicetur:* Provinciae Senensi et Arretinae, Politianae, Pientinae et Ilcinensi dioecesibus tranquillitas, salus et divinarum gratiarum abundantia.

*Responsio:* Benedic, Domine, filios tuos, et esto in circuitu populi tui ex hoc nunc et usque in saeculum.

*Dicetur:* Decretorum huius synodi observantiam salutarem omnes, qui hic adsumus, unanimi voto a Deo bonorum omnium largitore humiliter imploremus, intercedente deipara virgine immaculata Maria, domina nostra, cum beatis apostolis Petro et Paulo et beatis patronis nostris et omnibus sanctis.

*Responsio:* Fiat, fiat. Amen, amen.

## ALLOCUTIO POST SYNODUM

*per illustrissimum [ac] reverendissimum archiepiscopum Senarum.*

Benedictus Deus et pater domini nostri Iesu Christi, qui nos, operis sui ministros et ecclesiae pastores, supremi vicarii sui voce, ad provincialem synodum celebrandam hic in unum collegit, ut veritatis ac iustitiae iura tueremur et ad cleri populique bonum leges conderemus.

Re quidem vera, cum nobis dictum sit: „*Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum,*" quid tandem nobis spei, quid fiduciae deesse poterat, quos ineffabili Dei pietate non iam servos, sed amicos magister idem veritatis appellavit; quibus etiam consiliorum suorum arcana revelare dignatus est, ut Christi fideles de iis edoceremus?

Quamvis enim humilitatis nostrae conscii simus, illud certe nos recreat, quod nihil ex iis, de quibus in synodo disputavimus, nisi ad maiorem Dei gloriam propagandam, ad animarum salutem promovendam pertractatum fuit; omnia vero ad cleri splendorem, ad virtutum incrementum, ad vitiorum exstirpationem, ad reipublicae tranquillitatem et ordinem excogitata, disserta ac sancita sunt.

Quod si a malignantibus et iniqua gerentibus, a filiis hominum, quorum dentes, arma et sagittae, haec velut fabulae forte contemnantur; si ab innumeris aliis, qui otio ac luxuriae dediti, sola terrena sapiunt ac divina parvi pendunt, provincialis huius concilii vis et auctoritas despiciatur: hoc nostrum non erit, nec ideo labores nostros perperam exantlasse arbitrabimur. Deus enim, Deus ille qui facit de tenebris lucem splendescere, filiorum precibus gemitibusque placatus, tandem aliquando vota humilium respiciens, pacem ecclesiae suae restituet, nec dabit in aeternum fluctuationem iustis. Nec sane verba nostra ac statuta incassum ibunt; ait enim Scriptura: „*Verbum meum non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui, et prosperabitur in his, ad quae misi illud.*"[1] Exspectemus ergo in patientia laborum nostrorum fructum, maxime ab iis, qui in sortem Domini vocati sunt: hi enim a nobis excitati ibunt de virtute in virtutem, ac in scientia et pietate proficientes, in arce Sion positi, diu noctuque non tacebunt laudare nomen Domini, populum de rebus fidei erudire, impios ad salutis tramitem revocare, malos libros pro viribus arcere, blasphemos arguere: uno verbo, ecclesiam Dei, tot malis oppressam, opere ac verbo communire et in melius restituere.

Gratulemur igitur, venerabiles in Christo patres praeclarique antistites, sub auspicatissimo immaculatae Virginis ac beatorum apostolorum patrocinio huc congregati, gratulemur invicem in Domino, qui nobis firmam voluntatem ac vires praestitit ad suum opus conficiendum: quod, si ecclesiae necessitas exc postulet, quandoque ad nutum summi pastoris renovandum erit; ac semper illa in cordibus nostris haereant Petri verba: „*Deus autem omnis gratiae modicum passos ipse perficiet, confirmabit solidabitque. Ipsi gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.*"[2]

### Literae eminentissimi cardinalis Antonelli.

Illustrissimo e reverendissimo signore.

La santità di nostro signore con somma soddisfazione dell' animo suo ha inteso, quanto vostra signoria illustrissima e reverendissima riferiva circa la celebrazione dei sinodi provinciali, che quanto prima senza difficoltà si aduneranno nella Toscana. Il santo padre lascia ai respettivi metropolitani di stabilire per la convocazione quel tempo, che crederanno più opportuno. Ma acciocchè i sinodi medesimi possano riuscire di edificazione al popolo, concede a tutti quelli che interverranno al concilio, ed ai fedeli dell' uno e dell' altro sesso, che visiteranno la chiesa principale del luogo, ove si terrà l' adunanza, l' indulgenza plenaria da lucrarsi in quel giorno, che il metropolitano crederà destinare, e nelle forme consuete della chiesa, adempiendo le solite condizioni e pregando Iddio, dator d' ogni bene, per la esaltazione della chiesa, per la estirpazione degli errori, per la pace e tranquillità comune, e per la concordia dei principi cristiani.

---

[1] Isai. LV, 11.

[2] I Petr. V, 10.

In fine sua santità crederebbe assai edificante, se, nel giorno della prima sessione, il metropolitano o altro vescovo celebrasse nella suddetta chiesa la messa dello Spirito santo, nella quale gli altri vescovi ricevessero il pane eucaristico.

Ella si compiacerà far conoscere agli altri metropolitani di Toscana queste pontificie disposizioni; ed io colgo questa opportunità per confermarmi con sensi di distinta stima di vostra signoria illustrissima e reverendissima servitore vero

G. cardinale Antonelli.

A. Bizzarri, assessore della sacra congregazione de' vescovi e regolari.

Portici presso Napoli, 2 aprile 1850.

## Al dilettissimo clero e popolo della nostra città e diocesi.

Siamo alla metà del secolo decimonono, in una delle più fatali epoche, che offrir possano gli annali del mondo: siamo tra due società lottanti tra il bene ed il male, tra la conservazione e la distruzione, e quasi in un punto centrale, che o ne riconduca alla strada del cielo, o ne sospinga agli abissi. È causa di vita o di morte. O il mondo si ricompone a giustizia, a religione, o siamo perduti. Una gran turba di maligni e di frenetici per tutti gli angoli d'Europa si è collegata contro Dio; e vuol dire contro il primo elemento sociale, generatore dell' ordine, della pace e di tutto ciò, che forma la vita e la prosperità delle nazioni. Tutto in apparenza tra noi è calma ed assopimento; non tumulti, non armi; ma sussiste pur troppo, e si dilata il germe di orrende pugne, l'odio del principio cattolico, che, o con ipocrite astuzie, o a visiera calata tenta di arruolare tutte le intelligenze contro i dommi e la gerarchia. Che più? Si tenta di minare i fondamenti della chiesa, di combatterla con le stesse sue armi, cercando di far prevalere l' enorme paradosso, che esista contradizione tra le divine scritture e la chiesa: si vuole infine, che l'Italia divenga protestante nel formolario e panteistica nel fatto.

Quello bensì che più spaventa si è, che mezzo umano non può concepirsi, onde sedare tanta procella, onde rimettere in equilibrio una macchina sì scomposta, che crolla da ogni parte, e minaccia d' ingojare tra le sue rovine i buoni ed i tristi. La più saggia politica non è capace di porgere rimedi radicali ai morbi intestini e perseveranti del corpo sociale. La politica non comanda alle menti, non trasforma i cuori. La politica non penetra le domestiche pareti, e molto meno investe i penetrali delle coscienze. Avvi una sola forza, una sola potenza, arcana, irresistibile, indomabile; ed è la religione del Nazzareno. Questa vinse l'azione divoratrice del tempo, e traversò tutti i secoli; vinse le furie de' tiranni, le scosse della barbarie, la rabbia delle eresie, il fanatismo di tutti i novatori, gli sforzi di tutti gli empi; ed ora leva in alto la verginale sua testa, e grida a tutte le nazioni: „Venite alla mia sequela, venite all' ombra de' miei eterni allori, e trionferete e vivrete una novella vita, perchè io sola posso farvi felici: seguite i miei precetti, obbedite alle mie leggi, e scompariranno tutti i vostri mali. Non vi ha sapienza, non vi ha consiglio contro il Signore: io sono fondata sulla pietra angolare; chi ad essa si riunisce è salvo, chi la urta ne sarà schiacciato."

Ahimè! Il mondo è sordo a tali voci, che altissime risuonano e ne' cuori e nelle carte e in tutta la serie de' portentosi avvenimenti, che avemmo ed

A abbiamo sempre sotto gli occhi, e che sono ben più eloquenti d' ogni lingua e d' ogni penna. Ma viva Dio! Non mancano quei, che vi prestano intente orecchie, e ne sentono la verità e la forza: e primi tra questi i veggenti d' Israello, i venerandi eletti seniori della vera chiesa di Dio, i quali da lungo tempo andarono meditando con quali provvidenze, con qual efficacia di mezzi potessero risvegliarsi dal loro letargo i traviati e ricondursi nelle vie della salute.

Tra questi, a buon dritto e per generale assenso, si reputarono opportunissime le adunanze conciliari, quelle celesti adunanze, alle quali Gesù Cristo promise essere presente; quelle, ove, con l' assistenza del divino Spirito, si trattarono sempre i principali interessi della chiesa, e di cui porsero l'esempio e la norma i beatissimi apostoli. Si distinguono esse principalmente in concili generali o ecumenici, ed in concili provinciali; e di questi ultimi si tennero in maggiore o minor numero in tutti i secoli.

Or, avendo l' immortale Pio IX negli alti consigli di sua mente e nell' ampiezza del paterno suo cuore, considerate le attuali luttuose condizioni di tutte le cristiane società e il bisogno di riforme, di sistemi e spirituali ordinamenti per ravvivare ovunque la fede e la disciplina ecclesiastica, si è dato la maggior cura di eccitare in tutte le nazioni cattoliche lo zelo dell' episcopato alla convocazione di concili o sinodi provinciali; e già alla voce del vicario di Cristo non pochi di essi o furono iniziati, o formalmente celebrati in Francia, in Alemagna ed in Italia. E due di essi, poco fà, ebbero luogo nella nostra Toscana, il primo nella chiesa primaziale e metropolitana di Pisa, l' altro nella metropolitana Florentina. Tocca dunque alla nostra provincia a compire l' opera dal sommo pontefice, C promossa a vantaggio della religiosa Toscana; opera, come già notammo, di altissima importanza, e dalla quale giova attendere frutti di comune salute e benedizione. Nè poco varrà, a persuaderci del valore e della dignità della nostra impresa, il considerare essere già scorsi due secoli e mezzo, da che si tenne il primo sinodo provinciale Senese, cui presiedeva il celebre e santo arcivescovo cardinale Francesco M. Tarugi, dopo sette lustri dalla celebrazione del sacrosanto concilio di Trento. Che se a quell' epoca rilassati erano i costumi e snervata la clericale disciplina, intatta bensì era fra noi la fede: i mostri della incredulità, dell' indifferentismo per la religione, dell' aborrimento e dello spregio delle cose di Dio e de' sacri ministri, non allignavano in queste felici regioni, non iscorrevano baldanzosi per le nostre città gli emissarj di satana ad ammorbare con le loro lingue le menti degl' D incauti; non serpeggiavano in ogni contrada, e per le case e per le officine, libri, efemeridi, opuscoli antireligiosi e veramente pestilenziali, in cui mal si potrebbe pronunziare, se maggiormente prevalga la fredda menzogna, o il delirante fanatismo. E noi dunque pastori di anime, ministri di pace, ed aventi solo il codice evangelico per arme, dovremo assiderci a consiglio per combattere contro un' oste sì accanita e sì cruda, per oppugnare sì gran mole di errori? Sì, lo faremo con tutta fiducia ed intrepidezza, perchè Dio è con noi, perchè questa è sua causa, perchè è battaglia del Signore. Sì, lo faremo, ma con modi pacifici e soavi, con prudenti disposizioni atte ad accendere sempre più la fede e la carità in mezzo a ciascuna delle nostre greggie. Il Dio della mansuetudine e della pace sarà la nostra forza. Questa nulla ha di simile con la forza umana; ma è preponderante, vincitrice di tutti gli ostacoli, atterratrice di tutte le macchine degli

empi: „*Potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes.*“ [1] A

Sì, noi ci accingeremo all' ardua impresa: ma forse fidando nelle nostre forze? Non già, ma in quelle sole dell' omnipotente. E ad ottenere tal grazia uopo sarà di preghiere, e di ferventi preghiere. Penetrato da questa verità il supremo gerarca (il quale testè riconobbe dall' arme della preghiera gli eccelsi trionfi della sua duplice potestà) non ha mancato di communicarci quelle provvidenze, onde vengano da tutti i fedeli inalzate a Dio concordi preci, ond' Ei si degni benedire e condurre al bramato effetto le pastorali nostre adunanze. „Concede pertanto il santo padre a tutti quelli, che interverranno al concilio, ed ai fedeli dell' uno e dell' altro sesso, che visiteranno la chiesa principale del luogo, ove si terrà l' adunanza, l' indulgenza plenaria da lucrarsi in quel giorno, che il metropolitano crederà destinare, e nelle forme B consuete della chiesa, adempiendo le solite condizioni (previa cioè la sacramentale confessione e communione), pregando per la estirpazione degli errori, per la pace e tranquillità comune e per la concordia dei principi cristiani.“

Ciò premesso, annunziamo formalmente al pubblico, che l' apertura del sinodo si farà nel solenne giorno dei santi apostoli Pietro e Paolo, 29 giugno corrente, e che la chiesa da visitarsi in tal giorno per l' acquisto dell' indulgenza plenaria sarà la nostra metropolitana.

Dalla domenica VI dopo la pentecoste, 23 corrente, fino alla domenica VII dopo la pentecoste, 7 luglio, vi sarà nella messa la colletta *de Spiritu sancto.* Nella metropolitana, come pure nella insigne collegiata, pel corso de' predetti giorni, dopo la messa conventuale si canterà l' inno *Veni creator spiritus*, e si reciteranno quindi le litanie lauretane C con aggiunta di analoghe preci; ed in tutte le parrochie di città e di campagna si canteranno, dopo la messa parrochiale, le litanie predette, cui si aggiungerà dal parroco qualche prece ad arbitrio.

I signori parrochi leggano al popolo la presente, e lo esortino a pregare caldamente per i bisogni di santa chiesa.

Dato in Siena, 17 giugno 1850.

Giuseppe, arcivescovo di Siena.

## PIUS PAPA IX.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Non mediocri certe iucunditati nobis fuerunt obsequentissimae tuae litterae die 7 proximi mensis iunii datae, ex quibus novimus, qua alacritate, venerabilis frater, nostris desideriis obsequutus fueris D in convocanda istius ecclesiasticae Senensis provinciae synodo, cui non solum episcopi tui suffraganei adfuerunt, verum etiam venerabiles fratres antistites Arretinae, Montis-Politiani et Ilcinensis dioecesium interesse voluere. Atque ex ipsis litteris perlibenter accepimus, quo potissimum tua atque eorumdem antistitum consilia spectaverint in eiusdem synodi actis conficiendis, quae ad nos te quamprimum missurum esse profiteris, ut illa, prout moris est, opportuno examine perpendantur. Pergratum quidem nobis erit ipsius provincialis synodi acta excipere; atque interim tibi et aliis venerabilibus fratribus gratulamur, quod in eiusmodi sacro conventu nihil tibi atque ipsis venerabilibus fratribus potius fuerit, quam ea inire consilia, quae hisce praesertim temporibus ad ecclesiae causam tuendam, ad cleri disciplinam tutandam, atque animarum salutem procurandam magis conducere posse in Domino existimastis. Iucundissima autem nostro cordi accidit tua atque eorumdem venerabilium fratrum antistitum de immaculata sanctissimae Dei genitricis virginis Mariae conceptione postulatio, quae singularem tuam atque eorumdem venerabilium fratrum erga ipsam beatissimam Virginem pietatem mirifice ostendit atque demonstrat. Denique studiosissimam nostram in te atque in ipsos venerabiles fratres voluntatem apostolica benedictione confirmamus, quam intimo cordis affectu tibi atque illis cunctisque istarum dioecesium clericis laicisque fidelibus peramanter impertimur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die 18 iulii anno 1850, pontificatus nostri anno quinto.

Pius papa IX.

## PIUS PAPA IX.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Tuas perlibenter accepimus litteras pridie kalendas huius mensis datas, quibus, venerabilis frater, ad nos perferenda curasti acta provincialis synodi, quae nuper a te atque ab aliis venerabilibus fratribus istius provinciae antistitibus tuis suffraganeis fuit habita, ut acta ipsa nostro et huius apostolicae sedis subiiciantur iudicio. Itaque, de iisdem actis opportunum dabitur responsum, postquam illa, ut moris est, maturo examine fuerint perpensa. Interim vero, tibi atque ipsis venerabilibus fratribus persuasum esse volumus, nihil certe nobis optabilius, quam ea peragere, quae, Deo bene iuvante, in maiorem istarum ecclesiarum utilitatem cedere posse noverimus. Hanc autem occasionem libentissimo animo amplectimur, ut praecipuam nostram erga te benevolentiam denuo testemur et confirmemus. Cuius quoque pignus adiungimus apostolicam benedictionem, quam intimo cordis affectu tibi ipsi, venerabilis frater, et gregi tuae curae concredito peramanter impertimur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die 8 augusti anno 1850, pontificatus nostri anno quinto.

Pius papa IX.

Perillustris et reverendissime domine.

Summa cum animi voluptate acceperunt eminentissimi patres sacrae congregationis concilii allocutionem amplitudinis tuae ad synodum, ac huius acta de more expendenda ac recognoscenda. Ex his sane deprehenderunt ipsi zelum, quo amplitudo tua ac ceteri istius provinciae episcopi flagrant, († sive) ut errores convellantur, ac catholicae ecclesiae doctrina, licet undique a tot portentosis errorum monstris impedita, pura ac immaculata in ista provincia custodiatur. Hinc patrum synodi cura, ut pravi libri arceantur ac boni propagentur, atque a prima aetate pueri christianam doctrinam addiscant, et adulti per catecheses ac conciones sacras in ea firmentur, atque ita quotidie magis crescant in scientia et timore Dei. Ut tamen unitas in christiana doctrina tradenda perdiligenter servetur, eminentissimi patres magnopere vobis commendant, ut prae manibus omnino habeantur tum venerabilis cardinalis Bellarmini catechismus a Clemente VIII approbatus et a Benedicto XIV commendatus, tum catechismus romanus ad parochos iussu concilii Tridentini editus, quae res in proxima synodo provinciali recte iuberi poterit.

Laudant eminentissimi patres, quae super seminariis ac studiis clericorum sive intra sive extra

[1] II Cor. X, 4.

ipsa degentium, super conferentiis theologiae moralis A et sacrorum rituum, nec non de collationibus inter sacerdotes et de congregatione clericorum, qui ad superiores ordines promovendi sunt, sancita fuere: nihilominus adhuc multa praesertim super seminariis eorumque recto regimine ac adolescentium educatione, ut tamquam olivae fructiferae floreant plantatae in domo Domini, adhuc desiderantur; nec dubitant patres cardinales, quin iis proxima synodus provincialis, sicuti iam in actis praesentibus statutum est, provisura sit. In qua synodo, si canones omnes, canonicae sanctiones ad vitam et honestatem pertinentes clericorum colligantur, id porro ad cleri disciplinam instaurandam, ad sacrarum legum ignorantiam avertendam, atque ad accuratam illarum exequutionem procurandam vel maxime conducet.

Pro certo etiam habeant in proxima synodo actum iri de erroribus praesertim grassantibus et ab B apostolica sede iam damnatis, de cultu divino et sanctorum, de sacramentis, de ecclesia eiusque hierarchia, de locis piis, de religiosis domibus ad eorum normam potissimum, quae Fagn. in V decretalium, capite *Sicut olim, de accusat.*, ac Benedictus XIV, *De synodo dioecesana* docent. Ceterum, ex adiecto folio amplitudo tua cognoscet, quidquid eminentissimi patres aliqua animadversione dignum existimarunt.

Haec erant de sententia sacrae congregationis ad amplitudinem tuam rescribenda. De me vero ita sentias velim, ut ad omnia, quae tui aliorumque antistitum commodum et proprii cuiusque gregis utilitatem respiciunt, paratissimum habeas; et interim fausta omnia precor a Domino.

Amplitudinis tuae uti frater studiosissimus

A. cardinalis Maius, praefectus.
A. Tomassetti, secretarius.

Romae, 11 iulii 1851.

Senensi archiepiscopo.

*Proposizione dell' illustrissimo e reverendissimo monsignor presidente del sinodo fatta nella sessione prima preparatoria agli atti, di chè si richiama il documento del I processo verbale.*

Placetne vobis, illustrissimi ac reverendissimi patres, hanc synodum ponere sub protectione sanctissimae virginis Mariae immaculatae et beatorum apostolorum Petri et Pauli?

Omnes responderunt: *Placet.*

Canonico Domenico Felicetti, segretario del sinodo.
Dottor Sebastiano Palagi, cancellario.

### Nomina eorum, qui synodo provinciali Senensi anno 1850 rite congregatae, interfuere.

Reverendissimus dominus dominus Ioseph Mancini, Senensis archiepiscopus, et huius provincialis synodi praeses.

Reverendissimus dominus dominus Attilius Fiascaini, Arretinus episcopus, Romanae sedi immediate subiectus.

Reverendissimus dominus dominus Claudius Octavianus Samuelli, Politianus episcopus, Romanae sedi immediate subiectus.

Reverendissimus dominus dominus Paulus Bertolozzi, Ilcinensis episcopus, Romanae sedi immediate subiectus, a sessionibus absens. Illius nomine ac mandato admodum reverendus et excellentissimus advocatus Pardus Pardi, episcopi Ilcinensis in synodo procurator.

Reverendissimus dominus dominus Ioseph Maria Traversi, Massanus et Populoniensis episcopus, suffraganeus.

Reverendissimus dominus dominus Maria Barzellotti, Suanensis et Pitilianensis episcopus, suffraganeus.

Reverendissimus dominus dominus Ioannes Dominicus Mensini, Grossetanus episcopus, suffraganeus, a prima sessione absens.

Reverendissimus dominus dominus Ioannes Baptista Ciofi, Pientinus et Clusinus episcopus, suffraganeus.

Dominus dominus Dominicus Menichetti, metropolitanae ecclesiae Senensis praepositus, eiusdem dioecesis generalis vicarius, et huius synodi promotor.

Dominus dominus Aloysius Ballati, metropolitanae ecclesiae Senensis decanus, et eiusdem capituli ad synodum deputatus.

Reverendissimus dominus Antonius Feri, metropolitanae Senensis ecclesiae canonicus theologus, et eiusdem capituli ad synodum deputatus.

Reverendissimus dominus Fridericus Paccinelli, cathedralis ecclesiae Arretinae praepositus, et eiusdem capituli ad synodum deputatus.

Reverendissimus dominus Antonius Mucci, cathedralis ecclesiae Arretinae canonicus, et eiusdem capituli ad synodum deputatus.

Dominus dominus Laurentius Lorenzini, Politianae cathedralis ecclesiae praepositus illiusque dioecesis generalis vicarius, et capituli ad synodum deputatus.

Reverendissimus dominus Petrus Cinotti, cathedralis ecclesiae Politianae canonicus theologus, dogmaticae ac moralis theologus in illius lycaeo lector, capituli ad synodum deputatus et episcopi in C eadem synodo assessor.

Reverendissimus dominus Benedictus Traditi, Massanae ecclesiae cathedralis canonicus theologus, eiusdemque capituli ad synodum deputatus.

Reverendissimus dominus Franciscus Nardelli, Massanae ecclesiae cathedralis canonicus, eiusdemque capituli ad synodum deputatus.

Dominus dominus Felix Francardi, Suanensis cathedralis ecclesiae primicerius, protonotarius apostolicus, illius dioecesis generalis vicarius, capituli ad synodum deputatus et episcopi in eadem synodo assessor.

Reverendissimus dominus Philippus Capitani, cathedralis Suanensis ecclesiae canonicus theologus, eiusdemque capituli ad synodum deputatus.

Dominus dominus Dominicus Pizzetti, Grossetanae cathedralis ecclesiae praepositus, eiusdem dioecesis generalis vicarius, illiusque capituli ad synodum deputatus. D

Dominus dominus Angelus Chellini, Pientinae cathedralis canonicus eiusdemque dioecesis generalis vicarius, illiusque capituli ad synodum deputatus.

Reverendissimus dominus Franciscus Dei, Clusinae cathedralis ecclesiae praepositus, in universitate Senensi iuris canonici institutionum professor, sui capituli ad synodum deputatus, et in eadem episcopi assessor.

Reverendissimus dominus Ioseph Fossacci, metropolitanae Senensis ecclesiae poenitentiarius canonicus, et archiepiscopi in synodo assessor.

Dominus dominus Emidius Selvani, Senensis theologorum collegii pro tempore decanus, protonotarius apostolicus, archiepiscopi ex eodem in synodo assessor.

Dominus dominus Ioseph Maria Mazzoni, cathedralis Arretinae ecclesiae archidiaconus, illius dioecesis generalis vicarius, et episcopi in synodo assessor.

Reverendissimus dominus Dominicus Felicetti, Senensis metropolitanae ecclesiae canonicus, et in synodo secretarius.

Excellentissimus doctor Sebastianus Palagi, archiepiscopalis Senensis curiae cancellarius, et eodem nomine synodi actuarius.

Canonicus Dominicus Felicetti, synodi provincialis Senensis secretarius.

Doctor Sebastianus Palagi, cancellarius.

### * Episcopi in provinciali synodo Senensi congregati, dilecto suae quisque dioecesis gregi, salutem et benedictionem.

En iam, fratres filiique dilectissimi, opus provincialis synodi Senensis ad exitum, Deo bene iuvante, perductum.

Quid vero mundus, in tanta illa varietate opinionum et inter se pugnantium commentorum, quid tandem de pastoralibus nostris conventibus existimabit? Fortasse steriles formulas et ritus esse dicet, vanas declamationes, descriptiones consiliorum, sententias disceptationesque, ut genere suo ignobiles, ita prope frugis expertes. Proh! quam vehementer erret, qui ita opinetur!

Audite, filii, audite diligenter, quae dicturi sumus, ac certum habetote, nihil nos vobis, nisi quod verum sit, nuntiare.

Egimus de rebus omnium altissimis atque amplissimis, in quibus humana mens et ratio occupari unquam possit; tractavimus nobilissima maximeque vitalia argumenta, quae ad hominem et ad societatem pertineant; illos quasi coelestes cardines spectavimus, in quibus cum singulorum, tum familiae ipsiusque nationis felicitas omnis vertitur atque consistit. Aeternae Sionis conscensa altitudine, minutias istas, quae politicae quaestiones, reformationes, progressus appellantur, aut illam, quam somniant, humani generis infinitam perfectionem, ne aspectu quidem dignati, unum et solum verum, quae prima omnibus mentibus beatitudinis causa est, intuendum nobis proposuimus.

Intelligitis plane, quod dicimus: Religio hominis Dei, religio omnium saeculorum, cuius causa et creatus est mundus et constat, qua continetur vera omnium vita, haec fuit, in qua una omnis nostra consultatio versata est; illa, inquimus, religio, quam nunc quorumdam monstrorum, immo vero foedissimorum insectorum humi reptantium turba omni ope atque opera e rebus humanis tollere conatur.

Num igitur levis, ignobilis, abiecta res fuit, cuius causa convenimus? Sit sane materialistae vel eclectico, qui nihil aliud in se et in ceteris hominibus videt, nisi bruta animalia, nisi machinas, nisi plantas; sit pantheistae, qui se nihil, nisi alicuius universi, quod casu exstiterit, nescio quam emanationem vel particulam esse existimat; sit furibundo socialistae, cui Deus sua cuiusque est cupiditas, cui dogma furtum et rapina. Sint istis exigui momenti res Deus atque aeternitas; at nobis vobisque non sunt, filii carissimi, quos et fides et ratio docent, hominem non idcirco esse in terris, ut paulum hoc materiae, quo continetur, tanquam Deum colat, neque ut in paucorum lustrorum vita, eaque quotidie rerum inopia et doloribus exercita, felicitatis suae spem reponat.

Nos igitur, pie suspicientes illam celsissimam religionem, in qua ab undeviginti saeculis positae sunt mundi spes et deliciae, extra quam nihil reperitur nisi ignorantia, aut corrupta scientia, aut demens idololatria, aut stupida barbaries, contemplantesque augustissimum eius auctorem et caput Iesum Christum Deum, qui visibilis factus aperuit

A credentium oculis mundum invisibilem (stultis inane commentum eo solum, quod nec contrectari nec videri potest), in sanctissimo illius nomine congregati sumus, atque in eiusdem spiritu coniuncti, ipsius causam sustinendam dilectissimaeque eius sponsae ecclesiae iura, quoad per nos fieri poterat, tuenda suscepimus.

Quamobrem, necesse erat praesentem societatis statum, quod ad religionem et mores attinet, perlustrare. Heu! quae misera rerum facies, quae malorum colluvies! ut dicendum sit cum propheta: *„Omne caput languidum et omne cor moerens . . . vulnus et livor, et plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.“* [1]

Est ita: societas tota plagis confecta est, tota infirma. Sed interest varia vitiosorum genera distinguere; horum enim unumquodque suis morbis laborat. Ex his qui primi generis sunt proprii,
B nulla humana ratione sanari possunt. Vi prorsus et valentioris manu opus est, ut talium hominum furor quasi iniectis catenis comprimatur. Nam, ut sunt superbi usque ad dementiam, hominum inimici usque ad pugionem, audaces supra omnem modum, id contendunt, ut totum genus humanum supplantent et pacis, libertatis, bonorum possessione deiiciant. Omnem isti, ex omnium animis, veri et boni, iusti et iniusti notionem abolere volunt, novasque leges condere, quae, remoto prorsus Deo, in sola vi gladiisque consistant. Hoc illud est genus efferatorum, quibus ante omnia fixum ac decretum est catholicam religionem in Europa bello persequi: cui quidem nihil magis honori esse potest, quam quod tales nacta sit adversarios. Qui, ex latomorum et carbonariorum antris effusi, longe lateque omnia terrore impleverunt, et paucorum annorum spatio maiores religioni regnisque calamitates, quam com-
C pluribus saeculis Vandalorum et Gothorum manus, intulerunt.

Alterum genus vel deceptorum vel perversorum hominum nobis ante oculos versabatur, quod, secundum in tartarea acie locum obtinens, catholicae religionis bono item infestissimum est atque aliqua ratione magis etiam, quam primum illud, extimescendum; quod neque ita acribus coloribus eminet atque exstat et multo latius funditur. Haec infinita est eorum multitudo, qui prope solo nomine sunt christiani; qui, quamvis non coniuraverint, se avitam fidem eversuros et mundum in ferarum receptaculum mutaturos, tamen, a religionis operibus exercendis officiisque servandis alieni, horrenda rerum aeternarum incuria torpent, atque ita persaepe ad scepticismum vel incredulitatem deveniunt; qui ecclesiae leges parum aut minime respiciunt atque etiam quasi ex instituto violant, ubi hae
D paulum eorum commodis et oblectamentis adversantur; qui, velut quidam Protei, nunc se veri amicos exhibent, nunc ad opiniones maxime temerarias et cum a sanis civilis prudentiae praeceptis, tum a recta morum disciplina alienissimas devolvuntur. Denique, huiusmodi homines id in more habent, ut semper cum errore paciscantur, ut tanquam in tenebris incerti haesitent, ut simul Christi esse velint et Belial, caeci consuetudinis sectatores, et perpetuo vitae instituto virtutem inter et vitium medii ac fluctuantes. Hinc illae ad speciem doctae ineptiae, illi patriae et nationis ficti amores, quorum obtentu homines callidi propriis tantum commodis et insanae, qua occulte ducuntur, celebritatis et dominationis cupiditati serviunt.

Quod vero etiam gravius est, iidem, talibus somniis implicati, novitatis avidi et religionis excelsa

[1] Isai. I.

praecepta atque opera parvi aestimantes, liberos suos christiane educare, sancto Dei timore imbuere, a pravis sodalibus perniciosisque lectionibus custodire vel non curant vel nesciunt; quod sine dubio malorum, quibus nunc hominum societas conflictatur, maximum et funestissimum est. Atque haec duo genera, quae nimio plus inter se contingunt pervaduntque, ac saepe etiam eodem recidunt, quod malum semper in peius ruere consuevit, eadem ipsa sunt, id quod summopere dolendum est, quae, utpote lautiora et cultiora, plurimum vulgo auctoritate pollent, quaeque in magnas et parvas urbes confluunt, et paulatim miserum vulgus indoctorum et plebeiorum ad suos sensus moresque amplectendos et imitandos trahunt.

Itaque, reliquum erat, ut ad religiosam conditionem huius postremi, omnium numerosissimi, generis animum adverteremus; quod, si recte sentire atque agere fortiter constanterque pergeret, insuperabile vallum opponere posset machinis impiorum, qui, quidquid est in mundo sanctissimum et augustissimum convellere ac subvertere conantur. Verum, ingentem illam vim, quam ad bonum promovendum afferre possent multitudines, ignorantia fractam ac debilitatam videbamus; qua illae contra grassantem falsam scientiam exitiosasque publicae paci doctrinas inermes relinquuntur. Plebi enim una et quidem omnium optima philosophia est religio; unus legum codex, decalogus. Quod si vero religionis suae ne elementa quidem novit, si officia, quae sibi divina lege imponuntur, ignorat, similis est navi sine gubernaculo, caret duce et freno, vitam quasi belluinam vivit, et cum veritatem a mendacio, speciem a re ipsa discernere nesciat, fit tanquam grex „*parvulorum fluctuantium, et circumfertur omni vento doctrinae*“[1]; atque ita omnibus corruptelis, omnibus factionum insidiis patet, neque ullum est facinus, ad quod prorumpere non possit. Quanquam eadem utique bona fide agere consuevit; neque odit veritatem, sed prompta est ad eam amplectendam, cum haec modo simplici proponitur atque ita, ut eius intelligentiam non excedat. Quamobrem, sic nobis persuasimus, illuc imprimis nostros synodales consessus spectare debere, ut renovandae plebi consuleremus, eo meliore cum spe successus, quod sciremus ex fide, Deum humilibus dare gratiam, superbis autem resistere. Cui proposito quae utilia nobis esse viderentur, iamiam dicturi sumus.

Sed cum de malis, quibus laborant varii societatis ordines, ageremus, necesse fuit, nos ad praecipuas eorumdem causas requirendas converti. Quarum omnium ut prima et praesentissima nobis occurrebat immoderata scriptorum edendorum libertas. Quae, ex publicis perturbationibus orta, has rursus ipsa serit ac porro gignit, atque ita internecivum quoddam bellum perpetuo propagat, quo haec terra denique immani hominum generi vel ad mutuam perniciem efferatis belluis habitanda cedet, nisi infinita huiusmodi libertas vel potius licentia refrenetur, nec iam sericis et mollibus vinculis, sed plane ferreis atque adamantinis catenis constringatur.

Ab encyclopaedia et voltariana pseudo-philosophia profecta, postquam, dissoluta cum civili tum morali disciplina, tot regna funditus evertit, nunc infelicem Italiam immani gressu percurrat, atque alibi catholicam religionem evellere, alibi socialismum inserere conatur. Quamdiu vivit exitialis haec pestis, haec hydra mille capitum, quae tandem spes est fore, ut ordo, concordia, honos religioni eiusque ministris debitus, caritas evangelica apud nos restituantur, mentesque et animi rursus virtuti concilientur? Si libris et ephemeridibus licitum est omnia carpere, mordere, in risum vertere, etiam quae maxima sapientia et auctoritate vel correcta vel constituta sunt, an non haec instar telae essent, quam casta illa femina interdiu texebat, nocte retexebat? Si „*unus aedificat et alter destruit*“, opus consurgere non potest. Itaque, hac una in re maxime versatae sunt sacrae actiones nostrae, et concordibus atque impensis precibus imperialis regalis gubernii religionem appellavimus, ut dignaretur quam primum fortibus et praesentibus remediis cavere, ne libri libellive aut ephemerides catholicae imprimis religioni et christianis morum legibus adversa prelo ederentur. Neque ea non commemoravimus, quae sacri concilii Tridentini auctoritate sapientissime statuta sunt, quibus iubentur episcopi scriptorum editionibus invigilare, atque ut castigata sint providere.

Sed interea magis ac magis urgent mala, neque ullus temere abit dies, quo non aut opuscula diurnave perversa et fidei christianae infesta alia ex aliis evulgentur, aut talia curiosis distribuantur. Ingens harum rerum circumfertur multitudo aliis ex regionibus invecta, ubi dominatur illa ad catholicam fidem destruendam haeresimque introducendam inita coniuratio. Cohorrescetis profecto, filii dilectissimi, et merito quidem. Verum utinam ne sit ita, et quo tandem non procedat eorum fanaticus furor atque amentia, quos „*Deus in reprobum sensum tradidit*“?

Quapropter, fratres dilectissimi, ab omni genere pravorum librorum, libellorum, ephemeridum, quaecumque tandem sint, diligentissime cavete. Haec detestamini, haec abhorrete tanquam pestiferas merces, tanquam furias, quae vos invadunt, ut peiorem, quam corporis, mortem inferant. Vosque, patres familias, talia scripta a vestris domibus propulsate. Vae vobis, si ea legi a liberis vestris sineretis. Scitote in excommunicationem incurrere, quisquis impios id genus libros legat vel tantummodo retineat. O gregis Christi custodes, parochi et confessarii, et vos quoque, iuventutis praeceptores, summopere ad hanc longe gravissimam rem animum advertite; date operam tum publice tum privatim, ut, qui vos audiunt, nefaria scripta vehementer aversentur; iuvenes maxime ab his deterrete, iisque excutite de manibus illas fidei et morum corruptelas. Quod si haeresis institores et administri perdite in id incumbunt, ut ridiculas suas absurdasque doctrinas prelo disseminent, et Luthero Calvinoque sectatores conquirant: quisquis Deum timet matremque ecclesiam diligit, fiat item rei catholicae propagator, neque ulli operae parcat, ut dissipentur atque in fumum abeant exsecranda novatorum consilia. Qui si biblia vulgari sermone a se depravata vobis offerant, reiicite prorsus ac respuite. Sunt enim haec usitata rationalismi tessera, audacissimum apostatarum sacrilegium.

Deliberanti concilio, quae remedia tot tam late diffusis venenis opponeret, haec ita praesto fore videbantur, si communis aliqua institueretur nostrorum dioecesanorum consociatio, cui id propositum foret, ut certis intervallis ederetur et disseminaretur optimorum librorum et opusculorum copia. Quae ratio a quatuor archiepiscopis tribusque episcopis Hetruriae excogitata est, cum hi Florentiam ad provinciales synodos praeparandas convenissent; iamque rei exsequendae initium aliquot experimentis fieri vidimus. Hoc vero consilium ipsiusmet episcopatus nomine, ductu atque auspiciis perfici placuit; primumque id fuit, quod septem illi antistites intenderunt.

[1] Eph. IV, 14.

Vos igitur, fratres dilectissimi, quanto possumus animi ardore, pro sua quisque dioecesi, hortamur atque obsecramus, ut quam maxime numero ad sanctum hoc opus bonorum librorum diffundendorum vestram operam conferatis; quod, cum minimam ac levissimam expensam postulet, tamen omnibus fidelibus fons erit summorum bonorum, vobis autem summam gratiam apud Deum et ecclesiam comparabit. Ceterum, nobis in animo est propriis literis vos accurate de huius instituti forma et ratione edocere, cum, Hetruscis synodis a sancta sede approbatis, totam rem cum nostris duarum reliquarum provinciarum collegis constituerimus.

Iam ad ea, quae de corrigenda scribendi edendique licentia provisa esse diximus, intelligebat concilium, alia a se praesentiora remedia adiungi non posse adversus gravissimas perturbationes, quibus hoc tempore, opera duorum illorum generum hominum, quae supra indicavimus, sed prioris maxime, humana societas afflictatur. Religio enim potestas est a civili prorsus distincta. Loquenti incredulitati orationem veritatis opponit: saevienti nullam vim habet quam opponat. Patitur, et patiendo vincit. Itaque existimarunt patres, se, expetitis a publica potestate contra improbum preli usum efficacibus auxiliis, et contra malos libros provisa bonorum copia, muneris sui partes adversus quoscumque religionis inimicos explevisse.

Quod vero ad numerosissimam plebeiorum et indoctorum turbam attinet, quae commiserationem certe magis quam indignationem meretur, illud diligenter monuerunt, in ea corrigenda et ad bonam frugem reducenda vastissimum evangelicis operariis campum aperiri; itaque, officium esse ecclesiasticorum virorum, tanquam ardentes faces, mediis in populis bono exemplo et accurata disciplina lucere; tum etiam in doctrinis, praecipue sacris, et divinarum scripturarum cognitione progredi, quippe quae nunc adulterentur et ad usum propagandae insaniae atque haeresis abiiciantur; neque vero eosdem studio contentos esse posse, nisi fructus, quos inde percipiunt, ad docendos populos conferant. Sed tamen synodi decreta, ad nutum summi pontificis promulganda, praevenimus, vosque hortamur, venerabiles episcopalis nostri muneris adiutores, ne cui vel curae vel labori parcatis, ut simplices et rudes ab ignorantiae tenebris, quibus miserrime involvuntur, emergant et humanae, civilis et christianae vitae officia doceantur. Quotquot igitur estis altarium ministri, ad praedicandum aggredimini; sed talis sit vestra praedicatio, ut penetret in mentes, non ut aures mulceat, talis plane, ut auditores compungantur, ad mutandos mores excitentur, e vitiorum corruptelis retrahantur. An non verum est, duodecim apostolos [illegible]edicando mundum convertisse? Qui fit igitur, [illegible] cum tam multa sint millia evangelicorum praeconum, mundus tamen, non modo se a malitia non recipiat, sed etiam in dies ad peiora labatur? Dicet fortasse quispiam, ab auditorum paucitate vel duritia rem adeo miram et miseram repeti oportere. Nos vero respondebimus, partim verissimum esse hoc quidem, sed illud nihilo minus verum esse, non paucos de plebe ad conciones accurrere, neque omnes profecto sine bona voluntate; addemusque quod ait sanctus Paulus, adeo vivum esse sermonem Dei et efficacem, ut vel durissimos et contumacissimos animos, facilius omni gladio ancipiti, penetrare possit. O quanta animarum lucra ab evangelico praecone sperari possunt, qui, Dei et proximorum caritate flagrans, adversus vitia tonat ac fulminat, et tremendas fidei veritates sine ullo involucro ac fuco sub oculos subiicit!

Ceterum, o venerabiles ecclesiae ministri, in quibus tota spei nostrae summa consistit, unum illud super omnia vobis cordi sit, ut in habendis sacris missionibus et spiritualibus exercitiis studiose versemini. Quanto uberior enim fructus ex hoc concionum genere, quam ex vulgo usitatis quotidianisque, percipitur! Atque idcirco, sanctissimus pater tam saepe nobis inculcavit, ut missionum opus in nostris dioecesibus foveremus, ac nuper, quae ad eas in nostra Italia frequentandas usui essent, sapientissime constituit.

Omnium vero curarum pastoralium primam ac summam illam ponimus, quae institutione iuventutis continetur. Atque hic quis dabit oculis nostris fontes lacrymarum ad deplorandam die ac nocte longe gravissimam calamitatem calamitosi huius saeculi, quod, instar crudelis illius paganorum dei filios suos devorantis, non modo hanc, quae nunc est, hominum progeniem perversis doctrinis et exemplis necat, sed etiam totius posteritatis stragem ac perniciem machinatur? Quae sunt enim densae illae catervae, illa examina puerorum et adolescentulorum, qui iis diebus, quibus doctrina christiana in ecclesiis traditur, garruli et petulantes in urbium compitis congregantur, et complures horas inter ludos, rixas blasphemiasque consumunt? Nempe soboles ignarorum et miserorum parentum, qui nec suas nec suorum animas curant. Hi sunt, qui paucis annis adolescent in bonorum planctum et patriae dedecus, utpote homines nulla bene vivendi lege, nullo humano cultu, nullo pudore, immanium libidinum mancipia, parati ob vilem quaestum servire cupiditatibus potentium et ad iuvandos civilis et humani foederis eversores in vasta agmina conglobati. En quo iam redacti sumus: ignorantia et error foedum in modum grassantes, christiana iuventutis educatio ab omnibus ordinibus repudiata, catechismus ex palatiis et officinis pariter exclusus atque in seminaria et ecclesiarum angulos relegatus. Num hae sunt promissae reformationes, haec proclamata civilitas, hic tantis praeliis partus progressus? Deliramenta sunt ista et praestigiae. Humaniores, id est, magis christiani reddantur mores: en ubi adhibenda reformatio est. Doceatur, foveatur fraterna caritas; inseratur amor evangelicorum praeceptorum: en germana civilitas. Corrigatur liberorum educatio, ne indulgendo depraventur, ne assuefiant otio et deliciis, sed studio et labori: hic demum verus est progressus. Quamdiu societas non vivet catholico spiritu, ita quidem ut religionis usu atque exercitatione vigeat, reformatio nomen inane erit; civilitas, vana ambitio et fallax persona; progressus, descensio planitiae declivis, quae vergit ad tartarum.

Audite nos, o dioecesum nostrarum, quotquot estis, incolae, summi et infimi, docti et illiterati, heri et famuli, iuvenes et natu grandiores, audite. Tacere iam nec possumus nec volumus: *„Os nostrum patet ad vos, cor nostrum dilatatum est.“* [1] Non tam ad ea tuenda, quae in synodo egimus, quam ad ea inculcanda, quae his in literis significavimus, loquemur. Coelum et terra iudices sint inter nos et mundum, hos novitatum artifices dicimus, qui sibi generis humani corrigendi munus arrogant. Haec est igitur nostrae aetatis humanitas, haec insignis gloria: blasphemiae horrendae, blasphemiae haereticales, portentosae, voraginum infernalium similes; Deus, magna Virgo et sancti contumeliis onerati, maledictis lacerati, tanquam lutum platearum et domorum purgamenta tractati, etiam frigide atque ex consuetudine, etiam labiis parvulorum; sententiae sceleratae, sacrilegae, contra fidem, ecclesiam,

[1] II Cor. VI.

sacerdotium; dies sancti omni genere servilium A operum impedenter violati ac profanati, idque in certis regionibus ex more atque instituto, ipsis haereticis hanc perversitatem reprobantibus; apertissima et flagitiosissima sacrarum aedium et divinorum mysteriorum contemptio; quod maxime in iis sacris, quae diebus dominicis et festis ultima celebrantur, animadverti potest; neglectio pervulgatissima secundi ecclesiae praecepti, quod est de ieiunio quadragesimae aliorumque anni temporum, nulla habita ratione huius mortalis culpae, immo tot culparum, quot dies sunt, quibus praecipitur ieiunium et carnium usus prohibetur; quae inobservantia in permultis cum despicientia et contumacia coniuncta est. Dicant nobis illi progressus iactatores, utrum ficta haec sint an facta, utrum plausu an vituperatione digna. Sed fortasse hic finis est malorum? Quasi vero non voluminibus opus sit, si velimus centum alias aetatis nostrae foeditates describere. B Quis nescit, quam effrenate sese quoquoversus effundat incontinentiae vitium? Adulteria, stupra, omnis generis propudia iam pro iocis ludisque habentur, atque etiam naturae ac necessitatis nomine decorantur. Neque mirum videri debet, quod epicurea ista sapientia, fallacis libertatis parens, cum haeresi et anticatholica impietate conspirat. Luxuria, quae ab Idumaeo propheta „*ignis vocatur usque ad perditionem devorans et omnia eradicans genimina*“[1], more immensi cuiusdam fluminis patriam nostram inundat, et, tanquam massa ignita ex monte erumpens, omnia naturalis honestatis germina dissolvere et consumere minatur. Itaque, iniustitia, furtum, rapina, tyrannis popularis, huius sunt infernalis ignis alimenta. Supervacaneum est eius rei argumenta proferre; sunt enim luce clariora et quotidiana: unum illud sufficiat, quod eo spectant perturbatorum consilia, ut socialismus in Europa regno C potiatur.

Habetis paucis, fratres dilectissimi, quo loco in nostris catholicis regionibus versentur mores, quale sit illud, quod *socialem regenerationem* nominant.

Nos unum hoc inde concludemus, res eo, quo sunt, loco consistere non posse; societati aut retro redeundum esse, aut pereundum. Nam a sua sede et domicilio, id est, a Deo et divina religione discedit in dies longius; intensiore in dies cursu fertur et rapitur ad atheismum, omnis boni negationem, infandum et nihilo ipso peius malum. Iuventutis magna pars aut corrupta est aut inculta. Novam hominum progeniem, modestam, bene moratam, christianam, formari necesse est, sed continuo et incunctanter, „*quoniam dies mali sunt.*“[1] Iam hanc formare qui alii poterunt, nisi ecclesiae pastores, evangelii ministri, sanctarum Dei legum interpretes? Aut qua ratione formari poterit, nisi iis saluberrimis artibus, quas ecclesia in suis conciliis et constitutionibus praescripsit, quaeque ut denuo vigerent synodus nostra providit?

Rogamus vos, fratres dilectissimi, ut, quae vobis scripsimus, diligenter meditemini, ea vero maxime, quae postremo loco diximus. Quae quidem amor B nobis subiecit, idem ille amor, qui nos cum huic hominum aetati tum futuris extrema quaeque timere iustissime cogit. „*Nemo vos seducat inanibus verbis.*“[2] Vera vobis praediximus; si quis secus loquitur, hic vos fallit. Nihil omnino medium est, ut aut ad novam et vere christianam vitam resurgendum sit, aut aeterno Dei maledicto subiacendum.

Quod superest, dum vos omnes, fratres filiique carissimi, quorum custodiam Deus unicuique nostrum in sua dioecesi credidit, in osculo pacis salutamus amantissimeque amplectimur, paternae caritatis nostrae pignus, pastoralem vobis benedictionem impertimus.

† Ioseph, archiepiscopus Senarum.
† Attilius, episcopus Arretii.
† Claudius, episcopus Politianus.
† Paulus, episcopus Ilcinensis.
C † Ioseph-Maria, episcopus Massae et Populoniae.
† Franciscus-Maria, episcopus Suanae et Pitiliani.
† Ioannes-Dominicus, episcopus Grossetanus.
† Ioannes-Baptista, episcopus Clusinus et Pientinus.

Senis, die 20 iulii anni 1850.

[1] Iob. XXXI.

[1] Ephes. V, 16.
[2] Ephes. V, 6.

# CONCILIUM PROVINCIALE ROTHOMAGENSE

## 1850 iulii 10-7.

Concilium provinciale Rothomagense, celebratum a die 10 ad diem 17 iulii 1850, sub Ludovico-Maria-Edmundo Blanquart de Bailleul, archiepiscopo Ro- D thomagensi.

### Bibliographia.

1) Decreta concilii provincialis Rothomagi, habiti ab illustriss. et reverendiss. d. d. Ludovico-Maria-Edmundo Blanquart de Bailleul, Dei et apostolicae sedis gratia, archiepiscopo Rothomagensi, primate Normanniae, anno repar. sal. MDCCCL, mense iulio; a sancta sede recognita et approbata. Rothomagi, apud Fleury, bibliop. ill. et rev. d. d. archiepiscopi, in foro S. Audoeni, 4. *[Initio:]* Rothomagi, excudebant Mégard et soc., typographi, in via vulgo dicta Grand' Rue, 156.

Sine anno (1851), in-8°, 51 p. — Autun, séminaire; Lyon, abbé Martin; Lyon, missionnaires diocésains; Paris, Bibl. nat. B 6902; Paris, Saint-Sulpice.

2) Décrets du concile de Rouen et statuts synodaux du diocèse de Coutances. *[Insigne.]* Coutances, chez Daireaux, imprimeur-libraire de monseigneur l'évêque, 1853.

In-8°, 161 p. - 1 f. — Grenoble, séminaire; Paris, Saint-Sulpice.

Pag. 33-82: „Decreta concilii provincialis Rothomagi habiti, ab illustriss. et reverendiss. d. d. Ludovico-Maria-Edmundo Blanquart de Bailleul, Dei et apostolicae sedis gratia, archiepiscopo Rothomagensi, primate Normanniae, anno repar. sal. MDCCCL, mense iulio; a sancta sede recognita et approbata.“

Pag. 83-161: „Statuts synodaux publiés par monseigneur Daniel, évêque de Coutances, en 1853.“

Pag. 125, haec synodus dioecesana celebrata est a die 8 ad diem 11 novembris 1852.

3) Acta et decreta sanctorum conciliorum recentiorum, collectio Lacensis, presbyteris s. J., e domo b. v. M. sine labe conceptae ad Lacum. Tomus quartus. Friburgi Brisgoviae, sumtibus Herder, MDCCCLXXIII, p. 513-36.

## LITTERAE INDICTIONIS.

Ludovicus-Maria-Edmundus Blanquart de Bailleul, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae gratia archiepiscopus Rothomagensis ac Normanniae primas,

Reverendis fratribus episcopis, decanis, capitulis, caeterisque ecclesiasticis viris, qui, de iure vel consuetudine, concilio provinciali interesse debent, salutem in Domino.

Cum, praeter spem omnem, quaedam in unum conveniendi facilitas praesulibus nostrae Galliae tandem effulserit, unde nonnulla, cum omni solemnitatum apparatu et fidelium aedificatione, celebrata sunt provinciarum concilia; nihil hoc ipso optabilius ducentes, tum ad instaurandam ecclesiarum disciplinam, tum ad corrigendam morum corruptelam, tum maxime ad promovendam stabiliendamque quamdam in unaquaque provincia unitatem; concilium provinciale in nostra metropolitana ecclesia Rothomagensi, die decima mensis iulii proximi inchoandum, et sequentibus diebus celebrandum ac terminandum indiximus, ac, per praesentes litteras, indicimus et statuimus.

Vos itaque, fratres dilectissimi, hortamur, et, in quantum opus est, requirimus et obtestamur, ut, secluso omni excusationis praetextu, die praedicta, Rothomagum conveniatis; ubi, a rebus saecularibus prorsus alieni, divinisque toti mancipati, non quae nostra sunt, sed quae Iesu Christi nostrarumque dioeceseon diligenter et attente considerare possimus; et ea quae sunt corrigenda, corrigere, et ea quae sunt statuenda, statuere, et sic omnia, quae pro bono provinciae nostrae feliciter inchoanda duximus, felicius absolvere valeamus. Quod ipse nobis praestare dignetur, cuius est velle, et perficere, et cuncta dare affluenter.

Cum vero ad huiusmodi opus perficiendum, bonum et aequum semper visum fuerit, ut et secundi ordinis viri ecclesiastici, probi et maturi, episcopis coadunarentur; noverint capitula cathedralium se esse invitanda, et reipsa per praesentes litteras invitari. Item, venerabiles abbates monasteriorum in provincia existentium sciant se ad concilium idem personaliter invitari.

In quorum fidem et testimonium has praesentes litteras manu propria subscripsimus, sigilloque nostro muniri mandavimus et iussimus.

Datum Rothomagi, in palatio nostro archiepiscopali, anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo, die vero vigesima quarta mensis martii.

† Ludovicus, archiepiscopus Rothomagensis.

De mandato illustrissimi et reverendissimi domini domini archiepiscopi:

Lebel, canonicus secretarius.

## EXCERPTA DE ACTIS.

Anno Domini 1850, die vero 9 mensis iulii, litteris die 24 martii datis de indicendo et convocando concilio provinciali religiose obsequentes, in civitatem Rothomagensem convenerunt illustrissimus et reverendissimus dominus dominus Ludovicus Blanquart de Bailleul, archiepiscopus Rothomagensis; illustrissimus et reverendissimus dominus dominus Ludovicus-Ioannes Robiou, episcopus Constantiensis; illustrissimus et reverendissimus dominus dominus Ludovicus-Franciscus Robin, episcopus Baiocensis; illustrissimus et reverendissimus dominus dominus Nicolaus-Theodorus Olivier, episcopus Ebroicensis; illustrissimus et reverendissimus dominus dominus Carolus-Fridericus Rousselet, episcopus Sagiensis;

A reverendus pater Ioseph-Maria, abbas Domus Dei beatae Mariae de Trappa maiori, vicarius generalis Sagiensis nec non congregationis Cisterciensis primitivae observantiae; reverendus dominus Leherpeur, canonicus et vicarius generalis Baiocensis et episcopus designatus; insuper procuratores capitulorum cuiusque ecclesiae cathedralis, plures quoque theologi et canonistae a reverendis concilii patribus vocati.

Eodem die, hora nona matutina, habita fuit in maiori seminario Rothomagensi congregatio privata reverendissimorum dominorum episcoporum.

Hora vero quarta post meridiem, habita est in eodem loco congregatio generalis praevia, in qua consederunt, praeside illustrissimo et reverendissimo domino domino archiepiscopo Rothomagensi, illustrissimi et reverendissimi domini domini episcopi Constantiensis, Baiocensis, Ebroicensis et Sagiensis,
B praesentibus reverendo patre abbate Domus Dei beatae Mariae de Trappa maiori, procuratoribus capitulorum et theologis rite convocatis.

Post invocationem sancti Spiritus, ab illustrissimo et reverendissimo domino domino archiepiscopo perlecta sunt quae hac ipsa die in congregatione privata reverendissimorum episcoporum statuta fuerant, scilicet:

I. Successive vocati sunt procuratores capitulorum, nempe:

Pro capitulo Rothomagensi: reverendus dominus Surgis, vicarius generalis et capituli decanus; reverendus dominus Picard, canonicus titularis et archipresbyter ecclesiae metropolitanae.

Pro capitulo Constantiensi: reverendus dominus Bénésit, maioris seminarii moderator et vicarius generalis.

Pro capitulo Baiocensi: reverendus dominus
C d'Hérembert, canonicus titularis; reverendus dominus de Valroger, canonicus titularis.

Pro capitulo Ebroicensi: reverendus dominus Delanoë, canonicus titularis; reverendus dominus Roussel, canonicus titularis.

Pro capitulo Sagiensi: reverendus dominus Louvel, canonicus titularis.

Pariter admissi sunt theologi et canonistae a reverendissimis patribus designati, nempe:

Pro dioecesi Rothomagensi: reverendus dominus Caumont, vicarius generalis; reverendus dominus Labbé, sacrae eloquentiae professor in facultate Rothomagensi; reverendus dominus Lecœur, canonicus titularis et doctor sacrae theologiae in facultate Rothomagensi; reverendus dominus Couillard, canonicus titularis; reverendus dominus Doudement, rector ecclesiae Sancti Maclovii; reverendus dominus Malleville, doctor et professor sacrae theologiae
D in facultate Rothomagensi; reverendus dominus Omer, iuris canonici in maiori seminario professor; reverendus dominus Martin, sacrae theologiae in maiori seminario professor.

Pro dioecesi Constantiensi: reverendus dominus Delamare, vicarius generalis et capituli decanus.

Pro dioecesi Baiocensi: reverendus dominus dominus Leherpeur, vicarius generalis, canonicus titularis et episcopus designatus; reverendus dominus Boudard, presbyter Sancti Sulpitii, vicarius generalis et sacrae theologiae in maiori seminario professor.

Pro dioecesi Ebroicensi: reverendus dominus Jouen, vicarius generalis et canonicus titularis; reverendus dominus Forges, presbyter congregationis Missionis, et sacrae theologiae in maiori seminario professor.

Pro dioecesi Sagiensi: reverendus dominus Le Bâcheur, vicarius generalis.

II. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus archiepiscopus, de consensu reverendissimorum concilii patrum, designavit: A

Pro officio promotoris et vice-promotoris: reverendum dominum Surgis, vicarium generalem Rothomagensem; reverendum dominum Bénéit, maioris seminarii Constantiensis moderatorem.

Pro officio secretarii: reverendum dominum Boudard, vicarium generalem Baiocensem; reverendum dominum Jouen, vicarium generalem et canonicum Ebroicensem.

Pro officio scrutatorum: reverendum dominum Louvel, canonicum Sagiensem; reverendum dominum Picard, canonicum Rothomagensem.

Pro officio magistri caeremoniarum: reverendum dominum Lecœur, canonicum Rothomagensem; reverendum dominum Couillard, canonicum Rothomagensem.

Pro officio ostiariorum: tres maioris seminarii B Rothomagensis clericos.

III. Quinque ordinatae sunt congregationes particulares, quibus commissum fuit praevium variarum quaestionum examen, scilicet:

1. Congregatio *de decretis*.

Praeses: illustrissimus et reverendissimus dominus dominus archiepiscopus Rothomagensis.

Vices gerens praesidis: reverendus pater Ioseph-Maria, abbas Domus Dei Beatae Mariae de Trappa maiori.

Theologi: reverendus dominus Boudard, vicarius generalis Baiocensis; reverendus dominus Labbé, sacrae eloquentiae professor.

2. Congregatio *de fide*.

Praeses: illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus Constantiensis. C

Vices gerens praesidis: reverendus dominus dominus Leherpeur, vicarius generalis Baiocensis et episcopus designatus.

Theologi: reverendus dominus Bénéit, seminarii Constantiensis moderator; reverendus dominus Delanoë, canonicus Ebroicensis; reverendus dominus Roussel, canonicus Ebroicensis; reverendus dominus de Valroger, canonicus Baiocensis.

3. Congregatio *de hierarchia ecclesiastica*, seu *de personis ecclesiasticis*.

Praeses: illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus Baiocensis.

Vices gerens praesidis: reverendus dominus Surgis, vicarius generalis Rothomagensis.

Theologi: reverendus dominus Lecœur, canonicus Rothomagensis; reverendus dominus Malleville, D professor sacrae theologiae; reverendus dominus Jouen, vicarius generalis Ebroicensis; reverendus dominus Le Bâcheur, vicarius generalis Sagiensis.

4. Congregatio *de sacramentis*.

Praeses: illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus Ebroicensis.

Vices gerens praesidis: reverendus dominus Picard, canonicus Rothomagensis.

Theologi: reverendus dominus Louvel, canonicus Sagiensis; reverendus dominus d'Hérembert, canonicus Baiocensis; reverendus dominus Doudement, rector ecclesiae Sancti Maclovii; reverendus dominus Martin, sacrae theologiae professor.

5. Congregatio *de disciplina ecclesiastica*.

Praeses: illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus Sagiensis.



A Vices gerens praesidis: reverendus dominus Delamare, vicarius generalis Constantiensis.

Theologi: reverendus dominus Caumont, vicarius generalis Rothomagensis; reverendus dominus Forges, sacrae theologiae professor; reverendus dominus Couillard, canonicus Rothomagensis; reverendus dominus Omer, iuris canonici professor.

IV. Semel indictis die et hora primae sessionis, scilicet proxima die et hora septima matutina, indicata fuerunt decreta in hac sessione solemni promulganda, nempe: decreta 1. *de aperienda synodo*; 2. *de modo vivendi in concilio*; 3. *de publicandis variorum concilii officiariorum nominibus*; 4. *de non discedendo*; 5. *de praeiudicio non inferendo*; 6. *de professione fidei*; 7. *de indictione secundae sessionis*.

V. Pariter indicatum fuit quaenam foret toto concilii tempore distributio horarum uniuscuiusque B diei, nempe:

Hora quinta, signum ad surgendum;

Hora sexta, oratio matutina et meditatio ab omnibus simul in sacello facienda, cuius obiectum pridie post orationem vespertinam proponendum fuerit;

Hora sexta cum tribus quadrantibus, missa synodalis ab omnibus in concilio admissis audienda;

Hora nona, congregationes particulares;

Hora nona cum dimidia, congregatio privata reverendissimorum episcoporum;

Hora undecima, prandium sacris lectionibus conditum, deinde visitatio sanctissimi sacramenti et relaxatio;

Hora duodecima cum dimidia, finis relaxationis;

Hora secunda post meridiem, congregatio generalis ultra horam quartam cum dimidia non protrahenda;

Hora quinta cum dimidia, congregatio privata C reverendissimorum episcoporum;

Hora septima, coena, sicut prandium sacris condita lectionibus, deinde visitatio sanctissimi sacramenti, et relaxatio.

Hora octava cum tribus quadrantibus, oratio vespertina in sacello.

VI. Illustrissimus et reverendissimus concilii praeses ab omnibus hanc requisivit promissionem: *Promitto me nihil ex his quae dicentur sive in congregationibus concilii, sive in congregationibus particularibus esse revelaturum, quod possit detrahere vel reverentiae concilio debitae, vel honori cuiusvis personae. Promitto insuper me nulla decreta concilii scriptis publicis divulgaturum, antequam typis demandata fuerint reverendissimorum patrum auctoritate.*

Tunc omnes simul assurgentes, et elevata dextra manu, conclamarunt: *Promitto.*

D VII. Postea, ut benedictio Dei omnipotentis super omnes, qui huic synodo intererant, uberior descenderet, ab illustrissimo et reverendissimo concilii praeside propositum fuit, ut, quamdiu perduraret concilium, feria sexta cuiusque hebdomadis ieiunium servaretur; quod quidem ab omnibus et singulis libentissime fuit acceptatum.

VIII. Demum absoluta est illa congregatio generalis per orationem *Sub tuum*.

## DECRETUM
### *de aperienda synodo*.

In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti.

Nos, Ludovicus, Dei et sedis apostolicae gratia archiepiscopus Rothomagensis, ad laudem et gloriam Dei omnipotentis, ad honorem beatissimae, immaculatae semperque virginis Mariae, Dei genitricis,

huius ecclesiae patronae, ad ecclesiae catholicae A decorem, decernimus, de consilio et consensu reverendissimorum coepiscoporum nostrorum, hac die sexta idus iulii initium fieri, atque adeo factum esse concilii provincialis, quod, nostra metropolitana auctoritate, indiximus, denuntiavimus et promulgavimus.

## DECRETUM

*de modo vivendi in concilio.*

Nos, Ludovicus, Dei et apostolicae sedis gratia, archiepiscopus Rothomagensis, de consilio et consensu reverendissimorum coepiscoporum nostrorum haec statuenda duximus:

1. Meminerint omnes et singuli, qui huic concilio intersunt, ut, toto concilii tempore, nihil de sedulitate sua remittentes, ad Deum saepissime confugiant, unde venit spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et scientiae.

2. Id habeant omnes summopere sibi commendatum, ut a negotiis saecularibus prorsus abstracti, divinis toti incumbant, et quotidianas preces ad Deum effundant, quibus concilium feliciter inchoatum, felicius absolvi ac finiri impetrent.

3. In spiritu humilitatis accedant omnes, non quae sua sunt singuli considerantes, sed quae aliorum.

4. Omnes modestiam induentes, et in spiritu lenitatis constituti, opportune, servato ordine, animi sensa proferant in congregationibus, sive privatae sint, sive publicae, ac potissimum in sessionibus: „*non enim in commotione Dominus.*"

## DECRETUM

*de publicandis variorum concilii officiariorum nominibus.*

Nos, Ludovicus, Dei et sedis apostolicae gratia archiepiscopus Rothomagensis, de consilio et consensu reverendissimorum coepiscoporum nostrorum, C constituimus:

Pro officio promotoris (*vide col.* 33 A).

## DECRETUM

*de non discedendo.*

Nos, Ludovicus, Dei et sedis apostolicae gratia archiepiscopus Rothomagensis, districte inhibemus ne quis episcoporum aut aliorum qui ad concilium vocati sunt, ante dimissam synodum discedere praesumat, nisi discessus causa a patribus cognita et approbata fuerit.

## DECRETUM

*de praeiudicio non inferendo.*

Nos, Ludovicus, Dei et sedis apostolicae gratia archiepiscopus Rothomagensis, in qualicumque ordine quisque compareat et consedeat, salva illius iura, D decernimus.

## DECRETUM

*de professione fidei.*

Cum inter omnes pastoralis officii sollicitudines, illa potissimum prima esse debeat, ut fides catholica, quam sancta Romana ecclesia colit ac tenet, incorrupta in hac provincia sinceraque permaneat, et omnes in eius puritate immobiles inviolatique persistant, nos, in hac nostra synodo provinciali hinc praecipue exordiendum esse duximus, ut quae ex eodem spiritu est fides, eamdem una oris confessione profiteamur. Quocirca, sacri concilii Tridentini decretis insistentes, professionem fidei, Pii IV pontificis maximi constitutione acceptam atque promulgatam, a nobis et reverendissimis coepiscopis, caeterisque in hoc concilio insidentibus palam et publice emittendam decrevimus.

*Forma professionis fidei catholicae, apostolicae et romanae.*

Ego N., ... firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in symbolo fidei, quo sancta Romana ecclesia utitur, videlicet:

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum, ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui, propter nos homines et propter nostram salutem, descendit de caelis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine: et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum scripturas. Et ascendit in caelum; sedet B ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos; cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, dominum et vivificantem; qui ex Patre Filioque procedit: qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui locutus est per prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector.

Item sacram scripturam, iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum scripturarum, admitto; nec eam unquam, nisi iuxta unanimem consensum patrum, accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie sacramenta novae legis, a Iesu Christo domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet: baptismum, confirmationem, eucharistiam, poenitentiam, extremam unctionem, ordinem et matrimonium; illaque gratiam conferre; et ex his baptismum, confirmationem et ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos ecclesiae catholicae ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio et admitto.

Omnia et singula, quae de peccato originali et de iustificatione, in sacrosancta Tridentina synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter in missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium, pro vivis et defunctis; atque in sanctissimo eucharistiae sacramento esse vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem, una cum anima et divinitate domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem catholica ecclesia transsubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi. Constanter teneo purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari.

Similiter et sanctos, una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse; eosque orationes Deo pro nobis offerre; atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero imagines Christi ac Deiparae semper virginis necnon aliorum sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in ecclesia relictam

fuisse; illarumque usum christiano populo maxime A salutarem esse affirmo.

Sanctam, catholicam et apostolicam Romanam ecclesiam, omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco; Romanoque pontifici, beati Petri apostolorum principis successori ac Iesu Christi vicario veram obedientiam spondeo ac iuro.

Cetera ita omnia a sacris canonibus et oecumenicis conciliis ac praecipue a sacrosancta Tridentina synodo tradita, definita et declarata, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas, ego pariter damno, reiicio et anathematizo.

Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam, usque ad extremum vitae spiritum, constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei evangelia.

### DECRETUM

*de indicenda secunda sessione solemni.*

Nos, Ludovicus, Dei et sedis apostolicae gratia archiepiscopus Rothomagensis, definimus, secundam sessionem fore die decima septima huiusce mensis iulii; ita tamen ut ad aliam diem transferri vel prorogari possit, si, pro rebus concilii bene gerendis, videbitur conducere.

## DECRETA CONCILII.

### DECRETUM I.

*De fide catholica.*

1. Coadunati in concilio episcopi, vel in synodo presbyteri, hinc praecipue exordiantur, ut formulam fidei a Pio IV exaratam aperte profiteantur, etiam si iam antea ab ipsis iuxta canones emissa fuerit.

2. Cum autem hisce temporibus, ex effrenata scribendi licentia, tot in ecclesiam civilemque ipsam societatem redundent calamitates, periculaque impendeant, nullusque inveniatur, qui non, corrigi metuens, imo despiciens, suas adinventiones sequatur; aequum est sacerdotes tantam superbiam non modo non imitari, verum etiam exemplo suo reprobare. Ideo, si quis sacerdos e bono ecclesiae fore censuerit, ut librum aliquem in lucem edat, in quo de rebus ad ecclesiam religionemve pertinentibus tractet, inhibemus, ne illum typis mandet, quin prius proprii episcopi iudicio submiserit; quod erit gratis, C quam citius, et respiciet tantum fidem et mores. Statuimus igitur, ut, in unaquaque dioecesi, tres ad minus theologi ab episcopo eligantur, qui, postquam libros ipsis submissos sedulo perlegerint, suum postea de iis iudicium ad eum referant. Meminerint tamen ii, quibus haec cura demandabitur, ut, quemadmodum nihil inemendatum relinquere debent quod sanae doctrinae adversetur, ita aequae ac moderatae libertati minime detrahant, quam omnibus temporibus variis scholis concessit ecclesia. Itaque, in mente habeant regulas quas in constitutione *Sollicita*[1] tradit doctissimus pontifex Benedictus XIV: „*De variis opinionibus atque sententiis in unoquoque libro contentis, animo a praeiudiciis omnibus vacuo iudicandum sibi esse sciant. Itaque, nationis, familiae, scholae, instituti affectum excutiant, studia partium seponant; ecclesiae sanctae dogmata, et communem catholicorum doctrinam, quae con-* D *ciliorum generalium decretis, Romanorum pontificum constitutionibus et orthodoxorum patrum atque doctorum consensu continetur, unice prae oculis habeant: hoc de caetero cogitantes, non paucas esse opiniones quae uni scholae, instituto aut nationi certo certiores videntur, et nihilominus, sine ullo fidei aut religionis detrimento, ab aliis catholicis reiiciuntur atque impugnantur, oppositaeque defenduntur, sciente ac permittente apostolica sede, quae unamquamque opinionem huiusmodi in suo probabilitatis gradu relinquit.*“

3. Laicos vero, qui libros de rebus ecclesiasticis tractantes conscribere et evulgare voluerint, hortentur parochi, ne eos prius iuris publici faciant, quam aut proprium episcopum aut theologos ab ipso, ut supra dictum est, deputatos, consuluerint.

B 4. Nullus catechismus, nullus precum, horarum, canticorumve spiritualium liber, nullum missale, breviarium, rituale, etc., christifidelibus clericisve tradatur, quin licentiam ordinarii in extenso prae se ferat.

5. Fideles edoceant qui curam habent animarum, summam deberi sacris libris reverentiam. Mendosas vero et adulteratas, nec non illas omnes, quae ab haereticis circumferuntur, sacrae scripturae versiones ipsis interdicant, pieque invehantur adversus eos, qui, per sacrilegum usum, divina verba ad iocum, vel ironiam, vel falsitatem aut impietatem quoquo modo detorquent.

6. Populis sibi commissis suadeant, ut ecclesiam Christi supremum et infallibilem controversiarum iudicem, in quaestionibus fidei et morum habeant.

7. Prudenter fidelibus in memoriam revocent, quibus anathematibus confixi fuerint errores hac nostra aetate maxime diffusi; itemque damnationes quae prolatae fuerunt adversus errantes in fide, et eos, qui sub variis nominibus sive catholicam religionem, sive civilem ipsum ordinem subvertere nituntur. Caveant autem, ne, dum indoctis simplicibusque impia systemata aut theorias exponant, fidem eorum convellant potius quam aedificent.

8. Caveant maxime fideles, ne libros legant, emant, vendant, aut per typos evulgent, fidei catholicae bonisve moribus adversantes. Nec minori cura liberis famulisque patresfamilias, discipulis et alumnis magistri provideant, ne quid isti in manibus aut prae oculis habeant, quod vel minimum fidei integritati aut morum innocentiae detrahere possit.

9. Satagant episcopi, presbyteri ac christifideles, ut quam maxime diffundatur vera catholica fides et doctrina, ope tum probatorum librorum, tum piarum sodalitatum, quae tantopere religioni ac pietati favent.

10. In hac nostra provincia recenter exorta est nova hominum societas, qui ausu prorsus temerario, et mentita pietatis specie transfigurantes se in apostolos Christi, novam missionem divinitus indictam sibi arrogant, commentitium fictumque *Misericordiae opus* annuntiant, eo demum impietatis et insaniae devenerunt, ut unus ex ipsis, etsi nullo ordinis charactere insignitus, ausus fuerit, caeteris plaudentibus, sacra sacerdotii, imo et pontificatus munia usurpare, novumque Deo offerre sacrificium. Volentes igitur tantam perversitatem cohibere, et memores verborum apostoli: „*Sapientibus et insipientibus debitor sum,*“[1] patres concilii hanc societatem expresse damnant et reprobant; simulque prohibent, sub poena excommunicationis, ne quis ipsius conventi-

[1] Die 9 iulii 1753, n. 17.

[1] Rom. I, 14.

culis, ritibus ac caeremoniis interesse et adhaerere A praesumat.

## DECRETUM II.

*De cultu Dei et sanctorum.*

1. Cum eos, qui adorant Deum, in spiritu et veritate oporteat adorare, doceantur fideles duplicem Deo exhibendum esse cultum, nempe internum et externum: hunc autem esse privatum et publicum. Sciant etiam qualis debeatur cultus cruci, beatae Mariae, sanctis qui in coelo sunt, nec non eorum reliquiis et imaginibus. Noverint insuper quaenam personis Deo dicatis, locis sanctis, tumulis et quibuscumque rebus rite benedictis referenda sit reverentia.

2. Diligenter imprimis erudiatur plebs christiana circa praeceptum de sanctificandis diebus dominicis et festivatis[1] in populo, unde totius reipublicae christianae bona vel prava repetenda est conditio. Instent igitur parochi, ne parvipendatur tanti prae- B cepti observantia; fideles moneant quanti ipsorum referat missae parochiali interesse; hortenturque ne ab horis vespertinis facile abeint.

3. Periurium abhorrescant fideles et pro periurio habeant iuramentum omne cuius obiectum et finis non satis percipitur, ut in coetibus occultis accidit.

4. Caute arceatur ab ecclesiis, processionibus, piisque caeremoniis quidquid ad res politicas referri potest, quales sunt inscriptiones, vexilla, emblemata, imagines quae nihil religiosum prae se ferunt.

5. Cantus ecclesiasticus vel retineatur, vel, si opus fuerit, restituatur iuxta pristinam ecclesiae gravitatem et simplicitatem.

6. Moneantur omnes, ut in divinis laudibus persolvendis, unusquisque cuiusvis aetatis, conditionis et sexus, vocem suam choro angelorum et presbyterorum pie ac simpliciter admisceat. Verumtamen a melodiis et symphoniis, quae nostris in ecclesiis C aliquando audiuntur, mulieres sedulo arceantur.

7. Nunquam intra missarum solemnia, vel quodcumque divinum officium proprie dictum, cantica in vernacula lingua audiantur.

8. Decantari tamen possunt, imo et a puellis, in catechismis, in primis communionibus (nisi missa decantetur), in confirmationibus, nec non ante et post quasdam solemniores praedicationes extra missam, modo cantica haec simplicia eligantur, simpliciterque non vero more theatrico cantentur.

9. Satagant episcopi, ut, qua par est libertate ac facilitate donentur famuli, operarii, milites et generatim omnes, qui non sunt sui iuris, ut dierum dominicorum et festivorum in populo sanctificationi vacare possint.

## DECRETUM III.

*De beatissima virgine Maria.*

Filiali pietate affecti erga beatissimam Dei genitricem virginem Mariam, patres concilii Rothomagensis, antequam ad loca sua redeant, ipsius conceptionem immaculatam, et ab omni originalis peccati labe prorsus immunem se pie credere profitentur ac testantur. Laeti simul agnoscunt hanc eamdem sententiam clero et populo totius provinciae communem esse et gratissimam. Demum, illius gloriosissimae virginis opem humiliter implorantes et fiducialiter expectantes, ecclesias suas eius patrocinio denuo una voce unoque corde commendant.

## DECRETUM IV.

*De indulgentiis.*

1. Indulgentiarum utilitatem et virtutem explicent parochi, suosque edoceant populos media, quibus fructus illarum consequi possunt.

2. Cum vero frequentiori usu res ordinarie vilescant, et nimia facilitate saepe saepius ecclesiastica enervetur disciplina, valde expedit, ut, iuxta veterem et probatam in ecclesia consuetudinem in concedendis, aut sollicitandis, aut etiam recognoscendis indulgentiis, summa prudentia ac discretione utantur episcopi.

## DECRETUM V.

*De studiis ecclesiasticis.*

1. Decernunt patres concilii per totam provinciam recens ordinatos quoslibet presbyteros in futurum, pro nutu episcopi, per quinquennium ad examen sive publicum, sive privatum convocandos esse, ut quaestiones de scriptura sacra et theologia depromptas, et antea ab episcopo statutas, resolvere nitantur.

2. Instituantur in unoquoque decanatu collationes B ecclesiasticae, in quibus de praecipuis scientiae sacerdotalis quaestionibus ex ordine disseratur. Ut autem ex his collationibus fructus uberior ab omnibus percipiatur, singulos sacerdotes ad eas de suo, quantum poterunt, conferre necesse est. Ideoque, sacerdotes omnes hortamur, ut, quisque pro ingenio et doctrina sua, in iis tractandis, quae proponentur, sese constanti studio exerceant.

3. Quaecumque in his collationibus elaborata fuerint, ad episcopum mittantur, qui omnia quibusdam doctis ecclesiasticis viris examinanda tradat.

4. Indefesso zelo incumbant seminariorum praefecti, ut magis ac magis eorum alumni doctrina studiisque proficiant. Nec solum pietate et ecclesiasticis disciplinis instructi sint clerici; verum etiam christiana urbanitate morumque suavitate sese hominibus acceptos reddant. Imo, nec decet ipsos C humiliori ista scientia carere, unde nonnulli saeculares semidocti tantam sibi aliquando auctoritatem comparant.

## DECRETUM VI.

*De summo pontifice.*

1. Patres concilii Rothomagensis aperte profitentur Romanum pontificem totius esse caput ecclesiae, et omnium christianorum patrem et doctorem; ipsique in beato Petro, pascendi, regendi et gubernandi universalem ecclesiam a domino nostro Iesu Christo potestatem traditam fuisse. Suum igitur erga sanctam apostolicam sedem obsequium et amorem uno ore testantur, simulque preces et obsecrationes Deo offerunt, ut suum in terris vicarium tot ac tantis tribulationibus et angustiis probatum, quam maxima gratia et virtute ornare ac munire dignetur.

D 2. Si, ut par est, intimo animi dolore ingemuerunt de rebus novissime Romae peractis, unde non solum Romanae civitati, sed ipsimet ecclesiae gravissima imminerent mala, non minori gaudio audierunt summum pontificem fuisse, Deo misericorditer providente, urbi suae redditum, communi ope catholicarum gentium, ac praesertim auxilio et armis gentis gallicanae.

3. Sententiam vero eorum, qui temporalem Romani pontificis ditionem legi evangelicae adversari asserere non veriti sunt, damnant et reprobant concilii patres, votisque omnibus precantur salvum et incolumem esse, sacrum principatum, quo liberius et tutius apostolica potestas toto orbe exercetur. Demum, hisce praedecessorum suorum verbis sincera mente adhaerentes: „*Meminimus hoc esse a Gregorio IX nostrae genti nostrisque ecclesiis praeconium concessum, quod in fervore fidei christianae et devotione apostolicae sedis non sequatur alias gentes, sed*

[1] Fortasse *festivis*, sicut in fine decreti.

*antecedat,*" [1] illud magis ac magis promereri velle A ipsi profitentur.

## DECRETUM VII.
### *De metropolitano.*

1. Aequales sunt episcopi omnes ratione ordinis. Quidam tamen praecellunt ratione iurisdictionis, nempe metropolitani.

2. Primatus iste unitati maxime favet, et inde efficacius servatur disciplina.

3. Metropolitanus suscipit appellationem a sententiis suffraganeorum in casibus a iure praescriptis.

4. Convocat concilium provinciale eique praesidet, subinde invigilans ne quis concilii decreta servare negligat.

5. Deficiente uno e suffraganeis, administrationi ecclesiae vacantis providet, si capitulum intra octo dies, post obitum certo cognitum, non providerit.

6. Per totam provinciam crux prae illo fertur, B ipsique benedicendi ac in pontificalibus celebrandi ius tribuitur.

## DECRETUM VIII.
### *De episcopis.*

1. Si reformatione opus sit in ecclesia, noverint episcopi reformationem hanc ab ipsis inchoandam esse, siquidem: „*Qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea.*" [2]

2. Meminerint se ad formam gregis esse constitutos; ideoque in ecclesia Dei morum sanctitate et doctrinae integritate praefulgeant; factis ipsis ac vitae actionibus, quod est veluti quoddam praedicationis genus, se muneri suo conformes ostendant; in primis vero ita mores suos componant, ut omnes ab eis omnium virtutum exempla petere possint.

3. Sint semper in audiendo faciles, in respondendo mites, in sustinendo patientes, in corripiendo C misericordes, in consolando et sublevando promptiores.

4. Memores istorum apostoli verborum: „*Si quis domui suae praeesse nescit, quomodo ecclesiae Dei diligentiam habebit?*" [3] invigilent domesticorum moribus, ne ex illorum vitiis quaedam ipsis labes inuratur.

5. Ut etiam magis ac magis luceat lux ipsorum coram hominibus, singulis diebus dominicis et festis solemnioribus, quantum in ipsis erit, divinis officiis intersint.

6. Quae suae sint partes agnoscant, ac se non ad propria commoda, sed ad labores et sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant. Proinde, in sua dioecesi residentes, attendant universo gregi quem Spiritus sanctus ipsis regendum ac pascendum commisit.

7. Similiter, episcopi propriam dioecesim per se D ipsos, aut, si legitime impediti fuerint, per suum vicarium generalem, aut per alios ad hoc officium deputandos, si quotannis totam propter latitudinem visitare non poterunt, saltem notabilem eius partem visitare non praetermittant. „*Visitationum autem istarum praecipuus sit scopus,* praeter sacramenti confirmationis administrationem, *sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis haeresibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus et admonitionibus ad religionem, pacem innocentiamque accendere.*" [4]

8. Ab ipsis identidem clero suo exercitia spiritualia comparentur, ita ut, singulis trienniis, unusquisque piis istis exercitiis adesse valeat.

[1] Epist. episc. Gall. ad Clem. XIII.
[2] Eccli. X, 2.
[3] I Tim. III, 5.
[4] Trid., sess. XXIV, *de ref.*, cap. 3.

9. Vacante sede unius in provincia, a caeteris episcopis ferventes Deo offerantur orationes, ut novus eligatur pastor, qui iuxta cor et animam Domini faciat.

## DECRETUM IX.
### *De canonicis.*

1. Omnes residentiam realem officiumque suum religiose observent canonici, nisi vel morbo laborent, vel episcopum comitentur, vel capitulum in concilio aut in synodo repraesentent, vel qualibet alia causa legitima ab episcopo comprobata, pro bono religionis et dioecesis absentes fuerint.

2. Vocem suam libentissime praebeant divinis laudibus exequendis, memores quod angeli sint pacis in terra, totiusque vox ecclesiae.

3. Nulla missa privata ordinarie in ecclesia metropolitana vel cathedrali celebretur, dum missa capitularis decantatur, vel dum e suggestu concio ad populum habetur.

4. Quot in choro requiruntur ad congruam officiorum celebrationem, tot semper intersint canonici.

## DECRETUM X.
### *De decanis.*

1. Iuxta antiquam provinciae normam et consuetudinem, in unaquaque regione *(canton)* decanus instituatur, qui in sui decanatus territorio episcopali administrationi opem praestet.

2. Administratoriae decani attributiones ab episcopo prorsus determinentur, et ad eius nutum extendantur, limitentur vel etiam revocentur.

## DECRETUM XI.
### *De parochis et de aliis presbyteris et clericis.*

1. Sciant parochi se ad personalem residentiam in sua parochia teneri, ubi iniuncto sibi officio defungi debent.

2. E parochia sua non abeint nisi iuxta uniuscuiusque dioecesis regulas, et id raro, et iusta de causa, et suffecto in sui locum idoneo sacerdote, in omnibus ad formam Tridentinam [1].

3. Parochis et quibuscumque clericis prohibetur, ne mulieres, de quibus haberi potest suspicio, in domo vel extra retinere, nec cum illis ullam consuetudinem habere audeant, servatis poenarum gradibus a Tridentino praescriptis [2].

4. Nullas retineant nisi quae integram habeant famam, et quadragesimum saltem annum certe compleverint.

5. Admitti tamen possunt germanae sorores, quamcumque habeant aetatem, modo sint probatae virtutis, nec forte timeatur, ne aliis sacerdotibus vel clericis aut etiam laicis, quibus presbyterium patet, sint quasi offendiculum et petra scandali.

Neptes vero, imo et amitae, si quadraginta annis minores sint, non admittantur, nisi de expressa licentia episcopi, et quatenus conditionibus sororibus impositis satisfecerint.

6. Parochi omnesque alii clerici tonsuram gerant suo ordini congruentem et honeste rasam; vesteque talari, secluso forsan casu longinqui extra dioecesim itineris, aliisque vestimentis ecclesiasticae dignitati et modestiae convenientibus semper et ubique utantur.

7. A nimia cum laicis familiaritate abstineant.

8. Negotiis saecularibus, maximeque rebus politicis, non se temere immisceant.

9. Inter litigantes animos pacifici incedant.

[1] Sess. XXIII, cap. 1, *de ref.*, § *Eadem.*
[2] Sess. XXV, cap. 14, *de ref.*

10. Quicumque parochiales vel alias curam animarum habentes ecclesias quoquomodo obtineant, A per se vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnioribus plebes sibi commissas salutaribus verbis pascant.

11. Quod si neglexerint, et muneri suo defuerint, discant episcoporum esse iuxta concilium Tridentinum, per censuram ecclesiasticam, seu per alias, ad ipsorum arbitrium, poenas, sacerdotes huius tanti officii obliviosos cogere.

12. Vehementer exoptant concilii patres, ut in ecclesiis in quibus celebratur singulis diebus dominicis et festis missa matutinalis, brevis fiat adhortatio ad populum de veritatibus ad salutem necessariis variisque christianae vitae officiis.

13. Nullus munus praedicandi usurpet, aut praedicatores, inconsulto episcopo, adscire vel committere praesumat.

14. Parochi sacrum facere raro omittant. Diebus B vero dominicis et festis in populo, nisi sanctae sedis dispensatio accesserit quoad festa suppressa anno 1802, pro paroecianis sacrificium offerant.

15. Caveant, ne quis, eorum culpa, sive pervulus sine baptismo, sive adultus sine congruentium sacramentorum adiutorio e vivis excedat.

16. Medicorum chirurgorumve artem, tantis periculis obnoxiam, clerici nunquam exercere praesumant, etiam sub praetextu charitatis.

17. A venatione prorsus abstineant.

18. A comessationibus, baptismatum nuptiarumve conviviis, choreis, spectaculis, ludis publicis omnibusque clericali modestiae adversantibus aeque alieni sint.

19. In loco residentiae, et infra duas integras leucas (gallice 8 kilomètres) sub poena suspensionis ipso facto incurrendae, tabernas, comedendi vel potandi causa, nunquam ingrediantur, nisi gravi C urgente necessitate.

20. Haec et alia quaecumque copiose ac salubriter a summis pontificibus et a sacris conciliis, nec non a provinciae ritualibus libris et statutis de clericorum vita et honestate sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem poenis observentur.

21. Soli parocho regendae et administrandae parochiae ex officio cura committitur. Vicarii vero, ut, sub eius directione allaborent animarum saluti, delegantur.

22. Cordi habeant parochi, ut quos vicarios habent, in omnibus parochialis servitii muneribus pro bono ecclesiae exerceant.

23. Vicarios ut adiutores et filios habeant parochi, parochos ut patres revereantur et diligant vicarii; seque eis, ut par est, in sui muneris exercitio submissos libenter exhibeant.

## DECRETUM XII.

### *De sacramentorum administratione.*

1. Sanctissima ecclesiae sacramenta a domino nostro Iesu Christo instituta, continent ac per se conferunt fidelibus rite dispositis gratiam quam significant; cum tamen Spiritus sanctus iustitiam singulis partiatur secundum propriam cuiusque dispositionem, eo uberiores fructus producunt, quo maiori cum pietate ac religione suscipiuntur. Parochi igitur frequenter explicare curent vim et efficaciam sacramentorum, per quae omnis vera iustitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur; et ad ea pie ac reverenter suscipienda adhortentur fideles.

2. Maxime caveant sacerdotes, ne, peccati lethalis conscii, sacramenta administrent, sicque, gravi sese sacrilegii scelere contaminantes, providendo saluti aliorum, ipsimet sibi damnationem acquirant.

3. Caveant etiam, ne in sacramentis ministrandis aut aliis sacri ministerii functionibus obeundis, pias fidelium oblationes avide percipiendo, aut nimia cum rigiditate exigendo quae ipsis iure vel consuetudine merito ac laudabiliter attribuuntur, aliquam avaritiae notam incurrant.

4. Etsi sacramenta propter homines illorumque salutem fuerint instituta, indignis tamen constanter deneganda sunt. Meminerint sacerdotes sese constitutos fuisse dispensatores, non vero dissipatores, mysteriorum Dei.

5. Peccatoribus occultis ministranda sunt sacramenta, si illa publice requirant. Quoad illos vero qui reputandi sunt indigni, et a participatione sacramentorum sive privatim sive publice arcendi sunt, nihil innovetur, sed uniuscuiusque dioecesis rituale consulatur et teneatur.

## DECRETUM XIII.

### *De baptismo.*

1. Cum ea sit baptismi necessitas, ut homines in regnum Dei introire non possint, nisi renati fuerint ex aqua et Spiritu sancto, saepe moneantur parentes, ut infantes suos, quamprimum fieri potest, baptizari curent, praesertim si quoddam istis infantibus immineat mortis periculum. Nunquam vero ultra octavum diem differatur sacramenti administratio.

2. Secluso necessitatis casu, nullus extra ecclesiam, sine speciali licentia episcopi, tingatur.

3. Qui in casu necessitatis tinctus fuerit, ad ecclesiam deferatur simul atque convaluerit, ut suppleantur ei baptismi caeremoniae.

4. Si autem infans tinctus fuerit vi dispensationis ab episcopo concessae, caeremoniae ultra tres menses non differantur.

5. Nullum nomen baptizandis imponatur quod sit mere profanum vel iocosum; si quoddam insuetum illis imponatur quod non sit certo alicuius sancti, superaddatur nomen ab ecclesia usitatum.

6. Nec scandalosi, nec haeretici aut schismatici, nec ii qui usu rationis privantur, vel prima catholicae doctrinae rudimenta notorie ignorant, in patrinos aut matrinas admittantur.

7. Optandum valde foret, ut patrinus et matrina sacram eucharistiam prima vice iam susceperint. Necesse est vero, ut e duobus unus saltem huic conditioni satisfecerit, iuniorque septimum annum compleverit, et elementa fidei edoctus fuerit.

8. Qui reputantur indigni, aut, defectu aetatis, huiusce muneris suscipiendi incapaces habentur, nec per procuratorem illud exercere praesumant.

D 9. Validum est baptisma etiam ab haereticis collatum. Merito igitur ultimum Rothomagense concilium statuit, non esse rebaptizandos illos, qui, eiurata haeresi, ad unitatem catholicam transeunt. Cum vero recenti experientia constet, nonnullos hodie apud haereticos aquam baptizandis valde negligenter applicare, ideo nec omnibus, qui ad gremium ecclesiae redeunt, iterandus est baptismus, nec omnibus denegandus est. Sed uniuscuiusque prioris baptismi circumstantiae diligenter inquirendae sunt, et episcopo detegendae, ut ab ipso quod expedit statuatur.

10. Pariter, cum saepius, attenta ignorantia aut mentis perturbatione eorum qui privatim baptizant, probabilis sit dubitatio de validitate baptismi ab iis collati, decernunt patres baptizandos esse sub conditione eos, qui domi a laicis abluti sunt, nisi testimoniis omni fide dignis et sedulo requirendis constet sacramentum fuisse rite confectum.

11. Non omittat sacerdos, postquam sacramentum administraverit, diligenter conficere duplicem actum baptismalem, subscriptionem patrini saltem et matrinae requirere, et, si infans sit ex aliena parochia, huiusce actus exemplar authenticum mittere ad parochum loci in quo commorantur infantis parentes.

### DECRETUM XIV.
*De confirmatione.*

1. Nullus, praesertim in his angustiarum et tentationum temporibus, sacramentum confirmationis suscipere negligat.

2. Ad illud sacramentum non admittantur nisi qui rudimenta fidei sufficienter edocti, sacram eucharistiam iam susceperunt, et qui, iuxta praeceptum ultimi concilii Rothomagensis, praevia sacramentali confessione sese pie ad unctionem disposuerint.

3. Regula supradicta, de suscepta sacra synaxi ante confirmationem, non obligat infantes gravi morbo laborantes.

4. Sibi mutuo concedunt provinciae episcopi, ut dum unus suos confirmat, quosdam alterius, a proprio parocho praesentatos, confirmare queat; modo praesentatio haec nec subreptitia, nec subdola, nec quoquomodo auctoritati proprii praesulis iniuriosa haberi possit.

5. Unctorum omnium nomina in regesto baptismatum a parocho sedulo asserventur et obsignentur; unde de die, loco et ministro cuiusvis confirmationis certo constare possit.

### DECRETUM XV.
*De eucharistia.*

1. Illius sacramenti naturam, excellentiam, virtutem ac effectus diligenter, praesertim quadragesimali tempore, exponant parochi, ut divinae eucharistiae debitus cultus et honor exhibeatur, et ad illam, qua decet, fide, pietate ac reverentia, frequenter accedant fideles.

2. Nemo ad sacramentum eucharistiae prima vice suscipiendum admittatur, qui nondum huius sacramenti cognitionem et gustum habeat, iudicio praesertim parochi ac sacerdotis, cui peccata puer confitetur. Meminerint autem parochi se pueris, quos rite dispositos invenerint, diutius denegare non posse panem illum supersubstantialem, qui est animae vita et perpetua sanitas mentis.

3. Communio paschalis in ecclesia parochiali, nunquam vero in capellis privatis vel conventualibus, fiat. Solae moniales sub claustro degentes ius habent praeceptum paschale in suis capellis adimplendi. Quoad illas vero, quae, licet sub claustro non sint, in conventu aliquo vitam communem agunt, idem ipsis per privilegium concedunt patres, sicut et puellis educandis et commorantibus in quolibet monasterio canonice instituto.

### DECRETUM XVI.
*De celebratione missae.*

1. Nullus ad altare, nisi cum veste talari integra et manicata celebraturus accedat. Qui secus fecerit, suspensionis poenam ipso facto incurrat.

2. Caveat quivis sacerdos ne, sine praeparatione quadam, sacra faciat. In ipsa autem celebratione ita se componat, ut unicuique aedificationem praestet. Nec ab ecclesia discedat, nisi iusta gratiarum actione peracta.

3. Inter celebrandum, rubricae adamussim serventur.

4. Sacra non celebrentur, ubi ara vel altare non invenitur rite consecratum, ac sanctorum reliquiis
A munitum. Episcopi igitur per se, vel per alium, in sua visitatione, altaria diligenter inspiciant.

5. In eodem die nemo bis celebrare praesumat, nisi, ad id faciendum, expressam licentiam episcopi, aut cuiusvis ab eo deputati, acceperit.

6. Licentiam vero istam nullus concedat nisi ex gravi ac certo comperta necessitate vel utilitate, non quorumdam tantum, sed communitatis.

7. Omnes fundationes scripto exarentur, et in ecclesia vel in sacrario oculis omnium exponantur.

8. Nullae admittantur, nisi ab episcopo recognitae et approbatae; si vero, propter tenuitatem redituum, adimpleri nequeant, ab ordinario vel ipsius auctoritate, servatis constitutionibus Urbani VIII *Saepe*, 21 iunii 1625, et Innocentii XII *Nuper*, 31 decembris 1697, reducantur.

9. Ubi sanctissimum sacramentum asservatur, ibi noctu diuque lampas luceat. Nemo secus faciat,
B nisi ab apostolica sede expresse super hoc dispensatum fuerit.

10. Sacra autem eucharistia regulariter asservari non debet, secluso forsan quadragesimali tempore, in ecclesiis parochialibus vel vulgo dictis *annexis*, quae proprium sacerdotem non habent. In oratoriis vero privatis, publicum ingressum habentibus, nec intra nec extra quadragesimam asservari potest, nisi ex expressa episcopi licentia, et in quantum aderit, saltem in vicinitate, sacerdos quidam custos Domini.

### DECRETUM XVII.
*De poenitentia.*

1. Meminerit unusquisque confessarius sigillum confessionis non solum ad ea se extendere, quae in confessione audierit, verum etiam ad id omne, quod sibi a poenitente extra tribunal dictum fuerit,
C quod quoquomodo ordinem habeat ad confessionem, sive a confessario poenitens interrogatus fuerit, sive non.

2. Nemo poenitentem ad perpetuo sibi soli confitendum nec obliget, nec inducat. Nullius etiam, nisi de consensu episcopi, votum sibi ipsi, vel ad tempus, obediendi recipiat. Huiusmodi promissiones omnino prohibent, et, etiamsi iuramento firmatae fuerint, patres irritas declarant.

3. Nec in sacristia, nec alibi, extra sedem confessionalem in ecclesia positam, mulierum confessiones excipiantur. Si quam vero mulierem in sacrario audiri necesse sit, propter surditatem, aut quamlibet aliam infirmitatem, quae id absolute requirit, curet confessarius, ut tabula quaedam in modum craticulae perforata ad hoc adhibeatur.

4. Cum unusquisque quem voluerit confessarium ab episcopo approbatum deligere semper possit,
D etiam sine licentia parochi, patres concilii, conscientiarum libertati consulentes, statutum volunt, ut quivis parochus suos parochianos edoceat, licere eis confiteri peccata sua quovis tempore, etiam in paschate, cuilibet sacerdoti ab ordinario approbato; nec timeatur, ne qui hac libertate usus fuerit, propter hoc proprii sacerdotis benevolentiam amittat.

### DECRETUM XVIII.
*De extrema unctione.*

1. Moneant saepe fideles parochi, ne, dum aliquis periculose aegrotat, tardius hoc sacramentum suscipiat.

2. Aegrotos quam maxima fieri poterit caritate visitent, consolentur et instruant; etiam non vocati, ultro se offerant, prout suggesserit prudentia.

3. Eos, quibus hoc sacramentum administraverint, frequenter adhuc visitent, et hortentur ad constantiam in fide patientiamque in morbo, ut

vitam in catholica communione divinaque gratia A
feliciter explere valeant.

4. Oleum infirmorum in ecclesia vel in sacristia, cum omni reverentia custodiatur. Quod si, ut paratior inveniatur, parochus in domo sua, oleum istud servandum duxerit, locum non qualemcumque, sed separatum, tutum, decentem ac nitidissimum ad id eligat.

### DECRETUM XIX.

*De ordine.*

Pro domicilio relative ad ordinationem retineatur provinciae consuetudo.

### DECRETUM XX.

*De matrimonio.*

1. Parochi diligenter et prout ipsis expedire videbitur, fidelibus exponant sanctitatem matrimonii, obligationes quas imponit, et conditiones ad illud digne suscipiendum requisitas.

2. Omnibus in memoriam revocent coniunctionem mere civilem ad bonum conscientiae salutemque animarum nihil proficere, imo pro concubinatu merito habendam esse.

3. Cum sacramentum matrimonii non possit, absque sacrilegii reatu, recipi in statu peccati mortalis, provideant parochi, ut nemo ad illud suscipiendum admittatur, quin prius rudimenta fidei didicerit et peccata confessus fuerit. Meminerint etiam se graviter officio deesse, si in sacro tribunali futuros sponsos a peccato retrahere non enitantur, nec ipsos ad sinceram confessionem et veram animi contritionem pro viribus incitent.

4. In matrimoniis mixtis moneatur pars catholica, se non posse, tuta conscientia, in templo acatholicae partis, sive extra templum eiusdem coram ministro acatholico, connubii causa, sistere.

5. Caveant parochi, ne, peracto matrimonio mixto, C
missa coram sponsis sic celebretur, ut pro ipsis, vel occasione matrimonii celebrata censeatur.

6. Ne matrimonium effectibus civilibus careat, serventur quae lex coram magistratu fieri praecipit: curent tamen parochi ne praemature actus ille perficiatur.

7. Pro domicilio vero haec habeantur:

*a.* Domicilium ad matrimonium requisitum sola habitatione statim acquiritur, si publica sit et cum animo manendi.

*b.* Illi qui, domicilium retinentes in quadam parochia, in altera ad tempus resident, possunt matrimonium contrahere sive coram parocho domicilii, sive coram parocho loci in quo residentiam habent, si tamen spatio saltem sex mensium ibi iam commorati fuerint.

*c.* Minores possunt matrimonium inire vel in parochia proprii domicilii, vel in parochia parentum D
vel tutorum.

*d.* Maiores vero, id est viri qui 25 annum, et puellae quae 21 compleverunt, si nullum actualiter domicilium habeant, possunt contrahere coram parocho vel loci in quo resident tempore quo celebratur matrimonium, vel loci ubi domicilium habent parentes.

*e.* Matrimonium vagorum et extraneorum nunquam inconsulto episcopo celebretur.

### DECRETUM XXI.

*De disciplina ecclesiastica.*

1. Sanctas antiquae disciplinae regulas, prout circumstantiae temporum sinunt et saluti animarum expedit, religiose et integre servamus.

2. Saepius praedicetur quanta sanctae matri ecclesiae debeatur reverentia, dilectio, pietas et

3. In memoriam fidelium revocetur praecepto abstinentiae pro die sabbati ab ecclesia minime derogatum fuisse.

4. Pro viribus curent episcopi in suis mandatis, ut fideles ad integram quadragesimalis abstinentiae observantiam reducantur. Quoad dispensationes, unusquisque episcopus, apostolica auctoritate suffultus, in sua dioecesi statuat quod saluti animarum utilius fore iudicaverit.

### DECRETUM XXII.

*De coemeteriis et exequiis.*

1. Antiqua retineatur consuetudo, qua non solum unaquaeque fovea, verum coemeteria ipsa benedicuntur. Relinquatur autem absque benedictione pars quaedam repagulis munita, vel aliquo modo distincta, ubi sepeliri possint ii, quibus, iuxta praescriptum ritualis, sepultura ecclesiastica concedi
B non debet.

2. Nullus de clero, inscio et non approbante episcopo, mortuum in funere, habita oratione, laudet. Nullus etiam encomiis, quae aliquando a laicis in coemeteriis proferuntur, interesse praesumat, nisi ut propinquus amicusve defuncti, et sine chori habitu, clericus iste exequiis adsit, et proferenda verba irreprehensibilia praesumat.

3. Quoad illos, quibus deneganda sunt tum sepultura ecclesiastica, tum publica ecclesiae suffragia, consulatur et servetur, prout in ritualibus et statutis conscribitur, provinciae disciplina.

### DECRETUM XXIII.

*De piis sodalitatibus et confraternitatibus.*

1. Nulla erigatur sodalitas seu confraternitas sine consensu et approbatione episcopi dioecesani, qui prius statuta huius societatis examinari curabit.

2. Nec audeat quilibet sacerdos operam dare erectioni vel propagationi cuiusvis confraternitatis, quae ab ordinario prius rite approbata non fuerit.

3. Sciant omnes, iuxta constitutionem Clementis VIII *Quaecumque* 7 decembris 1604, quaslibet confraternitates vel sodalitates, etiam in ecclesiis regularium institutas, aut litteris apostolicis approbatas, aut archiconfraternitatibus canonice erectis aggregatas, sine consensu et voluntate ordinariorum non posse subsistere, eas iurisdictioni eorum omnino subesse, indulgentiarumque vel privilegiorum communicatione, sine eorumdem recognitione, non gaudere.

4. Quarumlibet confraternitatum vel sodalitatum exercitiis spiritualibus piisque operibus nunquam impediatur vel turbetur divinorum officiorum in parochiis celebratio; imo nec ab ipsis avocentur fideles, maxime cum verbum Dei annuntiatur.

### DECRETUM XXIV.

*De monasteriis et congregationibus.*

1. Nemo ullam novam virorum aut mulierum communitatem sive sub claustro, sive non, erigere praesumat, nisi obtenta prius episcopi licentia.

2. Nec cuiquam sacerdoti liceat ullam piarum mulierum aggregationem, quae se docendis puellis destinent, adunare aut dirigere, inconsulto episcopo.

3. Nullus regularium ordinis sui aliquam domum, nisi de consensu episcopi, constituat.

4. Regulares sine diligenti episcopi examine non ordinentur.

5. Regulares non excipiant confessiones fidelium, etiam sacerdotum, qui ordinarii iurisdictioni subiacent, nisi fuerint ab illo approbati; neque in ecclesiis etiam sui ordinis praedicent, contradicente

6. Ut libertati virginum, quae se Deo dicare A volunt, bene provideatur, nulla professionem emittat, quin episcopus per se vel per alium ad id deputatum virginis voluntatem serio et attente exploraverit. Ideo, praefecta monasterii episcopum semper moneat, aut ipsius vicarium, ante mensem, de proxima votorum emissione facienda.

7. Nemini sanctimonialium, quae sub claustro vivunt, liceat, post professionem, e monasterio, etiam ad tempus, exire, nisi e gravi causa ab episcopo probanda.

Quae vero, vota sua sacrilege contemnentes, e monasterio non reversurae exeunt, ipsis sacramenta constanter denegentur, usquedum obtenta fuerit expressa episcopi licentia.

8. Idem de viris regularibus etiam sacerdotibus a patribus sancitum est.

9. Nullus nullave, sub quovis praetextu, intra septa monialium ingredi audeat, nisi de episcopi B licentia.

10. Nemo confessiones monialium excipiat, nisi specialem ab episcopo facultatem habeat; et, praeter assuetum, confessarius alius ab episcopo assignetur, iuxta Tridentinum; et praeterea habeatur prae oculis constitutio sanctae memoriae Benedicti XIV *Pastoralis* diei 5 augusti 1748.

## DECRETUM XXV.

*De concilio provinciali et de synodo dioecesana.*

1. Quando, iuxta sanctae Tridentinae synodi praescriptum, concilium provinciale celebrandum erit, ante inchoationem concilii, preces publicae indicantur; in celebrando concilio, regulae in pontificali Romano vel in caeremoniali episcoporum traditae, sedulo asserventur; post vero absolutum concilium, peragendis rite peractis, dioecesana cogatur synodus, ut solemnius exponantur decreta. C

2. Si qua, circa sensum illorum, suboriatur difficultas, eorum explicatio, usque ad proximum provinciae concilium, unicuique in sua dioecesi episcopo reservetur. Si vero graviora sint dubia, ad metropolitanum deferantur, ut cum suffraganeorum consilio ab ipso provideatur.

3. Interim grates Deo optimo maximo persolvunt patres, cuius providentia procurante, huius novi concilii Rothomagensis celebrandi facultas ipsis tam insperate facta est.

Quae omnia iudicio et beneplacito sanctissimi domini nostri papae submittimus.

Nos, Ludovicus, archiepiscopus Rothomagensis, haec decreta a nobis definita subscripsimus.

† Ludovicus, archiepiscopus Rothomagensis.

† Ego Ludovicus-Ioannes, episcopus Constantiensis, subscripsi iudicans. D

† Ego Ludovicus-Franciscus, episcopus Baiocensis, subscripsi.

† Ego Nicolaus-Theodorus, episcopus Ebroicensis, subscripsi.

† Ego Carolus-Fridericus, episcopus Sagiensis, subscripsi.

## DECRETUM

*de testium synodalium promulgatione.*

Nos, Ludovicus, Dei et sedis apostolicae gratia archiepiscopus Rothomagensis, antiquum atque probatum de testibus synodalibus institutum secuti, ad hoc officium, de consilio et consensu reverendissimorum coepiscoporum nostrorum, deligimus, instituimus atque pronuntiamus hos, quorum nomina sequuntur:

Pro dioecesi Rothomagensi: reverendus dominus Bobée, canonicus honorarius Rothomagensis et decanus Yvetotensis; reverendus dominus Lemazurier, canonicus honorarius Rothomagensis et decanus Augensis; reverendus dominus Poulain, decanus Sancti Ioannis Ellebovaei.

Pro dioecesi Constantiensi: reverendus dominus Lebrec, vicarius generalis Constantiensis; reverendus dominus Marvie, canonicus Constantiensis; reverendus dominus Harel, decanus Valoniensis.

Pro dioecesi Baiocensi: reverendus dominus Le Grand, canonicus honorarius Baiocensis et rector Sancti Ioannis Cadomensis; reverendus dominus Tirard, canonicus honorarius Baiocensis et rector Beatae Mariae Viriensis; reverendus dominus Godard, canonicus honorarius Baiocensis et rector Sanctae Catharinae Hunnefloriensis.

Pro dioecesi Ebroicensi: reverendus dominus Coursaut, canonicus honorarius Ebroicensis et archipresbyter Lupariensis; reverendus dominus Damoiseau, decanus ecclesiae Ecos; reverendus dominus Aubert, decanus ecclesiae Montis-Fortis.

Pro dioecesi Sagiensi: reverendus dominus Jamot, canonicus honorarius Sagiensis et archipresbyter Beatae Mariae Alentionensis; reverendus dominus Lorphelin, canonicus honorarius Sagiensis et rector ecclesiae Ceton; reverendus dominus Germain, presbyter praepositus ecclesiae Caligny.

## DECRETUM

*de decretorum synodalium subscriptione.*

Petitioni promotorum obtemperantes, nos, Ludovicus, Dei et sedis apostolicae gratia archiepiscopus Rothomagensis, praecipimus ut nominatim vocentur quicumque vocem decisivam in concilio habent.

## DECRETUM

*de proximi concilii indictione.*

Nos, Ludovicus, Dei et sedis apostolicae gratia archiepiscopus Rothomagensis, decernimus proximam futuram synodum Rothomagensem anno millesimo octingentesimo quinquagesimo tertio celebrandam esse, mense, die et loco subinde definiendis.

## DECRETUM

*de fine concilii.*

Annuentibus omnibus patribus, nos, Ludovicus, Dei et sedis apostolicae gratia archiepiscopus Rothomagensis, provinciali Rothomagensi concilio finem facimus, et iam nunc factum esse decernimus.

## EMINENTISSIMI CARDINALIS MAII

*litterae super decretis concilii provincialis Rothomagensis anno 1850 habiti.*

Perillustris et reverendissime domine uti frater.

Reddita sunt sacrae huic congregationi Tridentinis decretis tuendis ac interpretandis, synodisque examinandis praepositae, acta provincialis concilii, quod superiori anno ab amplitudine tua, aliisque istius ecclesiasticae provinciae episcopis est concelebratum. Ac vehementer est gratulata, perpendens saluberrima decreta, quae in eodem concilio ad catholicam fidem tuendam, ad divinum cultum promovendum, et ad animarum salutem procurandam, edita fuerunt. Eidem congregationi gratissimi exstiterunt singularis amoris, obsequii et observantiae sensus, quibus amplitudo tua aliique eiusdem provinciae antistites hanc apostolicam sedem et ipsum summum pontificem prosequi profitentur, in cuius exilio ista ingemuit provincia, ac deinde vel maxime est laetata ob eiusdem ad urbem reditum, qui singulari Dei beneficio, et communi catholi-

carum gentium ope ac praesertim inclytae istius A Gallicae nationis auxilio et armis evenit. Plurimas etiam eadem congregatio tibi ceterisque comprovincialibus episcopis laudes deferendas existimavit ob ea, quae in eodem concilio statuta sunt de parochis, de clero, de accurata adolescentium clericorum institutione, ac de iuniorum sacerdotum studiis, de christiana praesertim iuventutis educatione, de virorum ac mulierum monasteriis, ac piis sodalitatibus. Quae sane decreta luculenter ostendunt qua pastorali vigilantia ac zelo eiusdem concilii patres praestent.

Optatissimum autem fuisset huic congregationi, ut eiusdem synodi patres, vestigiis inhaerentes Rothomagensis synodi anni 1581, in qua plura de missali et breviario iuxta constitutionem sancti Pii V statuta sunt, aliquid de Romana liturgia in pluribus Galliarum dioecesibus iam restituta, ac in nonnullis recentissimis provincialibus conciliis sancita decre- B vissent. Verum minime dubitat sacra congregatio quin de hac re in proximo provinciali concilio agatur. Ac pro certo etiam habet in eodem amplitudinem tuam aliosque coepiscopos, ob eximiam ipsorum sapientiam, verba facturos esse de ordinis sacramento, deque dotibus quibus fulgere omnino debent ii omnes qui sacris ordinibus sunt initiandi, et uberiore atque ampliore modo acturos esse de iis, quae breviore quadam ratione in concilio nuper habito tractata sunt.

Ex folio huic adiecto intelliget amplitudo tua quidquid sacra haec congregatio animadversione aliqua dignum existimavit. Ego autem quod ad me pertinet omne meum studium amplitudini tuae profiteor, cui fausta omnia precor a Domino.

Amplitudinis tuae, uti frater studiosissimus

A. cardinalis Maius, praefectus. C

A. Tomassetti, secretarius.

Romae, 19 iulii 1851.

### MANDATUM

*domini domini archiepiscopi Rothomagensis ad suffraganeos episcopos de promulgando et observando concilio anno 1850 habito.*

Ludovicus-Maria-Edmundus Blanquart de Bailleul, Dei et apostolicae sedis gratia archiepiscopus Rothomagensis, primas Normanniae, reverendissimis et dilectissimis fratribus nostris episcopis nostrae provinciae Rothomagensis, salutem in Domino.

Quae nobis in unum collectis decernere placuit, haec vobis, fratres reverendissimi et dilectissimi, tandem publicanda remittimus. Nec sane dubitamus quin omnes tum sacerdotes tum laici ad illa amplectenda ultro sese accingant. Pleraque enim eorum, quae sive de vita et moribus clericorum, sive de sacramentorum administratione, sive de parochiarum regimine statuta fuerunt, non nova quidem et aliunde quaesita, sed iam usitata et a patribus tradita inveniuntur. Unde non tam plantare et aedificare, quam confirmare et stabilire, nobis in hac nostra synodo provinciali curandum fuisse videtur.

Quoad illa vero quae, magistra rerum experientia suadente, de novo introducenda duximus, certo confidimus quod illa, velut pristina et assueta, ovium docilitas suscipiet, viresque ad id non impares in se inveniet. Amor enim disciplinae, sicut ipsius Dei amor, omnia suffert, omnia sustinet; imo, iuxta pii cuiusdam viri effatum, *„amor leve facit omne onerosum; amor onus non sentit, et labores non reputat."*[1]

Quapropter, et cum inter avitas huiusce nostrae provinciae traditiones, praecipue laudetur pietas erga sanctam sedem apostolicam, eximiaque in Romanum pontificem reverentia et obedientia; et cum decreta a nobis primum exarata, dein a summo pontifice non tantum visa et recognita, verum etiam, ubi ipsi placuit, reformata et emendata, tanquam ab ipso Christo domino missa unusquisque habere possit; vos omnes et singulos, fratres amplissimi, in Christo adhortamur et obsecramus, et, in quantum opus est, a vobis omnibus et singulis petimus et requirimus, ut ultimae nostrae synodi provincialis decreta unusquisque, sicut iam supra innuimus, in sua dioecesi promulgare curet, et eorum observationi invigilet.

Et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, perpetuo vobis augeatur, multiplicetur et perficiatur. Amen.

Datum Rothomagi, in palatio nostro archiepiscopali, sub signo sigilloque nostris ac secretarii nostri subscriptione, anno reparatae salutis millesimo octingentesimo quinquagesimo secundo, mensis aprilis die decima octava, dominica in albis depositis.

† Ludovicus, archiepiscopus Rothomagensis.

De mandato illustrissimi et reverendissimi domini domini archiepiscopi:

Lebel, canonicus secretarius.

[1] *De imit. Chr.*, lib. II, cap. 5.

# CONCILIUM PROVINCIALE BURDIGALENSE
## 1850 iulii 14.

Concilium provinciale Burdigalense in Gallia, celebratum die 14 iulii 1850, praeside Ferdinando-Francisco-Augusto Donnet, archiepiscopo Burdigalensi.

**Bibliographia.**

1) Concile de Bordeaux, détails sur la cérémonie qui doit avoir lieu le dimanche, 14 juillet, pour l'ouverture du concile. *[In fine:]* Bordeaux, imprimerie Chausserouge, rue des Trois-Conils, 46.

Sine anno (1850), in-4°, 1 f. — Paris, Bibl. nat., B 3062.

2) Discours prononcé par monseigneur l'archevêque de Bordeaux, à l'ouverture du concile de sa province, le 14 juillet 1850. Se vend au profit de la maison des sœurs des pauvres, située rue Judaïque-Saint-Seurin, 165.

Sine loco nec anno (1850), in-8°, 16 p. — Paris, Saint-Sulpice.

3) Le concile de Bordeaux. *[In fine:]* Bor- D deaux, impr. de J. Dupuy et comp., rue de la Devise, 12.

Sine anno (1850), in-8°, 8 p. — Paris, Bibl. nat., B 18358.

4) Acta et decreta concilii provinciae Burdigalensis, in urbe Burdigala celebrati, anno Domini MDCCCL, pontificatus Pii papae IX, quinto, a sancta sede approbata. Burdigalae, typis Gounouilhou, typographi ill. ac rev. dd. archiepiscopi, via vulgo dicta de S^te^-Catherine, MDCCCLII.

In-8°, XXVII-216 p. — Autun, séminaire; Chambéry, séminaire; Lyon, abbé Martin; Lyon, séminaire; Paris, Saint-Sulpice; Sens, séminaire.

5) Acta et decreta sanctorum conciliorum recentiorum, collectio Lacensis, presbyteris s. J., e domo b. v. M. sine labe conceptae ad Lacum. Tomus quartus. Friburgi Brisgoviae, sumtibus Herder, MDCCCLXXIII, col. 537-640.

## PUBLICATIO CONCILII BURDIGALENSIS.

Ferdinandus-Franciscus-Augustus Donnet, Dei et apostolicae sedis gratia archiepiscopus Burdigalensis, Aquitaniae primas, clero et universis provinciae nostrae fidelibus, salutem et benedictionem in Domino.

Hac demum aetate, fratres dilectissimi, „*secundum multitudinem dolorum* nostrorum . . . *consolationes* Domini *laetificaverunt animam* nostram;“[1] Dominus enim „*pluviam voluntariam segregavit haereditati* suae“[2]. Ros iste gratiarum stillavit in Galliam ex conciliis provincialibus, tam diuturno lugendoque annorum spatio interruptis, tam ardenter ab episcopatu desideratis, tantaque piorum fidelium exsultatione renovatis.

Et nos concilium nostrum habuimus: nostra decreta a sancta sede revisa, approbata et recepta hodie publicamus. E testium memoria nunquam B excident confertae populorum turbae, longo agmine iuxta vias coacervatae, dum pontifices provinciae, per vicos et plateas civitatis, infulati solemni pompa incederent, et nobiscum benedicerent cuiusque aetatis, sexus et conditionis fidelibus. Alii, prae gaudio, lacrymas fundere; alii, palmis ad sidera elevatis, Deo optimo rependere gratias de restituto a coelis conciliorum munere. Nihil nos irreligiosi murmuris contristavit; et, quod peculiari benignitati divinae tribuendum, infausti nihil in tot millibus hominum accidit. Etenim, ut pio solemnis incessus sessionumque fruerentur spectaculo, ex omnibus vicinis dissitisque tractibus, terra marique confluxerant clerici et saeculares, divites et pauperes, magistratus et vulgus. Omnibus videbatur *cor unum et anima una;* novam dixisses christianorum sobolem e coelo dimissam.

Concionantibus episcopis obsequentissimum fa- C vebat silentium: imo, dum decreta legerentur, in lingua plerisque ignota, eadem perstabat reverentia, eadem pietas. Nec id mirum; superiores enim urbium magistratus, praeclaros exercituum duces, nobilium optimates, videre erat, concordi aemulatione, his coetibus tam religiose assistentes.

Horum quidem et nos recordati, gaudio superabundamus; sed adhuc „*confidimus de vobis meliora et viciniora saluti*“[3]. „*Flores apparuerunt in terra nostra;*“[4] nunc expectamus donec fructus parturiant. „*Quid* enim *proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?*“[5]

Convenimus in unum, non vani spectaculi gratia, sed animas vestras salvaturi. Terrebant nos quippe tot errores quasi ex abyssi puteo emergentes, tot pericula, tot neces incautis imminentia. Dies nostros comparavimus annis antiquis, quando Galliae regnum, D „*integritate christianae religionis, inter caeteras gentes erat conspicuum,*“[6] et „*ecclesia Gallicana erat, post apostolicam sedem, quoddam totius christianitatis speculum, et immotum fidei fundamentum, utpote quae, in fervore fidei christianae ac devotione apostolicae sedis, non sequeretur alias, sed antecederet.*“[7]

„*Totum*, ait sanctus Gelasius, *in sedis apostolicae positum est potestate. Ita, quod firmavit in synodo sedes apostolica, hoc robur obtinuit; quod refutavit, habere non potuit firmitatem.*“[8] Istam doctrinam

[1] Ps. XCIII, 19.
[2] Ps. LXVII, 10.
[3] Hebr. VI, 9.
[4] Cant. II, 12.
[5] Iacob. II, 14.
[6] Greg. M. epist. LVIII ad Theodor. et Theodeb., l. 5. [Opp. s. Greg., ed. Migne, III, 841.]
[7] Greg. IX, epist. ad arch. Rem.
[8] Gelas., *De anath.* [ed. Migne, *Patrol. lat.*, LIX, 107 b.]

A firmiter, synodi tempore, tenebant, hodie tenent, ac, Deo auxiliante, tenebunt semper Burdigalensis provinciae praesules, sicque, quantum in se erit, impedient ne „*vineam Domini exterminet aper de sylva, et singularis ferus depascatur eam*“[1]. Ea etiam lege, se agnoscunt legitimos animarum parentes, duces et „*episcopos, quos posuit Spiritus sanctus regere ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*“[2].

Non miremini igitur, dilectissimi fratres, si curam adeo sollicitam adhibuerimus, ut reverentiam ac obedientiam vestram excitaremus erga matrem ac magistram omnium ecclesiarum, et communem omnium christianorum patrem et doctorem, super quem aedificavit Christus *columnam et firmamentum veritatis.*

Ideo, iuxta canonum praescriptiones, auctoritati eius nostra subiecimus decreta, ut ea aut approbare vel emendare vellet.

Et nunc ista decreta confidenter ad vos mittimus, cum nihil contineant quod adversetur aut displiceat iudicio illius, qui, a suprema veritate discit ac docet „*viam in qua lux habitet, et tenebrarum quis locus sit*“[3].

Nos igitur audiendo, audietis „*episcopos in apostolicae confessionis petra solidatos*“[4]; nec errare poteritis, adhaerendo doctrinae ipsi acceptae, cui donatum est a Domino discernere rivulos adulterinos a fontibus puris.

Cum, intra concilii limites, impossibile esset providere omnibus huius aevi necessitatibus, ad ea nos restrinximus quae magis urgentia videbantur: errorum genimina praefocare sategimus; fidem orthodoxam fulcire; disciplinam ecclesiasticam promovere; sacramentorum piae ac legitimae administrationi advigilare; hierarchiae sacrae ordinem iuraque stabilire; tandemque varia fovendae religionis media suggerere.

Hinc tributum honoris cathedrae apostolicae debitum persolvimus solemniter; hinc liturgiae Romanae unitatem in tota provincia unanimes praecepimus; hinc erga definiendam virginis Deiparae immaculatam conceptionem, vota nostra sine ambiguitate deprompsimus; hinc greges nostros sacratissimo cordi Salvatoris peramanter consecravimus.

Nunc vos primum in visceribus Christi obsecramus, fideles ecclesiae ministri, commilitones nostri dilectissimi, quibus sacra munera commissa sunt, quocumque modo saluti curaeque animarum fueritis mancipati, decreta nostra lubenter suscipite, ac laudabiliter adimplete; disciplinam, in minimis etiam, religiose servate. Sic agite, ut nullius animae sanguis a vobis requiratur. Igitur „*in omnibus vos praebete exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate. Verbum sanum et irreprehensibile: ut is qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis*“[5]. Instant iam tempora ab apostolo praedicta: „*Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, et voluptatum amatores magis quam Dei . . . Mali autem homines et seductores proficient in peius, errantes et in errorem mittentes.*“[6] Isti sunt „*lupi rapaces . . . non parcentes gregi . . ., loquentes perversa, ut abducant discipulos post se: propter quod vigilate*“[7]. „*Pascite qui in*

[1] Ps. LXXIX, 14.
[2] Act. XX, 28.
[3] Iob, XXXVIII, 19.
[4] Hieron., libr. I, epist. 26.
[5] Tit. II, 7-8.
[6] II Tim. III, 2-4, 13.
[7] Act. XX, 29-31.

*vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed* A *spontanee, secundum Deum; neque turpis lucri gratia, sed voluntarie; neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam."* [1]

Scimus qua cum pietate vocem nostram audituri sitis, vos quoque venerandi patres ac religiosi fratres, *quibus viluit tellus, dum coelos aspiceretis.* Cum ad vos nostra decreta pervenerint, magis ac magis „*quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate*" [2]. „*Ne excidatis a propria firmitate; crescite vero in gratia et cognitione domini nostri Iesu Christi.*" [3] „*Bonum autem aemulamini in bono, semper.*" [4]

Ad vos etiam devenient monita nostra, virgines et sponsae Christi, filiae nostrae electissimae, quae, B fallax respuentes saeculum, optimam partem elegistis, quae non auferetur a vobis. Pergite viam, „*non alta sapientes, sed humilibus consentientes;*" [5] ad perfectiora tendentes, sed non *in mirabilibus super vos.* Nullae in vobis inveniantur fatuae virgines; sed omnes, accensis lampadibus, obviam Christo domino exite. In viridariis ecclesiae, odorem spargite charismatum omnium, charitatis scilicet, obedientiae, mansuetudinis, patientiae, simplicitatis, modestiae, caeterarumque virtutum, quae genus vitae vestrae condecorant. Sic vobis, sic ecclesiae, sic ministerio nostro proderitis, sive saeculo penitus absconditae, sive quodam modo inter homines appareatis, vel in iuventutis educatione, vel in adimplendis misericordiarum operibus.

Tandem vos omnes alloquimur, filii nostri charissimi, in mundo degentes. Urgebat nos, in synodo provinciali, charitas Christi pro vobis; cumque re- C cogitaremus innumeram hominum turbam misere intereuntem, ultra modum commovebantur viscera nostra. Clementissimum Dominum, qui amat animas, deprecabamur, ut vos liberaret „*a laqueo venantium, scapulisque suis obumbraret* vobis, et *non accederet ad* vos *malum, nec flagellum appropinquaret tabernaculo* vestro": sicque nihil esset vobis timendum „*a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et daemonio meridiano*" [6]. „*Cupide volebamus tradere vobis, non solum evangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniam charissimi nobis facti estis.*" [7] Hodie cum apostolo clamamus: „*Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum.*" [8]

„*Obedite praepositis vestris et subiacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris* D *reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes; hoc enim non expedit vobis.*" [9] „*Accedite ad* Dominum, *et illuminamini, et facies vestrae non confundentur.*" [10] „*Quid adhuc retardatis? . . . Animae vestrae sitiunt vehementer.*" [11] „*Salvamini a generatione ista prava.*" [12] „*Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.*" [1] „*Os nostrum patet ad vos; cor nostrum dilatatum est . . . dilatamini et vos.*" [2]

„*Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium in sanguine testamenti aeterni, dominum nostrum Iesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciatis eius voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram se, per Iesum Christum, cui est gloria in saecula saeculorum. Amen.*" [3]

Datum Burdigalae, in palatio nostro archiepiscopali, sub signo sigilloque nostris, ac secretarii generalis archiepiscopatus nostri subscriptione, anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, mensis novembris die vigesima quarta, in festo sancti Romani confessoris, unius ex dioeceseos patronis.

† Ferdinandus, archiepiscopus Burdigalensis.

De mandato illustrissimi ac reverendissimi domini domini archiepiscopi:

Montariol, canonicus secretarius generalis.

## LITTERAE

*ad reverendissimos dominos dominos episcopos provinciae Burdigalensis, de concilio provinciali convocando.*

Ferdinandus-Franciscus-Augustus Donnet, Dei et apostolicae sedis gratia archiepiscopus Burdigalensis, Aquitaniae primas, comes Romanus, solio pontificio assistens, magna cruce praeclari ordinis Caroli III insignitus,

Reverendissimis fratribus episcopis, Rupellensi, Petrocorensi, Aginnensi, Engolismensi, ad ecclesiam metropolitanam Cameracensem nominato, Lucionensi ac Pictaviensi, salutem in Domino.

Reverendissime domine.

Cum tanta sit divinae providentiae benignitas ut, inter ruinas societatis undique collabentis, episcopis Galliae detur habere concilia provincialia, prorsus inexcusabiles coram Deo et ecclesia essemus, nisi tum decreto sacrosanctae et oecumenicae synodi Tridentinae, tum voto amantissimi et venerandi admodum patris nostri Pii IX de conciliis provincialibus habendis, obtemperare festinaremus.

Quare, pro suscepti regiminis officio, reverendissimos provinciae nostrae episcopos convocare censuimus et ediximus ad synodum provincialem, inchoandam in ecclesia nostra metropolitana Burdigalensi, die dominica pridie idus iulii, in festivitate proxima sancti Bonaventurae, vestramque amplitudinem reverendissimam ad eam, pro auctoritate nostra metropolitana, vocamus et monemus ut stato die intersit.

Quod quidem ut rite et fructuosius fiat, reverendissime domine, veterum patrum vestigiis insistentes, amplitudinem vestram hortamur ut quinque praestare velit:

1. Ut edictum nostrum super celebratione synodi, praesente capitulo, legendum, et per quindecim dies in sacristia capitulari affigendum, diligenter curet, adeo ut iis omnibus innotescat, quorum interest;

2. Ut, post elapsos quindecim dies a lectione edicti, convocet capitulum, quod duos scientia praevalentes viros ad synodum deputet;

3. Ut secum adducat, si velit, duos, aut ad summum quatuor alios, cum doctrina et experientia, tum eximia et singulari pietate praestantes viros, sive sint vicarii generales, sive non, qui synodo prosint, quo singula dilucidius et uberius pertractentur;

[1] I Petr. V, 2-4.
[2] Philipp. IV, 8.
[3] II Petr. III, 17-8.
[4] Galat. IV, 18.
[5] Rom. XII, 16.
[6] Ps. XC, 3-4. 10, 6.
[7] I Thess. II, 8
[8] Coless. II, 8.
[9] Hebr. XIII, 17.
[10] Ps. XXXIII, 6.
[11] Eccli. LI, 32.
[12] Act. II, 40.

[1] II Cor. V, 20.
[2] II Cor. VI, 11, 13.
[3] Hebr. XIII, 20-1.

4. Ut quaestiones quae in concilio expendentur, A et quarum ideo synopsis hic adiungitur, studio doctorum commendare velit, ita ut unusquisque circa singulas materias omnino paratus accedat, non solum sana doctrina in mente efformata, sed et, saltem quoad res maioris momenti, in scriptis consignata, quae, quando utile erit, communicari queant congregationi de decretis; unde fiat, ut ista tum laborem sibi commissum citius et facilius perficere, tum mentem concilii certius repraesentare possit;

5. Denique, ut, mense celebrationem concilii praecedente, in singulis suae dioeceseos ecclesiis, preces et supplicationes indicat et decernat, pro salutari nimirum synodi ingressu, progressu et exitu, quemadmodum in duobus ultimis conciliis huius provinciae cautum esse constat.

Interim, amplitudinem vestram reverendissimam Deus diu incolumem servet summopere precamur. B

† Ferdinandus, archiepiscopus Burdigalensis, Aquitaniae primas.

## EDICTUM

*de concilio provinciali Burdigalensi.*

Ferdinandus-Franciscus-Augustus Donnet, Dei et apostolicae sedis gratia archiepiscopus Burdigalensis, Aquitaniae primas, comes Romanus, solio pontificio assistens, magna cruce praeclari ordinis Caroli III insignitus,

Reverendissimis fratribus episcopis, necnon venerabilibus abbatibus, capitulis, aliisque nostrae provinciae ecclesiasticis personis, quae, de iure vel consuetudine, concilio provinciali interesse debent, salutem in Domino.

Cum concilia provincialia, quolibet saltem triennio, ad moderandos mores, corrigendos excessus, C querelas et controversias componendas, eaque omnia decernenda quae ad Dei gloriam et animarum salutem conducere possunt, haberi velit et mandet sacrosancta Tridentina synodus [1];

Cum idem in votis habeat sanctissimus in Christo pater et dominus Pius IX, qui, prae amore et reverentia quibus illum prosequimur, dum exoptat, praecipit:

"Cum demum is sit optimus conservandae aut restaurandae disciplinae ecclesiasticae, medendique malis omnibus reipublicae christianae modus, a patribus divino numine afflatis introductus, diu olim sollicite ac fructuose servatus, gemente ecclesia interruptus, nunc vero, inter tot et tantas perturbationes rerum, longe magis quam unquam necessarius;

Idcirco, nos, quod ad maiorem omnipotentis Dei gloriam et sanctorum eius, ecclesiarumque provinciae D nostrae incrementum bene vertat et cedat, concilium provinciale in ecclesia nostra metropolitana Burdigalensi ad proximam festivitatem sancti Bonaventurae, quae incidit die dominica pridie idus iulii, habendum et inchoandum decernimus, prout ad id reverendissimos dominos dominos episcopos comprovinciales nostros, per litteras nostras ad singulos nominatim datas, evocavimus; universis et singulis qui, pro more huius provinciae, de iure vel consuetudine, conciliis provincialibus interesse debent, mandantes ac praecipientes, ut, sub poenis in iure latis, ad condictam diem adesse curent; pios quoque fideles, ut pro re tanti momenti dominum Patrem, a quo descendit omne datum optimum, rogent, enixe hortantes.

Ac ne quis inscius a concilio absit et deficiat, neve causam ignorantiae praetendere possit, praesens edictum fieri sigilloque nostro muniri iussimus, idque in sacristia capitulari, cum metropolitanae nostrae, tum singularum cathedralium huiusce provinciae, praesente capitulo, legi, ibique per quindecim dies affixum remanere, volumus.

Datum Burdigalae, in palatio nostro archiepiscopali, sub signo sigilloque nostris, ac secretarii generalis archiepiscopatus nostri subscriptione, anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo, die vero mensis februarii secunda.

† Ferdinandus, archiepiscopus Burdigalensis, Aquitaniae primas.

De mandato illustrissimi ac reverendissimi domini domini archiepiscopi:

Montariol, canonicus, secretarius generalis.

## LITTERAE

*quibus concilii provincialis decreta summi pontificis revisioni approbationique subiiciuntur.*

Sanctissimo domino domino nostro Pio IX, pontifici maximo, patres concilii Burdigalensis.

Beatissime pater.

Ad sanctitatem vestram acta et decreta concilii Burdigalensis summa subiectione, ut obedientes filii, transmittentes, ante omnia, nihil magis curae habemus, quam ut declaremus perspicue ea, quae animis nostris firmiter insident, circa sanctam sedem summosque pontifices. Opportunum enim adest tempus loquendi, et parenti optimo sensus nostros solemniter pandendi.

Duo et amplius effluxerunt saecula ab ultimo concilio Burdigalensi, sub eminentissimo cardinali Francisco Escoubleau de Sourdis, anno 1624. Quaedam aera nova, post concordatum anni 1801, provinciae nostrae Burdigalensi exorta est, assumpto ad metropoleos regimen piae memoriae domino domino Carolo-Francisco d'Aviau Dubois de Sanzay, cuius Galliae fidem invictam, labores indefessos, scientiam praeeminentem, undique miratae sunt. Nullum fere latet apud nostrates, imo apud plurimos exteros, quam prona quamque devota fuerit mens venerandi huius praesulis erga cathedram apostolicam et sacrum ecclesiae verticem, eiusque divinas praerogativas: multa namque eius scripta, quae usquedum exstant, moestitiam illius exerunt de omnibus quae Romanam sedem laedere nata erant. In his, intimi pectoris pia vota effundit, ut gens nostra nullis cedat aliis, reverentia et submissione vicariis Christi debita.

Vestigiis tam eximii pontificis insistentes, qui „*defunctus adhuc loquitur*," [1] sensibus eius penitus assentimur: ideoque, quasi pietatis eius nostraeque monumentum, haec quae sumus dicturi simul profitemur.

Sancta sedes apostolica seu Romanus pontifex in universum orbem primatum obtinet: perennemque apostolatum ac pastoralem curam, Petro et successoribus Petri a Christo tradita, exercet. Inde omnium ecclesiarum iura dimanant; et cum sit omnium ecclesiarum mater et magistra, ad illam, propter potentiorem eius principalitatem, necesse est omnes ecclesias convenire.

Impiam reiicimus doctrinam eorum, qui summi pontificis iurisdictionem ad certos limites restringere voluerunt, quique eum praesidem ecclesiae eo solum titulo agnoverunt, ut aliorum praesulum negligentiae suppleret. Ad cum usque contemptus cumulum in Romanum pontificem processerunt, ut ei nullam in

[1] Sess. XXIV, *de ref.*, cap. 2.

[1] Hebr. XI, 4.

aliis dioecesibus, nisi occurrentibus extraordinariis A
casibus, auctoritatem relinquerent. Nos, tales doctrinas abhorrentes, Pii VI constitutiones *Super soliditate petrae* et *Auctorem fidei* pie ac veneranter amplectimur.

Beatum Petrum in summo pontifice legitimo viventem, fideique veritatem quaerentibus praestantem, cum sancto Petro Chrysologo reveremur. Agnoscimus, cum Adriano I, Christum vices suas reliquisse cuique summo pontifici, ut capiti omnium ecclesiarum per orbem refulgenti. Cum duobus caesaribus, graeco latinoque, Eugenium IV patrem orbis terrarum nominantibus, ita nos Pium IX parentem nostrum omniumque fidelium Christi, ut pios filios decet, laeti profitemur: idemque de omnibus Romanis pontificibus qui legitimam hanc supremam auctoritatem adierunt, sentimus.

Eumdem habemus ut omnium christianorum doctorem, cuius auctoritas, sine concilio, sufficit, B
iuxta sanctum Flavianum ad sanctum Leonem magnum scribentem, ut destruatur haeresis. Occupat enim sedem in qua, teste Tertulliano, est finis quaerendi, statio credendi, expunctio inveniendi.

Ipsum a domino Iesu Christo accepisse plenam potestatem pascendi, regendi et gubernandi universalem ecclesiam, certissime credimus: „*Nihil enim excipitur, ubi distinguitur nihil: nec modo ovium, sed et pastorum ille solus omnium pastor est.*“[1] Unde detestamur insaniam quorumdam novatorum, qui episcopum quemlibet pontifici Romano adaequarunt.

Petrus, in persona et per os successorum, loquitur in solemnibus fidei definitionibus; et in cathedra apostolica, novimus integram et veram christianae religionis soliditatem.

His principiis innixi, nullam partem habemus cum iis qui restringere praesumunt quascumque C
praerogativas vel iura summo pontifici collata.

Nec dubitamus apostolicae potestatis usum a Spiritu sancto dirigi, quando etiam, causarum gravitate id exigente, illa potestas canones praetermittit, ut egit Pius VII in negotio concordati Gallici. Etenim, si tunc littera canonum mortua rescidisset usum potestatis apostolicae, adhuc tetrum schisma subsisteret; extinctum est vero tanti pontificis auctoritate, ipsiusque prudentiae benedicimus, deplorantes *Dissidentium* obcaecationem, qui suum schisma lugendum constitutionis civilis schismati substituerunt.

Cum sancto Francisco Salesio, aegre ferimus dissidia suscitari inter potestatem pontificalem et civilem. Hoc ipso consilio, Iudaei blandiebantur caesari, quem penitus oderant, ut Christum, cui calumniabantur, perderent.

Romanorum pontificum vota Christi desideriis D
consentanea sunt; nempe ut omnes unum sint in fide et charitate. Hinc „*fieri* praecipiunt *obsecrationes, orationes et postulationes pro omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus*“[2].

Nunquam, Deo dante, divellemur a cathedra unitatis, in qua posita est doctrina veritatis. Ibi enim fides tuta spirat; fides, scilicet, pro qua rogavit Christus ne deficeret, et in qua iussit ut apostolorum princeps confirmaret fratres suos. „*Nec tantae dementiae erimus, ut orationem illius cuius velle est posse, audeamus in aliquo vacuam putare, cum omnium haereticorum commenta, tam per Petrum, quam per successores suos, fuerint convicta, expugnata ac reprobata; cum etiam fratrum corda in fide Petri, quae nec deficit nec usque in finem deficiet, confirmata fuerint.*“ Verba sunt Leonis IX[1]. Scimus ibi potissimum resarcienda damna fidei, ubi fides, ait sanctus Bernardus, non potest sentire defectum. Haec est autem huius praerogativa sedis, quae certa scientia pronuntiat; cuius definitiones solemnes a conciliis generalibus semper fuerunt receptae, numquam reiectae; qua approbante, concilia fiunt generalia; qua improbante, generalia non sunt; cuius tandem, ut cum antecessoribus nostris anno 1653, loquamur, „*iudicia, pro sancienda fidei regula, divina ac summa auctoritate nituntur; cui christiani omnes, ex officio, ipsius quoque mentis obsequium praestare tenentur.*“[2]

Confitemur etiam iudicium Romani pontificis, ut sit ratum et firmum, non indigere assensu aliarum ecclesiarum: tali enim assensu expectato, ianua aperiretur pervicaciae novatorum, qui nunquam sufficienter probatum aut manifestatum contenderent ecclesiarum ipsos condemnantium consensum, ut funesta saepius constitit experientia. Hanc igitur sententiam, a legatis Adriani II in octavo concilio oecumenico prolatam, amplectimur: „*Nobis*, inquiunt, *non licet rescindere iudicium sacrorum Romanorum pontificum; hoc enim contrarium est canonicis institutis.*“[3]

Ecclesiarum Galliae decus et splendor, Fenelonius, archiepiscopus Cameracensis, non expectavit aliarum ecclesiarum consensum, post condemnationem Romae pronuntiatam libri a se publicati[4]: „*Roma locuta est, causa finita est.*“

Eadem mens, eaedem dispositiones in nobis sunt, et, ut speramus, in nobis erunt, et permanebunt erga sanctam sedem, ut a nobis discant clerus populusque curae nostrae creditus, quemadmodum oracula Petri suscipienda sint, quando animadvertent alacritatem episcoporum suorum in eis amplectendis et proclamandis, statim atque satis sibimet innotuerint; nec aliud tunc, nisi simplicis adhaesionis et acceptationis iudicium praestabimus.

Et haec sunt, beatissime pater, quae declaranda censuimus, vix inchoato concilio nostro Burdigalensi.

Nullus fuit modus orationibus et gemitibus nostris, quando super Romam venerunt dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et turbinis. Condoluimus amantissimo parenti, a filiis ingratis quasi obsesso; sanguine suorum fere asperso; palatio, seu potius carcere Quirinali, excedere coacto; exilio, ne peiora subiret, se devoventi; Romae oppressionem, monasteriorum spoliationem, supellectilis sacrae expilationem a longe deploranti.

Sed postea, quando milites nostri christianitatis metropolim circumcingebant; non ut ei nocerent, sed ut eam protegerent; non ut spoliis eius ditarentur, sed ut spoliatores debellarent ac depellerent, vitamque pro ipsa exponerent: virtuti, constantiae ac moderationi eorum iusta persolvimus encomia; flevimus mortuos, quos tamen felices aestimavimus, quod pro tali causa occubuerint. Victoribus benediximus; ducem clarissimum, non minus fortitudine ac prudentia decoratum, quam pontificali affectu favoreque ornatum, certatim laudavimus; et, ut canticis nostris se iungerent, fideles ad altaria et templa convocavimus.

Nihil nunc penitus cordi nobis inest, nisi ut *impleat Dominus* voluntatem cordis sui super virum dexterae suae; et *sicut exaudivit eum in die tribu-*

[1] S. Bern., *De consider.*, l. II, cap. 8; opp. s. Bern., ed. Migne, I, 751 D.
[2] I Tim. II, 1-2.

[1] Ep. ad Michaelem Caerul. 100, n. 7; *Patr. lat.*, ed. Migne, CXLIII, 748.
[2] D'Argentré, *Collectio iudiciorum*, III, 276.
[3] Actio IV, [Mansi, Conc., XVI, 56 A].
[4] D'Argentré, *Collectio iudiciorum*, III, [illegible], 407.

*lationis, sic semper mittat ei auxilium de Sancto, et de Sion tueatur eum; memor sit omnis sacrificii eius; tribuat ei secundum cor illius, et omne consilium eius confirmet; laetabimur in salutari eius.*

Omni, qua par est, reverentia, sacratissimos pedes amplexi sumus, beatissime pater, sanctitatis vestrae humillimi ac obedientissimi servi et filii:

Ferdinandus, archiepiscopus Burdigalensis;
Clemens, episcopus Rupellensis;
Ioannes, episcopus Petrocorensis;
Ioannes, episcopus Aginnensis;
Renatus-Franciscus, episcopus Engolismensis, ad archiepiscopatum Cameracensem nominatus;
Iacobus-Maria-Iosephus, episcopus Lucionensis;
Ludovicus-Eduardus, episcopus Pictaviensis.

## SANCTITATIS SUAE, PII PAPAE IX,
*litterae super actis concilii provinciae Burdigalensis.*

Venerabilibus fratribus, Ferdinando, archiepiscopo Burdigalensi, et eius suffraganeis, Pius papa IX.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Summae certe iucunditati nobis fuere vestrae obsequentissimae litterae, quibus nuntiastis, in synodo provinciali a vobis habita, alias inter multiplices ac praecipuas curas, eo quoque concordatissimis animis vestris studia spectasse, ut in vestris dioecesibus Romana liturgia, centum fere abhinc annis intermissa, denuo revivisceret, ac in pristinum statum restitueretur. Quod quidem consilium a vobis initum mirifice ostendit atque demonstrat, quanta vos Romanam ecclesiam, omnium ecclesiarum matrem et magistram, pietate, amore et observantia prosequi gloriemini. Itaque, de hac re, vobis, venerabiles fratres, vehementer ex animo gloriamur, meritasque tribuimus laudes. Pro certo autem habeatis velimus, nostram congregationem, sacris ritibus tuendis praepositam, perlibenter suam operam esse praestituram in recognoscendis cuiusque dioecesis sanctorum officiis, vixdum eiusmodi officia, quae in promptu esse significatis, ad ipsam congregationem pervenerint. Iam vero, quod attinet ad vestras postulationes quibus enixe efflagitastis, ut sancto Hilario, Pictavorum episcopo, ecclesiae doctoris honorem decernere velimus, vobis persuasissimum sit nihil certe nobis gratius, nihil optabilius, quam ut hisce vestris pientissimis votis obsecundemus. Verum, pro singulari vestra sapientia, optime scitis opus esse ut aliquis vir a vobis primum eligatur, qui, in hac re, penes eamdem sacrorum rituum congregationem postulatoris munere fungens, ea omnia agenda curet quae, iuxta huius sanctae sedis morem et apostolicarum constitutionum normam, sunt servanda. Denique, hanc occasionem libentissimo prorsus animo amplectimur, ut studiosissimam nostram in vos voluntatem iterum testemur et confirmemus. Cuius quoque pignus adiungimus apostolicam benedictionem, quam intimo cordis affectu, vobis, venerabiles fratres, cunctisque vestrarum ecclesiarum clericis laicisque fidelibus, peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die 2 decembris, anno 1850, pontificatus nostri anno quinto.

Pius papa IX.

## EMINENTISSIMI CARDINALIS MAII
*litterae super approbatione decretorum concilii provincialis Burdigalensis.*

REVERENDISSIMO DOMINO ARCHIEPISCOPO BURDIGALENSI.

Perillustris ac reverendissime domine uti frater.

Sanctitas sua dominus noster Pius nonus, pontifex maximus, litteras ab amplitudine tua atque ab A episcopis suffraganeis, Burdigalae, die septima decembris superioris anni obsignatas, una cum actis synodi provincialis istic habitae, multa cum animi voluptate accepit; reverentiae enim, obsequii ac venerationis erga apostolicam sedem, in qua fides praedicatur et unitas servatur, ita erant refertae, ut nihil supra. Sibique vehementer gratulatus est, te, communiter cum istius provinciae episcopis, interruptam duobus abhinc seculis provincialium synodorum convocationem, in ista celeberrima Galliae civitate renovasse; atque adeo ardens vestrum studium ad tam pium ac salutare opus, hisce miserrimis reipublicae christianae temporibus, instaurandum, mirifice collaudavit.

Ipse enim non dubitat, imo certo certius tenet, plurima bona atque uberes fructus ex huiuscemodi conventibus, ad religionem firmandam, et fidem catholicam sartam tectam servandam profectura, B cum intellexisset vos, in Spiritu sancto congregatos, saluberrimis editis decretis, opportunisque medicinae remediis, pro temporis ac morbi natura adhibitis, ecclesiae inconcussa dogmata ac disciplinam, ad praescriptum sacrorum canonum et praesertim sacrosancti Tridentini concilii, in fidelium mentibus confirmasse; opinionum momenta, errorumque portenta et monstra, quae hac nostra aetate impunitatem quamdam adepta, tanto cum populorum, et praecipue incautae iuventutis detrimento, debacchantur, iterum damnasse ac reprobasse, iisdemque sanam doctrinam, a iure naturali, divino et ecclesiastico depromptam, opposuisse; adolescentium, in religionis ac civilis societatis spem succrescentium, solidae ac robustae, non fucatae ac fallaci institutioni animum intendisse. Cuius vestri singularis zeli illud imprimis argumentum est, quod, ut studia humanarum litterarum bonarumque artium ac severiorum C disciplinarum, in collegiis ac seminariis, magis magisque florerent, curavistis; utque parochi, caeterique de clero viri, prae manibus imprimis habentes catechismum Tridentinum, tantopere a Romanis pontificibus commendatum, omnique diligentia, sedulitate ac charitate officio suo fungentes, plebes sibi commissas assidua verbi Dei praedicatione pascerent, ac in evangelicis praeceptis erudirent; puerosque, vel a teneris annis, doctrinae christianae elementa docerent, atque tandem prospicerent, ut vel ipsi infantes qui domibus hospitalibus piarum mulierum studio alendi educandique suscipiuntur, ita ab omni vel levi vitiorum macula arceantur, ut cum lacte nutricis, non fabulas ac errores huius seculi, (quod in multis saepenumero evenire lamentandum est,) sed verae religionis germanaeque pietatis puros haustus suxisse [illos], sancta mater ecclesia sibi iure gratulari possit.

D Quid vero dicendum de studiosissima vestra voluntate liturgiam Romanam in sacris ritibus, ubique in ista provincia, adhibendi? Quid de prudentissimo illo decreto, quo, multum in prosperum prospicientes, statuistis, ut duo treve iuvenes, ingenio et virtute prae caeteris praestantes, ab unaquaque dioecesi seligerentur, posteaquam ordinarium studiorum curriculum emensi fuerint, et ad aliquam ex approbatis ecclesiasticis universitatibus mitterentur, ut ibi, constanti labore, ingenii novo periculo facto, gradus sibi academicos compararent, atque ad litterarum scientiarumque apicem ac fastigium perveniant? Equidem, cum omnia quae decrevistis, integerrimae clericorum vitae fovendae, modestissimis moribus servandis, continentiae, pietati, innocentiaeque procurandae, mirum in modum ostendant nihil vobis antiquius esse, quam ut clerus ambulet in vocatione sancta, qua vocatus est; tum maxime huiusmodi commemoratum decretum magnis laudi-

bus dignum est visum, vestraeque perspectae sa- A pientiae consentaneum. Quamobrem, optat haec sacra congregatio ut quam citius executioni mandetur. Nemo enim non videt quot quantaque commoda et subsidia in Galliam sint redundatura ex egregie institutis viris ecclesiasticis. Enim vero perfectam, quoad eius fieri potest, sacrarum divinarumque litterarum notitiam assecuti, catholicae religionis causam adversus eos, qui foris sunt, tueri; imperitos, et profiteri adhuc renuentes, ad eam solidis argumentis allicere; eodemque tempore, improbos sacrarum scripturarum auctoritate abutentes, vel augustissimae religionis nostrae dogmata, ecclesiaeque leges oppugnantes, compescere; bonos tandem ad perfectiorem christianae virtutis rationem excitare; fideique integritati per Galliam et morum reformationi, quasi clarissima lumina, splendentes pietate et doctrina, maximo cum fructu consulere, poterunt.

Hisce aliisque plurimis e re sacra statutis, quae, ne longus sim, silentio praetereo, a patribus eminentissimis, ex mandato illustrissimi domini nostri, una mecum lubentissime perlectis in actis synodi Burdigalensis, non mediocri perfusi sumus gaudio; et praestantissima vestrarum virtutum atque apostolicae sollicitudinis specimina admirati, Dei benignitati, qui huiusmodi bonis vestram auctoritatem ac dignitatem apud clerum et populum cumulavit, gratias egimus, simulque confidimus, ut, qua prudentia, charitate, doctrinaeque copia, magnum et sanctum opus redintegratis, posthac, si quae adhuc pro ecclesiae bono, cleri utilitate, populique salute perficienda restant, ea in futuris convocandis conciliis absolvatis.

Cum vero nonnulla huic sacrae congregationi concilii Tridentini interpreti et vindici, cui de more, iuxta constitutionem Sixti V *Immensa aeterni Dei*, examen actorum synodi Burdigalensis demandatum est, animadvertenda sint visa, quaeque sanctissimus dominus noster expendit ac probavit; ea folio huic annexo adnotata invenietis, atque in eorum executionem incumbatis velim, antequam concilium in vulgus edatur.

Hanc nactus occasionem, amplitudini tuae atque optimis episcopis provincialibus polliceor perpetuum B meum studium et observantiam. Deumque precor, ut vestra desideria et actiones semper coelestis benedictionis rore, suaeque gratiae muneribus, prosequatur.

Amplitudinis tuae uti frater studiosissimus

A., card. Maius, praefectus.

F. F., archiepiscopus Melitenus, secretarius.

Romae, 23 septembris 1851.

# DECRETA CONCILII.

## TITULUS PRAEVIUS.

### Caput I.

*Decretum de aperienda synodo.*

In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti.

Nos, Ferdinandus-Franciscus-Augustus Donnet, Dei et apostolicae sedis gratia ecclesiae metropolitanae Burdigalensis archiepiscopus, comes Romanus, solio pontificio assistens, magna cruce praeclari ordinis Caroli III insignitus, etc.;

Ad maiorem Dei et salvatoris nostri Iesu Christi gloriam, et honorem immaculatae semper virginis Mariae Dei genitricis, sanctorumque angelorum; ad laudem sanctorum Petri, apostolorum principis, eiusque fratris Andreae, huius ecclesiae patroni, nec non sanctorum Hilarii, Delphini, Amandi, Severini, Paulini, Eutropii, Caprasii, Ausonii, Phaebadii, Frontonis et Philberti, aliorumque omnium sanctorum, qui provinciam hanc illustrarunt; ad Burdigalensis, Rupellensis, Petrocorensis, Aginnensis, Engolismensis, Lucionensis, et Pictaviensis ecclesiarum decorem;

Statuimus ac decernimus, de consilio et consensu reverendissimorum episcoporum comprovincialium nostrorum, hac ipsa hora incipere et inceptum esse concilium provinciale, quod nostra metropolitana D auctoritate indiximus et convocavimus, dominum Iesum humiliter et enixe obsecrantes, ut in nobis impleat quod ipse dixit: *„Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.“* [1]

### Caput II.

*Decretum de modo vivendi in concilio.*

Cum docente apostolo, *„non sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed omnis sufficientia nostra ex Deo“* [2] sit, qui solus potest nos facere idoneos ad grande opus ad quod accingimur; cum aliunde, quid in primis agere debeamus praeclaro doceant exemplo sancti apostoli, qui, in coenaculo congregati, donec induerentur virtute ex alto, *„erant perseverantes unanimiter in oratione, cum mulieribus et Maria matre Iesu,“* [1] haec synodus provincialis statuit populum et clerum huiusce civitatis Burdigalensis exhortandos esse, eo quo possumus pastorali affectu, prout de facto exhortamur, ut quotidie orationibus apud Deum instent pro episcopis et presbyteris ibidem congregatis, ad ipsis impetrandum divinum auxilium, quo illu- C minante, optima ineantur consilia, et salutaria sanciantur.

Et quoniam populi precibus preces nostras accedere oportet, reverendissimos episcopos, item et presbyteros concilii participes, monemus, ut, singulis diebus, meditationi matutinae, et sacrosancto missae sacrificio, si ipsi forsan non potuerint celebrare, devote intersint, frequenter, et praesertim coram sanctissimo sacramento faciant, ut ait apostolus, *obsecrationes, orationes, postulationes,* tum pro prospero concilii progressu et exitu, tum pro ecclesiae pace et libertate, pro sanctissimo domino nostro Pio papa IX, *„pro omnibus qui in sublimitate sunt, ut tranquillam et quietam vitam agamus,“* [2] religioque crescat et amplificetur.

Praeterea, hortamur illos, ut, in memoriam passionis Domini, singulis sextis feriis ieiunent, omnibusque diebus mensa communi et frugali, in qua sicut corpus cibo, sic animam sacra lectione reficiant, utantur; familiares vero suos quisque ita dirigat, ut in omnibus honestate praeluceant, sicut decet ministros ministrorum Dei.

Et ne, durante concilio, ullo pacto interturbetur sacer consessus, colloquia, strepitus et alia id genus, extra horas relaxationi animi destinatas, amoveri iubemus; e contra omnes assistentes, *„incessu, gestu, sermone, aliisque omnibus rebus, nihil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant.“* [3]

In congregationibus, sive privatis, sive publicis, omnes uti peroptamus ea animi et vocis moderatione quae decet homines Dei, sua sensa sine altercatione aut contentione proferentes, memores scilicet

[1] Matth. XVIII, 20.
[2] II Cor. III, 5.

[1] Act. I, 14.
[2] I Tim. II, 1-2.
[3] Conc. Trid. sess. XXII, de ref., cap. I.

praecepti apostolici: „*Noli contendere verbis* ...;[1] A *si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque ecclesia Dei*[2]; simul et verborum divi Augustini ad Pascentium: „*Colloquamur sine contentione pacati, non inani et puerili animositate studentes alterutrum vincere, ut pax Christi potius vincat in cordibus nostris.*“[3]

Insuper declaramus ac decernimus ordinem praecedentiae fore iuxta prioritatem promotionis, inter reverendissimos episcopos, inter vero presbyteros eiusdem dioecesis, iuxta ordinem in ea dioecesi solitum; et inter varias dioeceses, iuxta prioritatem promotionis episcoporum; et si forte contigerit aliquos sibi videri in loco debito non sedere, nulli propterea praeiudicium generari, nulli novum ius acquiri, sed cuiuslibet, qualicumque in ordine sedeat, iura salva esse et integra, eo modo quo ante concilium competebant.

Denique, quemadmodum in ultimo provinciali B concilio cautum est, universis, qui ad hanc synodum convenerunt, in virtute sanctae obedientiae prohibemus, ne, antequam synodus dimissa fuerit, discedant, nisi prius discessionis causa a patribus approbata, et facultate data.

## Caput III.

*Decretum de professione fidei.*

Cum fides initium sit et fundamentum salutis, atque pastoralis nostri muneris ea esse debeat prima sollicitudo, ut in hac provincia semper vigeat incorrupta et sincera fides catholica, quam colit ac tenet sancta Romana ecclesia, nos in hoc concilio provinciali hinc praecipue exordiendum esse duximus, ut fidem, quam omnes uno corde tenemus, eamdem una oris confessione profiteamur. Quocirca, sacri concilii Tridentini decretis inhaerentes, professionem fidei a Pio IV pontifice maximo C praescriptam, nomine reverendissimorum episcoporum, caeterorumque in hac synodo insidentium, palam et publice emittendam decernimus.

Et quo validius orthodoxa fides in cleri et populi christiani mentibus infigatur, et sarta tecta permaneat, omnes huius provinciae episcopi exigant, non solum a canonicis et seminariorum magistris, sed et ab omnibus sacerdotibus qui animarum curam suscepturi sunt, et caeteris qui de iure vel consuetudine tenentur, ut, coram se aut vicariis generalibus vel in solemnitate suae installationis, professionem fidei Pii IV genuflexi pronuntient. Laicis quoque confessarii aliquando eam in satisfactionem pro peccatis imponant. Versio itaque fidelissima huius professionis fidei fieri debet, quam imprimendam accuratissime a suis typographis episcopi huius provinciae mandabunt in manualibus et aliis libris pietatis.

*Forma professionis fidei catholicae, apostolicae et Romanae.*

[*Vide supra col.* 36 A - 38 A.]

# TITULUS I.

## De fide et doctrina ecclesiae.

In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis canonice adunati, prius exsultanti animo debitas agimus gratias Deo, cuius mirabili providentia ecclesiae concilia, iam a longo tempore apud nos interrupta, tandem celebrari possunt. Quam celebrationem tot et tantis malis hodie grassantibus remedium allaturam, divina id largiente misericordia, confidimus.

[1] II Tim. II, 14.
[2] I Cor. XI, 16.
[3] Epist. [illegible], ed. Bened. [II, [illegible] D.]

Nos quidem in hac synodo, „*moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiisque componendis*“ nostrarum dioeceseon, secundum concilii Tridentini praecepta[1], praecipue intendentes, sanctissimae matris ecclesiae aedificationi consulere pro viribus satagemus, filialem obedientiam in hoc testificantes beatissimo domino nostro Pio papae IX, qui, in litteris ad plures Galliae episcopos missis, maxime optat ut convocentur synodi provinciales, in quibus „*ea agere vel proponere contendent episcopi, quae valeant ad catholicae ecclesiae causam tuendam, ad pietatem morumque honestatem fovendam et excitandam, ad catholicam solidamque institutionem promovendam, ad sanctissimae nostrae religionis bonum in universa Gallia procurandum, ac praesertim ad grassantes propulsandos errores, ac funestissima vesanae incredulitatis exitia avertenda, quae luctuosissimis hisce temporibus quasi torrens undique exundans universum paene terrarum orbem submergere tentat*“[2].

## Caput I.

*De auctoritate ecclesiae in docendo et regendo.*

1. Cum nostris hisce diebus, vix ulla legum et potestatis apud homines maneat reverentia, vehementer monemus omnes fideles, praesertim viros ecclesiasticos, ut tota mentis subiectione, toto cordis affectu, divinam ecclesiae auctoritatem prosequantur, revereantur, amplectantur.

2. Doceant opportune plebem christianam sacri verbi praecones ea quae spectant divinam ecclesiae constitutionem, iuxta summi pontificis venerabilis memoriae Gregorii XVI praeclara verba, quae in praesenti decreto referenda duximus: „*Habet ... ecclesia ipsa, ex divina institutione, potestatem, non magisterii solum, ut res fidei et morum doceat ac definiat*[3], *sacrasque litteras absque ullo erroris periculo interpretetur; verum etiam regiminis, ut quos semel gremio suo excepit filios in tradita doctrina contineat et confirmet, legesque ferat de iis omnibus, quae ad animarum salutem, sacri ministerii exercitium, ac Dei cultum attinent: quibus legibus quisquis obsistat, gravissimi se reum criminis faciat.*“[4]

3. Attendant praeterea et firmissime credant omnes „*docendi iubendique potestatem in iis quae religionis sunt, a Christo sponsae suae tributam, non modo ita eius pastorum ac praesulum propriam esse, ut ad civilis reipublicae magistratus nullo pacto possit pertinere, sed insuper liberam omnino, et terrenae cuiquam dominationi minime obnoxiam; non enim ex placito laicae potestatis, sed ea etiam invita, evangelium annuntiaverunt, ecclesiam propagarunt, disciplinam statuerunt apostoli ... Nonnisi agitur laesa* D *fide, planeque perturbata divina ecclesiae constitutione naturaque regiminis, fieri potest, ut ulla in eam saeculi dominetur potestas, aut eius doctrinam moderetur, vel impediat quominus leges ad sacrum ministerium, divinum cultum, et spirituale fidelium commodum spectantes, ferat ac promulget*“[5].

Dum autem potestatem ecclesiasticam, ut aequum est, adstruimus, absit ut potestati civili quidquam in suo ordine detrahamus, cui debitam nemo deneget obedientiam, „*non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam,*“ ut ait apostolus[6].

[1] Sess. 24, *de ref.*, cap. 2.
[2] 17 maii 1849, ad quosdam archiepiscopos et episcopos Galliae.
[3] Editio: *defendat.*
[4] Encycl. XVI cal. iunii (17 maii) 1835, ad episcopos Helvetiae.
[5] Ibid.
[6] Rom. XIII, 5.

## Caput II.

### *De sana et de perversa doctrina.*

Quoniam in dies crescit teterrimorum errorum colluvies, et eo facilius hominum populorumque animos invadit, quod sanam ecclesiae doctrinam non sustinentes, ad sua desideria coacervant sibi magistros, et a veritate auditum avertentes, ad fabulas, cum maximo religionis ac societatis detrimento, convertuntur; nos, errori veritatem, antidotum veneno opponere volentes, ad salutem animarum, pro nostro munere, sequentia profitemur et decernimus:

1. Credimus in Deum Patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae. Damnamus igitur ac reprobamus errorem eorum qui asserunt unicam esse Deo et caeteris entium naturis substantiam, ita ut Deus sit omnia, et omnia sint Deus, et nullum detur discrimen humanas inter et divinas cogitationes aut B actiones.

2. Credimus in Deum qui libere, „*sua omnipotenti virtute, simul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, spiritalem et corporalem.*"[1] Damnamus ergo et reprobamus systema, non solum eorum, qui affirmant materiam esse Deo coaeternam, eamque ab illo informatam tantum ac dispositam fuisse, sed et doctrinam eorum qui Deum sine mundo non magis esse potuisse, quam mundum sine Deo, praedicant; et qui, negata Dei libertate in operibus *ad extra*, summam eius independentiam, almam providentiam, omnemque cultum radicitus evellunt.

3. „*Firmiter credimus ac simpliciter confitemur, quod unus solus est Deus, verus, aeternus, . . . Pater, Filius et Spiritus sanctus, tres quidem personae, sed una essentia, substantia, seu natura simplex omnino. Pater a nullo, Filius a Patre solo, ac Spiritus sanc-* C *tus ab utroque; absque initio, semper ac sine fine.*"[2]

Damnamus ergo ac reprobamus sacrilegum errorem quo dogma catholicum de sanctissima Trinitate traducitur per infinitum, finitum, et mutuam utriusque relationem. Cum autem summe venerandum illud dogma ab ipso Deo revelante teneat ecclesia catholica, errorem illorum damnamus qui ipsum, non a divina revelatione, sed a variis philosophiis et traditionibus originem ducere, et, decurrentibus saeculis, etiam post religionis christianae propagationem, ratione ac philosophorum meditatione elucubratum successive, ac tandem elaboratum et perfectum fuisse, contendunt.

4. Credimus in unum dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, consubstantialem Patri, qui, propter nos et propter nostram salutem, descendit de coelis, ut nos vocaret in admirabile lumen suum, restituens nos in pristinam illam dignitatem D status supernaturalis et indebiti, de qua exciderat Adam per inobedientiae peccatum, deneque nobis omnia necessaria ut aeternam assequamur felicitatem. Damnamus ergo errorem illorum, qui dominum nostrum Iesum Christum habent ut hominem, sapientissimum quidem, vel etiam divinum, sed non ut Deum, „*qui secundum divinitatem sit immortalis et impassibilis, idem ipse secundum humanitatem mortalis et passibilis, qui etiam pro salute humani generis in ligno crucis passus et mortuus,*"[3] negantque necessitatem ac virtutem sacramentorum, quae salubriter instituit Salvator ac Redemptor noster, per quae merita eius hominibus applicantur, et gratia confertur ut salutem assequi possint.

A 5. Credimus in Spiritum sanctum, qui locutus est per prophetas: „*Non enim*, ut ait sanctus Petrus, *voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.*"[1] Damnamus ergo errorem eorum qui revelationis divinae possibilitatem, existentiam, necessitatem negant. At vero, cum Deus sit incomprehensibilis cogitatu, summaque veritas, et ratio doceat credendum esse Deo etiam incomprehensa revelanti, damnamus errorem eorum, qui obedire Deo loquenti recusant, ea de causa, quod ex revelatis plurima supra imbecillem et obnubilatam rationem sint.

6. Credimus in unam, sanctam et apostolicam ecclesiam, quae a Christo accepit magisterium infallibiliter docendi omnes gentes, usque ad consummationem saeculi, omnia quae apostolis suis ipse mandavit. Damnamus igitur sententiam eorum qui, abiecta saluberrima ecclesiae auctoritate, rationem, nunc, multis veritatibus cognitis, sibi soli permissam, tanquam veri atque falsi arbitram iactitant unicam. Quoniam vero fides semper fuit semperque erit humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum eius consortium pervenire, damnamus systema eorum, qui, naturalem et supernaturalem ordinem confundentes, et fidei rationem coaequantes, religionem divinam et philosophiam humanam dicunt duas sorores, pari iure ministerio animarum allaborantes, parique exitu, licet non eadem via, suos asseclas ad finem perfectum perducturas. Damnamus denique errorem eorum qui, fidem plus minusve propinquo abhinc tempore extinctum iri vesane augurantes, philosophiae esse deinceps edocere populos veritatem, et homines ad felicitatem tum praesentis, tum futurae vitae ducere, per quoddam laici sacerdotii genus, affirmant.

Insuper, damnamus errorem eorum, qui, sanctam ecclesiam a Christo suam immutabilem accepisse constitutionem obliviscentes, aut dicunt a communitate fidelium in pastores derivare ecclesiastici ministerii ac regiminis potestatem, aut obtendere nituntur „*restaurationem quamdam quasi necessariam, ut eius (ecclesiae) incolumitati et incremento consulatur, perinde ac si censeri illa possit vel defectui, vel obscurationi, vel aliis huiuscemodi incommodis obnoxia*"[2].

7. Orthodoxorum patrum exempla secuti, omnes libros tam veteris quam novi testamenti, in canone concilii Tridentini contentos, cum utriusque unus Deus sit auctor, nec non et traditiones ipsas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipimus ac veneramur, credentes omnia quae in istis libris et traditionibus continentur dicta et facta, vera esse.

Damnamus igitur et reprobamus systema eorum, qui, omnem ordinem supernaturalem explodentes, universa utriusque testamenti facta et mysteria traducunt, alii tanquam facta mere naturalia modoque naturali explicanda, etsi ab historicis viris descripta fuerint in modum miraculi; alii ne tanquam facta quidem, sed ut tot fictiones mythicas, primum imaginatione poetarum conflatas, deinde lapsu temporum pro veris factis habitas.

Damnamus ac reprobamus systema istorum eclecticorum, qui profitentur nullibi satis completam adesse veritatem, nec in christianismo quidem, qui, si olim profuerit, incompletus et iam insufficiens est, ac proinde perficiendus, et usque ad philosophiae sublimitatem provehendus; et ideo ex omnibus traditionibus, philosophiis, religionibus, eas

[1] Conc. Later. IV [c. 1, de fide cath. Mansi, Conc., XXII, 981].
[2] Conc. Later. IV, ibidem.
[3] Conc. Later. IV, ibidem.

[1] II Petr. I, 21.
[2] Gregor. XVI, constit. *Mirari*, die 15 aug. 1832.

veritatis partes quae inibi sunt, esse seligendas, ut A ex eis coalescat doctrina perfecta, rationi magis accommodata, sicut et novis societatum necessitatibus.

8. Credimus in unam ecclesiam, in qua sola Deus summe colendus sicut oportet colitur, et extra quam salus obtineri non potest.

Damnamus ergo errorem eorum, qui affirmant omnes religionum formas prorsus esse indifferentes, aut quasi varia idiomata, quibus Deus aeque colitur; ac proinde cuique liberum esse patrio more colere Deum, quippe qui non curet qualem quisque religionem habuerit, dummodo mores ad recti honestique normam exigantur.

Sed insuper damnamus errorem eorum, qui negant unicam Christi esse ecclesiam, aut eam ex variis sectis, non modo inter se discrepantibus, sed quantumlibet oppositis, conflare[1] contendunt.

9. Credimus hominem, a Deo creatum, ab auctore suo accepisse animam spiritalem, liberam et B immortalem; primumque hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse; et per hanc praevaricationem, non sibi soli, sed etiam posteritati nocuisse. Credimus tandem omnes homines statuendos ante tribunal Christi, qui venturus est iudicare vivos et mortuos, ut referat unusquisque, prout gessit, sive bonum sive malum, et recipiat secundum opera sua, si bona, cum Christo gloriam sempiternam; sin mala, cum diabolo poenam perpetuam.

Damnamus igitur et reprobamus errorem eorum, qui ita dignitati humanae, quam tam provide tuetur fides christiana, detrahere audent, ut animam esse substantiam spiritalem, a corpore distinctam, negent; aut qui omnes eius actus ita invincibiliter ab organicis corporis dispositionibus pendere et determinari affirmant, ut iam non sit sui compos C et in agendo libera: unde concludere esset, iam nihil esse bonum neque malum, proinde nullam esse vitam futuram, ubi sit virtuti praemium et vitio poena, nec ullam esse causam, cur Deus a nobis vitae rationem expostularet.

Damnamus quoque errorem eorum, qui, praesertim in conscribendis historiis, res humanas ita evolvi et concatenari insinuant, ut etiam pessima quaeque aut imperent aut agant tum populi, tum privati homines, quin reprehensione et vituperatione sint digni; sed saepe laudandi potius et extollendi, maxime cum res illis, etiam per fas et nefas agentibus, pro voto successerit; quippe qui proprio quodam et interno quasi numine afflati egerint.

Damnamus systema eorum, qui, peccatum originale eiusque sequelas inficiantes, opera poenitentiae et mortificationis, omnemque pugnam spiritus adversus carnem et eius concupiscentiam, utpote D adversantia hominis indoli et naturae, reprobant; qui ideo praedicant carnis libertatem, innocentiam seu rehabilitationem, eiusque declarant omnia desideria legitima esse et sancta, ac homini competere dictitant quoddam praetensum, nativum, inamissibileque ius exercendi, quo libuerit modo, omnes suas facultates; et qui magnificis mendacibusque promissis asseverare non verentur, contradicente constanti et ineluctabili experientia, populos, si se ipsis ducibus committant, quamdam felicitatem indefinitam, perfectionem et quasi deificationem, extinctis doloribus et miseriis, in hoc saeculo assecuturos; et sic viam omnibus cupiditatibus sternunt latissimam.

10. Credimus legi divinae dicenti: „*Non concupisces uxorem proximi tui*,“[2] et declaramus vinculum matrimonii, quod Iesus Christus ad dignitatem sacramenti evexit, indissolubile esse, cum id quod Deus coniunxit homo non possit separare.

Credimus et declaramus, bona iuste acquisita legitime possideri, et iure proprietatis voluntate divina stare ac sanciri, dicente Deo: „*Furtum non facies; non concupisces . . . domum proximi tui, et universa quae illius sunt*,“[1] et proinde non licere, sive privatae cupiditatis violentia, sive publicae auctoritatis abusu, auferre alteri quod suum est.

Damnamus igitur ac reprobamus systema eorum, qui, spretis legibus sanctis a Deo datis, et in perpetuum servandis, affirmare non erubescunt, matrimonii familiaeque iura aut nulla esse, aut esse immutanda.

Damnamus ac reprobamus systema, quo asseritur, in potestate legislatorum esse, ut status omnia privatorum bona sua faciat, et unicuique, nemine quidquam possidente, ne seipsum quidem, secundum quandam mensuram, distribuat; unde videre est, vigente hoc errore, hominem nec sui liberum iam habere dominium.

Damnamus insuper luctuosum systema eorum, qui, errore vel cupiditate ducti, bonis alienis inhiant, omnia esse communia et in medium ponenda affirmare non verentur, obliviscentes bonum atque utile societati esse, ut, ita ordinante sapientissima providentia Dei, sint divites et pauperes, qui, mutuo indigentes adiumento, dati et accepti nexu feliciter devinciantur, donec verae divitiae, bona videlicet aeterna, secundum uniuscuiusque merita, retribuantur.

Haec autem dum contra pestiferos nostri aevi errores docemus, nihil novum, nihil fidelibus inauditum proferimus, sed hoc quod ubique, quod semper, quod ab omnibus in ecclesia catholica creditum est; ad cuius proinde auctoritatem confugiant necesse est, quicumque omni vento doctrinae circumferri nolunt, sed in veritate stare, quae manet in aeternum.

## Caput III.

### *De pravis libris ac diariis; de haereticorum libellis ac proselytismo.*

„*Perhorrescimus intuentes [quibus monstris doctrinarum sive potius] quibus errorum portentis obruamur, quae longe ac late ubique disseminantur, ingenti librorum multitudine, libellisque et scriptis, mole quidem exiguis, malitia tamen permagnis, e quibus maledictionem egressam illacrymamur super faciem terrae.*“[2] Imo eo usque progressa est iniquitas, „*ut, praeter colluviem perniciosorum librorum religioni per se infestam, in religionis detrimentum vertere nitantur etiam sacras litteras, ad religionis ipsius aedificationem divinitus nobis datas.*“[3]

Quibus tantis malis ut medeamur, haec sancimus:

1. Monemus nulli, nec ulla ratione, licitam esse lectionem librorum aut scriptorum obscenorum, quae lectoribus incautis venena propinant, morumque corruptelam quasi venis insinuant. Omnes clerici et presbyteri ab huiusmodi lectionibus non solum abstineant, sed et abhorreant. Si autem ipsis pronuntiandum sit an poenitentibus permitti queat lectio alicuius libri ignoti, non legant ultra id quod necesse est; et ubi primum adverterint malum, statim librum repudient, et caveant maxime ne illum, sub quolibet obtentu, apud se retineant. Pariter libros a sancta sede vel ab ordinario damnatos et vetitos nemo legere praesumat.

[1] Videtur *conflari* vel *constare* scribendum.
[2] Deuter. V, 21.

[1] Deuter. V, 19 et 21.
[2] Gregor. XVI, constit. *Mirari*.
[3] Leo XII, constit. *Ubi primum*, die 5 maii 1824.

2. Quoad libellos contra religionem, et foliola quibus propagantur dicteria impia in ecclesiam ipsiusque ministros, enixe hortamur rectores animarum, ut sollicita ac provida vigilantia, monitisque prudentibus, populos ab eis legendis avertant; suadeant praesertim parentibus, ne apud se recipiant aut retineant, legant aut legi patiantur, huiusmodi scripta, ex quibus legentes ab officio suo abducuntur, atque laxatis evaganti opinionum, morum, sermonumque licentiae habenis, societas religiosa, civilis et domestica perturbatur.

3. Caveant praesertim ab haereticorum proselytismo: et quantum hi ad asseclas sibi alliciendos, tantum ad haeresim depellendam fidemque confirmandam allaborent ministri Christi. Quo plures libellos acatholicos profundant isti, eo plures illi libros probatos diffundant. Dolosis istorum colloquiis cum rudibus, colloquia cum iisdem, doctrina et charitate praevalentia, opponant; et imprimis fidem catholicam adstruant dilucide, solide demonstrent, praedicationibus crebris, charitatem et misericordiam erga errantes spirantibus, omniaque iniuriae aut amaritudinis expertibus.

Praecipimus etiam parochis, ut, cum in suis parochiis haereses quomodolibet spargere tentabunt ministri haeretici, episcopos quamprimum commonefaciant, qui tanto malo totis viribus se opponant.

## Caput IV.

### *De libris ab episcopo approbandis, et prudentia ad id necessaria.*

Sacrosanctarum Lateranensis V et Tridentinae synodorum, sicut et concilii Burdigalensis anni 1583 vestigia prementes, prout temporum ratio sinit, monemus nulli licitum esse in lucem edere, sine praevia episcopi approbatione, vel saltem licentia, libros ex professo de religione disserentes, et multo minus formas precum, cantica vernacule scripta, catechismos, praelectiones theologicas, versiones sacrae scripturae, librosque liturgicos, ut breviarium, missale, processionale, rituale, pontificale, caeremoniale et euchologia.

Ut autem suae pontificio muneri dignitas et auctoritas serventur, episcopi meminerint approbationem suam libris quibuslibet non esse facile opponendam, sed tantummodo reservandam libris magni momenti et merito conspicuis, a quibus, re ex doctorum accuratissimo examine discussa, exulet vel minima suspicio erroris.

## Caput V.

### *De praedicatione in missa parochiali, et de catechismo.*

1. Sacrosancti concilii Tridentini decretis circa praedicationis officium inhaerentes, volumus, ut „*quicumque parochiales ecclesias obtinent, diebus saltem dominicis et festis solemnibus, plebes sibi commissas pascant salutaribus verbis*“[1].

Declaramus insuper hanc esse nostram voluntatem, ut, nisi intercedat episcopi dispensatio, ubi duae celebrantur missae, bis praedicatio intra missas fiat, et vicarii in partem huius ministerii veniant. Diebus in unaquaque dioecesi statutis, legatur formula pronai, in qua credendorum et agendorum epitome contrahitur.

2. Monemus rectores animarum, ut semper eligant concionis materiam auditorum captui accommodatam, ipsorumque utilitati magis congruentem. In primis doceant, et creberrime in memoriam revocent ea, quae scire omnibus necesse est ad salutem[2], A meditantes coram Domino verba Benedicti XIV: „*Affirmamus maximam eorum partem, qui aeternis suppliciis damnantur, eam calamitatem perpetuo subire, ob ignorantiam mysteriorum fidei, quae scire et credere necessario debent.*“[1] Et simul memores, habentibus munus docendi imputatum iri hanc ignorantiam, nisi omnia et singula credenda ita frequenter et clare docuerint, ut nemo nisi propria culpa ea ignorare potuerit.

3. Veritates praedicandae non inordinate et passim assumantur, sine ulla rerum relatione unius concionis ad praecedentem aut subsequentem; sed certus ordo, servandus ut plurimum, instituatur iuxta partitiones catechismi (Romani) ad parochos. Quem catechismum, ut omnibus quam maxime commendatum faciamus, iuvat referre verba Clementis papae XIII, sic de eo loquentis: „*Hunc librum, non mediocri labore et studio compositum,* B *omnium consensione probatum et summis laudibus exceptum, his temporum, e pastorum manibus propemodum novitatis amor excussit, cum alios atque alios catechismos extulerit, nullo modo cum Romano comparandos. Unde duo mala extiterunt: alterum, quod illa fuerit in eadem docendi ratione prope sublata consensio, latumque pusillis quoddam scandali genus, quibus ipsi iam non amplius esse videantur in terra labii unius et sermonum eorumdem; alterum, quod, ex diversis variisque tradendae catholicae veritatis rationibus, ortae sint contentiones . . . et magna dissidia. . . . Itaque, duplex hoc malum ut ab ecclesia tandem amoliremur, . . . eumdem catechismum Romanum pastoribus animarum iterum porrigendum existimavimus. . . . Propterea, hunc librum, quem veluti catholicae fidei . . . normam, ut etiam in tradendae doctrinae ratione constaret omnium consensio, Romani pontifices pastoribus propositum* C *voluerunt, vobis, venerabiles fratres, nunc maxime commendamus; vosque etiam enixe in Domino cohortamur, ut iubeatis ab omnibus, qui animarum curam gerunt, in informandis catholica veritate populis, adhiberi.*“[2]

His adhortationibus, et recentiori sanctissimi domini nostri Pii papae IX constitutioni libenter obtemperantes, volumus parochos uti catechismo Tridentino, tanquam praecipuo suo themate, in exponenda et evolvenda intra missarum solemnia doctrina catholica, sequentes alterutram e duabus methodis in illo propositis.

4. Formam quoque sermonis auditoribus attemperatam adhibeant parochi, „*cum*, ut ait sanctus Augustinus, *loquendi nulla causa sit, si quod loquimur non intelligunt ii, propter quos ut intelligant loquimur.*“[3] Sit ergo sermo simplex, facilis et nitidus; a profanis vocum novitatibus omnino alienus, D non tamen rudis et incompositus; sit in exponendo verus, in probando solidus, et ita brevis, ut, in missa parochiali, vix excedat partem unius horae tertiam, experientia docente taedium prolixitate generari, populosque ab audiendo verbo divino averti. Praeterea, sermo semper benevolentiam redoleat, a conviciis, ab acerbis obiurgationibus, iis praesertim quae aliquem nominatim possent laedere, et ab omni disceptatione politica prorsus expeditus, ut non ex studio partium aut odio, sed ex charitate et pietate manare videatur. Denique miracula non satis approbata et prophetias novas populo annuntiare devitent.

5. Concionatores sacri nunquam verba ad populum de religione facere praesumant, nisi accurate

[1] Conc. Trid., sess. V, *de ref.*, cap. 2.
[2] Ibidem.

[1] Instit. XXVII, n° 18.
[2] Bulla *In dominico agro*, die 14 iunii 1761.
[3] *De doctrina christ.*, lib. IV, cap. 10, [opp. s. Aug., ed. Bened., t. III, p. 73 F].

praeparant. Sibi in re gravi illudunt, et omnino A abest quin muneri suo faciant satis, qui, quod dicturi sunt, non antea praeparant diligenter, nec fervida oratione Deo commendant: „*Concionator sacer*, ait sanctus Carolus, *omnino studebit, ut quod in concione dicturus est, antea bene cognitum habeat; ubi vero, ex studio librorumque tractatione, cognoverit ac perceperit quod concionaturus est, tunc singulas concionis partes, quas animo concepit, etiam atque etiam diligenter pieque meditabitur, et ita religiose sese afficere conabitur, ut audientium animos ad illum ipsum pietatis affectum sancteque agendi ardorem excitet.*“[1]

6. Et quia suam paroeciam renovare aut in bono stabilire in vanum tentarent parochi, nisi pueri diligenter religionem edicerent, cum Tridentino concilio praecipimus, ut saltem dominicis et aliis festivis diebus, excepto tempore quod prae- B finierit episcopus, in singulis parochiis, pueri rudimenta fidei edoceantur. Hortamur praeterea rectores animarum, ut plures, quantum fieri potest, instituant catecheses; unam, pro parvulis usum rationis consecutis; secundam, pro disponendis ad primam communionem; tertiam, pro aliis etiam adultis, ut in gratia et amore Dei perseverent.

7. Quam pretiosam unitatem in verbo Dei annuntiando parit methodus catechismi Tridentini, hanc, tantopere undique expetitam, procuraret, in exponendis fidei rudimentis, venerabilis Bellarmini catechismus, a Clemente VIII approbatus, et multa cum laude commendatus a Benedicto XIV, qui, in speciali constitutione[2], instanter invitat et hortatur omnes episcopos, ut illum admittant in suis dioecesibus. Et utinam in ista provincia, imo in tota Gallia, hoc fieri posset! data, sub auctoritate episcoporum, nova editione illius opusculi, quod in linguam gallicam versum, typis mandatum est C Lugduni, anno 1839; quod quidem per convenientiorem interrogationum et responsionum ordinem distribueretur, prout postulat in diversis regionibus mens puerorum et indoles, ita ut, per totam Galliam, „*posthac unus idemque modus in docendo et discendo doctrinam christianam ab omnibus teneretur.*“[3]

## TITULUS II.

### De cultu divino.

### Caput I.

*De ecclesiis; de earum munditie et ornatu, ac bonis rite gerendis.*

1. Cum ecclesia sit vere domus Dei, et locus in quo inhabitat dominus noster Iesus Christus, uniuscuiusque parochi est providere, exemplo et verbo, ut aedibus sacris debitus reddatur honor. „*Saeculares omnes actiones, vana atque adeo pro-* D *fana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores,* quamlibet demum irreverentiam *arceant, ut domus Dei vere domus orationis esse videatur ac dici possit*[4]. *Et sint, . . . quaecumque . . . possunt oculos divinae maiestatis offendere, ab iis locis prorsus extranea; ne ubi peccatorum est venia postulanda, ibi . . . deprehendantur peccata commissa.*“[5]

2. Provideant parochi, omnibus viis, quas zelus domus Dei et prudentia suggesserint, ut ecclesiae instaurentur et sartae tectae semper existant. Ubi autem vel aedificanda vel instauranda occurrit ecclesia, nihil inconsulto episcopo fiat. Episcopo enim curae erit, ut in sua dioecesi instituatur consilium virorum architectonices christianae peritorum, ex quorum sententia caveatur, ne quid absonum aut aedificii instaurandi generi parum conveniens, exstruatur.

3. „*Invigilent etiam parochi, ne ecclesiae situ, pulvere, aut alio squalore obsordescant; altaria, sacrae tabulae et imagines, ac parietes ipsi perpetuo niteant . . . Pavimentum, saltem octavo quoque die, diligenter verratur*[1]. *Mappae altarium, missis finitis, contegantur stragulis suis, et recondantur omnia separatim in suis locis, ut sint in promptu.*“[2] Praeterea, invigilent, ut decenti ornatu, et quo meliori fieri potest modo, decoretur domus Dei, Nepotianum aemulantes, de quo sanctus Hieronymus: „*Erat sollicitus*, inquit, *si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa; . . . non minus, non maius negligebat officium . . . Basilicas diversis floribus . . . adumbrabat, ut quidquid placebat in ecclesia, tam dispositione quam visu, presbyteri laborem et studium testaretur.*“[3]

4. Et quoniam, proh dolor! fuerunt homines adeo omnis religionis obliti, ut in res sacras et in sanctissima ipsa manus sacrilegas inferre non exhorruerint, ecclesiarum aeque ac sacristiarum fenestrae clathratae existant, ut ab omni per eas ingressu tutae admodum sint[4]; et ad vesperam, ianuae solidis claudantur seris, ecclesia prius explorata, ut neminem ibi latere constet. Ne vero furtive quispiam subintrare possit, praecipimus insuper, ut nulli, privato aditu, etiam per proprium podium, pateat ecclesia. Denique, ad maiorem cautelam, ubi aliter vasorum sacrorum conservationi sufficienter per noctem provideri non poterit, parochi ea domum asportent.

5. Ut habeant unde ecclesiae ornamento et divini cultus impensis satisfaciant, curent parochi bona ad ecclesiam pertinentia rite geri, et edicta episcopalia circa fabricas executioni mandari. Iura sibi concredita tueantur fortiter, in mansuetudine sapientiae, caveantque ne sacri proventus, nisi in eos usus quos episcopus tanquam necessarios et utiles iudicaverit, impendantur.

### Caput II.

*De diebus dominicis et festis de praecepto, ac de eorum sanctificatione.*

1. Dominicos dies et festa de praecepto divinis officiis non impendi, imo vetitis etiam laboribus, aut profanis iocis, quibus boni mores corrumpuntur, violari, res ultra modum luctuosa. Hinc enim sibi debito Deus cultu fraudatur, fidesque, cum verbum divinum iam non auditur, perit funditus; hinc effrenata cupiditas et morum corruptela, qua in dies grassante, societatis religiosae, civilis et domesticae vincula dissolvuntur; et dum honorem Deo, ecclesiae obedientiam, sibi requiem denegant, maxima mala in se ingerunt tam sancti praecepti transgressores.

2. Cui tanto malo ut medeamur, parochis suademus in primis, ut caveant ab iis quibuslibet, quae populum ab ecclesia possunt avertere, nempe, ab horarum officiis praefixarum inobservantia, ab incondita prolixitate, quae fastidium generat, sicut et a nimia festinatione, quae aures oculosque offendit, ac praesertim a rerum sacrarum incuria, quae contemptum parit; et simul, nihil omittant ex iis, quae populum allicere nata sunt, scilicet,

[1] *Act. eccl. Mediol.*, part. IV, *de praedic.*
[2] *Etsi minime*, die 7 februarii 1742.
[3] Clem. VIII breve *Pastoralis Romani*, anno 1598.
[4] Conc. Trid. sess. XXII de observ. et vit. in celebr. missae.
[5] Conc. Lugd. II gener., cap. 25, [Mansi, *Conc.*, XXIV, 99 A].

[1] Conc. Mediol. IV, part. I, cap. 16, [Mansi, *Conc.*, XXXIV, 202 D, 203 B].
[2] *Act. eccl. Mediol.*, part. IV.
[3] Ad Heliod., epist. XXXV, n. 12, ed. Maur. [opp. s. Hier., ed. Migne, I, 796].
[4] Conc. Mediol. IV, part. I, *de sacris locis*, cap. 11, [Mansi, *Conc.*, XXXIV, 198 B].

probam cantus caeremoniarumque ordinationem, A concionem, quantum fieri potest, ad docendum, delectandum et movendum aptatam, domus Dei decorem, rerumque omnium, quae ad cultum divinum spectant, nitorem et elegantiam.

3. Cum viri ad violandam diei dominicae sanctificationem sint propensiores, parochi, ad illos alliciendos, locum convenientem et a mulieribus separatum, ipsis assignare poterunt; invitent eos ut vice sua cantent: pro ipsis aliquoties, si utile visum fuerit, conventum specialem indicant, vel concionem faciant ipsismet adaptatam. Operariis, qui in associationes coeunt, suadeant, si fieri possit et expediat, ut specialem in statutis articulum inserant, quo teneatur quilibet consocius ad audiendam die dominica missam, et abstinendum eadem die ab omni servili opere; et alia eiusmodi media, quae zelus animarum suggesserit, adhibeant.

4. Hortamur insuper parochos, ut non exprobra- B tionibus acerbis, aut vituperationibus iniucundis, quae omnino odium concitant, sed paternis monitionibus, tum publicis, tum privatis, populos a violatione diei Domini summopere avertant, ad ecclesiamque convocent oraturos necnon edocendos; atque fusis precibus instent, ut Dominus omnium corda in diei suae observantiam omnipotentissimus inclinet.

5. Praeterea, cum experientia constet consociationem multum valere ad excitandos homines, socordiamque amovendam, vehementissime commendamus, ut, ubicumque id prudenter et cum aliqua spe successus fieri poterit, instituatur pia confraternitas *De sanctificanda die dominica* nuncupata, quam in suis ecclesiis iam instituerunt plures e reverendissimis coepiscopis nostris, nec sine fructu.

6. Mercatores hortentur parochi et confessarii, ut inter ipsos conveniant de non exercenda vendi- C tione die dominica, et ipsos praesertim avertant ne merces suas publice ostentent.

7. Et cum nundinae, quae die dominica pluribus in locis habentur, in causa praecipua sint, cur plurimi, missam et divini verbi praedicationem nunquam audientes, sine religione ac tanquam sine Deo vitam agant, episcopi et parochi occasionem, si qua se dederit, feliciter arripient, obtinendi a potestate civili, ut in alteram diem transferantur istae nundinae, illosque, ad quos pertinebit, vehementissime hortabuntur ad tantum bonum, omni ope atque opera, promovendum. Interea, saltem suadeant magistratibus, quantum fieri poterit, ut, iuxta ius ipsis a lege civili collatum, prohibeant ne, tempore officiorum, popinae omnibus pateant.

8. Suademus ut, diebus dominicis et festivis, parochi viros et iuvenes, institutores pii pueros, et institutrices piae puellas convocent, post absoluta D vespertina officia, oblectamentis innoxiis vacaturos, sicque eos removeant a tabernis, theatris et saltationibus, in quibus fere semper mores et pietas communi naufragio pereunt.

## Caput III.

### *De festis sive suppressis sive translatis.*

1. Parochi populos praemonebunt, in festis, quae vi concordati anno 1801 desierunt esse de praecepto, neminem teneri ad audiendum missam, vel abstinendum ab operibus servilibus. Ea tamen celebrabuntur, ubicumque locorum consuetudo et pietas fidelium id prudenter fieri permiserint.

2. Festa quorum solemnitas ad dominicam proxime occurrentem, vi eiusdem concordati, transfertur, nempe, Epiphaniae Domini, sanctissimi Corporis Christi, sanctorum apostolorum Petri et Pauli, sanctorum patronorum dioecesis et parochiae, parochi solemni pompa non celebrabunt, nisi de licentia speciali episcopi, die qua occurrunt; recta id exigente rerum ordinatione, ut, eodem die, in universis ecclesiis fiat eiusdem festivitatis celebratio, quin anticipetur vel differatur. Quoad intentionem missarum in his festis populo applicandam, standum responsis sanctae sedis vel tenori indultorum.

## Caput IV.

### *De missa et officiis divinis digne celebrandis, ubi praecipue de missa parochiali, et de bina celebratione in eodem die.*

1. *„Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum missae sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitaverit maledictum in sacris litteris eum vocari qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatemur nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum . . . tractari posse, . . . satis apparet omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut, quam maxima fieri potest, interiori cordis munditia et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie, peragatur."* [1] Quapropter, huic tremendo mysterio presbyteri diligenter animum suum meditatione praeparent; non minus quam tertiam horae partem in eo celebrando impendant, nec, si commode fieri potest, dimidiam excedant; et aliquanto tempore gratias de tanto beneficio persolvant.

2. Cum ex divinorum officiorum digna celebratione plurimum commendetur religio, foveatur pietas, ipsaque hominum excutiatur negligentia, vehementer improbamus parochos, qui de splendore cultus divini nihil vel parum curant, missamque ac vesperas, quin gravis causa excuset, sine cantu expediunt. Volumus econtra, ut, quoad fieri poterit, pueros et choristas informent, qui caeremonias et cantum, cum maiori minorive solemnitate, pro festivitatis ritu, omnibus diebus dominicis et festis, religiose ac laudabiliter exsequantur, nec non universus populus ad cantandum cum eis, voce aemula et unanimi, sollicitetur inciteturque omni modo.

3. Volumus insuper, ut parochi et confessarii frequenter hortentur fideles ad missam parochialem audiendam, in qua scilicet unanimia vota, preces et sacrificium pro omnibus parochianis Deo Patri offeruntur, verbum divinum et monita salutis distribuuntur, abstinentiae, ieiunia et ecclesiae festa praenuntiantur, episcoporum mandata et litterae leguntur.

4. Quia vero sacerdotum, in pluribus huius provinciae locis, tanta paucitas et penuria est, ut quibusdam bis una die sacrum faciendi facultatem episcopi concedere cogantur; ne quod, necessitate cogente, ad populi christiani solatium permittitur, in abusum convertatur, decernimus, ne huiusmodi facultatem episcopi largiantur, nisi gravissimis de causis [2]. Bina autem haec celebratio non ad plures dies quam ad dominicos et festivos protrahatur, et fiat in diversis tantum ecclesiis [3], praeter causas admodum speciales [4], atque eo in casu, si possibile sit, in diversis saltem altaribus.

## Caput V.

### *De cantu ecclesiastico; de musica in ecclesiis.*

1. Cantus vere ac proprie ecclesiasticus est cantus planus seu firmus, ad id institutus et mirum in modum aptatus, ut audientium mentes ad divinae maiestatis cultum pietatisque fervorem erigat. Ca-

[1] Conc. Trid., sess. XXII, *de observ. et vitandis in celebr. missae.*

[2] Conc. Burdig. anno 1583, cap. V [Mansi, *Conc.*, XXXIV, 751C].

[3] Ibidem.

[4] Resp. Pii VII, 7 iunii 1821.

veant parochi ne praeceps sit et citior quam decet, A neve tardiori tractu torpescat; aut inordinatis seu intemperatis vocibus discors, omni melodia careat; curent econtra ut modesta placidaque moderatione, cantantium mens verborum dulcedine pascatur, et audientium aures illorum pronuntiatione demulceantur [1]. Invigilent insuper, ne ex iis, quae cantari debent, quidquam detrahatur, vel pro libitu commutetur, *„cum regula sit, non cantari nisi quod legitur esse cantandum.“* [2]

2. Quamvis cantus planus alteri, qui musicus dicitur, plurimum sit praeferendus, uti excitandae pietati aptior [3], si tamen interdum musicam adhiberi contigerit, cavendum est in primis, ne sit mundana, theatralis, aut profanas redoleat cantilenas, aut verba absorbeat et dissimulet; sed econtra curandum, ut verba distincte auditu percepta altius imprimat menti, eamque ad devotionem magis excitet. Nihil in ecclesia cantetur, etiam extra officium, quod B non sit approbatum. Si autem aliquando admisceatur organorum sonus, sine ullo cantu, ille sonus sit gravis et ab omni profana melodia alienus.

## Caput VI.

*De sacra supellectili, et praecipue de vasis sacris, de vasis oleorum sanctorum, de paramentis et linteaminibus ecclesiae.*

1. Habeat unaquaeque ecclesia supellectilem omnem ad cultum divinum religiose decoreque peragendum requisitam; in primis calicem et pyxidem, quorum cuppa saltem sit ex argento, eoque inaurato ab interiori parte qua continetur sanctissimum sacramentum; item ostensorium, cuius saltem lunula sit argentea intus inaurata. Caeterum, valde in votis est, ut quamprimum vasa haec omnia in integrum ex argento fiant. Omnia linteamina, albae et amictus, ex lino vel cannabi, non autem gos- C sipio, conficiantur. Paramenta denique eos colores referant, quos rubricae, pro diversitate officiorum, adhiberi iubent.

2. Detur opera diligenter, ut omnia altarium ornamenta, vasa celebrationi missarum aliisve ecclesiasticis functionibus inservientia, quaecumque demum ad sacram supellectilem pertinent, munda sint et nitida; corporalia praesertim sint omnino linea, nec acu puncta, nec plagis ornata vel denticulata; nulla scissura aut macula foedentur, amylo inducto subdurescant, et complicentur praescripta ratione: indecorum quippe in sacris sordes apparere, quae dedecerent etiam in profanis. Insuper vestes sacrae aliaque indumenta ne passim iaceant exposita; sed singulo mane, missis absolutis, includantur rite plicata in vestiario, et clave obserentur [4].

3. Vascula in quibus olea sacrosancta asservantur, decenter recondantur in armario obserato clavi, D quam presbyter caute custodiat. Sint argentea, quantum fieri potest, aut saltem inargentata, vel ex stanno candido, et ab omni olei effusione saepe purgentur. Curent insuper parochi, ut litterae, quibus oleum tum catechumenorum, tum infirmorum, a sancto chrismate discriminatur, non in opertoriis tantum, sed in ipsismet vasis insculpantur.

4. Paramenta ac linteamina quae, vetustate vel alia de causa, ad sacrum ministerium iam non possunt inservire, nec vendi, neque ad profanos usus converti debent, sed comburi, cineresque in piscinam iniici [5].

[1] Concil. Aquisgran. an. 816, lib. I, cap. 137 [Mansi, *Conc.*, XIV, 941 C].

[2] Bened. XIII, in concil. Romano-Lateran., tit. XV, c. 1 [Mansi, *Conc.*, (1902), XXXIV, 1874 C].

[3] Bened. XIV, constit. *Annus*, die 19 februarii 1749, § 2.

[4] Concil. Mediol. IV, tit. de sacristia [Mansi, *Conc.*, (1902), XXXIV, 206 C].

[5] Can. *Altaris*, 39, de consecr., dist. 1.

## Caput VII.

*De sacra liturgia.*

1. Quod iampridem in singulorum mentibus erat, id ore uno profitemur, ad integritatem doctrinae pietatisque servandam, plurimum referre liturgiae unitatem. Unde summorum pontificum, praesertim vero sancti Pii V, constitutionibus obsequentes, et praecedentium conciliorum huius provinciae decreta renovantes, praecipimus, ut usus liturgiae Romanae per totam provinciam reviviscat, et in posterum servetur. Episcopi dioeceseon, quae voto sanctae sedis obtemperare nondum potuerunt, dabunt operam ut, quam primum fieri poterit, totius liturgiae Romanae usum restituant.

2. Cum Deus sub veteri lege, quidquid de divino cultu praescribebatur, tam accurate faciendum voluerit, dicens: *„Cave, ne quando ... negligas ... caeremonias, quas ego praecipio tibi* [1]; *quod si audire nolueris vocem domini Dei tui, ut custodias et facias ... caeremonias, quas ego praecipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istae, et apprehendent te;“* [2] cum insuper cultum longe excellentiorem novae legis multo maiori reverentia prosequi deceat: nunquam obliviscantur presbyteri et clerici, non sine gravi errore parvipendi rubricas, seu leges ecclesiae totam divini cultus rationem continentes. *„Recepti igitur et approbati catholicae ecclesiae ritus, qui, in minimis etiam, sine peccato negligi, omitti vel mutari haud possunt, peculiari studio ac diligentia serventur.“* [3]

3. Cumque ad id pia mater ecclesia hos ritus instituerit [4], ut et maiestas divini cultus commendetur, et mentes fidelium per visibilia signa ad coelestium contemplationem excitentur; atque econtra, nisi cum gravitate, moderatione et religione perficerentur, pietati officerent, et in contemptum rei sacrae vergerent; idcirco, districte praecipimus, ut presbyteri et clerici pie ac reverenter caeremonias omnes exsequantur, nihil festinanter, nihil negligenter, vel indevoto incessu, gestu aut vultu, sed *„tanquam angeli sacris altaribus assistentes, ... et summae maiestati per omnia placentes, ea, quae ... decreta sunt, servent religiose“* [5].

## Caput VIII.

*De cultu externo sanctissimi sacramenti.*

1. Cultum sanctissimae eucharistiae debitum sacerdotes promovere adnitantur; fidelibus saepe in memoriam revocent huic sanctissimo sacramento exhibendum esse latriae cultum qui vere Deo debetur, cum illum eumdem Deum praesentem in eo adesse credamus, quem Pater aeternus introducens in orbem terrarum, dicit: *„Et adorent eum omnes angeli Dei;“* [6] et huic adorationi accedere oportere amorem quam maximum, cum in eo sacramento Salvator noster divitias divini sui erga homines amoris velut effuderit, memoriam faciens mirabilium suorum [7]. Memores semper tantae maiestatis et tam eximii amoris domini nostri Iesu Christi, presbyteri ipsi, magis adhuc exemplo quam verbo, populos doceant, quanta animi devotio ac pietas coram sanctissimo sacramento, in incessu, gestu, vultu, toto denique habitu, relucere debeat.

2. Omni studio et animo frequenter parochi

[1] Deuter. VIII, 11.

[2] Ibid. XXVIII, 15.

[3] Bened. XIII, in conc. Romano-Lateran., tit. XV, c. 1 [Mansi, *Conc.*, (1902), XXXIV, 1874 B].

[4] Conc. Trid., sess. XXII, *de sacrif. missae*, cap. 5.

[5] Conc. Burdig. anno 1624, c. 3 [Mansi, *Conc.*, (1902), XXXIV, 1547 D].

[6] Conc. Trid., sess. XIII, *de euch.*, cap. 5.

[7] Ibid., cap. 2.

et confessarii hortentur fideles, ut, etiam intra hebdomadam, quantum status ratio sinit, saepius intersint sacrosancto missae sacrificio, quo nihil augustius, nihil utilius vivis et defunctis habet ecclesia; et cum amantissimus ille Salvator non in solo peu, sed permanenter adesse in tabernaculo suo voluerit, plurimum commendent ac exemplo confirment piam praxim visitationum sanctissimi sacramenti, qua, adeuntes cum fiducia ad thronum gratiae, misericordiam consequantur, et gratiam inveniant in auxilio opportuno. A

3. Quando danda erit benedictio aut facienda expositio sanctissimi sacramenti, quod nunquam nisi de licentia episcopi fieri debet, ornetur altare, tuncque convocentur parochiani quo maiori fieri poterit numero; seque certiorem faciat parochus coram sanctissima eucharistia, quamdiu exposita manebit, semper adfuturos qui precentur et adorent. Cum ad aegrotos defertur viaticum salutis, invitentur pii fideles, qui comites Domino veniant, praesertim si propior sit domus aegroti; et quando fiunt processiones in festo sanctissimi Corporis Christi, pompa quam maxima testetur reverentiam omnium et devotionem erga tam ineffabile amoris mysterium; sed ea arceantur, quae fidelium pietatem, nedum augerent, ab adoratione sanctissimi sacramenti distraherent.

4. In uno tantum altari servetur sanctissima eucharistia. Tabernaculum sit intus panno serico circumvestitum et clavi diligentissime obseratum. Qualibet hebdomada[1], mutentur ac renoventur hostiae, pyxide prius purgata ex omnibus particulis. Lampas coram sanctissimo sacramento diu noctuque perpetuo ardeat. Ante ostiolum tabernaculi, non ponatur vas florum vel quid simile; sed in utroque latere, nec supra, imponantur reliquiae[2], vel sanctorum statuae, vel quidquam aliud, praeter crucem. Demum, omnino interdicimus, ne adhibeantur ad altare C candelae ex sevo, quantumvis elaborato et candido, vel ex alia materia praeter ceram.

### Caput IX.

*De cultu sanctissimae crucis, et de pio exercitio viae crucis.*

1. Ad pietatem tuendam augendumque fervorem, plurimum confert pia et frequens meditatio sanctissimae passionis domini nostri Iesu Christi, et cultus sanctissimae crucis, per quam salus mundi facta est; ea idcirco parochi, quae huic saluberrimae devotioni fovendae aptissima iudicaverint, media, adhibere satagant.

2. Si particulam pretiosissimi ligni verae crucis habuerint, hanc, per auctoritatem competentem rite probatam, devote asservent, aliquoties in anno fidelium venerationi solemniter exponant, et cum ea populo benedicant.

3. Antiqua est, et digna certe quae retineatur, consuetudo, iuxta vias et in plateis cruces erigere. Earum conservationi parochi, quantum in ipsis erit, invigilent, et parochianos suos adhortentur, ut coram eis signa dent venerationis suae.

4. Pium exercitium, quod via crucis nuncupatur, sciant se nunquam satis commendaturos, remque admodum salutarem facturos, si illud solemniter interdum peragant, praesertim tempore quadragesimali, cum, praeter indulgentias a summis pontificibus impertitas his, qui dolorosum Christi tramitem quasi sectantur, pii fideles, in meditatione sacratissimae passionis, vividissimos hauriant poenitentiae, spei et amoris sensus.

### Caput X.

*De cultu beatae Mariae virginis, et de ipsius conceptione immaculata.*

1. Post cultum latriae soli Deo debitum, proxime venit in ipsius beatissimam matrem hyperduliae cultus, quem tantopere commendat ecclesia; quem postulat tum excellentissima divinae maternitatis dignitas, tum inexhausta semper huius virginis in homines misericordia, tum uniuscuiusque propria utilitas; experientia comprobante, hoc tanto patrocinio, peccatores in viam salutis revocari, iustos ad perfectionis apicem evehi, omnia demum bona facile impetrari. Rectores igitur animarum hac devotione, filialique confidentia erga beatissimam virginem, corda fidelium, vel a teneris annis, imbuant; confraternitates, sub diversis titulis in eius honorem institutas, prout prudentia suggesserit, erigi curent; pia exercitia, uti quotidianas preces, quae, decurrente mense maio, fieri plerumque consuescunt, recitationem publicam rosarii vel coronae, et alia huiusmodi, aut instituere conentur, aut iam instituta fovere, festivitatesque ipsius devote celebrari satagant, accersendo praesertim plurimos fideles ad sacram synaxim.

2. Nos vero, ex celebratione huiusce concilii, occasionem opportunam cum gaudio assumentes testatam faciendi devotionem praecipuam, qua erga beatissimam Dei matrem semperque virginem Mariam afficimur, una cum totius provinciae clero et fidelibus, communi voto, totisque praecordiis sedem apostolicam deprecamur, ut huius sanctissimae Dei genitricis conceptionem, singulari privilegio intemeratam, atque ab omni peccati originalis labe prorsus immunem, decernere velit, ac fidei dogmatibus adcensere.

### Caput XI.

*De cultu sanctorum, et veneratione sanctarum reliquiarum et imaginum.*

Parochi diligenter populos edoceant, sanctos, cum suas Deo pro hominibus offerant orationes, et apud eum plurimum possint, frequenter esse invocandos; ipsorum quoque sancta corpora, quae viva fuerunt Christi membra et templa Spiritus sancti, iuste et utiliter ab hominibus coli; nec non imaginibus aut statuis Christi, Deiparae virginis, et aliorum sanctorum, honorem et venerationem impertiendam esse[1].

Et cum sancti sancte sint colendi, satagant parochi, ut ab eorum cultu tollatur, quidquid inordinatum aut minus honestum infirmitas humana admiscere posset. Reliquias ab ordinario non recognitas fidelium venerationi nunquam offerant[2]. In armario autem seu thesauro reliquiarum, sanctae D capsae includantur, aut saltem cooperiantur, nec nisi statis diebus, cum debita solemnitate, exponantur. Imagines in templis apponi non sinant, nisi quae sint ad excitandam pietatem idoneae.

### Caput XII.

*De exsequiis, coemeteriis et sepulturis, ac precibus pro defunctis.*

1. Cum sancta sit et salubris cogitatio, pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur[3], parochi pie et religiose erga quoslibet defunctos preces et caeremonias observabunt, quas sancta mater ecclesia catholica praescripsit adhiberi, et ab iis quidquid superstitionem redolet, amovebunt.

[1] Editio: *Qualibet die dominica.*

[2] Decisio sacrae rituum congregationis, 31 martii 1821 [Gardellini, *Decreta authent. congr. s. rituum*, editio III romana, III, 172, 174].

[1] Conc. Trid., sess. XXV, *de invocat. sanctor.*

[2] Ibidem.

[3] II Machab. XII, 46.

2. Invigilabunt ut coemeterium ubi dormiunt A mortuorum corpora, habeatur in honore: sit bene septum, rite benedictum; crux, in medio erecta, spe resurrectionis soletur intuentes: a sordibus sit mundum, et ab eo denique amandentur choreae, publici conventus et nundinae[1].

3. „*Curent* parochi *ut missarum sacrificia, orationes, . . aliaque pietatis opera, quae pro fidelibus defunctis, ex testatorum fundationibus, vel alia ratione debentur, non perfunctorie, sed a sacerdotibus diligenter et accurate persolvantur.*“[2] Nec omittant parochianos hortari, ut frequenter in orationibus suis defunctorum meminerint, et pro ipsorum animabus divinam implorent misericordiam.

### Caput XIII.

*De devotionibus superstitiosis aut non approbatis.*

Nostrum est integrum ac sincerum servare fidei ac pietatis depositum. Monemus igitur parochos B et confessarios, ut diligenter praecaveant, ne devotioni aliqua intermisceatur superstitio illam dehonestans. Frequenter populos veram edoceant pietatem, quae, semper parata ad obediendum, auctoritatem ecclesiae, uti solam credendorum et agendorum regulam, agnoscit. Eos avertant, quantum possunt, a vanis observantiis, quae ad effectum quaesitum, nec a Deo, nec a natura, nec ab institutione ecclesiae, vim ullam habent. Si qua autem praxis pia vel devotio insueta et nova oriatur, parochi de ea referant ad episcopum, cuius est in huiusmodi rebus diiudicare.

### Caput XIV.

*De ieiunio et abstinentia.*

1. „*Quoniam ieiunium*, ut ait sanctus Basilius[3], *animae optima custodia, corporis socius securus, tentationes propulsat, ad pietatem armat, iram Dei* C *placat, ita ut Ninivitae, nisi ieiunassent, ruinae minas nunquam evasissent,*“ parochi et confessarii disciplinam abstinentiae et ieiunii ecclesiastici, intemperantia hominum magis in dies fatiscentem, pro viribus sustentare curabunt; ideoque, monitis publicis et privatis, eam sedulo commendare non omittent.

2. Ut neminem lateat ad quid teneatur vi huius disciplinae, monebunt fideles non faciendam esse, diebus ieiunii, nisi unicam refectionem, versus meridiem, et modicam collationem ad vesperam: ubi tamen praevaluerit consuetudo, ordinem hunc intervertí posse, et refectionem fieri versus vesperam. Quoad alimenta in collatione permissa, tenenda est probata cuiuscumque loci consuetudo.

## TITULUS III.

**De sacramentis.**

### Caput I.

*De legitima, digna et pia sacramentorum administratione.*

Cum in ecclesia Dei nihil habeatur quod sit sanctius aut utilius quam sacramenta, „*per quae omnis vera iustitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur;*“[4] parochi, et quivis alii sacerdotes ad quos eorum administratio pertinet, sedulo curare debent, ut rite semper tractentur ac sancte recipiantur. Quapropter, saepius legant et fidelissime servent ea, quae praescribuntur a rituali Romano et duobus ultimis Burdigalensibus conciliis.

### Caput II.

*De baptismo.*

1. Cum baptismi sacramentum christianae religionis et aeternae vitae sit ianua, parochus hortetur eos, ad quos spectat, ut infantes, quamprimum fieri poterit, ad ecclesiam deferant baptizandos, neque diu expectent susceptores, ne, dum tempus inani praetextu teritur, animae Christi sanguine redemptae salutis aeternae periculum subeant.

2. Prohibemus, ne, omissis dilatisve tantum consuetis ritibus ac caeremoniis, baptismus in ecclesia ministretur, nisi gravissima de causa et de licentia episcopi. Privatis autem in aedibus, absque gravi necessitate, conferri non debet: si vero, ex necessitate, privatim baptizatus fuerit infans, quamprimum deferatur in ecclesiam, ubi, si recte baptizatum prius constiterit, consuetae caeremoniae et ritus suppleantur, omissa forma et ablutione.

3. Omnes de quibus, re diligenter investigata, dubium remanet an baptizati fuerint, sub conditione[1], verbis expressa[2], baptizari debent. Decernimus itaque baptizandos esse infantes expositos et inventos, itemque a laicis ablutos, nisi testimonio omni fide digno constet baptismum rite fuisse collatum. Quoad eos, qui, ab haereticis baptizati, ad ecclesiam redeunt, pro singulis casibus consulatur locorum ordinarius: si tamen adsit mortis periculum, sub conditione baptizentur, quoties de validitate baptismi non certo constiterit.

4. Parochus, antequam ad baptismum accedat, exquirat diligenter quinam susceptores a parentibus electi fuerint, ne indignos vel ineptos admittat. Porro ad hoc munus non sunt admittendi infideles, haeretici et schismatici, publice excommunicati aut interdicti, publice criminosi aut infames; qui, civiliter tantum iuncti, in facie ecclesiae matrimonium inire nolunt; qui ignorant rudimenta fidei. Quoad pueros, duo simul non admittantur, nisi unus saltem ad primam communionem accesserit.

Prohibemus autem ne quis parochus infantes, in propria parochia, a sacro baptismatis fonte suscipere queat; caeteros autem clericos monemus et exhortamur, ut nunquam ad infantes suscipiendos veniant, praesertim qui sibi nulla consanguinitatis vel affinitatis ratione coniunguntur. Si quae autem arctiora super his decreta in aliqua dioecesi, pro meliori eiusdem statu et ordine, lata fuerint, eadem servari mandamus[3].

### Caput III.

*De confirmatione.*

1. Si quovis tempore magni sit momenti confirmationis sacramenti susceptio, eo magis tamen, D hisce nostris diebus, ad illud diligenter pieque recipiendum hortandi sunt fideles, quo graviora fidei ac moribus imminent certamina. Satagant igitur parochi ut a nullo negligatur, et digne ab omnibus recipiatur.

2. Cum vero in adultis duae potissimum ad confirmationis susceptionem requirantur dispositiones, nempe scientia mysteriorum fidei, speciatimque catholicae doctrinae circa tantum sacramentum, et status gratiae, parochi non omittant, per plures hebdomadas ante administrationem confirmationis, iteratis catechesibus, confirmandos edocere, movere ad pietatem, et per sacramentalem confessionem disponere.

[1] Synod. Par. anno 1559.
[2] Conc. Trid., sess. XXV, *de purgat.*
[3] Homil. I *de ieiunio*, ante medium [opp. s. Basilii, ed. Garnier II, 5 A, 8 C].
[4] Conc. Trid., sess. VII, in prooem.

[1] Bened. XIV, *De synod.*, lib. VII, cap. 6.
[2] Bull. *Auctorem fidei*, prop. XXVII.
[3] Conc. Burdigalense anno 1624, cap. XIII, num. 3 [Mansi, *Conc.*, (1902), XXXIV, 1581 B].

3. Parochi autem ad alienae dioecesis episcopum A non deducant aut mittant confirmandos, absque proprii confirmandorum episcopi consensu.

4. Singuli confirmandi exhibeant admissionis schedulam, parochi, vel sacerdotis ab ipso commissi, manu signatam.

5. Si quis periculose aegrotans, nondumque confirmatus, sacri chrismatis unctione muniri postulet, episcopus, si in eo loco fuerit ubi ille aegrotat, pro posse suo, illum inviset et confirmet[1].

6. Describantur a parochis in regesto confirmatorum nomina, cum accurata indictione diei et anni.

## Caput IV.

### *De eucharistia.*

1. Quemadmodum corporibus, sic et animis sua sunt alimenta, ne, si multo tempore ieiuni languidique permanserint, in laboriosa vitae humanae peregrinatione deficiant. Ideoque, pane vitae, qui B de coelo descendit, nimirum sacrosancto Christi corpore, quod in eucharistia vere continetur, parochi populos sibi commissos pascere satagant, et, assiduis exhortationibus, ad hunc coelestem cibum invitent[2]. Praecipue vero illos moneant de gravi, qua tenentur, obligatione, communicandi saltem semel in anno, tempore scilicet paschatis, et quidem in ecclesia propriae parochiae. Fieri tamen poterit communio paschalis in aliena ecclesia, de licentia parochi vel ordinarii, et in aliis casibus a iure vel consuetudine legitima exceptis.

2. Cum ex primo ad sacram synaxim accessu saepius pendeat totius vitae ratio, ipsaque ideo aeterna salus, obsecramus in Domino quoslibet rectores animarum, ut quam maximam, in disponendis ad primam communionem parvulis, diligentiam impendant. Meminerint primum, non admittendos esse nisi parochianos, salvis tamen exceptionibus C in unaquaque dioecesi legitime approbatis. Praeterea, exigant, quantum fieri poterit, ut pueri duobus annis assidue catechismo assistant; illos diligentia peculiari erudiant, frequenter interrogent, nec admittant, nisi de eorum scientia sufficienti omnino constet. Pergratum patribus concilii esset, institui examen, per parochos quosdam vicinos, aliquot hebdomadis ante primam communionem, faciendum, ut maiori cura diligentiaque pueri catechismum edischerent. Certiores insuper, fiant de singulorum baptismate.

Maiori etiam sollicitudine curent de puerorum vitae innocentia, et pietate ad tantum sacramentum requisita. Illos ad disponendam Deo mansionem, quod opus grande est, omnimode excitent; atque discernendi causa quinam corde magno et animo volenti se praeparent, diligenter de singulorum agendi ratione inquirant, et ipsimet advigilent illis D attente; saltem semel in mense, illos ad sacrum tribunal excipiant aut excipiendos curent, eoque frequentius, quo magis instat communionis tempus.

Ante communionem, generalem totius vitae confessionem recipiant, caventes ne, repulsionis metu, aliquod celetur peccatum. Tribus autem diebus ante communionem, illos piis exercitationibus proxime praeparent, et die ipso, maximam solemnitatem adhibendam, votaque baptismi renovanda curent.

3. Solliciti sint parochi de sacrosancto viatico iis deferendo, quos in mortis periculo constitutos deprehenderint, caveantque ne quis, ipsorum incuria, tanto privatus beneficio decedat; et, si contigerit noctu deferendum esse viaticum, provideatur securitati sacerdotis et reverentiae sanctissimo sacramento debitae. At vero, in eadem infirmitate, et perseverante eodem mortis periculo, sacrosanctum viaticum iterari non permittimus modo, sed tanquam pium ac laudabile commendamus, praesertim si ipsimet aegrotantes divinum hunc panem iterum esuriant[1].

Infirmos etiam, non adeo graviter aegrotantes, hortentur parochi, ut sacram eucharistiam, cum ecclesiam adire nequeunt, interdum ieiuni domi recipiant.

Ne patiantur omnes indiscriminatim pueros, nondum ad primam communionem admissos, interire sine Christi corporis viatico; illud autem iis praebeant qui, prius edocti, prout tempus permiserit, cibum illum coelestem et supernum a communi et materiali discernere possunt[2].

Volumus insuper capite damnatos, vere poenitentes, eucharistiae cibo refici, quo, ad mortem resignato animo sustinendum, adiuventur[3].

4. Optaremus, cum patribus Tridentinis[4], „*ut [in] singulis missis, fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam eucharistiae perceptione communicarent*"; eosque proinde paterno affectu monemus[5], hortamur, rogamus, et obsecramus „*per viscera misericordiae Dei nostri, ut omnes et singuli . . . haec sacra mysteria . . . ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione, ea pietate et cultu credant et venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint, et is vere eis sit animae vita et perpetua sanitas mentis*"[6]. Parochi igitur, et qui ad divini verbi praedicationem aut directionem animarum adsciscuntur, fidelibus persuadere nitantur, nihil esse animae utilius, nihil ad sancte vivendum efficacius, nullumque modum excogitari posse aptiorem et compendiosiorem, quo apostolica facies ecclesiae nostro saeculo redeat[7]. Exponant sane et requirant dispositiones debitas ad communicandum; sed declinent ab hac nimia verborum austeritate, quae accedentium gregem, iam adeo pusillum, arcere posset. Non equidem tacebunt quod terreat indignos; libentius tamen proferant quod alliciat bene dispositos.

Meminerint tamen ad hanc sacram synaxim anhelantes, neminem posse duobus dominis servire, seque iampridem in baptismate, diabolo, et pompis eius et angelis eius solemniter abrenuntiasse. Quapropter, ad mensam Domini accedere non praesumant ii omnes qui, libenter, occasione data, sive theatra, heu! fere semper obscoena, sive choreas saltationesque, imprimis recentiores quasdam manifeste damnandas, frequentare non dubitant, et quidem cum ornatu gentilitatem sane plus quam christianismum redolente, verborum apostoli immemores: „*Non potestis mensae Domini participes esse, et mensae daemoniorum.*"[8]

## Caput V.

### *De poenitentia.*

1. Cum sacramentum poenitentiae lapsis post baptismum ad salutem necessarium sit, ut nondum regeneratis ipse baptismus[9], et, experientia teste, fideles in gratia Dei difficile perseverare possint, nisi frequenter huius remedii vitae participes fiant, vix ad ullum aliud sacri ministerii opus libentiori animo se conferre debet sacerdos, quam ad tam

[1] *Act. eccl. Mediol.*, part. I, conc. prov. V.
[2] Conc. Burdig. anno 1583, tit. XI [Mansi, *Conc.*, (1902), XXXIV, 754 D].

[1] Bened. XIV, *De synod.*, lib. VII, cap. 12, n. 4-5.
[2] Ibidem, cap. 12, n. 1-2
[3] Ibidem, cap. 12, n. 3.
[4] Sess. XXII, *de sacr. missae*, cap. 6.
[5] Sess. XIII, *de euch.*, cap. 8.
[6] Ibidem.
[7] Conc. Remense anno 1583 [Mansi, *Conc.*, (1902), XXXIV, 691 E].
[8] I Cor. X, 21.
[9] Conc. Trid., sess. XIV, *de poenit.*, cap. 2.

salutiferi sacramenti administrationem. Promptum igitur facilemque se praebeat, cum ad sacrum tribunal vocatur; nolentes invitet, et suavi zelo compellat; animo et corpore fatigatus, adhuc perseveret, nullumque patiatur, quantum fieri potest, discedere inauditum.

2. Zelus tamen confessiones audiendi nunquam libertati fidelium, in eligendo confessario, directe vel indirecte noceat, ne forsan exinde inducatur poenitens in sacrilegium, posteaque in perniciem aeternam. Singuli econtra confessarii interdum significent suis poenitentibus, omnino eis liberum esse, cui voluerint confiteri; ut autem penitus tollatur periculosa quaelibet restrictio libertatis, declaramus praecepto confessionis annuae satisfieri, per confessionem factam cuilibet ex sacerdotibus approbatis ab ordinario loci [1]; et volumus, singulis annis, in quadragesima, ab universis parochis fideles de ista facultate certiores fieri.

3. Mansuetudinem et misericordiam Christi Iesu, qui non venit vocare iustos sed peccatores, in primis commendamus omnibus confessariis, cum saepissime sistant se multi prorsus imparati, qui ex imparatis parati fiunt, si sacerdos sciat studiose, patienter et mansuete cum ipsis agere [2]; dum, e contrario, si dure cum illis agatur, persaepe ex paratis imparati fiunt, et peccata quae iamiam declaraturi erant, reticent. Quocirca, mansuete audiant, mansuete interrogent, mansuete moneant, plus hortando quam reprehendendo, et „*cum iusta est causa cur differatur absolutio, verbis, quoad poterunt, humanissimis, persuadeant id eorum salutem omnino postulare; eosque ad redeundum quamprimum blandissime alliciant, ut, iis feliciter peractis, quae salubriter praescripta fuerint, vinculis soluti peccatorum, gratiae coelestis dulcedine reficiantur*" [3].

Nec tamen illa mansuetudo in facilitatem nimiam degeneret: „*tam enim errant*, inquit sanctus Alphonsus de Liguorio, *ii qui plus iusto sunt faciles, quam ii qui sunt difficiles ad absolvendum: multi propter nimiam facilitatem, sunt causa quod tot animae perdantur.*" [4]

4. Et cum poenitentes saepe plura dicenda omittant, meminerint confessarii sui muneris esse, eos interrogare de quibus prudens subest dubitatio, an sciant necessaria ad salutem; annon reticuerint aliquot peccata, quae accusare nesciunt aut erubescunt. In iis autem interrogationibus, ea adhibeatur animi cautio, ut nihil inquiratur nisi necessarium; ea sermonis benignitas, ut non praeter modum poenitens gravetur; ea demum verborum castitas, ut puritas detrimentum non patiatur. Standum autem esset, si unquam se daret occasio, constitutioni Benedicti felicis memoriae papae XIV, quae incipit: *Sacramentum poenitentiae.*

5. Inter poenitentes speciali diligentia dignos, confessarii annumerare curent iuniores pueros. Eos, a septennio saltem, alliciant ad confitendum pluries in anno, postea vero saepius, iuxta quod exegerit illorum animae status; et huic muneri vacent, non perfunctorie, festinanter et iocose, sed cum ea gravitate maternis visceribus temperata, quae magnam sacramenti existimationem et amorem inspiret; cum ea prudentia et discretione, quae materiali confessionis integritati ita provideant, ut nunquam discant pueri quod feliciter ignorant; cum ea animi attentione et pietate, quae vitium nascens discernant et arceant, aut natum corrigant, et cor adhuc tractabile, ad virtutes colendas precesque quotidianas Deo pie fundendas, informent. Si quos autem invenerint ab innocentia excidisse, aut forsitan in vitiorum coeno iacere, docendo et exhortando praeparent illos ad absolutionem, eamque sufficienter dispositis, non aetatis habita ratione, impertiantur; dolendum quippe nimis esset, si eorum animae, in perpetuo inferni periculo, sub diaboli dominatu, ex confessariorum incuria, diu languescerent.

Quos per frequentem confessionem ad recipiendam eucharistiam paraverint, non negligant, prima communione peracta: quin potius, maiori illos prosequantur sollicitudine, paternoque tutamine circumvallent et protegant, utpote multiplici tentationum generi obnoxios; nihilque omittant, ut, frequenti sacramentorum usu, pie vivendi propositum, nedum in eis deficiat, magis ac magis in dies confirmetur.

6. Tandem, prae caeteris poenitentibus, diligentiori confessariorum cura digni sunt probatissimi illi fideles, pars gregis Christi optima, qui, omnibus quae saeculi sunt derelictis, ut se totos Domino devoverent, nihil magis anhelant, quam ut, sub pio et prudenti directore, perfectionis evangelicae viam, properato cursu, emetiri valeant.

Specialem praesertim sollicitudinem sibi vindicant sanctimoniales: hae sunt sponsae agni, quae, dum saluti suae provident tutius, proximi utilitati impensius inserviunt. Grande profecto confessariis incumbit munus, has sacras familias paterna cura, iuxta suae ipsarum institutionis spiritum, praelucente accurata regularum observatione, ad normam verae solidaeque pietatis informandi, ut in christianis ac religiosis virtutibus, praecipue vero in obedientia mutuaque charitate, magis ac magis, adiuvante Spiritu sancto, proficiant.

Et quoniam non omnium est haec tanta viarum spiritualium scientia, statuimus nullum, nisi specialim ad hoc approbatum, posse moniales audire confitentes, nisi quando extra conventum degunt, legitimis de causis: praeter ordinarium autem confessarium, alium extraordinarium, ab episcopo et aliis superioribus, designatum iri [1], cui, statis temporibus, singulae se sistere tenebuntur, sive ad faciendam sacramentalem confessionem, sive saltem ad salutaria monita sine confessione audienda; quae monita confessarii dare tenentur. Et nostrae intentionis est, ut valeat decretum illud, non solum quoad moniales claustrales, sed etiam quoad eas personas, quae, licet clausurae legibus minime astrictae, in communitate tamen vivunt [2].

## Caput VI.

### *De extrema unctione.*

1. Ex apostoli Iacobi doctrina, certum est extremae unctionis sacramentum ad solamen aegrotantium, et salutem, non animae tantum, verum etiam corporis, si bono spirituali id expediat, a Christo domino fuisse institutum [3]. Studeant igitur parochi, ut, crebris monitionibus, tum publice, tum privatim, omnes curae suae creditos ab illo errore abducant, quo plerique de hoc sacramento sinistre sentiunt, perinde ac si aegris mortem portenderet, vel etiam acceleraret [4]: moneantque, ne tardiores aut negligentiores sint, sive periculose aegrotantes in postulando, sive parentes aut propinqui in procurando, tam opportuno Dei miserantis auxilio, cum

[1] Bened. XIV, *Inst.* XVIII, n. 6. 9.
[2] Leo XII, encycl. *Charitate Christi*, 25 dec. 1825.
[3] Leo XII, encycl. an. 1826.
[4] *Praxis confess.*, num. 77.

[1] Conc. Trid., sess. XXV, *de regul.*, cap. 10.
[2] Bened. XIV, bulla *Pastoralis*, 5 aug. 1748.
[3] Conc. Trid., sess. XIV, *de extr. unct.*, cap. 2.
[4] Conc. Burdig. anno 1583, tit. XIII [Mansi, Conc. (1902), XXXIV, 759 C].

praesertim eo uberior sit fructus ad sanitatem corporis, quo remotiori periculo et saniori mente recipiatur sacramentum[1].

2. Ad praecavendam nonnullorum negligentiam, parochus hortetur parochianos suos, ut ipsum admoneant, cum aliquem in parochia aegrotare contigerit, praesertim si morbus sit gravis: semel autem admonitus, ultro ad aegrotum accedat, improvisamque mortem prudenter antevertens, quamprimum absolvat, nec nimis diu viaticum et extremam unctionem differat. Non vero putet se omni officio suo satisfecisse, si aegroto sacramenta solum impenderit: sed illum postea, non semel tantum sed saepius reviseat, piis et consolatoriis verbis confirmet: elicitis ab eo, pro posse, tribus poenitentis actibus, denuo identidem absolvat: agonizanti, quantum per tempus licuerit, adsistat, eius tandem animam rite Deo commendaturus.

3. Ungantur, cum periculose aegrotant, mente capti, qui olim rationis compotes fuerunt: pueri ad sacram communionem nondum admissi, sed qui probabiliter praesumuntur peccati capaces[2]; imo senes annis tam graves et debilitati, ut in diem morituri videantur, quamvis non alio praeter senium morbo sint affecti.

4. Demum, extremae unctioni praeeat, quantum fieri potest, confessio, vel saltem absolutio.

5. Notetur in regesto, an et quibus sacramentis munitus, quisque defunctus e vita excesserit.

## Caput VII.

### *De sacramento ordinis.*

1. Decretum sacri concilii Tridentini, de canonico ordinandorum titulo[3], in tota hac provincia fideliter observari peroptarent huius synodi patres. At vero, cum hodie Galliarum ecclesia, bonis suis alienatis, non habeat unde clerici cum titulo beneficii promoveri possint, et plerique promovendi patrimonio careant, episcopi, benigne annuente sede apostolica, ab obligatione tituli, urgente necessitate, dispensant: verum executionem huius legis procurabunt, erga eos quos patrimonii aut pensionis titulum sibi creare posse constiterit: et quoad alios, curabunt ut, in unaquaque dioecesi, instituatur, aut iam institutum sedulo servetur aerarium ecclesiasticum, unde provideatur necessitatibus eorum, qui, post susceptos ordines, infirmitatis vel provectae aetatis causa, sacro nequeunt vacare ministerio.

2. Sacri concilii Tridentini sanctionibus[4] obsequentes, praecipimus fieri eorum, qui ad singulos maiores ordines sunt promovendi, publicam denuntiationem[5], in ipsis missarum solemniis ecclesiae parochialis ex qua orti fuerint, vel in qua, diutius conversati, morum qualitates patefecerint; qua denuntiatione, omnibus huius loci parochianis praecipiatur, ut de promovendorum natalibus, aetate, moribus et vita, gloriam Deo dantes, veritatem proferant et revelent.

3. Parochis commendamus, ut pueros, quos ex bona indole aliisque indiciis iudicaverint ad sacerdotium idoneos, singulari studio ad pietatem et elementa scientiarum informent: cumque illos in seminarium admittendos putaverint, de parentum conditione, statu, moribus et religione, ipsorumque iuvenum ingenio, virtute et indole, diligenter episcopum certiorem faciant; iuniorum vero clericorum, tempore quo vacant seminaria, intra paroeciam degentium, vitae et moribus sedulo invigilent: cate- A chismum saltem puerulis exponendum, pro prudentia sua, illis committant: et superioribus seminariorum, per litteras clausas, de tota eorum agendi ratione verum coram Deo reddant testimonium.

## Caput VIII.

### *De matrimonio.*

1. Profitemur ecclesiam semper potuisse ac posse, in christianorum matrimoniis, iure proprio, impedimenta constituere, quae matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur, etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare[1].

2. Ubi primum admoniti fuerint parochi de matrimonio in parochia sua contrahendo, diligenter inquirant ab his, ad quos spectat, an, inter eos qui matrimonium contrahere volunt, aliquod existat impedimentum: si quod detexerint, et futuros con- B iuges a matrimonio detrahere nequeant, accurate expriment in libello supplici, pro dispensatione obtinenda, ea omnia quae a iure vel stylo curiae exprimenda sunt, praesertim, naturam et circumstantias impedimenti essentiales, causas dispensationis, ac statum fortunae partium. Ut autem in re tanti momenti nihil saltem essentiale desit, sedulo religioseque serventur ea, quae de informationibus peragendis praescribuntur, sive in iure, sive in statutis dioeceseos.

3. Ex sacri concilii Tridentini decreto[2], matrimonium contrahi debet, coram proprio contrahentium parocho, vel alio sacerdote, de ipsius parochi seu ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus, modo publicata fuerint banna, iuxta praescriptionem sacri concilii Tridentini, et statuta cuiusque dioeceseos.

4. Cum ecclesia matrimonia catholicorum cum C acatholicis semper interdixerit, parochi quos ab istiusmodi matrimonio deterrere non potuerint, moneant super tale impedimentum non concedi dispensationem, nisi gravi de causa, et sub conditionibus quas, iam ab initio, sedulo ipsis exponendas curabunt, scilicet, ut pars acatholica iuratam obligationem emittat permittendi educationem prolis utriusque sexus in religione catholica, nec impediendi coniugi filiisque liberum catholicae religionis exercitium. Pars vero catholica admoneatur de obligatione, quam habebit, curandi totis viribus acatholici coniugis conversionem.

Obtenta dispensatione, parochus consensum utriusque, coram testibus, recipiat, iuxta formam a sacro concilio Tridentino praescriptam, extra ecclesiam, sine ullo sacro ritu, absque benedictione nuptiali. Si quando, matrimonio peracto, pars catholica missam pro se dici postulet, non dicatur missa D *pro sponso et sponsa*, sed missa diei, vel alia votiva. Caeterum, non licet parti catholicae, post initum coram parocho matrimonium, haereticum fanum adire.

Volumus autem bannorum proclamationes ante istiusmodi matrimonia fieri[3].

5. Ne matrimonium effectibus civilibus careat, volumus ut ea omnia serventur, quae lex coram magistratu fieri praecipit; parochis tamen commendantes, ut, publicis et privatis monitionibus, omni ope et opera, fideles avertant ab ineundo praemature et periculose actu illo civili, ante diem quo nuptiae coram ecclesia sunt celebrandae.

6. Volumus etiam, ut contrahentium et testium nomina in libro rite describantur, iuxta formam ritualis Romani.

[1] Bened. XIV, *De synod. dioec.*, lib. VIII, cap. 7.
[2] Ibidem, cap. 6.
[3] Sess. XXI, *de ref.*, cap. 2. — Bulla *Auctorem fidei*, prop. LII.
[4] Sess. XXIII, *de ref.*, cap. 5.
[5] *Act. eccl. Mediol.*, p. 688 et 1811.

[1] Bulla *Auctorem fidei*, prop. LIX.
[2] Sess. XXIV, *de ref. matr.*, cap. 1.
[3] Conc. Balt. VI, anno 1846. — Resp. sacrae congregationis de Propaganda fide, 3 iulii 1847.

## TITULUS IV.

### De hierarchia.

#### Caput I.

*De summo pontifice.*

1. Quod de summo pontifice definierunt Florentini patres, hoc et nos toto animo profitemur: *„Sanctam nempe apostolicam sedem et Romanum pontificem in universum orbem tenere primatum; et ipsum pontificem Romanum successorem esse beati Petri, principis apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque ecclesiae caput, et omnium christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi, in beato Petro, pascendi, regendi ac gubernandi universalem ecclesiam, a domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.“*[1]

Ad Romanam igitur ecclesiam, tanquam ad unitatis catholicae centrum, *„in qua est integra et vera christianae religionis soliditas*[2], *propter potiorem principalitatem, necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles.“*[3] Primatus enim ille, tum honoris, tum iurisdictionis, divinitus beato Petro eiusque successoribus collatus, in omnes omnino Christi fideles extenditur, nec ullis aut locorum aut temporum restringitur limitibus, cum integrum ovile, agnos videlicet et oves, in perpetuum pascere, fratresque suos, nullo prorsus excepto, confirmare, a Christo Petrus iussus fuerit. Idcirco, plane sancto Cypriano assentimur dicenti: *„Qui ecclesiae renititur et resistit; qui cathedram Petri, super quam fundata est ecclesia, deserit, in ecclesia se esse confidit?“*[4]

Omnia proinde decreta et leges, quae ab apostolica sede prodeunt, profitemur veram esse ac sinceram pro universali ecclesia credendorum normam et conscientiae regulam. „*Deus quippe*, ut ait sanctus Augustinus, *in cathedra unitatis doctrinam posuit veritatis.*“[5] Unde eorum omnium temeritatem damnamus, qui, supremae summi pontificis auctoritati refragantes, de sententiis eius ac iudiciis ad ecclesiam appellare non metuunt; quasi a capite suo ecclesia divelli unquam possit, aut alibi esse quam ubi Petrus.

Errores ergo quoscumque, quovis tempore et modo a sancta sede damnatos, damnamus; signanterque ea omnia quae, in bulla *Auctorem fidei*, summus pontifex Pius VI improbat, reprobat et damnat[6], pro improbatis, reprobatis et damnatis, habenda profitemur.

Ad apostolicam sedem referendae sunt causae maiores, et iuxta Innocentii I verba, quaestiones super anxiis rebus, ut inde quae tenenda sit via perspectum habeatur[7].

Hic residet auctoritas quae concilia oecumenica, iure proprio, convocat, illis praeest, illorum decreta confirmat, et ab iis, prout opus est, dispensat.

Hic eminet summus ille pastor, qui, per universum orbem, solus dioeceses instituit vel supprimit, coadunat vel dividit, iisque praeficit episcopos, et iurisdictione immediata ubique pollet.

Quaecumque tandem iura, quaecumque praerogativae summo pontifici competunt, ea omnia filiali affectu summaque observantia agnoscimus et reveremur. Hanc porro observantiam, hoc obsequium praestando, ecclesia quaeque particularis multo magis sibi consulit quam ipsi omnium ecclesiarum matri et magistrae. „*Ibi enim*, iuxta sancti Innocentii verba, *universis et murus est et securitas; ibi portus expers fluctuum, et bonorum thesaurus innumerabilium.*“[1]

Quo demum plenius testatum faciamus quali corde, mente et animo, Romano pontifici, pastorum principi omniumque fidelium patri, devoveamur et adhaereamus; nos apostolicae sedis, non tantum mandata recepturos humiliter et quam diligentissime executuros, verum etiam monitis, consiliis et votis pie obtemperaturos esse, declaramus ac spondemus.

2. Praeterea, civilem etiam summi pontificis principatum, votis omnibus precamur salvum semper et incolumem esse; quo scilicet principatu: *„Romanus pontifex, singulari divinae providentiae consilio, per tot iam continentia saecula, optimo quoque iure potitur, ut, in universae ecclesiae regimine sibi divinitus commisso, supremam suam apostolicam auctoritatem toto orbe ea plane libertate possit exercere, quae ad summi pontificatus munus obeundum, ac totius dominici gregis salutem procurandam tantopere est necessaria.“*[2]

Eorum proinde reprobamus ac repellimus errorem, iam olim damnatum[3], qui sanctam sedem spoliare volebant sua potestate temporali, quasi illegitima, atque institutioni Christi et doctrinae evangelicae contraria. Imo, vehementer improbamus eorum temerarios ausus, qui asserere praesumunt, longe hisce nostris temporibus satius fore, si summus pontifex solam haberet potestatem spiritualem, ab omni temporali potestate divulsam.

#### Caput II.

*De metropolitano.*

1. Quamvis episcopi omnes, ratione ordinis, pares existant, in unaquaque tamen provincia, unus praeeminet caeteris, metropolitanus scilicet, ad hunc finem antiquissimo iure constitutus, ut efficacius foveatur unitas, et ecclesiastica disciplina servetur.

2. Synodus haec Burdigalensis superiorem agnoscit iurisdictionem et auctoritatem competere metropolitano; unde ius habet, per totam provinciam, crucem archiepiscopalem prae se ferendi, benedicendi, in pontificalibus celebrandi, etiam cum pallio, statis diebus[4]. Sunt praeterea metropolitani iura et officia: providere dioeceseon in provincia vacantium administrationi, si capitulum, infra octo dies post mortem episcopi, vicarium capitularem idoneum non constituerit, aut existentem non confirmaverit[5]; provinciale concilium, cui iure praesidet, debito tempore, convocare[6]; invigilareque ne illius decreta negligantur; suscipere appellationes a iudiciis suffraganeorum, in casibus a iure determinatis[7]; imo ipsos suffraganeos monere, illorum negligentiam supplere, ac inquirere in absentiam, eosque ad residentiam compellere[8].

[1] Conc. Flor., t. XIII, edit. 1, Labb. col. 515, [Hardouin, IX, 498 A].
[2] Conc. VIII gen. Constantin. IV, t. VIII, edit. 1, Labb. col. 989, [Hardouin, V, 774 D].
[3] S. Iren., lib. III *Adversus haeres.*, cap. III, n. 2.
[4] S. Cypr., *De unitate eccl.* [opp., ed. Baluzii, p. 195, ubi tamen legitur: „super quem fundata est"].
[5] Epist. CV ad Donat., n. 16, alias epist. CLXVI [opp. ed. Bened., II, 303 D].
[6] Sub finem, post n. LXXXV.
[7] Epist. XXX, ad concil. Milevit. [Constant, *Epist. Rom. pontif.*, pag. 896 B].

[1] Epist. XI [verba laudata sunt potius s. Chrysostomi, epist. ad Innoc. I, Constant, p. 814 A].
[2] Allocutio Pii IX, die 20 maii 1850.
[3] Concil. Constantiense contra errores Wiclef., prop. XXXVI, XXXIX, coll. Labb. t. XII [Hardouin VIII, 301 A, B].
[4] Clementin. *Archiepiscopo*, 2. *de privileg.* (V, 7).
[5] Conc. Trid., sess. XXIV, *de ref.*, cap. 16.
[6] Ibid., cap. 2.
[7] Conc. Trid., sess. XIII, *de ref.*, cap. 2; Bened. XIV, constit. *Ad militantis*, die 30 aprilis 1742.
[8] Conc. Trid., sess. XXIII, *de ref.*, cap. 1; Bened. XIV, constit. *Ad universae*, die 3 septembris 1746.

Quae omnia, a patribus nostris sapientissime instituta, accurate in postremum etiam servari optamus, ut arctiori semper vinculo metropolitanus et episcopi comprovinciales uniantur, et, coniunctis viribus, religioni tuendae fovendaeque efficacius collaborent.

## Caput III.

### *De episcopis.*

1. Magna sane dignitas episcoporum, quos ecclesiae principes, ipsiusque domini nostri Iesu Christi legatos, passim et aperte vocant patres et doctores; quosque sacrosancta Tridentina synodus declarat[1] in apostolorum locum successisse, ad hierarchicum ordinem praecipue pertinere, positosque, sicut apostolus ait, a Spiritu sancto regere ecclesiam Dei; presbyteris superiores esse, ac sacramentum confirmationis conferre; ministros ecclesiae ordinare; atque alia pleraque posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent.

Quae quidem referimus, non commendantes nosmetipsos, sed divinam potius ecclesiae oeconomiam perfectamque illam in ea omnium dispositionem, quam notissimis hisce verbis sanctus Ignatius martyr expressit: „*Omnes episcopum sequimini, ut Iesus Christus Patrem, et presbyterium ut apostolos . . . Sine episcopo nemo quidquam faciat eorum quae ad ecclesiam spectant. . . . Qui honorat episcopum, a Deo honoratus est; qui clam episcopo aliquid agit, diabolo praestat obsequium.*“[2]

Meminerint igitur fideles et presbyteri, episcopis, ex constitutione divina, competere ius docendi et regendi ecclesiam suam; leges et statuta de rebus ecclesiasticis condendi; necnon iudicia de causis spiritualibus, ad fideles vel clericos spectantibus, ferendi, salvis tamen quae sacris canonibus et apostolicae sedi debentur reverentia et subiectione.

2. Quod si tanta sit episcoporum dignitas, magna profecto et gravissima sunt etiam ipsorum officia, quae nosmetipsos ultro monemus, praeclaris praedecessorum nostrorum, in ultimo concilio Burdigalensi, verbis: „*Episcopi, pro patribus super terram constituti, iis virtutum ornamentis praefulgeant, ex quibus animas fideles delectent, et Christo regi adducent. . . . Ac meminerint se in medio populi, veluti formam ac vivam legem, ad quam subditi omnes vitae suae motus componant, constitutos esse. Neque existiment se ad propria commoda, ad divitias aut luxum, sed ad labores et sollicitudines, pro Dei gloria, vocatos esse. Cumque reliqui fideles ad religionem et innocentiam facilius inflammentur, si praepositos suos, quae mundi sunt abiicere et coelestia meditari, perspexerint, ea quamprimum a se amoveant quae carnem et mundum sapere cognoscuntur. . . . Episcopi igitur, in toto vitae genere ac tota eorum domo, caveant ne quid appareat quod a sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum prae se ferat.*“[3]

3. Accedunt et haec praecipua specialiaque episcoporum officia:

1. Vigilent scilicet, quasi speculatores in excelso positi super domum Israël, ne fidei depositum, custodiae suae concreditum, erroribus aut haeresibus adulteretur, vel ignorantia depereat aut inane fiat; ne irrepant abusus, depraventur mores; ne clerici suis officiis in aliquo desint; vigilent, ut magis ac magis religio proficiat, cultus divini dignitas augeatur, atque a fidelibus, ea qua par est, diligentia et pietate, sacramenta suscipiantur. Nec unquam ab eorum mente aut corde excidat solemnis illa promissio, qua sese obstrinxerunt, ut pauperibus et peregrinis, omnibusque indigentibus essent, propter nomen Domini, affabiles et misericordes[1].

2. Assidue resideant in suis dioecesibus, iuxta praescriptum[2] sancti concilii Tridentini, „*ut attendere continuo queant suis ovibus, . . . quarum sanguis de eorum manibus est a supremo iudice requirendus; . . . neque obliviscantur non admitti pastoris excusationem, si lupus oves comedit, et pastor nescit.*“[3]

3. Dioecesim suam, per seipsos, aut, cum legitime impediti fuerint, per idoneos visitatores, saltem quoad partem notabilem, si totam nequeant propter eius amplitudinem, quotannis visitare non praetermittant: utque earum visitationum scopus, religionis scilicet propagatio et tutamen, abusuum reformatio, pietatis in cordibus fidelium sinceritas et incrementum, attingatur, omni cura provideant[4]. In omnibus autem iis, quae ad visitationem ac morum correctionem spectant, iis iuribus et potestate utantur, quae habent, etiam tanquam apostolicae sedis delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi et exsequendi, iuxta canonum sanctiones, quae illis ex prudentia sua, pro subditorum emendatione ac dioecesis suae utilitate, necessaria videbuntur[5]. Nunquam autem ab iis recedant, quae pastores admonet eadem sancta synodus, de mansuetudine in corrigendo. Meminerint scilicet, „*se pastores esse, non percussores, atque ita praeesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominentur, sed illos tanquam filios et fratres diligant, elaborentque ut, hortando et monendo, ab illicitis deterreant, ne, ubi deliquerint, debitis eos poenis coercere cogantur. Quos tamen, si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa apostoli eis est observanda praeceptio, ut illos arguant, obsecrent, et increpent in omni bonitate et patientia, cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus charitas quam potestas. Sin autem, ob delicti gravitatem, virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate severitas, adhibenda est, ut sine asperitate disciplina [populis] salutaris ac necessaria conservetur, et qui correcti fuerint emendentur; aut si resipiscere noluerint, caeteri, salubri in eos animadversionis exemplo, a vitiis deterreantur.*“[6] Praesertim invigilent, ut accurate serventur et firma stent quae praecepta sunt; nihil enim magis in auctoritatis ruinam et contemptum vergit, quam quae statuta et decreta fuerunt, passim et impune negligi. Unde necesse est, ut episcopus, quantum debet esse prudens et discretus in praecipiendo, tantum sit vigil et firmus in exigendo quod praecepit. Quodque ad dispensationes attinet, si quae interdum concedendae sint, memor esse debet horumce concilii Tridentini verborum: „*Frequentius legem solvere et . . . petentibus indulgere, nihil aliud est quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. . . . Quod si urgens iustaque ratio et maior quandoque utilitas postulaverit cum aliquibus dispensandum esse, id, causa cognita ac summa maturitate . . . erit praestandum.*“[7]

4. Cum, ex sacris canonibus, evangelii praedicatio sit praecipuum episcoporum munus, ea omnia servare studeant, quae de hac illorum tanti mo-

[1] Conc. Trid., sess. XXIII, *de ordin.*, cap. 4.
[2] S. Ignat. ad Smyrnaeos, c. VIII et IX, apud Cotelerium, *Patres apostol.*, tom. II, p. 36 [*Patr. gr.*, ed. Migne, V, 714 B].

[1] Pontif. Rom.
[2] Sess. VI, *de ref.*, cap. 1; sess. XXIII, *de ref.*, cap. 1.
[3] Conc. Burdigal. anno 1624 [Mansi, *Conc.*, (1902), XXXIV, 1508 A].
[4] Conc. Trid., sess. XXIV, *de ref.*, cap. 3.
[5] Idem, sess. XXI, *de ref.*, cap. 8.
[6] Conc. Trid., sess. XIII, *de ref.*, cap. 1.
[7] Idem, sess. XXV, *de ref.*, cap. 18.

menti obligatione statuerunt et decreverunt concilia A et patres.

5. Meminerint denuum, se teneri nullos nisi dignos eligere ministerii sui cooperatores, et dignioribus semper, seu magis idoneis, curam animarum committere[1].

## Caput IV.

### *De concilio provinciali.*

1. Cum, ut postremi concilii Burdigalensis verbis utamur, *„ab ipsius nascentis ecclesiae exordio, nihil utilius ad propagandam fidem, suavius ad corrigendos excessus, solidius ad populos intra terminos antiquorum continendos, adinventum sit, quam ut, certis temporum intervallis, episcoporum concilia haberentur,“* abhinc et deinceps, prout tulerit temporum opportunitas, quolibet triennio, iuxta concilii Tridentini praescriptum, habebitur et celebrabitur concilium provinciale, in loco et die a metropolitano B declarandis.

2. Non ante promulgabuntur decreta concilii, quam subiiciantur, iuxta praescriptionem summi pontificis Sixti V, in bulla *Immensa aeterni*, sanctae sedi apostolicae, quae si quid in eis mutandum aut corrigendum iudicaverit, id totum, ad illius mentem et placitum, mutabitur et corrigetur. Ea vero decreta, statim ac promulgata fuerint, vim legis habebunt in tota provincia; et si de eorum sensu dubia quaedam suboriri contigerit, ea, non privata cuiusque interpretatione, sed episcopi iudicio solventur, donec proximum habeatur concilium provinciale. Quod si gravius quid aut difficilius interpretandum forte acciderit, illud episcopus deferet ad metropolitanum, qui, de suffraganeorum consilio, statuet quid agendum.

## Caput V.

### *De synodo dioecesana.*

1. Quamvis dioecesanarum synodorum, quae, praeteritis temporibus, nostris in Galliis vix celebrari potuerunt, salutarem institutionem, quo meliori potuimus modo, suppleverimus, curaverimusque, quantum in nobis fuit, ut nihil deesset bono ecclesiarum nostrarum regimini; tamen, sancto concilio Tridentino obtemperantes[2], synodum dioecesanam deinceps quotannis celebrari intendimus, nisi gravi de causa aliter episcopo videatur.

2. Ad synodum vocabuntur qui de iure vel consuetudine venire tenentur. Quod tamen ad parochos attinet, cum, prae dioeceseon amplitudine, omnes simul, aut eorum pars maxima, a parochiis abesse nequeant, quin spiritualibus fidelium indigentiis auxilia necessaria desint, nonnisi partim vocabuntur singulis annis; sed ita tamen, ut omnes successive vocentur et veniant.

3. In sessionibus synodi, promulgabuntur constitutiones apostolicae et decreta concilii provincialis, si quae sint nondum promulgata; et praeterea, episcopus, modo per monita insinuabit, modo, si opus fuerit, per decreta statuet, quid arcendo malo et promovendo bono satius duxerit, servatis a iure praescriptis.

4. Opportunum autem duxerunt huius synodi patres, ad presbyterorum memoriam hic revocare definitionem illam summi pontificis Pii VI, in bulla *Auctorem fidei*, qua *„doctrina quae statuit reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam, in synodis dioecesanis, ab episcopo et parochis aequaliter pendere ac stabiliri debere, ac sine libertate decisionis, indebitam fore subiectionem suggestionibus et iussionibus episcoporum, declaratur falsa, temeraria, episcopalis auctoritatis laesiva, regiminis hierarchici subversiva, favens haeresi Arianae a Calvino renovatae“*[1].

## Caput VI.

### *De foro episcopali seu de officialitate.*

1. Episcopus, proprio iure, solus ecclesiasticarum causarum iudex est, potestque iudicandi munus exercere, sive per se, sive per officialem, cui, assessoribus adiunctis, facultatem iudicandi deleget: ita tamen ut eam a se non ideo auferat, sed possit semper quas voluerit causas sibi reservare.

2. Optandum quidem esset, ut antiqua iudiciorum ecclesiasticorum forma etiam nunc integra observari posset; id vero non fert praesens temporum et legum civilium ratio.

Cum enim typis mandare, et in vulgum spargere B quae libuerit, unicuique liceat, multique scriptores, diariorum praesertim, religioni et ecclesiae ministris sint infensi, causae ecclesiasticae, si publice et cum forensi strepitu discuterentur, in contemptum et odium ordinis ac ministerii nostri plerumque traducerentur.

Neminem praeterea latet destitui nunc episcopos subsidio illo civilis potestatis, quo valebant olim testes accersere, et ad declarandum ea de quibus interrogarentur, cogere; ac proinde, nullos hodie, nisi volentes, ad forum ecclesiasticum se sistere.

Quapropter, ut et incommoda ista vitari possint, et canonicae sanctiones, quoad fieri potest, observentur, statuendum ducimus in unaquaque provinciae dioecesi, aut instituendam esse officialitatem, aut institutam antea, servandam: ita tamen, ut ad illam eae tantum deferantur causae, quas episcopus, re mature perpensa, duxerit sine incommodo ita C iudicari posse.

Ab ista dioecesana officialitate, non ad episcopum, sed ad metropolitanam officialitatem appellare licebit, salvis iuribus sanctae sedis super appellationibus. Quae quidem appellatio erit suspensiva, exceptis casibus a iure definitis[2].

## Caput VII.

### *De vicariis generalibus episcopi.*

Quae de vicariis generalibus episcopi sanxerunt nuperrime Suessionensis concilii patres, haec et nos statuenda ducimus:

*„Vicarii generales, qui munus exercent archidiaconorum, quorum nomine insigniti sunt, apud nos habentur ut primae dignitates cathedralis ecclesiae. Ipsi, in choro et extra, post episcopum immediate veniunt, sicut mos apud Galliarum ecclesias, a concordato anni 1801, universe invaluit. Non sunt titulo* D *canonici, nec fruuntur canonicorum iuribus; neque ipsis incumbunt canonicorum munia, nisi desumpti fuerint e capitulo, suumque canonicatum servaverint.“*

## Caput VIII.

### *De canonicis.*

1. Canonicorum ecclesiarum cathedralium coetus a sacris canonibus vocatur ecclesiae senatus, et praecedentia gaudet super caeteros presbyteros, quibus proinde oportet ut doctrina, pietate et morum integritate canonici praeluceant.

2. Inter canonicos, primum locum obtinet decanus, canonicus nempe qui ab episcopo ad decanatum promotus fuerit. Praeter istam dignitatem, de iure instituenda sunt, in quolibet capitulo, officia theologi et poenitentiarii.

[1] Conc. Trid., sess. XXIV, de ref., cap. 18.
[2] Sess. XXIV, de ref., cap. 2.

[1] Prop. IX.
[2] Bened. XIV, constit. *Ad militantis*, die 30 martii 1742.

3. De iis omnibus quae ad capitularium conventuum convocationem, deliberationem, praesidentiam et acta, necnon ad totam ipsius capituli disciplinam spectant, per statuta, a singulis capitulis conficienda, et ab unoquoque episcopo approbanda, providebitur.

4. Inter iura capituli, duo eminent: debet scilicet convocari ad concilium provinciale, cui per deputatos assistere potest; et, sede vacante, ad ipsum solum pertinet dioecesis administrationi providere, per electionem aut confirmationem intra statutum tempus faciendam idonei vicarii generalis capitularis, aut etiam plurium, ubi, ut in Galliis, id exigit dioeceseon amplitudo.

5. Sicut sunt sua capitulo iura, ita et officia. Ad residentiam in primis tenentur canonici; et nunquam abesse possunt ultra tres menses quolibet anno, nec quidem ad id temporis, si longius servitium requirat ecclesiae cuiuslibet constitutio[1]. Caveant autem ne forte, pluribus simul absentibus, deseratur chorus, nec iam digne peragi possit divinum officium, quod nunquam licet intermittere. Caveant etiam ne sint absentes temporibus aut festivitatibus a iure exceptis.

6. Debent praeterea omnes canonici divina per seipsos obire officia, ac in primis missae conventuali quotidie interesse; quae missa, singulis diebus, pro universis fundatoribus et benefactoribus ecclesiae cathedralis et capituli celebranda est, nisi legitima interveniat dispensatio.

Optat etiam synodus, necrologium, tam priscorum quam recentiorum benefactorum ecclesiae, in officio capituli, ad primam recitari, ita ut, deficientibus, propter vicissitudines temporum, caeteris missarum aut precum servitiis, aliqua *„tamen eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui, pro suarum animarum salute, legata ad pios usus reliquerunt“*[2].

Tenentur item canonici singulas officii sacri horas quotidie in choro decantare, salva etiam dispensatione legitima; episcopo celebranti, aliave pontificalia exercenti, inservire; sacris ordinationibus, in ecclesia cathedrali, ad hoc vocati, interesse; aliaque munia in iure statuta adimplere.

Choro praesentes esse de iure censentur illi duo canonici quorum opera indigeret episcopus, in his quae ad religionem pertinent.

7. Non ultra modum augeri debet numerus canonicorum *ad honores;* et eo titulo debent praecipue capitulo aggregari, qui choro interesse possint, et ecclesiae cathedrali inservire.

## Caput IX.

### *De archipresbyteris et decanis.*

1. Ne ulla ex parte titubet ecclesiastica disciplina, volumus ut, in singulis primariis districtibus, unus aut plures titulo archipresbyteri decorentur, qui, iugi circumspectione, in quo deficiat bonum parochiarum regimen, vel quid ad religionis prosperitatem et incrementum fieri immutarive oporteat, notare teneantur, ac bis saltem in anno, scripta relatione, episcopo renuntient.

Archipresbyteri praecedentia gaudebunt super decanos caeterosque presbyteros, praeter vicarios generales et canonicos.

2. In singulis item uniuscuiusque dioeceseos secundariis districtibus, decanos instituti volumus, quorum unicuique in mandatis erit: abusus, dissidia, scandala, et alia id genus, quae religioni detrimento essent, in sui districtus parochiis, observare; parochos, nisi episcopus alii curam hanc demandaverit, in parochiarum suarum possessionem mittere; ipsos ad collationes ecclesiasticas convocare; eisdem sacra olea, die praefixa, solemniter distribuere, et mandata episcopalia transmittere; aegrotantibus sacramenta ministrare aut ministranda curare; ac demum, defunctorum exsequiis praeesse aut providere.

De omnibus quae supra, et ipsi, bis saltem in anno, ad episcopum referent.

3. Archipresbyteri et decani nullam, nisi in propriae quisque parochiae fideles, iurisdictionem habent; et facultates ipsis, quatenus sunt archipresbyteri vel decani, collatae, possunt vel extendi, vel restringi, vel omnino auferri, ad nutum episcopi.

## Caput X.

### *De parochis.*

1. Ab anno 1801, existit in Galliis duplex parochorum classis: alii nempe sunt vere titulares, seu inamovibiles; aliis autem confertur iurisdictio, quae, quanquam ordinaria sit, ad nutum tamen episcopi revocari potest. Cum autem summi pontifices non semel declaraverint, *„nullam immutationem in hoc disciplinae puncto esse faciendam, donec aliter a sancta sede apostolica statutum fuerit,“*[1] synodus improbat et damnat eos omnes, qui, auctoritate episcoporum contempta, instabilem istam plurimum parochorum conditionem, quasi iuris communis eversivam, sacrisque canonibus prorsus contrariam, reprehendere non dubitarent. Imo, synodus hanc disciplinam hisce nostrorum temporum angustiis et necessitatibus omnino congruam esse existimat. Quamdiu autem sancta sedes, ad quam de his statuere pertinet, praesentem rerum statum non immutaverit, patribus concilii destinatum ac firmum propositum in animo est, nonnisi raro, prudenter ac paterne, uti facultate parochos revocandi vel transferendi, adeo ut, quantum fieri potest, sua sacro ministerio non desit optanda stabilitas.

2. Parochi, tum amovibiles, tum inamovibiles, meminerint se, vi muneris sui, sub gravi teneri ad residendum personaliter et assidue in sua parochia, nec posse abesse, nisi obtenta prius episcopi licentia, quando intra tempus absentiae occurrit dies dominica; aut saltem, nisi praemonito episcopo, si causa ita urgeat, ut non possit licentia expectari. Quoties vero abfuerint, diligenter provideant se ita ab alio suppleri, ut, ex eorum absentia, quantumvis brevi, nullum parochiani, praesertim infirmi, patiantur detrimentum.

3. Cum autem ideo in primis residere debeant, ut mysteria Dei dispensent, et ministerio verbi sint instantes, meminerint se ex officio et strictissime teneri opus evangelistarum facere, parvulos et ignaros catechisare, sacramenta administrare, decorem domus Dei diligere. Pro omnibus assidue orent; eorum qui pie volunt vivere in Christo Iesu, devotionem fovere, dirigere ac augere studeant: aegrotos et infirmos sollicitudine praecipua ac peculiari affectu prosequantur, saepe visitent, edoceant saluti necessaria, et sacramentorum gratia piisque consiliis sedulo muniant.

4. Parochi pauperibus sollicite ac studiose patrocinentur, omnibusque corporali vel spirituali ope indigentibus: sint eis quasi patres; unicuique enim parocho competit versiculus psalmistae: *„Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adiutor.“*[2] Iis, pro viribus, ipsi opitulentur, memores horum Tobiae verborum: *„Si multum tibi fuerit, abundanter tri-*

[1] Conc. Trid., sess. XXIV, *de ref.*, cap. 12.
[2] Conc. Trid., sess. XXV, *de ref.*, cap. 4.

[1] Responsio Gregorii XVI ad episcop. Leod., 1 maii 1845.
[2] Ps. X (secundum hebr.), 14.

*bue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude."*[1] Cumque omnibus sublevandis necessitatibus pares esse nequeant, implorent divitum erogationes, et ament dici et esse advocati pauperum. Afflictis demum quibuscumque omni modo subveniant, felicesque se existiment, quoties vel unum ex iis qui laborant et onerati sunt sublevare potuerint.

5. Quia vero, ut ait Christus, bonus pastor cognoscit oves suas et vocat eas nominatim, ideo, singulas paroeciae suae familias, certis temporibus, visitare parochi non omittant. In his autem visitationibus, comites secum habeant gravitatem, modestiam, charitatem, quae benigna est; caute ac prudenter inquirant de pueris et famulis, de pauperibus et infirmis, de omnium moribus, de scandalis et peccati occasionibus; necnon ad meliorem frugem, omni qua possunt industria, hortari satagant eos qui ecclesiam non frequentant, aut ad sacramenta non accedunt.

6. Inter innumeras ministerii sacri difficultates, nunquam animo concidant, sed, cultores navi in vinea Domini, hoc assiduo labore assequi contendant, ut radix quaelibet amaritudinis ex agro sibi commisso paulatim evellatur, sperentque in Domino aliquando tandem fore ut, sublato omni semine vitiorum, convalescat seges laeta virtutum, et de profectu gregis glorietur cura pastoris. Ad id plurimum conducet charitas quae aedificat, et in qua, prae caeteris, radicati et fundati esse debent ministri Christi. Sint ergo parochi patres, non domini; suos omnes parochianos sincero affectu amplectantur et diligant; ut filios charissimos moneant; infirmos in fide benigne suscipiant; fiantque singuli quasi nutrix fovens filios suos. Nunquam aspere aut duriter imperent: „*Tolluntur* enim mala, ait sanctus Augustinus, *magis docendo quam iubendo, magis monendo quam minando. . . . Et si quid minamur, cum dolore fiat, de scripturis comminando vindictam futurorum, ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur.*"[2] Nemini dent ullam offensionem; sed, uti apostolus, per omnia omnibus placere studeant, non quaerentes quod sibi utile est, sed quod multis. Ne meliora quidem, praecipiti aut praepostero zelo, sectentur; nec receptos usus mutare, aut inveteratos corrigere abusus, nisi cum maxima cautela, et consulto episcopo, aggrediantur.

7. Nulli unquam sacerdoti alienae dioecesis licentiam sacrum faciendi, verbum divinum praedicandi, aut sacramenta ministrandi, concedant, nisi certo constet eum esse a suo ordinario approbatum. Quod si vero aliquamdiu in quavis paroecia commoraturus sit extraneus quilibet sacerdos, a secretariatu episcopali scriptam facultatem impetret, qua, quid sibi in sacris liceat agere, determinetur.

8. Demum, cum plurimum intersit perpetuo conservari et in promptu haberi, in singulis parochiis, mandata litterasque pastorales episcoporum, et relationes eorum quae ab ipsis, in suis visitationibus, acta aut decreta fuerint; testimonia authentica reliquiarum et indulgentiarum; inventaria et documenta quae pertinent ad ecclesiae bona, reditus, iura, atque etiam obligationes et onera, si quae sint: horum omnium indicem seu repertorium, in unaquaque paroecia describi volumus, eademque omnia reponi in archivio, seu convenienti armariolo, sera et clavi munito. Optamus insuper, ut a singulis liber historicus conficiatur, in quo nempe quae memoranda, quolibet anno, in sua paroecia contigerint, quisque referat, et ea etiam consignet, quae ad ampliorem praeteritorum temporum notitiam conducere valeant. Iste autem liber in archivio paroeciae remanebit.

Ubi vero parochus defunctus fuerit, curabit districti decanus, vel, eius defectu, parochus antiquior, huius libri et caeterorum, quos supra diximus, codicum inventarium conscribere, et ad episcopum mittere.

9. Ut a clero arceatur quidquid vel eius decori detrahere posset, vel presbyteros a cura spiritualium amovere, prohibemus ne ullus rector animarum aliena praedia conducat aut administret, vel fideiussione sese obliget. Quod autem spectat ad fundorum acquisitiones in propria parochia comparandas, presbyter quilibet sibi standum intelligat iis quae praescribuntur in statutis cuiusque dioeceseos.

## Caput XI.

### *De vicariis parochorum; de capellanis et presbyteris habituatis.*

1. Meminerint vicarii se, prout nomen ipsum sonat, ideo missos esse ut suppleant vices parochorum, quasi adiutores, quibus illi praeficiuntur, quosque in partem ministerii sui, maxime ad praedicandum verbum divinum sacramentaque administranda, adhibent. Unde, debet vicarius quisque cum reverentia et subiectione erga proprium parochum se gerere, neque, ipso inconsulto, abesse, aut, eo invito, quidquam muneris obire, nisi, ob graves causas, aliter ab episcopo statutum fuerit. Uniformem cum parochis agendi rationem vicarii teneant, caveantque quam maxime ne, factis aut verbis, ex fidelium existimatione ipsis quidquam detrahant; sed eos econtra, semper honorent ac revereantur coram populo, eosque gravatos, ut saepe contingit, senio vel infirmitatibus, obsequentiori studio adiuvent et consolentur.

2. Interea, parochos obsecramus, ut quos in adiutorium ministerii habuerint, fraterna benignitate suscipiant, memores se illius ministros esse, qui quos aliis praefecit, voluit esse subditorum patres, non dominos; exemplis et monitis inexpertos dirigant; a periculis removeant; ad pietatem, virtutes, ministeriumque rite implendum diligenter informent: ad quae omnia multum proderit, si eodem tecto, eadem mensa, et indivisa demum vitae societate, parochus et vicarii utantur.

3. Cum autem omnibus paroeciarum necessitatibus saepe non sufficiant parochi et vicarii simul, instituuntur ab episcopis capellani, qui, sive monasteriorum, sive scholarum utriusque sexus, sive infirmorum et aegrotantium in xenodochiis, sive detentorum in carceribus, sive aliarum quarumlibet communitatum, specialem curam habeant. Capellanorum iura et facultates ab episcopo, pro sua prudentia, determinantur; sed quaecumque illa sint, capellani velut sibi dicta et praescripta ea omnia adimpleant, pro suo quisque munere, quae concilium de pastorali sollicitudine sancivit.

4. Praeter capellanos, existunt aliquando in parochiis sacerdotes, ab omni officio cui animarum cura annexa sit liberi, qui vulgo dicuntur *habituati*. Hi missam celebrent hora, pro fidelium utilitate, a parochis designata; officiis publicis, diebus dominicis et festivis, devote, in habitu chori, intersint; parocho, in hisce officiis celebrandis aliisque muniis sacerdotalibus, libenter adiumento sint, et, abiecta otiositate, quae fidelibus scandalum, sibique nocumentum maximum afferret, tempus suum utiliter impendant.

[1] Tob. IV, 9.
[2] Epist. XXII [n. 5, opp. s. Aug., ed. Bened. II, 28 F].

## Caput XII.

### *De presbyterorum et clericorum generatim moribus et conversatione.*

1. „*Monebunt episcopi suos clericos, in quocumque ordine fuerint, ut conversatione, sermone et scientia, commisso sibi [Dei] populo praesunt; memores eius quod scriptum est: ‚Sancti estote, quia et ego sanctus sum;‘ et, iuxta apostoli vocem, nemini dent ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium eorum; sed in omnibus exhibeant se sicut ministros Dei, ne illud prophetae dictum impleatur in eis:* ‚Sacerdotes Dei contaminant sancta et reprobant legem‘[1] .... *Nihil est quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos, tanquam in speculum, reliqui oculos coniiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur. Quapropter, sic decet* B *omnino clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nihil nisi grave, moderatum ac religione plenum, prae se ferant: levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem*[2]."

2. Habitu talari nigri coloris semper utantur in loco domicilii, et, si uti veste contractiori, quod raro expedit, contingat iter facientibus, vestis haec sit semper saltem coloris subnigri et simplex. Tonsuram ordini congruentem iugiter deferant, nec capillos more mundano nutriant aut tondeant. In omni eorum habitu clericali, nec affectata cultus et elegantiae diligentia, nec sordes et nimis abiecta incuria appareant[3].

3. Castitatem, tanquam proprium et praecipuum clericorum ornamentum, omni cura servare studeant, et ab omni suspicione famam suam integram libe- C ramque custodiant[4]. Nullas mulieres secum sub eodem tecto degere permittant, praeter illas quae in statutis dioecesanis excipiuntur; nec suas quidem sorores, nisi consulto, et neptes, nisi approbante episcopo, secum habitaturas admittant. Caveant demum ab omni consortio cum mulieribus de quibus sinistra suspicio haberi possit, ita ut mundus, qui in maligno totus est positus, nihil habeat malum dicere de nobis.

4. Religiose ab omnibus serventur, quae clericis praecipiunt canones statutaque dioecesana, de ludo, venatione, nuptiarum conviviis, spectaculis profanis, aditu ad tabernas; nec lusibus etiam licitis indulgeant, nisi moderate et sublata omni cupiditate lucrandi. A tabaco fumifico, quod apud nos virum ecclesiasticum non decet, abstineant. Ita sint ab omni luxu alieni, ut in omni eorum supellectili, in mensa et tota conversatione, appareant apostolica D simplicitas et eximia modestia.

5. Charitatem vero mutuam ita sollicite foveant, ut inter se invicem vinculo dilectionis coniuncti, sicut membra corporis eiusdem, multo magis adhuc cum episcopo cui subsunt, sicut membra capiti, coniuncti sint, triplici scilicet vinculo reverentiae, obedientiae et dilectionis; sint demum omnes cor unum et anima una, et quod de primis christianis, idem de iis dici possit: Videte quomodo se diligant! Clero, tot odiis et insectationibus obnoxio, non est alia salus, quam ista omnium inter se, et in primis cum episcopo intima coniunctio, iuxta haec scripturae verba: „*Frater qui adiuvatur a* A *fratre, quasi civitas firma.*"[1] Omnes igitur clerici, cuiuscumque ordinis, sint inter se unanimes, idipsum sentientes, fraternitatis amatores, honore invicem praevenientes; „*nihil per contentionem neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes; non quae sua sunt singuli considerantes, sed ea quae aliorum.*"[2]

Et si quis eorum morbo aut infirmitate aliqua detineatur, frequenter eum et fraterna charitate invisant ii qui in vicinia sunt; omni quo poterunt modo consolentur et pie adiuvent; moneantque ut, prout opus erit, sacramentis reficiatur.

6. Mutuae huic charitati par esse debet obedientia: „*vir* enim *obediens loquetur victoriam.*"[3] Omnes mandata episcopalia, ea qua par est reverentia filialique obsequio, suscipiant ac exsequantur; in dubiis difficilioribusque casibus, ab episcopo regulam agendi requirant: nec ullus ab hoc officio se B exemptum putet; eo enim magis decet quemque episcopo adhaerere et obedire, quo in sublimiori loco et gradu fuerit constitutus. Abstineant proinde clerici quilibet ab omni censoria reprehensione in disciplinam seu praescripta ordinarii, et meditentur haec Gregorii XVI verba: „*Nefas esset, atque ab eo venerationis studio prorsus alienum, quo ecclesiae leges sunt excipiendae, sancitam ab ipsa disciplinam, qua et sacrorum procuratio, et morum norma, et iurium ecclesiae ministrorumque eius ratio continetur, vesana opinandi libidine improbari, vel ut certis iuris naturae principiis infestam notari, vel mancam dici atque imperfectam.*"[4]

7. A mundo, quoad fieri potest, omnes clerici se separent, piis exercitiis, scientiae sacrae, praeparandis concionibus et catechismis, in secessu operam dantes. Cum enim omne, quod est in mundo, sit concupiscentia carnis, et concupiscentia oculo- C rum et superbia vitae, familiaritatem cum eis, qui terrena sapiunt, inire non possent, quin amisso spiritu qui ex Deo est, spiritu mundi misere inficerentur. Intra ministerii sui fines se contineant. Ab omni medicinae aut chirurgiae exercitio abstineant. Negotiis saecularibus aut rerum temporalium curis non se implicent; alioquin, suae sacro ministerio auferentur tum libertas, tum efficacia. Suae domui sint bene praepositi; aere alieno non se gravent; et confecto etiam mature, atque ut sacerdotem decet, testamento, rerum suarum congruo ac pio usui provideant.

Civilibus aut politicis partibus ac dissidiis non se immisceant, seu palam adhaerere profiteantur: cum enim hominibus cuiuscumque partis debitores sint, nemini dare debent offensionem, nullius odium in se suscitare; bene vero corda omnium sibi devincire; ac proinde dicta, scripta actusque suos ita D componere, ut nihil aliud eos his in terris ambire manifestum sit, quam ut omnes salvi fiant.

## Caput XIII.

### *De presbyteris infirmis aut senio confectis.*

Presbyteros, quos adhuc iuvenes praematura detinet infirmitas, vel qui, senio confecti, bonum certamen strenue certarunt, anxia prosequimur sollicitudine, et necessitatibus eorum providere in votis primis habemus. Pluribus in dioecesibus, ut illis succurratur, instituta sunt aeraria, vulgo *caisses de retraite:* ea omnino approbamus, et, sicubi desint, ut instituantur, commendamus.

Cum insuper liceat, etiam per legem civilem, ut utilissima haec aeraria augeantur, addita sexta parte

[1] Conc. Trid., sess. XIV, procem., de ref.
[2] Conc. Trid., sess. XXII, de ref., cap. 1.
[3] Conc. Burdig. anno 1583, tit. XXI. [Mansi, Conc., (1902), XXXIV, 771 D.]
[4] Conc. Burdig. anno 1583, tit. XXI. [Mansi, l. c., 773 C.]

[1] Prov. XVIII, 19.
[2] Philipp. II, 3-4.
[3] Prov. XXI, 28.
[4] Constit. Mirari, die 15 augusti 1832.

reditunm quos ex locatione sedilium percipiunt ec- A clesiarum fabricae, non possumus non suffragari episcopo qui, pro necessitatum sublevandarum ratione, hoc medio uteretur.

Nihil demum omitti volumus, ut venerandis hisce fratribus praesto sint omnia necessaria aut utilia, adeo ut, tranquillo ac sedato animo, ultimos vitae suae ducant dies, sintque cuiuslibet temporalis sollicitudinis expertes.

### Caput XIV.

*De exercitiis secessus ecclesiastici.*

Salutaris omnino est consuetudo, quae in hac provincia viget, convocandi, singulis annis, presbyteros in sacrum secessum, ut ibi, per aliquot dies, piis vacent exercitiis. Synodus decernit hunc usum pie ac fideliter esse servandum. Quem ut ea auctoritate commendemus qua maior nulla est, non abs re ducimus haec memoranda verba, quae, paucis B abhinc annis, ad omnes episcopos direxit summus pontifex Pius IX, referre: „*Cum vobis compertum sit ad ecclesiastici ordinis dignitatem et sanctimoniam retinendam et conservandam, pium spiritualium exercitiorum institutum vel maxime conducere; pro episcopali vestro zelo, tam salutare opus urgere, omnesque in sortem Domini vocatos monere, hortari, ne intermittatis, ut saepe in opportunum aliquem locum, iisdem peragendis exercitiis, secedant, quo, exterioribus curis sepositis, ac vehementiori studio aeternarum divinarumque rerum meditationi vacantes, et contractas de mundano pulvere sordes detergere, et ecclesiasticum spiritum renovare possint, atque exspoliantes veterem hominem cum actibus suis, novum induant, qui creatus est in iustitia et sanctitate.*“[1]

Paternae huic cohortationi obsequentes, comprovinciales episcopi, monitis, aut, si opus sit, iussionibus etiam providebunt, ne ex suis sacerdotibus C quiquam, pluribus annis continuis, ad sacrum secessum convenire negligant, neve piis eius exercitiis, cum vocati aderunt, perfunctorie intersint.

## TITULUS V.

**De seminariis et studiis ecclesiasticis.**

### Caput I.

*De seminariis in genere, et de eorum moderatoribus.*

1. Patres concilii Burdigalensis nihil sibi antiquius esse profitentur, quam pium et sanctum seminariorum institutum (in quo scilicet continetur ordinis sacerdotalis decus, sacri ministerii auctoritas, populorum salus, religionisque propagatio et tutamen), servare et colere, imo pro viribus augere et amplificare. Quales namque sunt ordinandi, tales esse solent ordinati; quales in seminario alumni, tales in ministerio presbyteri. Ad pietatem et D scientiam non rite informati, fiunt in domo Dei lapis offensionis et petra scandali; rite autem instituti et optima disciplina instructi, sollicite curabunt seipsos probabiles exhibere Deo, operarios inconfusibiles, quorum scilicet, ut ait noster Hilarius, „*ornetur vita docendo, et doctrina vivendo.*“[2]

2. Quoniam ad provehenda in melius studia cleri, multum refert ut cuilibet rei conveniens detur tempus et locus, et sic tutius iter et brevius alumnis paretur; statuimus rationem studiorum in seminariis ita ab episcopis esse definiendam, ut sua cuique anno adscribatur materia. Ea autem sit ubique studiorum ratio ac methodus, ut non nimis multa, sed ea duntaxat quae vere sint clericis utilia, ipsis addiscenda proponantur. Neque enim interest ut multa scire videantur et glorientur, sed ut quae sciverint, sciant multum et apprime calleant.

3. Verum parum est recte studia ordinari, nisi tota alumnorum vita sic normae cuidam subdita sit, ut nulla diei hora, quid sibi ad virtutis et scientiae profectum agendum sit, dubitare possint. Idcirco regulae pro seminariis sapientissimae constitutae fuerunt, quae, ut ab omnibus observentur, sedulo invigilandum est.

4. Ad bonum autem seminarii regimen multum conferet cura episcopi, quam, iuxta canonicas sanctiones, per inspectionem et visitationem exercere sollicitus erit.

5. Quoniam haec tanta res, informandorum a pueritia ad iuventutem clericorum, magistros non vulgaris meriti expostulat, cautissima prudentia seligantur viri quibus hoc opus committendum erit.

Porro scientia debent esse praestantes, ut quidquid docent apprime teneant, nec sint omnino rudes caeterarum rerum, quae in domo ubi degunt, addiscuntur. Ut autem non desint huiusmodi praeceptores, omni ope enitemur, ut saltem plurimi iuvenes, ingenio et mente egregii, se totos, aliquot annis, studio dedant, gradum licentiae, in litteris vel scientiis, in theologia vel iure canonico, obtenturi.

Iamvero, ut munus moderandi seminarium illi, quibus id officii commissum est, rite impleant, zelo, vigilantia, sapientia praediti sint oportet; fortem animum ad tuendam disciplinam, suavitati ac mansuetudini regiminis consocient. Gaudeant cum discipulis perpetuo versari; omnes aequali charitate prosequantur; dumque alumnorum bono sunt intenti, famulorum interea curam spiritualem non negligant.

Virtute demum ac pietate praefulgentes, cunctis sint forma vivendi. Clericos ad regularum observantiam exemplis incitent; orationis, studii, vitae operosae, solitudinis et silentii, modestiae et simplicitatis in vestitu et supellectili decentia, uno tandem verbo, omnium virtutum ecclesiasticarum seipsos exemplar praebeant.

6. Etsi talibus viris nihil opus est alia mercede ad operosum illud munus, quam certa spe coelestium praemiorum, necnon intuitu immensae propemodum utilitatis quam in rem christianam conferunt, episcoporum tamen erit, magistros tam bene de ecclesia meritos, omni quo poterunt modo, cohonestare, necnon providere, ut, praesertim post longos labores, vitam ducere possint ab omni temporali sollicitudine liberam. Verum longe optabilius foret, ex omnibus magistris unam coalescere societatem, in qua nempe omnes, pia quadam fraternitate devincti, sese mutuo firmarent exemplo, consiliis iuvarent et precibus; in qua demum, necessitatibus uniuscuiusque omnes, simul conflato communi aerario, consulerent.

7. Ut propositos sibi fines magistri assequantur, imprimis debent discipulos variis incitamentis provocare, ad strenue constanterque laborandum, ac studia indefesso zelo ad summum usque prosequenda. Superior igitur et caeteri magistri, pluries per annum, alumnos omnes de rebus ab episcopo antea definitis districte interrogent, de labore et progressu cuiusque attente inquirentes; et si quis, anno scholari exeunte, non satisfecisse iudicatus fuerit, per sequentem annum in eadem classe, pro arbitrio superioris, remaneat, vel ab ordinatione proxime futura excludatur. Quoad eos qui satisfecerint, notae, meritum cuiuslibet examinis indigitantes, deferantur episcopo, qui, ex iis, quid de unoquoque sentiendum sit discernat in praesenti,

[1] Encycl. *Qui pluribus*, die 9 [*Collectio Lacensis*: 9] novembris 1846.

[2] Hilar., *De Trinit.*, lib. VIII, n. 1 [opp., ed. Veron., 1730, II, 213 C].

et postea, in dispensatione muniorum ecclesiastico- A rum, rationem uniuscuiusque meritorum habeat.

8. Circa temporalia seminariorum, haec duo potissimum stricte observanda praecipimus: primum quidem, superiorem ab oeconomo, singulis mensibus, exacturum esse accuratas sive rerum, sive pecuniarum rationes, quas ipse deinde, tertio quoque mense, episcopo fideliter referet: alterum vero, nullum opus aut negotium quidquam gravioris sumptus, nisi consulto prius atque approbante episcopo esse aggrediendum.

## Caput II.

### *De seminariis minoribus, et studiis quae congruunt huiusmodi institutis.*

1. Sancta synodus Tridentina statuit ut, in collegio (seu seminario), ad hoc prope ecclesias (cathedrales), vel in alio loco convenienti ab episcopo eligendo, alerentur ac religiose educarentur, B et ecclesiasticis disciplinis instituerentur pueri, quorum indoles et voluntas spem afferret eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros [1]. Seligantur ideo, ut plurimum a parochis, pueri felicis ingenii, ad pietatem et scientiam idonei, parentibus orti probis ac piis, quorum, vel in ipsa paupertate, christiana nobilitas sit religionis successione venerabilis [2]. Hi autem pueri, vel ab ipsis parochis, vel in scholis elementaribus praeparati, et hoc primo tyrocinio atque examine probati, in seminarium deducantur.

2. Porro, ab ipso seminariorum limine, sciant in talibus institutis, Dei amorem esse debere totius agendi rationis principium, ita ut cura disciplinae dilectio sit, et dilectio custodia legum [3].

Ad pietatem fovendam atque augendam, accurate serventur regulae in singulis dioecesibus ab episcopis sapienter institutae.

Urbanitatis leges addiscant pueri, et ad quamdam morum elegantiam informentur: neminem alloquantur in singulari numero, exceptis forsan, sed solis, consanguineis; sicque mutuae sacerdotum reverentiae iam in pueris consulatur.

Si qui vero reperiantur quorum conversatio alumnis ecclesiasticis nocitura sit, prudenter e re nata inducantur ut alio studiorum suorum cursum perfectum eant.

3. Prae caeteris autem scientiis, religionem magistri discipulos edoceant sedulo, semel saltem in hebdomada. Satagant primum, iunioribus catechismi litteram et sensum diligenter tradere, provectiores vero aetate et studiis, per penitiorem de fidei fundamentis explicationem, contra grassantium errorum pericula confirmare, et de ecclesiae fide ac sacramentis, de moribus et cultu divino, catechismi Tridentini doctrinam ipsis aperire.

4. Cum autem linguarum deinde studium sit praecipuum, et ordinis sacerdotalis decori plurimum noceant menda in dicendo vel scribendo, magistri attente et assidue instabunt, ut linguam vernaculam, diligenti et clara omnium eius legum explanatione, omnino notam perspectamque alumni habeant, a recte legendi et pronuntiandi regulis, sicut et ab orthographiae legibus nunquam deflectant, pureque et emendate semper dicant et scribant. Linguae igitur maternae perficiendae semper intenti, nullum sermonis vitium praetermittant quin reprehendant, et in decertationibus litterariis veluti mendum notent.

Scientiam linguae graecae, si fieri possit, eo addiscant, ut alumni eam intelligant legentes; linguam vero latinam, utpote ecclesiae et scientiis sacris propriam, longe diligentius colant, adeo ut alumni, hoc idiomate, non solum iuxta regulas et cum aliqua facilitate, scribere aut eloqui valeant, sed etiam libros latine exaratos libenter legant, iis delectentur, huiusque idiomatis lepores apprehendant et sentiant.

5. Studio linguarum accedet studium historiae tum sacrae tum profanae, simul et geographiae, et hic magistri non in arida tantum et parum proficua factorum innumerorum enarratione se sistent: sed, iis quae minoris sunt momenti omissis, navabunt operam, ut, accurata factorum et hominum aestimatione, alumni ad rectum iudicium informentur, fiant sani rerum existimatores, ac praesertim intelligant quam mirabiliter divina providentia e supernis omnia moderetur.

6. Cantus praesertim ecclesiastici cura diligens habeatur; et quae ex mathesi vel scientiis naturalibus addenda episcopus iudicaverit, summa opera providendum ne praecipuis studiis afferant detrimentum.

7. In crebris exercitationibus ad bene dicendum vel scribendum, potissimum avertentur alumni, tum a genere isto inordinato, quo quis, phantasia abreptus, cunctos veri ac naturae limites transgreditur: tum a segni illo genere, quo quis, laboris ad bene scribendum non patiens, incompta scribit prout se calamo offerunt: sed informentur ad illud dicendi genus semper clarum ac perspicuum, simplex, quin sit demissum, elatum ac sublime, quin turgeat et sit inflatum.

8. Non mere profana sint clericorum studia, sed vocationi ecclesiasticae muniisque futuris, saltem in pluribus, accommodentur: ac proinde, pro- C fanis auctoribus intermisceantur quaedam e sanctis ecclesiae patribus aut scriptoribus, sive latinis, sive graecis, excerpta; ut, comparationibus institutis paganos inter et christianos auctores, intelligi detur quam copiosiori lumine circa Deum et hominem, omnemque disciplinam moralem, revelatio universum orbem irradiaverit.

## Caput III.

### *De seminariis maioribus, de studiorum materia, methodo ac tempore.*

1. Seminarium maius, cum sit novissima schola, qua clerici ad sacerdotale ministerium proxime praeparantur, pietate eximia, aeque ac disciplinis altioribus, ac ferventiori studio inclarescere debet. Quantum pietate in dies alumni proficere teneantur, habemus ex sacrosancta synodo Tridentina, praecipiente scilicet, non solum ut ad presbytera- D tum non admittantur nisi viri ita pietate ac castis moribus conspicui, ut praeclarum bonorum operum exemplum et vitae monita ab eis possint expectari, sed etiam ad subdiaconatum et diaconatum deligantur viri, quorum probata vita senectus sit; imo admittendi ad minores ordines ita de gradu ad gradum ascendant, ut in eis cum aetate vitae meritum et doctrina maior accrescat.

2. Studia maioris seminarii incipient a philosophia, scientiisque mathematicis et physicis, nisi haec seminario minori adiungenda, vel in aliquo speciali instituto peragenda, videantur. Si autem in maiori seminario fiant philosophica studia, cum theologiae alumnis non misceantur qui philosophiae et rebus a theologia plane diversis dant operam: sed ab ipsis, vel aedibus, vel saltem vivendi regula et piis exercitiis, quando fieri poterit, seiungantur.

3. Haec praecipue commendamus philosophiae magistro: discipulorum mentes severis logicae re-

[1] Sess. 23, *de ref.*, cap. 18.
[2] Ambros., *In Luc.*, lib. I, n. 16, (opp., ed. Migne, II, 1540 B).
[3] Sap. VI, 19.

gulis flectat et assuefaciat: eos quotidie ad disse- A rendum argumentandumque, sermone latino, et iuxta formam quae nuncupatur *scholastica*, exercitet, adeo ut postea res theologicas, non dialectices imperiti, aggrediantur. Aliquando tamen in philosophicis gallico stylo tractandis exerceantur alumni; quod etiam in theologia erit observandum.

4. Scientiarum magistri, in evolvendis demonstrationibus mathematicis, vim ratiocinandi acuant et perficiant; in aliis vero scientiis, physica scilicet et chimia, astronomia, historia naturali etc., iis praecipue attendant, quae admirationi operum Dei, commodo et oblectamento vitae prodesse possunt, nec tamen quidquam omittant eorum quae ignorare virum honeste institutum dedeceret.

5. Dum autem, lumine naturali, Deum in philosophicis investigationibus et scientiis naturalibus inquirunt alumni, non negligant eas scientias, quae ad divinam revelationem referuntur. Itaque, B a perito magistro, bis in hebdomada, aliqua sive de scripturae sacrae prolegomenis, sive de religionis christianae fundamentis edoceantur; et interim ad piam meditationem et orationem iam informentur.

6. Cursum philosophicum sic emensi, theologiam dogmaticam et moralem aggredientur. Antequam autem hos theologiae candidatos in singulares tractatus introducant, ineunte quolibet anno, ipsis totam doctrinae theologicae seriem et summam, paucis praeviis lectionibus, aperiant magistri, et quaedam de locis theologicis breviter disserant; deinde, in singulis tractatibus, quaestiones ad utilitatem minus conferentes commutent cum aliis, ad recentiorum errorum confutationem rectius appositis. His accedent elementa iuris canonici, scripturae sacrae et historiae ecclesiasticae praelectiones, necnon exercitationes et documenta eloquentiae sacrae. In cantu ecclesiastico et praxi caeremoniarum cle- C rici diligenter exerceantur; rituum sacrorum explicatio historica et mystica ipsis tradatur: archaeologiae christianae elementa delibent; quibus omnibus, ii duntaxat, quorum ingenium praevalens id tulerit, studium linguae hebraicae quasi pro cumulo, adiicient.

Triennio sic expleto, per aliquot menses, quidquid de divinorum mysteriorum celebratione, de animarum regimine, et temporali parochiarum administratione scire sacerdotem necesse est, sacerdotes mox futuri summa cura edocebuntur.

7. In praelectionibus theologicis, magistri curabunt ut alumni linguam latinam semper usitatam habeant, formamque teneant scholasticam, ut facilius ac tutius discant, nec in disputationibus huc et illuc vagentur abrepti. In iure canonico, ea praecipue seligant quae ad praesentem ecclesiae disciplinam spectant, et id sibi in primis proponant, ut D regularum ecclesiasticarum non solum cognitionem, verum etiam observantiam et amorem, animis imprimant, commonstrantes quam veneranda auctoritate, ac quibus maximi momenti rationibus, sanciantur. Magister explanandae scripturae sacrae praefectus, vindicata primum singulorum librorum divina auctoritate, in hoc deinde totus erit, ut patefaciat quidquid in hac ampla segete mens et cor colligere queant, tum fovendae augendaeque pietati, tum fidelibus edocendis ac movendis, tum religioni tuendae ac magnificandae, idoneum. Nec minus ecclesiasticae historiae magister, postquam alumni praefixam lectionem a libro summarium rerum complectente memoriter exposuerint, ea uberrimo historiae promptuario depromere conabitur argumenta, quibus adstruatur dogma catholicum, statuatur ecclesiastica disciplina, historiae veritas contra falsae scientiae mendacia vindicetur ac restituatur, ostendaturque quanta, omnibus saeculis, in humanam societatem ex ecclesiasticis institutis bona defluxerint. Demum, qui praeest arti bene dicendi, non omissis sane eloquentiae principiis, quibus divini verbi praecones digne et congruenter concionentur, sollicitiorem tamen se praebebit de informandis qui sciant elementa fidei nitide ac plane catechizando evolvere, doctrinam catholicam cum perspicuitate et facilitate sermonis exponere, per homiliam explanare evangelium, aut varios populo monitus dare.

8. Magistri, ut in dies melius suo fungantur officio, copiosam doctrinam, opere quotidiano et piis precibus, colligant: in controversiis moralibus, teneant iter medium, neque laxiores, neque rigidiores; in omnibus quae ad apostolicae sedis auctoritatem pertinent, versus centrum unitatis et petram, quam Christus fundamentum posuit, animos impellant, et illi corda, filiali atque observantissima obedientia devinciant. Lucida methodo, elocutione clara, recta concinnitate, et, ubi per rerum naturam licet, forma scholastica utantur. Caveant a nimia dicendi tentatione, unde ita obruuntur discipulorum animi, ut nihil ediscant; sed intra necessaria se contineant attente, non additis utilibus vel congruis, nisi pro ingeniorum ratione. Libris autem ab episcopo approbatis stent, ut plurimum, pauca admodum auctori addenda dictantes: interrogationibus crebris ingenia provocent, et, per propositas quaestiones, solertiores adigant ad versandos scrutandosque auctores. Exercitationes alumnorum inter se fiant aliquando coram superiore et magistris: demum, anno medio et exeunte, habeantur examinationes coram episcopo, vel viris eximiae doctrinae ad id delegatis.

## Caput IV.

### *De examine ordinandorum et iuniorum sacerdotum.*

1. Cum, ex sacrosancta synodo Tridentina, nullus ad ordinationem accedere debeat, quin diligenti examine praecedenti idoneus comprobetur, volumus ut, ante sacras ordinationes, severius examinentur clerici, ne admittatur quicumque scientia congrua non certo polleat.

2. Verum, presbyteratu suscepto, si studium ablegarent ordinati, non solum scientiam semper augendam non augerent, sed acquisitam brevi amitterent; ac legis obliti cuius interpretes sunt, fideliumque caeci duces effecti, animas in perniciem agerent. Quocirca, huic malo occurrere cupientes, cunctos provinciae nostrae presbyteros admonemus et exhortamur vehementer in Domino, ut lectioni et doctrinae attendant, et instent in illis; et adstringimus eos omnes, qui in posterum sacerdotio insignientur, ad subeundum quotannis, per sexennium, coram episcopo aut eius delegatis, examen accuratum de his quaestionibus scripturae sacrae, theologiae tum dogmaticae, tum moralis, iurisve canonici aut historiae ecclesiasticae, quas ordinarius praestituerit; mandantes insuper, ut iidem presbyteri, quando ad examen accedent, duas conciones, a se per decursum anni compositas, scripto tradant. De singulis autem examinatis scribatur iudicium, in secretiori episcopi archivio asservandum.

## Caput V.

### *De collationibus ecclesiasticis.*

Cum experientia constet, plurimum animos ad studium incitari ex collationum ecclesiasticarum usu, nostrique sit muneris omni modo scientiam cleri promovere et augere; cum insuper consensio omnium in doctrina et praxi, mutuaque unio sacer-

dotum, quae exinde consequitur, utilissimos bono A animarum sortiantur effectus; declaramus hanc esse omnino nostram mentem, ut, quantum spiritus et prudentia suggesserint, praecipiant episcopi, in sua quisque dioecesi, presbyteros identidem convenire, ut de rebus ecclesiasticis, ab ordinario prius assignatis, inter se conferant. Deinde tractata et scripta ad ipsum fideliter remittent, caeterasque regulas, quas instituere opportunum iudicaverit, observabunt.

### Caput VI.

*De altioribus studiis theologicis, et de gradibus obtinendis.*

1. „*Tanta est . . . christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas, ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem, maximo otio, summo studio, meliore ingenio, conarer addiscere.*“[1] Quae de litteris christianis scribit Augu- B stinus, nonne potiori iure de scientiis ecclesiasticis dicenda veniunt?

Quoniam porro interest plurimum, aliquot saltem in nostris ecclesiis existere viros, qui earum scientiarum haustus pleniores ebiberint, unde in religionis usum et decus quod impleverint fundant, placuit nobis eam operam, quae ad hanc usque diem, felici sane exitu, informandis per seminaria nostra rectoribus animarum insumpta est, nunc tandem, ubi primum nobis spes aliqua libertatis affulget, ad informandos etiam ecclesiasticos doctores, converti.

Statuimus igitur et decernimus, ut inter clericos cursum elementarem emensos, et in sacris constitutos, unus aut duo ab unoquoque huius provinciae episcopo, quotannis, quantum fieri poterit, seligantur, ingenio et virtute praevalentes; iique ad aliquam facultatem canonice institutam, Romanam C potissimum vel Lovaniensem, mittantur, scientiis sacris operam daturi, et gradus in theologia ac iure canonico obtenturi, donec in aliqua huiusce vel vicinae provinciae civitate, nova facultas fuerit creata et canonice instituta. Haec vero creatio et institutio, ut cito fieri possit, non votis tantum, sed collatis consiliis et subsidiis, favente Deo scientiarum, enitemur. Neque vero scientiis tantum sacris, in tali instituto, locus esset, sed ipsae quoque humanae litterae et scientiae illic colerentur, quantum satis esset ad informandos seminariorum vel collegiorum nostrorum professores. Dum autem doctos eos volumus, absit ut in iis doctrinam solam quaeramus; imo vero pietatis curam praeci[illegible] iam nunc profitemur habendam fore, eamque [illegible]duo studio in futuris nostris doctoribus excolendam, ut iis, scientia perfectis, non inflatis, atque humilitate et charitate, quae ipsos et alios aedificent, D instructis, frui tandem mereamur in Domino.

2. Nec interim volumus eos, qui e sua civitate discedere non possunt, suo quoque ad studium incitamento carere. Quare, exemplo adducti patrum concilii Suessionensis, quorum ipsismet verbis uti pergratum nobis est, nos quoque „*coetum, ex spectatissimis et doctissimis viris constantem, instituendum ducimus, qui, nostra auctoritate fretus, hac in nostra* (Burdigalensi) *provincia, examinatis et dignioribus clericis titulos gradibus aequivalentes, in iure theologico et canonico, pristinarum facultatum more, quotannis conferet. . . . Quicumque igitur theologica studia fuerit emensus, illum penes erit se coram coetu superenunciato sistere, ut baccalaureatus titulum . . . impetret. Idem deinde, tribus annis elapsis, novo maiorique scientia auctus, licentiae titulum . . ., et, si res bene cesserit, duos post annos, doctorales palmas, prout libuerit,* obtinere *contendet*“.

[1] S. Aug., *Ad Volusianum*, epist. CXXXVII, n. 3, alias epist. III, [opp. S. Aug., ed. Bened., II, 402 F].

„*Laureati* quippe *diploma palmare, ab omnibus comprovincialibus episcopis obsignatum, obtinebunt, necnon insigne, pro gradu respectivo distinctum, quod in caeremoniis et in omni coetu ecclesiastico deferre poterunt.*“[1]

Tituli tamen illi non valebunt uti gradus academici, etiam pro nostra provincia, donec sancta sedes providerit.

## TITULUS VI.

**De mediis fovendae religionis.**

### Caput I.

*De christiana infantiae et iuventutis institutione.*

1. Inter omnia fovendae religionis media, eximium sane locum obtinet christiana infantiae et iuventutis educatio. Episcoporum est igitur, saepe et fortiter admonere et admonendos curare parentes, vix enormius ab ipsis committi posse peccatum contra religionem, societatem naturamque ipsam, quam si suorum iuxta catholicam normam educandorum incuriosi fuerint et negligentes.

2. Nec admonere parentes episcopis sit satis: invigilent praeterea, per se et per suos parochos, omnibus institutionibus, ut certiores fiant an et quomodo adiscatur religio, boni mores serventur et arceantur vitia. Ubi autem ludimagistros et puellarum institutrices tanto muneri pares invenerint, iis omni modo faveant, addantque animos, visitationibus, laudibus ac generis cuiuslibet incitamentis.

3. Si institutorum huiusmodi numerus infantiae et iuventuti religiose educandae non sufficiat, grave officium pastoralis sollicitudo episcopis imponit, nempe ut, familiis adiutores facti, instituant, quibus poterunt modis, aut instituendas curent, scholas queis tuto fidere possint parentes.

### Caput II.

*De domibus lactentium et parvulorum, vulgo dictis* crèches et salles d'asile.

1. Hisce infantulorum domibus, queis e praesepi Iesu venit nomen, pastores animarum ab initio benedixerunt, et in dies abundantius benedicent, dummodo experientia clarius appareat, novellum hoc institutum, nedum amorem in corde matrum imminuat, noceatve puerorum sanitati, matribus simul et filiis esse utile, atque non corporis tantum, sed et animae bono ac populi moribus prodesse. Quod utique eveniet, si praesepia haec mulieribus vere piis committantur. Inde etenim et matres, data occasione, suaviter ad religionem saepius neglectam vocabuntur, et ipsi pueri, positis ob oculos devotis, praesertim crucifixi imaginibus, iam informabuntur ad Iesum invocandum et diligendum.

2. Scholis parvulorum, quae dicuntur asyla, libentius adhuc favet ecclesia, ipsarum utilitatem magis experta. Ubi ergo fieri poterit, praesertim si matres, vel lacrymabiliter negligentes, vel necessariis laboribus foras abstractae, filiis suis non sint invigilaturae, parochi institutionem huiusmodi procurent, memores amantissimi Salvatoris, qui aiebat: „*Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos: talium est enim regnum coelorum . . . Et complexans eos, et imponens manus super illos, benedicebat eos.*“[2]

[1] Conc. prov. Rom. anno 1849, tit. XVIII, cap. III [Mansi, Conc., (1910), XLIII, 619 B].

[2] Marc. X, 14, 16.

3. Monemus vero parochos summopere esse A invigilandum, ne scholae istae in animarum detrimentum vertantur: meminerint etenim hic non solum de primis scientiae rudimentis agi, quae quidem minime sunt negligenda, sed super omnia, de innocentia vitae et recta Dei cognitione. Solliciti sint praesertim ne unquam isti parvuli committantur nisi bene moratis et piis mulieribus. Attendant insuper, ut preces, cantica, lectiones, et quidquid ad animarum informationem tendit, nihil nisi catholicum redoleant. Demum, ubi pueris utriusque sexus aperitur asylum, videant an semper et ubique, sive studeant, sive ludant, intersepto quodam separentur.

## Caput III.

### *De scholis primariis.*

1. Quid ex scholis primariis bene vel male rectis societati, sive religiosae, sive civili, sit sperandum B vel timendum, nunc omnes videntur intelligere. Illuc autem, praeter omnes, vertant illuminatos oculos cordis sui rectores animarum. Et primum quidem eos sibi adsciscere nitantur institutores, sive institutrices, qui, verbis et exemplis, pueros ad religionem informent.

Si tales ministerii sui adiutores nacti fuerint, eos pio operi, quantum poterunt, favendo atque hortando, devinciant. Quod si non tales, sed econtra minus probabiles ludimagistros in suis parochiis habuerint, caveant ne ideo, amaro zelo et acri obiurgatione, eorum animos exasperent, sed eos potius suavi et honesta charitatis illectatione lucrari studeant, et ad Christum trahere, aut saltem ad id adducere, ut minus male se habeant.

2. Puerorum scholas interdum, itidem puellarum, sed cautius, visitent, non quidem censoris importuni vices gerentes, sed potius patris; meminerintque C, ex memoria illius, quem primum viderint et audierint, sacerdotis, altius menti puerorum infixa, ut plurimum pendere, in viris, imo in senibus, ipsius religionis amorem et reverentiam. Interrogent pueros de catechismo, praeceptorem de disciplina; et alios laudent, alios mansuete vituperent, et ad melius excitent; praeceptorem vero secreto moneant, nihil nisi honorificum palam prodentes. Libros saepe scrutentur, nullosque nisi catholicos probent, ideoque illos reiiciendos curent qui, directe aut indirecte, religioni moribusve adversantur; necnon libellos istos in quibus catholica doctrina scienter et maligne manca et mutila traditur. Idem dicatur de scripturae speciminibus seu exemplaribus, quae sunt oculis infantium subiicienda.

3. Caveant ne pueri utriusque sexus in eadem schola simul intersint, vel extra scholam familiaritate nimia secum utantur. Summopere curent insuper D, ut praeceptor pueros, praeceptrixque puellas, ad audiendam missam aliaque officia publica adducant, ubi pueri parentes suos non comitantur; et, vigilantibus oculis, in decenti ac modesto corporis habitu, orationi apto, se contineant.

4. Quod in hac Burdigalensi provincia ab initiis floruit, surdorum et mutorum institutum, viris christianis, ac praesertim Christi sacerdotibus, commendare vix necesse est. Ad has scholas quos poterunt, et quamprimum pueros mittant docendos et pie instituendos. Caecis etiam provideatur; in his enim institutis, christiana lucet admodum charitas, et sic sancta mater ecclesia divini sponsi vestigiis inhaeret, qui *„bene omnia facit: et surdos fecit audire, et mutos loqui*[1]; *et caecis multis donavit visum*"[2].

5. Parochus, si quos invenerit iuvenes aut puellas, fide, moribus et ingenio, instituendae iuventuti idoneos, illos ad id egregium opus adhortetur, et quo meliori poterit modo, curet informandos.

Inde colligat qua zeli sollicitudine ac prudentia debeat invigilare iis, si quae sint in sua parochia, scholis, in quibus futuri primariarum scholarum institutores edocentur ac praeparantur. Istis tyronibus, non solus sufficiat suae dioecesis catechismus clare ac dilucide expositus, sed aliquid insuper explanetur ex catechismo concilii Tridentini.

Nec tantum ipsis scientia detur, quae iuvenum animos inflat, sed sapienter insinuetur pietas, et infundatur charitas quae aedificat: sic enim et alumnis exemplar, et animarum rectoribus auxilium parabitur perutile.

6. Sciant autem parochi de religione se et parochia non melius mereri posse, quam si procurent, ut scholis primariis praeficiantur religiosi et religiosae, qui, habitu simplici ac perfectionis vitae exemplo, dum maiorem sui observantiam animis iniiciunt, vim quasi novam christianae doctrinae addunt, soloque divinae gloriae et salutis animarum moti zelo, totos se in ministerii sacerdotalis auxilium impendunt.

## Caput IV.

### *De scholis secundariis.*

1. *„Iuventus spes est ac soboles reipublicae, quae, si dum adhuc tenera est, diligenter excolatur, maximos et mirae suavitatis fructus feret: contra vero, si negligatur, aut nullos aut amarissimos. Quare optima, eaque facillima et maxime compendiaria restituendae in pristinum statum reipublicae christianae ratio, est diligens et accurata, ex maiorum institutis, educatio iuventutis.*"[1]

Quae quidem praedecessorum nostrorum seculo XVI sapientissima monita, nostris temporibus non minus necessaria, de ea praesertim iuventutis parte intelligi volumus, quae in scholis secundariis instituitur. Quem enim latet futuram humanae societatis sortem ex his praecipue adolescentibus pendere, qui, ubi ad virilem creverint aetatem, vel divitiis, vel ingenio aut scientia, vel auctoritate praevalentes, in popularium suorum animos plurimum poterunt, et virtutis aut vitii duces atque antesignani, populos suis exemplis in religionis amorem aut contemptum inducent?

2. Quapropter, meminerint parochi alumnos et magistros harum scholarum (si non habeant proprium capellanum), esse partem, et quidem eximiam, gregis sibi commissi. Iis igitur invigilent, et constanti benevolentia, quae per omnia omnibus placere studeat, animos omnium sibi concilient. Provideant autem ut pueri doctrinam catholicam accurate edoceantur, piis exercitiis quotidie vacent, diebus vero dominicis et festivis, assistant officiis divinis, statisque temporibus ad sacramentum poenitentiae accedant.

3. Si scholae capellanum habeant, curent episcopi ut ministerio sacro ibi non praeficiantur nisi presbyteri doctrina praecipui, qui, merito scientiae et virtutis, magnam sui existimationem et benevolentiam in animis omnium pariant, quique religionem lucide exponere noverint et solide probare. Sciant vero capellani esse sui oneris non solum docere, sed et monitis iuvare discipulos, pro ipsis orare, omnia demum boni pastoris munia fideliter exsequi.

4. Quod circa libros amovendos iam dictum est, ubi de scholis primariis, hic iterum atque instantius

[1] Marc. VII, 37.
[2] Luc. VII, 21.

[1] Conc. Burdigalense anno 1583, tit. XXVII, *de scholis*, etc. [Mansi, *Conc.*, [1902], XXXIV, 781 C].

commendamus. Itaque, ex omnibus scholis secundariis sedulo arceantur libri, periodica scripta, picturae, collectiones musicae, aliaque id genus, profanos amores spirantia, quae morum imo et fidei pernicies sunt.

5. Quoad scholas, quarum regimen in se suscipiunt presbyteri, attente invigilent episcopi, ne isti contrahant debita quibus solvendis fiant impares, vel ne sibi magistros adsciscant minori fiducia dignos; demum ne, in disciplina, moribus et cultu divino, reperiatur quidquam quod tale institutum parum deceat, aut in religionis et sacerdotii opprobrium aliquando converti possit.

## Caput V.

### *De missionibus et praedicationibus extraordinariis.*

1. Nihil fovendae religioni magis necessarium quam divini verbi praedicatio; nec dubium quin ex assiduis parochi concionibus, si rite fiant, populus amplissimos percipiat fructus. Verumtamen, cum ea sit hominum natura, ut assueta quasi vilescant, et minus in dies mentem afficiant; nova vero et insolita suscitent animos et corda facilius moveant, omnino expedit, quasi imo necesse est, ut interdum fiant in parochiis praedicationes extraordinariae.

2. Porro, inter huiusmodi praedicationes, primum locum obtinent pia exercitia, quae vulgo dicuntur *missiones* et *pii secessus*, in quibus, per plures dies continuos, clare et fortiter exponuntur, tum veritates fidei, tum praecepta Dei et ecclesiae, vividisque exhortationibus, omnium corda ad morum conversionem et reconciliationem cum Deo sollicitantur ac veluti impelluntur. Invigilabunt igitur episcopi, ut parochus quisque gregi suo tantam gratiam procurare valeat, si fieri potest, semel intra sex aut septem annos, vel per presbyteros extraneos, ad id muneris assuetos, vel per parochos vicinos, qui, collatis viribus inter se invicem, parochias alter alterius successive donent missionis beneficio.

3. Non solis apostolis, sed omnibus christianis perutile est, identidem seorsum ire, et, per dies aliquot, a vanis mundi laboribus requiescere pusillum, in pia aeternorum annorum meditatione. Extant iam in nostra provincia nonnullae domus ad pium illud institutum specialiter destinatae. Eas sane ita multiplicari optaremus, ut, in unaquaque dioecesi, locus secessum hunc salutarem quaerentibus pateret.

4. Parochos insuper hortamur ut, cum visitaturi erimus eorum parochiam, accersant, si fieri possit, verbi divini praecones, qui, doctrinam christianam simpliciter fortiterque praedicando, disponant populum ad gratiam visitationis confirmationisque digne et cum maiori fructu suscipiendam, adeo ut episcopalis visitatio sit veluti restauratae pietatis insigne tempus, atque occasio salutaris qua omnes spiritu mentis suae renoventur.

5. Praeterea, parochis maiorum civitatum commendamus ut, ad stationes adventus et quadragesimae, non adhibeant nisi praedicatores zelo et pietate commendabiles, qui, salutem animarum unice prae oculis habentes, non seipsos praedicent, sed Iesum Christum crucifixum. Aliis autem parochis suademus, ut, permutato inter se praedicationis ministerio, alii in aliorum ecclesiis populum verbo divino, temporibus praefatis, sedulius pascant.

Meminerint vero quicumque sacerdotes in alterius parochia collaboratum vocantur, se parochi adiutores esse, ideoque ipsius auctoritati et debito honori quidquam detrahere vereantur.

## Caput VI.

### *De ordinibus et congregationibus religiosis.*

1. Ordines vere et canonice religiosos, id est, ut tales ab ecclesia recognitos et approbatos, synodi patres, eorum sanctitatis, austeritatis, scientiae et charitatis memores, summis laudibus prosequuntur, eos protegere ac defendere semper parati. Non igitur per ipsos stabit, quin tam iuste praelaudati illi ordines reflorescant, et, pro ecclesiae societatisque bono, magis ac magis dilatentur. Quoniam vero conciliorum generalium decretis sedisque apostolicae constitutionibus, regularium status rite ordinatur, et cum episcoporum praerogativis optime conciliatur, nihil circa ipsos censent sibi decernendum.

2. Illae vero congregationes, multae mulierum, pauciores autem virorum, qui, speciali movente gratia, omnia reliquere, ut Christum per evangelica consilia propius sequerentur; cum omnes, suis quaeque mediis, Dei honori proximique utilitati efficaciter inserviant, ad paternam episcoporum sollicitudinem pertinet eas etiam tueri, fovere, et quantum poterunt, augere et amplificare. Presbyteris ergo, clericis et aliis, huiusmodi congregationes rite approbatas ingredi cupientibus, episcopus, bene perspecta atque probata eorum vocatione, quantum patientur uniuscuiusque dioecesis necessitates, libenter acquiescet.

3. Satius est autem existere pauciores religiosas societates, sed numero, pietate ac charitate uberiores, quam multas, sed exiguas atque debiles; ideoque melius esse censemus ut augeantur foveanturque congregationes iam probatae, quam ut novae instituantur. Quapropter statuimus: nullam deinceps in nostris dioecesibus instituendam esse novam congregationem, tam virorum quam mulierum; nullam itidem congregationis iam existentis novam domum, nisi praemissa episcopali approbatione. Imo, si quae forent ad tantam paucitatem redactae, ut, pro ipsarum et religionis bono, alteri familiae viderentur coniungendae, huiusmodi unionem procurare non dubitet episcopus. Insuper, prohibemus vota, quae, inscio aut non approbante episcopo, ederentur a quibuscumque, tanquam membris alicuius congregationis. Puellae tandem, quae ex aliqua congregatione ab ordinario approbata, sive sponte, sive ex superiorum voluntate, egressae fuerint et ad saeculum reversae, illius congregationis habitum statim deponant; et si secus fecerint, ad illum deponendum, etiam per censuras, compellantur.

4. Pro sua prudentia, ad sui notitiam deferri curabunt episcopi statuta, regulas, usus cuiuscumque congregationis suarum dioecesium: de earum statu spirituali, atque etiam temporali, ubi maxime deest superior generalis, diligenter inquirent, quo possint regulae uniuscuiusque observationi invigilare; dissidentias, si quae sint, componere; et ne nimia contrahantur debita, impedire. In quamcumque vero dioecesim vocata fuerint alicuius congregationis matricis et primariae membra, volumus ut in exactissima ac perfectissima regularum suarum, id est totius societatis, observatione inviolabiliter permaneant, nec ullo modo, neque sub quovis praetextu sese ab ea seiungere praesumant.

5. Quidquid de piis congregationibus hucusque statutum est, dictum intelligatur de iis omnibus personis quae sub communi regula vivunt, vestibus induuntur similibus, et religionis signis, aliove quolibet modo ita distinguuntur, ut a populo tanquam religiosi vel religiosae habeantur et nominentur. Licet autem synodus has omnes familias, modo sint ab ordinario approbatae, in Christi charitate complectatur, specialiter tamen illis favere intendit,

quae ad normam perfecte religiosam propius accedere satagunt. Quinimo, in episcoporum votis esset, ut ex iis congregationibus aliquot saltem, antiquitate, numero, animoque erga ecclesiam devotissimo, maxime commendabiles, possent a sancta sede Romana plane approbari, et, concessis quibusdam dispensationibus, pro ipsarum natura et scopo necessariis, inter ordines vere et canonice religiosos computari.

## Caput VII.

### *De piis confraternitatibus.*

1. Quoniam id nobis omnino persuasum est, pias confraternitates ad fovendam augendamque religionem plurimum prodesse, nostri muneris est eas promovere ac tueri, necnon providere ut bene ordinentur, ne res in se optima, vel suo fructu careat, vel etiam ad malum per abusus convertatur.

2. Quapropter, parochos hortamur in Domino, ut, postquam suorum animos praeparaverint, et rem bene cessuram speraverint, instituendam curent unam aut alteram ex confraternitatibus ab ecclesia approbatis, puta, sanctissimi sacramenti, sacratissimi cordis Iesu, doctrinae christianae, rosarii, scapularii, vel sanctissimi cordis beatae Mariae virginis immaculatae, aut iam, nec unquam satis, commendatam confraternitatem pro sanctificatione diei dominicae, et pro exstirpatione et reparatione blasphemiarum, prout ipsis visum fuerit magis expedire. Semel autem institutas non negligant, sed variis exercitiis, congregationibus, hortationibus, diligenter excolant, ut exinde confratres aut consorores ad pietatem et caritatem excitentur, et ad vitae christianae, pro status sui ratione, perfectionem assurgant.

3. Prohibemus autem ne quis ullam confraternitatem erigere praesumat, quin hanc erectionem episcopus per litteras approbaverit; declarantes quaslibet confraternitates, etiamsi litteris apostolicis approbatae, aut archiconfraternitatibus canonice erectis aggregatae forent, non posse sine consensu ordinariorum subsistere, vel eorum iurisdictioni se subtrahere, vel indulgentiis et privilegiis gaudere, quorum titulus non fuisset ab episcopo recognitus [1], vel episcopo rationem administrationis exposcenti, non acquiescere [2].

4. Volumus omnes confraternitates parocho ecclesiae, in qua sunt institutae, vel eius delegato, omnino subesse, iuxta regulas ab episcopo positas; si quae vero in locis ab ecclesia distinctis institutae existant, volumus earum exercitia ita ordinari, ut ex iis nec impediantur, nec perturbentur, nec deserantur officia publica parochiae, et earum iura, praerogativas et obligationes ita definiri ac determinari ab ordinario, ut omnis dissidii cum parocho occasio amputetur.

5. Haec omnia statuta intelligantur iuxta constitutionem Clementis VIII *Quaecumque*, 7 decembris 1604.

## Caput VIII.

### *De bonis operibus instituendis aut fovendis.*

1. Neminem latet quam utile sit, imo necessarium, pueros prima communione initiatos retineri in via salutis, et doctrinam christianam perfectius edoceri. Quapropter, parochis commendamus ut, omni ope atque opera, instituant catechismum qui dicitur perseverantiae, aliudve quodlibet, quo scopus ille possit attingi, ne in ullum incidant haec sancti Caroli verba: „*Proh dolor! quam multi parochi* A *pariunt in nonnullis Christum, et statim rerum curam omittunt! Et quae impietas est! Nec bestiae hoc faciunt, quae partus suos lactent, fovent, nutriunt, et ab adversis quibuscumque tuentur . . . Et tu tenellum sic deseris! Quando magis insudasse oportuerat, otio torpescis! Magna culpa, fratres, est haec magna segnities, imo magna saevitia . . . Non dormit, fratres, non dormit daemon, sed insidiatur continue: . . . ideo nos continua sollicitudine angi debemus, et quod peperimus custodire.*“ [1].

2. Nec etiam absque fructu plurimo instituetur, ordinario approbante, congregatio duplex, una iuvenum et virorum, altera puellarum et mulierum, vel alia huiusmodi societas, cuius auxilio fideles, mutuis exemplis confortati, a mundi vanitatibus illicitisque oblectamentis avertantur, diem Domini melius sanctificent, ad sacramentorum frequentiorem usum et sanctiorem, denique ad continuum in pietate profectum excitentur.

B 3. Societatem dictam Sancti Vincentii a Paulo instituendam curent pastores animarum, ubicumque reperire poterunt quosdam, etiam paucissimos, homines bonae voluntatis; in qua scilicet pii laici, bonis moribus insignes, atque mandatis ecclesiae, necnon pastoribus suis filiali reverentia addicti, munere quasi apostolico funguntur, visitantes ipsi domum pauperis, indigentiam sublevantes, atque, de anima sollicitiores etiam quam de corporis necessitatibus, fidem, et persaepe religionis amorem et cultum suscitant in animis, quos eo adducunt ut se cum Deo reconcilient, et viam salutis corde magno ingrediantur. Fortunatos nimium, quibus id mundo spectaculum, impiis exemplum, sublevamen pauperibus et religioni decus afferre a Deo datum est!

Nec minori cura protegendae sunt multiformes C illae matronarum societates, quae, fide suadente et duce charitate, pauperibus et infirmis omni modo in auxilio sunt, sive laborando propriis manibus, ut vestimentis nudos operiant; sive pascendo panibus esurientes; sive infirmos in lectulis decumbentes, per se aut per virgines Deo sacras, visitando.

4. Pari zelo, ubi res fieri poterit, in parochia promoveatur societas dicta Sancti Francisci Regis, qua procurante, iis qui concubinatu aut foedere tantum civili iuncti sunt, comparantur gratuito omnia necessaria, ut verum in facie ecclesiae valeant inire matrimonium.

5. Societatem dictam *de propagatione fidei*, tot tantisque laudibus a sancta sede commendatam, unanimi voce iterum commendant episcopi comprovinciales, tanquam Deo gratissimam, eius regno dilatando aptissimam, caritatis denique catholicae certissimum signum. Ipsorum in summis votis est, D ut instituatur ubi nondum existit; ut augeatur et crescat ubi iam instituta est.

6. „*Cum grassetur teterrima tot undique volantium et peccare docentium voluminum ac libellorum contagio, qui, apte compositi, ac fallacia et artificio pleni, per omnia loca, in christianae plebis interitum, dissipati, pestiferas doctrinas ubique disseminant, incautorum potissimum mentes animosque depravant, et maxima religioni inferunt detrimenta;*“ [2] provideant parochi ut ab his avertant fideles. Quod ut assequantur, moneant illos ut caveant a circumforaneis librariis, per quos, ut plurimum, plebs veneno inficitur. Praeterea, per modum antidoti, nitantur instituere pretiosum opus vulgo appellatum *bonorum librorum*, quod excogitarat piae memoriae praesul Carolus-Franciscus d'Aviau, archiepiscopus Burdi-

[1] Bened. XIV, *Instit.* CIII, n. 60.
[2] Conc. Trid., sess. XXII, *de ref.*, cap. 8.

[1] S. Carol., *orat.* 3, *ad presbyt.*
[2] Pius IX, encycl. *Qui pluribus*, die 9 novembris 1846.

galensis, quodque et laudibus atque etiam indulgentiis ditavit Romanus pontifex.

Hinc prodeant perutiles illae bibliothecae paroeciales, feliciter in quibusdam regionibus iam pervulgatae, et summopere optandae in illis quorum incolae lectioni, sine ulla librorum discretione, attendunt.

7. De istis eximiis operibus iam satis, cum nec singula exponi, nec nominari quidem possint omnia, quae, hisce recentioribus temporibus, e catholicae charitatis fonte inexhausto profluxere. Haec sane plurimis in paroeciis, praesertim ruralibus, plene existere nequeunt; sed, in minimis etiam, institui possunt quasi eorum compendia, si nempe a parocho seligantur aliquot saltem fideles, numero quidem pauciores, sed caritate et pietate ita instructi, ut, ipsorum auxiliante zelo, pastor omnibus et singulis gregis sui necessitatibus corporalibus et spiritualibus invigilare queat, et aliquatenus subvenire. Quod quidem, apud homines modicae fidei impossibile, sacerdos, amore Dei et fratrum inflammatus, re ac facto possibile demonstrabit. „*Amor* enim verus et fortis, ut ait quidam spiritualis, *de impossibilitate non causatur; . . . multa implet et effectui mancipat, ubi non amans deficit et iacet.*“ [1]

## Caput IX.

*De iis quae praestari possent, ut ad religionem adducerentur, aut in ea foverentur operarii et milites.*

1. Honorabilis in ecclesia artificum atque operariorum conditio, exemplo et laboribus domini Iesu nobilitata. Eorum igitur animos erigere, et corda convertere nitatur pastor animarum ad hunc amantissimum Salvatorem, quo duce atque antesignano, non in hac vita tantum laborum suorum mercedem, sed et in coelis praemia percipiant in aeternum mansura.

2. Quapropter salutarem admodum societatem Sancti Francisci Xaverii, sive iam existentem foveat atque amplificet, sive nondum creatam, vel instituat, vel instituendam curet parochus, spe excitatus uberrimorum fructuum, et solatii temporalis simul et spiritualis, quo plurimas animas laborantes et oneratas, undique ad se venientes, Deus reficit.

3. Quod si creandi talis instituti nulla spes appareat, non ideo ab ecclesia quasi exsulare sinat parochus artifices et operarios, sed, horis commodis, ad conciones vocet, eorum conditioni aptas et proprias; vel etiam domi congregatos, hieme praesertim, per familiares collationes de fide, de vita christiana, de sacramentis, ad Dei cultum et veram pietatem sensim ac leniter adducat.

4. Paterna in primis sollicitudine digni sunt iuniores illi tyrones, quorum saepius est apud impios vel negligentes opifices periculosissima conditio. Rem certe Deo gratam et humanae societati perutilem agunt praelaudatae sodalitates, quando adolescentes illos vere christianis opificibus committunt, qui, die dominica, ab omni opere servili abstinentes, ipsorum animae invigilent et moribus.

5. Milites tandem ad vitae christianae normam mores suos posse componere, nec tot et tantorum sanctorum militum memoria, nec clarissima nostri temporis exempla sinunt dubitare. Quae frequentiora fore certo sperandum est, si, in civitatibus in quibus commorantur milites, unum aut duos, aut etiam plures episcopus committat presbyteros, et quidem inter digniores, qui legionis vel cohortis curam spiritualem gerant. Hi primum ducem vel tribunum conveniant, et, cum ipsius licentia, horis condictis, ad specialem aliquam capellam milites convocent, apte doceant atque hortentur. Verbum sanum his viris, sani plerumque iudicii et veri amantibus, praedicatum, vacuum non reverti, felix iam saepius, per Dei gratiam, docuit experientia.

## TITULUS ULTIMUS.

## Caput I.

*De consecratione totius provinciae Burdigalensis sacratissimo cordi domini nostri Iesu Christi.*

Ut digno salutarique termino concilium nostrum concludatur, unanimes decreverunt patres totam hanc provinciam Burdigalensem sacratissimo cordi domini nostri Iesu Christi consecrandam.

Hac solemni perpetuaque consecratione, intendimus dignas Deo clementissimo gratiarum actiones deferre, propter supereminentem eius charitatem, immensaque beneficia in nos collata. Volumus etiam, quantum in nobis est, reparare et expiare omnes impietates, sacrilegia, caeteraque omnia facinora contra Deum unquam commissa. Optamus ignem divini amoris in cordibus nostris omniumque fidelium accendere, flagella omnia quae nobis nostrisque regionibus imminere possent, avertere, nosque tandem in vinculis Christi omnes coniungere.

Et ideo, unius ore, ex intimis visceribus, sequentem consecrationem adoptamus et profitemur:

**Consecratio totius provinciae Burdigalensis sacratissimo cordi domini nostri Iesu Christi.**

*O cor amantissimum domini Iesu! charitas tua urget nos, ut ardeamus divini tui amoris igne, quem venisti mittere in terram, nihil ardentius exoptans nisi ut accendatur. O bone Iesu, qui dixisti: Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum; trahe nos post te, ut curramus in odorem unguentorum tuorum. Cor divinum, cor sanctissimum, unge nos. Dilatatum est cor nostrum; suscipe nos et totam provinciam hanc Burdigalensem, se tibi devoventem hodie, ac solemniter, per os suorum episcoporum, se tibi consecrantem. Tui sunt pastores; tuae sunt oves: nunquam a te separari volumus. Cor amandum, cor amabile, ne proiicias a te animas nostras, quae te solum sitiunt vehementer, fontem aquae vivae salientis in vitam aeternam. Amen!*

## Caput II.

*De promulgatione decretorum huius concilii provincialis.*

Decreta huius synodi provincialis nemo praelo subiiciat aut promulget, antequam sanctae sedi apostolicae, iuxta constitutionem Sixti V, quae incipit *Immensa*, subiecta fuerint. Litteris autem quibus illa probentur, a sanctitate sua obtentis, ea statim imprimantur, impressaque, a singulis episcopis, vel in synodo dioecesana, vel, si celebrari nequeat, extra synodum, quamprimum promulgentur.

## Caput III.

*De indictione futuri concilii provincialis.*

Cum sacro sanctae synodi Tridentinae decretis statutum sit, ut, quolibet saltem triennio, celebrentur concilia provincialia; ut ecclesiae menti obsequamur,

Nos Ferdinandus-Franciscus-Augustus Donnet, archiepiscopus Burdigalensis, comes Romanus, solio pontificio assistens; de consilio et consensu reverendissimorum episcoporum comprovincialium, proximum concilium huius provinciae anno millesimo octingentesimo quinquagesimo tertio celebrandum, loco et tempore ulterius indicendis, iam denuntiamus et indicimus omnibus qui adesse debent.

[1] *De imit. Christi*, lib. III, c. V, v. 4.

## SUBSCRIPTIONES EPISCOPORUM.

Nos Ferdinandus-Franciscus-Augustus Donnet, archiepiscopus Burdigalensis, comes Romanus, solio pontificio assistens, haec decreta a nobis definita subscripsimus.

† Ferdinandus, archiepiscopus Burdigalensis.

Ego Clemens Villecourt, episcopus Rupellensis, subscripsi.

† Clemens, episcopus Rupellensis.

Ego Ioannes-Baptista-Amedaeus George, episcopus Petrocorensis, subscripsi.

† Ioannes, episcopus Petrocorensis.

Ego Ioannes-Amatus de Levezou de Vesins, episcopus Aginnensis, subscripsi.

† Ioannes, episcopus Aginnensis.

Ego Renatus-Franciscus Régnier, episcopus Engolismensis, ad ecclesiam metropolitanam Cameracensem nominatus, subscripsi.

† Renatus-Franciscus, episcopus Engolismensis.

Ego Iacobus-Maria-Iosephus Baillès, episcopus Lucionensis, subscripsi.

† Iacobus-Maria-Iosephus, episcopus Lucionensis.

Ego Ludovicus-Franciscus-Desideratus-Eduardus Pie, episcopus Pictaviensis, subscripsi.

† Ludovicus-Eduardus, episcopus Pictaviensis.

Ego Antonius-Adolphus Dupuch, episcopus olim Caesaroiuliensis, vocatus adfui et subscripsi.

† Antonius-Adolphus, olim episcopus Caesaroiuliensis.

*Praesentes etiam nomina dederunt:*

† Iosephus-Armandus, episcopus Bellovacensis.

† Bernardus, episcopus Lemovicensis.

Antonius-Carolus Cousseau, presbyter Pictaviensis, nominatus ad ecclesiam episcopalem Engolismensem.

# ACTA CONCILII.

## ACTUM PRAEVIUM.

Anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo, die decima tertia mensis iulii, pridie festivitatis sancti Bonaventurae, pontificis et ecclesiae doctoris, ducentis triginta quatuor annis ab ultimo provinciae Burdigalensis concilio interiectis, illustrissimi ac reverendissimi metropolitani litteris supra relatis prompto animo obsequentes, omnes episcopi suffraganei in aedes seminarii maioris Burdigalensis convenerunt, ubi eos peramanter excepit illustrissimus ac reverendissimus archiepiscopus. Aderant igitur, praeter illustrissimum ac reverendissimum metropolitanum, dominum dominum Ferdinandum-Franciscum-Augustum Donnet: illustrissimus et reverendissimus dominus dominus Clemens Villecourt, episcopus Rupellensis; illustrissimus et reverendissimus dominus dominus Ioannes-Amedaeus George-Massonnais, episcopus Petrocorensis; illustrissimus et reverendissimus dominus dominus Ioannes de Levezou de Vesins, episcopus Aginnensis; illustrissimus et reverendissimus dominus dominus Renatus-Franciscus Régnier, episcopus Engolismensis, ad archiepiscopatum Cameracensem nominatus; illustrissimus et reverendissimus dominus dominus Iacobus-Maria-Iosephus Baillès, episcopus Lucionensis; illustrissimus et reverendissimus dominus dominus Ludovicus-Eduardus Pie, episcopus Pictaviensis. Adfuerunt etiam: reverendus dominus Antonius-Adolphus Dupuch, episcopus olim Caesaroiuliensis; reverendus dominus Antonius-Carolus Cousseau, vicarius generalis et moderator seminarii maioris Pictaviensis, ad sedem Engolismensem nominatus; capitulorum deputati; pluresque presbyteri concilii adiutores, quorum omnium nomina accurate describuntur in relatione sequenti primae congregationis generalis.

Quamvis autem plurimae, durante concilio, habitae fuerint congregationes episcoporum privatae, et partiales specialesque congregationes, pro variis decretorum titulis, prout exponitur in iam dicta prima congregatione generali, de solis congregationibus generalibus et de sessionibus acta et instrumenta a notariis fieri voluerunt illustrissimi patres.

### CONGREGATIO GENERALIS I.

In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Anno a salutifera domini nostri Iesu Christi nativitate millesimo octingentesimo quinquagesimo, die decima tertia iulii, hora tertia post meridiem, habita est prima congregatio generalis.

Consederunt in aula maioris seminarii Burdigalensis praecipua, praeside illustrissimo ac reverendissimo domino domino archiepiscopo Burdigalensi, illustrissimi ac reverendissimi domini domini episcopi, Rupellensis, Petrocorensis, Aginnensis, Engolismensis, ad archiepiscopatum Cameracensem nominatus, Lucionensis, Pictaviensis, et rector seminarii maioris Pictaviensis, ad episcopatum Engolismensem nominatus, praesentibus omnibus canonicis et theologis, rite convocatis, et quorum nomina infra describuntur.

Recitata ab illustrissimo archiepiscopo deprecatione *Adsumus*, prout habetur in pontificali, idem illustrissimus metropolitanus palam declaravit reverendissimos dominos dominos Antonium-Adolphum Dupuch, episcopum olim Caesaroiuliensem, et Antonium-Carolum Cousseau, nominatum ad sedem Engolismensem, a patribus admissos fuisse in congregationibus episcoporum, cum voce consultativa.

Tum, vocatis nominatim canonicis et theologis, unusquisque respondit *Adsum*, exceptis dominis Ioanne Hamon, moderatore seminarii maioris Burdigalensis [1]; Carolo Duburg, parocho Sancti-Michaelis in eadem civitate; Iacobo Brunelière, archipresbytero Engolismensi; Leone-Iosepho Descordes, canonico eiusdem dioecesis, et Ioanne Tailhé, canonico Aginnensi, qui huic primae congregationi legitime impediti non adfuerunt; exhibitaque sunt instrumenta procuratoria deputatorum cuiusvis capituli.

Ex parte capituli ecclesiae metropolitanae: domini Iosephus-Hyacinthus Taillefer, canonicus; Elias-Stephanus Dubosq, canonicus.

Ex parte capituli Rupellensis: domini Theophilus Pallu-Duparc, vicarius generalis Rupellensis, seminarii maioris rector; Eutropius-Leo Thibaud, canonicus, archipresbyter ecclesiae cathedralis.

Ex parte capituli Petrocorensis: domini Bernardus O'Reilly, canonicus; Iustinus Labat, canonicus.

Ex parte capituli Aginnensis: dominus Ioannes Liaubon, canonicus.

Ex parte capituli Engolismensis: domini Laurentius Valette, canonicus, vicarius generalis, rector maioris seminarii; Leo-Ioseph Descordes, canonicus.

[1] Dominus Hamon sic disponendis huiusce concilii materiis insudaverat, ut, labore et morbo ante synodi aperitionem confectus, ipsi omnino interesse non potuerit.

Dominus Duburg, gravi morbo impeditus, concilio non adfuit.

A Ex parte capituli Lucionensis: domini Carolus Soyer, canonicus; Ioannes-Iosephus Poirou, canonicus.

Ex parte capituli Pictaviensis: reverendus dominus Antonius-Carolus Cousseau, vicarius generalis, maioris seminarii rector, ad episcopatum Engolismensem nominatus; dominus Ludovicus Taury, vicarius generalis, parochus ecclesiae Sanctae-Mariae Niortensis.

Praeter supradictos delegatos, admissi sunt etiam theologi et canonistae a singulis episcopis designati.

E dioecesi Burdigalensi: domini Ioannes-Paulus-Aemilius Gignoux, vicarius generalis, archidiaconus; Guillelmus-Elisaeus Martial, vicarius generalis, archidiaconus; Ioannes-Baptista Lacombe, vicarius generalis, rector minoris seminarii; Petrus Noailles, canonicus, superior generalis puellarum Sanctae-Familiae; Petrus-Henricus de Langalerie, canonicus, archipresbyter Sanctae-Fidis; Iosephus B Blatairou, canonicus, doctor theologus; Georgius-Iosephus Caillet, canonicus, superior generalis societatis Mariae; Carolus Duburg, parochus Sancti-Michaelis; Claudius Ramel, superior residentiae Burdigalensis societatis Iesu; Franciscus Chapt, presbyter Sancti-Sulpitii; Eduardus-Ferdinandus Labbe de Champgrand, professor sacrae scripturae, presbyter Sancti-Sulpitii; Guillelmus Larrieu, presbyter Sancti-Sulpitii; Ludovicus-Callixtus Bornet, vicarius ecclesiae metropolitanae, canonicus *ad honores* Rhemensis et Petrocorensis ecclesiarum.

E dioecesi Rupellensi: domini Petrus-Alexander Gaboreau, vicarius generalis; Renatus Gillet, canonicus, professor in maiori seminario.

E dioecesi Petrocorensi: domini Petrus Junière, vicarius generalis; Ioannes-Baptista-Alcaeus Mazet, canonicus, rector maioris seminarii; Ioannes-Baptista-Amedaeus Delteilh, canonicus, archipres- C byter ecclesiae cathedralis; Maximus de Saint-Exupéry, canonicus, secretarius illustrissimi ac reverendissimi domini domini episcopi Petrocorensis.

E dioecesi Aginnensi: domini Ioannes-Baptista Carney, archidiaconus, vicarius generalis, maioris seminarii rector; Ioannes-Emmanuel de Vivie, archidiaconus, vicarius generalis; Ioannes Tailhé, canonicus; frater Franciscus Dominicus, provincialis Carmelitarum discalceatorum.

E dioecesi Engolismensi: domini Iacobus Brunelière, canonicus, archipresbyter ecclesiae cathedralis; Petrus-Franciscus Barciet, canonicus, vicarius generalis Auscitanus.

E dioecesi Lucionensi: domini Beniaminus Gouraud, vicarius generalis, rector maioris seminarii; Iosephus Dalin, canonicus, superior generalis missionariorum societatis Mariae et puellarum D a Sapientia dictarum; Augustinus Grillard, canonicus, professor theologiae moralis; Gustavius Gallot, canonicus, secretarius illustrissimi ac reverendissimi domini domini episcopi Lucionensis.

E dioecesi Pictaviensi: domini Ioachim de Chalvet de Rochemonteix, archidiaconus, vicarius generalis; Carolus-Iosephus Chaubier de Larnay, canonicus; Iosephus Deschatelliers, canonicus, parochus Mirabellensis; Ludovicus Delaforest, canonicus.

Tum lectum est quod de officiariis concilii a patribus, in congregatione particulari, statutum fuerat.

Designati sunt:

Pro officio promotoris concilii: dominus Ioannes-Paulus-Aemilius Gignoux, vicarius generalis Burdigalensis.

Pro officio vice-promotoris: dominus Ludovicus Taury, vicarius generalis, parochus Sanctae-Mariae Niortensis.

Pro officio secretarii: domini Henricus de Langalerie, canonicus, archipresbyter Sanctae-Fidis Burdigalensis; Maximus de Saint-Exupéry, canonicus, secretarius illustrissimi ac reverendissimi domini domini episcopi Petrocorensis.

Pro officio magistri caeremoniarum: domini Guillelmus Larrieu, presbyter Sancti-Sulpitii; Ludovicus-Callixtus Bornet, vicarius ecclesiae metropolitanae.

Pro officio notarii: domini Augustus Grillard, professor theologiae moralis; Ludovicus Delaforest, canonicus Pictaviensis.

Indicta fuit postea regula exercitiorum a patribus statuta, servato sibi iure quaedam opportune, pro circumstantiis, immutandi.

Hora quinta: signum ad surgendum.

Hora sesquiquinta: oratio vocalis necnon et mentalis, in aula assueta piorum exercitiorum.

Hora sexta: missa, celebrata ab illustrissimo metropolitano [1].

Hora sesquiseptima: congregationes particulares.

Hora decima: ientaculum, quo durante, fiunt lectiones e sacra scriptura et piis libris. Inde procedunt omnes ad sacellum, psalmum *Miserere* recitantes. Post orationem *Angelus*, fit adoratio sanctissimi sacramenti. Deinde relaxatio [2].

Hora meridiana: congregatio particularis episcoporum.

Hora quarta: congregatio generalis.

Hora sesquisexta: prandium et caetera, prout habentur post ientaculum.

Hora sesquioctava: oratio vespertina in aula assueta piorum exercitiorum.

Deinde designatae et ordinatae sunt variae congregationes, quo sequitur modo:

1. Congregatio episcoporum.

Praeses: illustrissimus ac reverendissimus dominus dominus Donnet, metropolitanus.

Secretarii: domini Fruchaud, vicarius generalis Engolismensis; Larrieu, presbyter Sancti-Sulpitii.

2. Congregatio *de decretis*.

Praeses: illustrissimus ac reverendissimus dominus dominus Clemens Villecourt, episcopus Rupellensis.

Vices gerens praesidis: dominus Gignoux, archidiaconus, vicarius generalis Burdigalensis.

Secretarius: dominus Pallu-Duparc, vicarius generalis Rupellensis, seminarii maioris rector.

Theologi: domini Poirou, canonicus Lucionensis; Gillet, canonicus Rupellensis, professor theologiae dogmaticae; de Champgrand, professor scripturae sacrae, presbyter Sancti-Sulpitii.

3. Congregatio *de fide*.

Praeses: illustrissimus ac reverendissimus dominus dominus Ludovicus-Eduardus Pie, episcopus Pictaviensis.

Vices gerens praesidis: dominus Carney, archidiaconus, vicarius generalis Aginnensis, maioris seminarii rector.

Secretarius: dominus Chapt, presbyter Sancti-Sulpitii.

Theologi: domini de Vivie, archidiaconus, vicarius generalis Aginnensis; Soyer, canonicus Lu-

[1] Toto durante concilio, omnibus presbyteris quotidie licitum fuit missam celebrare, sive in variis seminarii capellis, sive in urbis ecclesiis vel monasteriis.

[2] Qualibet feria VI prandium indictum fuit hora sesquiundecima, propter ieiunium, quod a pluribus, durante concilio, hac die observatum est; et collatio ad horam sesquisextam translata est.

cionensis; Duburg, parochus Sancti-Michaelis Burdigalensis; O'Reilly, canonicus Petrocorensis; Brunelière, canonicus et archipresbyter Engolismensis; Descordes, canonicus Engolismensis. A

4. Congregatio *de cultu divino.*

Praeses: illustrissimus ac reverendissimus dominus dominus Ioannes de Levezou de Vesins, episcopus Aginnensis;

Vices gerens praesidis: dominus Junières, archidiaconus, vicarius generalis Petrocorensis.

Secretarius: dominus Blatairou, canonicus, sacrae theologiae doctor[1].

Theologi: domini Ramel, superior residentiae Burdigalensis societatis Iesu; Dubosq, canonicus Burdigalensis; Noailles, superior societatis Sanctae-Familiae; de Larnay, canonicus Pictaviensis; de Langalerie, canonicus, archipresbyter Sanctae-Fidis Burdigalensis.

5. Congregatio *de sacramentis.*

Praeses: illustrissimus ac reverendissimus dominus dominus Iacobus-Maria-Iosephus Baillès, episcopus Lucionensis.

Vices gerens praesidis: dominus de Rochemonteix, archidiaconus, vicarius generalis Pictaviensis.

Secretarius: dominus Gallot, canonicus Lucionensis.

Theologi: domini Liaubon, canonicus Aginnensis; Caillet, canonicus Burdigalensis, superior Marianistarum; Delteilh, archipresbyter ecclesiae cathedralis Petrocorensis; Deschatelliers, canonicus Pictaviensis, parochus Mirabellensis.

6. Congregatio *de hierarchia ecclesiastica et de ministris ecclesiae.*

Praeses: illustrissimus ac reverendissimus dominus dominus Renatus-Franciscus Régnier, episcopus Engolismensis, nominatus ad archiepiscopatum Cameracensem.

Vices gerens praesidis: dominus Gaboreau, vicarius generalis Rupellensis.

Secretarius: dominus Grillard, canonicus Lucionensis et professor theologiae moralis.

Theologi: domini Valette, vicarius generalis Engolismensis et superior maioris seminarii; Labat, canonicus Petrocorensis; de Saint-Exupéry, canonicus et secretarius illustrissimi et reverendissimi domini domini episcopi Petrocorensis.

7. Congregatio *de seminariis et studiis ecclesiasticis.*

Praeses: reverendissimus dominus Cousseau nominatus ad sedem Engolismensem.

Vices gerens praesidis: dominus Gouraud, vicarius generalis, superior maioris seminarii Lucionensis.

Secretarius: dominus Bornet, canonicus, vicarius ecclesiae metropolitanae.

Theologi: domini Lacombe, canonicus, vicarius generalis, minoris seminarii Burdigalensis rector; Mazet, canonicus, rector maioris seminarii Petrocorensis; Barciet, canonicus, vicarius generalis Auscitanus; Delaforest, canonicus Pictaviensis.

8. Congregatio *de mediis fovendae religionis.*

Praesides: illustrissimi ac reverendissimi domini domini Ioannes-Baptista-Amedaeus George-Massonnais, episcopus Petrocorensis, et Antonius-Adolphus Dupuch, episcopus olim Caesaroiuliensis.

Vices gerens praesidis: dominus Martial, archidiaconus, vicarius generalis Burdigalensis.

Secretarius: dominus Thibaud, canonicus, archipresbyter ecclesiae cathedralis Rupellensis.

Theologi: domini Dalin, canonicus Lucionensis, superior generalis congregationum missionariorum societatis Mariae, et puellarum a Sapientia dictarum; Taillefer, canonicus Burdigalensis; Taury, canonicus Pictaviensis, parochus Sanctae-Mariae Niortensis; fr. Dominicus, provincialis Carmelitarum discalceatorum.

His peractis, statuerunt patres ut uniuscuiusque ecclesiae deputati et theologi eumdem ordinem servarent, in sedendo et procedendo, quem ipsi episcopi, ratione suae promotionis. Edictum est etiam quo quis habitu adesse deberet, sive sessionibus, sive congregationibus: sessionibus, scilicet, illu-
B strissimi ac reverendissimi domini domini episcopi adesse debent induti rochetto, cum pluviali rubri coloris et mitra aurifrigiata: congregationibus autem quibuscumque, rochetto et mozetta induti cum bireto. Theologi, in habitu chorali sibi proprio, assistunt sessionibus: congregationibus vero, pallio talari vestiti cum bireto.

Post haec, ad instantiam domini promotoris, voluerunt patres presbyteros omnes ad concilium pertinentes aliqua promissione sese adstringere, in sensu requisitionis, quae sequitur:

*Quia summopere interest ut omnia venerabilis concilii acta vel decreta penitus ignorentur, donec debite nota fiant; nec aliquid unquam reveletur quod possit detrahere vel reverentiae concilio debitae, vel honori cuiusvis personae; nos, Ioannes-Paulus-Aemilius Gignoux et Ludovicus Taury, concilii Burdigalensis promotores, postulamus et requirimus ut,*
C *secundum laudabilem ecclesiae consuetudinem, omnes venerabiles canonici, necnon theologi et canonistae, ad hanc synodum legitime vocati, promissione se obligent ad servandum foris silentium de omnibus quae in dicto concilio examini subiicientur, et per illustrissimos ac reverendissimos patres decernentur, quoadusque publice legantur in concilii sessionibus; et praesertim ad ea reticenda quae possent detrahere vel reverentiae concilio debitae, vel honori cuiusvis personae.*

Quibus perlectis, omnes surrexerunt, et simul alta voce dixerunt: *Promitto.*

Demum, statuerunt patres, primam sessionem habendam esse in ecclesia metropolitana, die sequenti, decima quarta iulii, in festo sancti Bonaventurae, hora septima ante meridiem.

Absoluta denique est haec prima congregatio generalis, hora quinta, per orationem *Sub tuum*
D *praesidium.*

## SESSIO PRIMA.

Die decima quarta mensis iulii anni millesimi octingentesimi quinquagesimi, hora septima ante meridiem, celebrata fuit in ecclesia metropolitana prima sessio, prout praecedenti die in congregatione generali indictum fuerat.

Convenerant omnes de concilio in dictae ecclesiae sacristiam, unde ad locum, in magna navi, e regione altari maiori opposita, pro sessione concilii praeparatum, processerunt, iuxta ordinem praecedentiae, in decreto *de modo vivendi in concilio* praescriptum, et episcopis omnibus provinciae paratis pluvialibus rubris et mitris aurifrigiatis, solo metropolitano mitram pretiosam gerente et baculum pastoralem tenente.

Consederant etiam: reverendissimus dominus dominus Dupuch, episcopus olim Caesaroiuliensis,

[1] In tertia congregatione particulari, dominus Blatairou, de quo hic agitur, et dominus Bornet, qui infra ut secretarius congregationis de studiis nominatur, suas vices mutuati sunt, et alter in alterius locum suffecti, de consensu patrum concilii.

paratus ut caeteri episcopi, et reverendus dominus Cousseau, nominatus ad episcopatum Engolismensem, pluviali rubro cum bireto paratus.

Aderant huic primae sessioni numerosus clerus, praecipui civitatis et regionis magistratus et immensa multitudo plebis, concursu suo et corporis habitu testantes, quibus votis, precibus et omnimoda veneratione, synodum hanc suorum episcoporum, post tot annos renascentem, prosequerentur.

Illustrissimus et reverendissimus metropolitanus in pontificalibus missam *de Spiritu sancto* celebravit, quae cantu gregoriano, organo succinente, integraliter decantata fuit, et intra cuius solemnia, omnes quotquot aderant episcopi, capitulorum procuratores, theologi et canonistae, sacram eucharistiam de ipsius celebrantis manu susceperunt.

Finita missa, observatisque omnibus caeremoniis in pontificali praescriptis, et precibus recitatis, sermonem ad populum his verbis habuit illustrissimus ac reverendissimus metropolitanus:

*A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris* [1].

Illustrissimi ac reverendissimi patres.

Dei solius opera magnifica sunt; sed quae hominum opera videntur, saepe ad Deum potius quam ad homines sunt referenda. Haec inter primas obtinent concilia legitime congregata, assistente Deo peracta, et cathedrae apostolicae submissa. Diu nimis languerant Galliarum ecclesiae, cessatione conciliorum provincialium; nec spes erat ut temporibus nostris reviviscerent. Id tamen concessit bonitas divina: in illud ergo sacri vatis alacriter erumpamus: *A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.* Beata lux, in qua videmus omnes provinciae huius praesules, ad vocem nostram accurrentes, cum electissimis cuiusque dioeceseos presbyteris, scientia, pietate et experientia claris!

„Vere *haec est dies quam fecit Dominus;*" [2] fausta quidem imprimis nostrae provinciae; fausta etiam religioni, cui stabiliendae dilatandaeque pariter collaboraturi sumus; fausta insuper societati, cuius necessitatibus consulere; fausta demum omnibus nobis, illustrissimi ac reverendissimi patres, quibus, in mutua charitatis effusione, *cor unum et animam unam* effici, dabitur.

Serenior apparet hodie, post tot moerores, facies ecclesiae nostrae Burdigalensis: elapsos enim lugebat annos, in quibus bonum fidei certamen certaverat, cursum solemnis praedicationis sanctorumque documentorum consummaverat. Et quidem, a quarto saeculo usque ad decimum septimum, libere concilia sexdecim convocaverat, in quibus novatorum commenta expugnata ac praefocata fuerant, et fideles sana doctrina imbuti. In his conventibus, potestas, non solum spiritualis, sed etiam temporalis, vindicata fuerat et corroborata.

Inter cunctos huiusmodi coetus, duo ultimi splendore fulgentiori claruerant: prior, sub venerabili Prévot de Sansac, anno 1583; posterior, sub piissimo ac docto cardinali de Sourdis, novo illius aevi Borromaeo. Ambo namque isti conventus ecclesiae vulneribus remedia efficacia contulerant; ambo clerum populumque christianum ad sanctioris vitae normam reduxerant.

Sed acceleraverunt tempora periculosa, in quibus praedixerat apostolus venturos esse homines qui „*sanam doctrinam non* sustinerent, *sed, ad sua desideria,* coacervarent *sibi magistros prurientes auribus,*

[1] Ps. CXVII, 23.
[2] Ps. CXVII, 24.

A *et a veritate quidem auditum* avertentes, *ad fabulas autem se convertentes*" [1].

Nunquam igitur episcoporum coetus magis necessarii fuissent quam his temporibus, *ut obstrueretur os loquentium iniqua,* ruinamque auctoritatis civilis ac spiritualis machinantium. Vinciebatur interea conciliorum lingua, quorum arma potentia Deo, sola errorem et mendacium destruere valuissent. Sic impune praevalebat impietas, et cuiusque potestatis subversivas leges quasi regina dabat.

Incassum pastores et verbi divini praecones clamabant: *Quo pergitis, miseri? Abyssus abyssum invocat; abyssus errorum abyssum invocat calamitatum. Sola mater ecclesia filios obcaecatos et errantes illuminare, et in rectum tramitem reducere valet. Cur ergo captiva remanet inclyta filia Sion? Cur manus vinculis ligantur, quae cunctos populorum morbos sanare queunt?* In ventos abeunt hae salutiferae voces; violentius in dies febre phrenetici insaniunt in medicum [2]; crescit torrens inundans, privatos, familias nationesque vastaturus.

Nunquam, fatemur, *verbum Dei* fuit, in ore ecclesiae, penitus *alligatum:* vocem quippe extollebat per pontifices, etiam errantes, exsulos, catenis obrutos; sed quaedam suspicio invidiosa ac malevola animos multorum invaserat erga ecclesiae proceres. Dicebant isti: „*Caveamus ne fortiores nobis fiant, nobisque dominentur; si dimittimus illos sic, mundus totus post illos abibit: et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem.*" [3]

Mox decreverunt ne illi congregarentur quos „*Spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*" [4]; cumque deinceps praesulum conatus unione carerent, facilius *intrarunt lupi rapaces, non parcentes gregi.*

Sed nunc tandem novus rerum nascitur ordo: C suspiria nostra audivit omnipotens et clemens Deus. Redeunt concilia, et cum ipsis, redit spes afflictis mentibus. Animaequior esto, popule christiane. *Memor* fuit Dominus *congregationis* suae: levavit manus suas in superbias inimicorum suorum, qui dixerant: „*Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.*" [5] Nobilis equidem festivitas est congregatio praesulum, qui *pro patribus* antiquis *nati sunt tibi,* et *constituti sunt principes* spirituales *super terram.* Vox eorum, vox una: vox est enim eorum quibus una *fides* est, *sine qua impossibile est placere Deo;* medicorum vox est, quos *misit* Christus *sanare omnes* animae *infirmitates;* vox est eorum qui „*pro Christo legatione funguntur, tanquam Deo exhortante per eos*" [6]: quibus *dedit* Deus in Christo, tanquam „*haereditatem et possessionem* eorum, *terminos terrae, ut* omnes *serviant Domino in timore, et exsultent ei cum tremore, apprehendentes disciplinam,* D *ne quando irascatur Dominus, et pereant de via iusta*" [7].

Dies igitur ista, quae nobis tam iucunda, vobis quoque, fratres dilectissimi, eo magis debet esse laeta, quo salutis fructibus fecundior esse potest concilii exitus; non enim quae nostra sunt quaerimus, sed quae vestram felicitatem spectant. Dum seductores plurimi, vestrae fidei insidiantes, in doctrinas perditionis vos alliciunt, nos patres, nos animarum vestrarum episcopi, vobis largiri et conservare cupimus „*thesaurum non deficientem, quo*

[1] II Tim. IV, 3-4.
[2] August. [serm. 87, n. 14, opp. s. Aug., ed. Bened., V, 469 A].
[3] Ioan. XI, 48; XII, 19.
[4] Act. XX, 28.
[5] Ps. LXXIII, 2, 8.
[6] II Cor. V, 20.
[7] Ps. II, 8, 11-2.

*fur non appropiat, neque tinea corrumpit*"[1]. Si quis A enim a vobis aurum, vel possessiones subtrahat, iniquus quidem est, ac poena dignus; si quis autem a vobis fidem auferat, perit anima, *pro qua Christus mortuus est*. Verumtamen, „*quid prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?*"[2]

Plaudite igitur, populi fideles, coetui nostro: animas namque vestras contra impietatis frameam bis acutam defendet; temporalia etiam proteget, animis vestris instillando „*pietatem* quae *ad omnia utilis est, promissionem habens vitae, quae nunc est, et futurae*"[3]. Huc tendunt omnia concilia; id etiam operari, Deo adiuvante, nata sunt.

Memores estote maiorum vestrorum, quando „*in regione umbrae mortis* sedebant: quanta barbaries! quanta ferocitas! *Omnia commista sunt: sanguis, homicidium, furtum et fictio, corruptio et infidelitas,* B *turbatio et periurium, tumultus bonorum, Dei immemoratio, animarum inquinatio, nativitatis immutatio, nuptiarum inconstantia, inordinatio moechiae et impudicitiae: infandorum enim idolorum cultura omnis mali causa est, et initium et finis*[4]. Statim autem ac gens nostra *vidit lucem magnam* evangelii, *et sedentibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis*[5], *de forti egressa est dulcedo*"[6]; mores mansueti facti sunt, leonibus in agnos conversis. Mox enim prodierunt concilia, quae leges misericordiae et charitatis legibus cruentis et inhumanis substituerunt.

Sed parum fuisset errores destruxisse, nisi fides orthodoxa sarta tecta servaretur, et contra profanas protegeretur novitates. Ideoque, in unum coeunt episcopi, ut fides sine macula et ruga custodiatur, et ecclesiae filii „*non circumferantur omni vento doctrinae, in nequitia hominum*"[7]. Huc tende- C bat Carolus ille Magnus, qui quadraginta episcoporum conventus protexit, et, horum praesulum incitamentis, famosa capitularia edidit, ex canonibus conciliorum ac decretis pontificum, ut plurimum, excerpta: non enim auctoritatem leges mere ecclesiasticas ipse ferendi sibi arrogavit pius imperator, sed earum exsecutionem, quantum in se erat, promovit[8].

Caroli Magni successores conciliorum frequentiam haud aegre tulerunt; imo sincere protexerunt: in his namque coetibus coniunctae reperiebantur scientiae, prudentiae, auctoritatis ac virtutum dotes; nec civilis potestas invidebat praesulum gloriae, quae optimae subditorum directioni tam utiliter inserviebat: nec impediebat quod per se agere nequivisset. Utrumque igitur regimen, ecclesiasticum et civile, iunctis dextris, incedebat, alterum alteri suppetias ministrans: potestatem spiritualem tueba- D tur terrena potestas; obedientiam et amorem erga proceres civiles conciliabat et fovebat auctoritas ecclesiastica, servatis semper aequitatis legibus. Abusus reformabantur; comprimebantur motus populares; debiles contra potentem superbum, data occasione, protegebantur: sic pacifica creabatur societas; sic Gallia nostra efformabatur.

Quidni memorem veteris Aquitaniae concilia, quae Europae faciem commutarunt, induciis, sub nomine *treugae* Domini, agnitis, deincepsque ab aliis christianis nationibus adoptatis? Tunc sacra quaedam tempora interponebantur, in quibus quiescebant arma, bella cessabant; tunc etiam asylorum iura et loca assignata fuerunt, in quibus securae stabant et virginalis integritas et viduarum orphanorumque substantia, et plebeculae contra oppressores vita.

Sub eorumdem conciliorum tutamine, inviolabile effectum est agricolae praedium, nec, ipso invito, invadi potuerunt eius utensilia, aut plantationes, aut iumenta, quorum ille pacificus possessor et dominus permansit. „*Institutio sane nobilis*, ait scriptor fidei nostrae caeterum infensus, *praeclarissimum cleri opus, quo praesertim efferi mores mansueti facti sunt, mentes ad commiserationem, salvo iure belli, inclinatae; ac tandem populis securitatis ac felicitatis copia, ut nulla maior, obtigit.*"[1]

Quaecumque, in his quae ad religionem, cultum moresque directe vel indirecte pertinent, ea cum Deo agit ac disponit ecclesia. Basilicas aedificet ecclesia; quivis, ad earum aspectum, in has erumpit voces: „*Quam terribilis est locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli.*"[2] Templa vero construat mundana industria; haec theatra, vel gentilitatis fana fere exhibent. Nuptiarum foedera connectat ecclesia; omnes agnoscunt „*sacramentum magnum in Christo, et honorabile connubium*"[3]. Matrimonium regere praesumant alii; nihil constans, nihil nobile, nihil christiano dignum ibi reperies. Christiana pietas fundet ac administret, sub auspiciis ecclesiae, hospitia, xenodochia et alia huiusmodi; florent illa, crescunt, ac saecula vincunt. Eorumdem vero fundationem tentet sola humanitas aut philanthropia; marcescunt illa, depereunt, et maximi sumptus frustra impensi deplorantur. Puerorum ac iuvenum, sub praelatis suis educationem suscipiat religio; agnoscitur statim sacer influxus illius qui dixit apostolis suis: „*Docete omnes gentes; . . . ecce ego vobiscum sum, omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi.*"[4] „*Quam pulchra est casta generatio cum claritate!*"[5] Sola autem sibi vindicet educationis curam scientia saeculi, cito lamentatur filia Sion, dicens: „*Facti sunt filii mei perditi, quoniam invaluit inimicus.*"[6] Recte igitur dilectus discipulus his nos monitos voluit: „*Nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt . . ., quoniam omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae.*"[7]

Haec societatis venena sola efficaciter removere potest religio. Sed plurimi, heu! mortem potius eligerent, quam salutem ab ecclesia oblatam: ad quos haec Ieremiae spectat obiurgatio: „*Obstupescite, coeli, super hoc, et portae eius desolamini vehementer; . . . duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas.*"[8]

His autem non attenuabitur cor nostrum, nec spes evanescet. Credimus in Patrem omnipotentem; credimus in Filium, „*per quem omnia facta sunt*. Quamvis ergo *sufficientes non simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sufficientia nostra ex Deo est, qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti.*"[9]

[1] Luc. XII, 33.
[2] Matth. XVI, 26.
[3] I Tim. IV, 8.
[4] Sap. XIV, 25-7.
[5] Matth. IV, 16.
[6] Iudic. XIV, 14.
[7] Eph. IV, 14.
[8] Natal. Alex., *Hist. eccl.*, saec. XI et XII, dissert. 6 (vel potius saec. VIII, artic. de Carolo Magno).

[1] Sismondi, *Hist. des Français.*
[2] Gen. XXVIII, 17.
[3] Eph. V, 32; Hebr. XIII, 4.
[4] Matth. XXVIII, 19-20.
[5] Sap. IV, 1.
[6] Thren. I, 16.
[7] I Ioan. II, 15-6.
[8] Ierem. II, 12-3.
[9] II Cor. III, 5-6.

Igitur viriliter, in Domino confidentes, opus A grande conciliorum provincialium aggrediemur. Otiose non contemplabimur contritionem populi Dei; sed omnia tentabimus, ut salvari queant filii spirituales a generatione ista prava et perversa. „*Evangelisabimus pacem*, exemplo Christi, his *qui longe fuerant, et pacem iis qui prope.*“[1] Erimus, in medio eorum, „*tanquam si nutrix foveat filios suos. Ita desiderantes* eos, *cupide* volemus *tradere* eis, *non solum evangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniam charissimi nobis facti* sunt.“[2] Eis suggeremus ut sint mites, humiles, potestatibus sublimioribus obedientes, pro eisdem orantes, *ut quietam et tranquillam vitam agamus,* pietatem sectantes, fidei non fictae sanaeque doctrinae adhaerentes, misericordes, mundi corde, pacifici. Hic erit labor, hoc studium, hic conciliorum nostrorum finis.

Haec etiam vota pontificis illius maximi et amantissimi, cuius nunc orbis universus, gaudio exsultans, B felicem reditum in sanctam urbem concelebrat.

Commota sunt vehementer viscera, quando nuntiatae fuerunt tanti parentis angustiae; amare flevimus immeritos eius moerores; exsulem piis sensibus ac precibus secuti; sed firma spes reposita erat in corde nostro, quod dies tandem affulgerent solatii et exsultationis; deploravimus caecitatem impiorum et ingratorum hominum, qui, nedum tot calamitatibus compaterentur, manibus plaudentes, dicebant: „*Periit tandem ecclesia; sedes apostolica cecidit, nec ultra resurget.* Parce, Domine, parce talibus: *non enim intelligunt, [neque] quae loquuntur neque de quibus affirmant*[3]: non enim noverunt *ecclesiam Dei vivi esse columnam et firmamentum veritatis;*“[4] morituram illam et fingunt et optant, quamvis pollicitus fueris ad consummationem usque saeculi ipsi adfuturum. „*Da illis poenitentiam, ad cognoscendam veritatem: et resipiscant a diaboli laqueis a quo capC tivi tenentur.*“[5]

Nos decet et oportet, praesules illustrissimi, Romanae fidei acerrimos esse defensores et propugnatores. Nihil suavius cordibus nostris esse debet, quam errantes in gremium sanctae matris ecclesiae reducere; nihil pretiosius, quam nutrire ac fovere piis in mentibus „*fidei donum electum*[6], *pro* qua *ne*, in Petro, *deficeret* unquam, *rogavit*[7], *auctor et consummator fidei nostrae*, Christus dominus“. Etiamsi solus esset hic scopus coetus nostri, hac data occasione, gestientibus simul foret exclamandum: „*Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum!*“[8]

Dignetur Dominus scuto veritatis suae circumdare servos suos illum invocantes; angelis suis mandet ut custodiant nos in omnibus viis nostris, et in manibus portent nos, ne forte offendamus ad D lapidem pedes nostros. Monstret se nobis matrem immaculata Virgo, quae serpentis caput contrivit in sua purissima conceptione. Ipsa opitulante, „*super aspidem et basiliscum ambulabimus, et conculcabimus leonem et draconem.*“[9] Provinciae suae clientes defendant nostrarum dioeceseon speciales apostoli aut patroni, Delphinus, Amandus, Eutropius, Hilarius, Ausonius, Fronto, Caprasius, Paulinus.

Nec te silebimus, pie antecessor, cuius imago, sero nimis, sed fidelissime et maiestuose vultum A tuum oculis mirantibus, exhibet[1]. Etsi enim pro anima tam pia, tam Deo et hominibus dilecta, preces fundere non desistamus, tuum iuvamen expectare consolatio nostra est. Praesulibus, ut speramus, succurres, adunatis, eorum concilio praesidens, a sedibus altis. Hunc etiam populum Burdigalensem, quem, per decem annos, adeo sapienter rexisti; quem tot sanctis exemplis aedificasti; quem tam puris, tam fecundis eloquentiae et divinae doctrinae fontibus potasti, intuitu paterno aspicies.

His optimis ac coelestibus auspiciis, praeparentur, efformentur et publicentur decreta nostra, sanctae matris ecclesiae, Romanique pontificis iudicio, ut par est, subiicienda, ad maiorem gloriam omnipotentis Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti; amen.

Postea, instantibus promotoribus, iubenteque B illustrissimo ac reverendissimo archiepiscopo praeside, a secretariis concilii lecta sunt, e principali ecclesiae suggestu, tria decreta, videlicet: *de aperienda synodo, de modo vivendi in concilio,* et *de emittenda professione fidei,* quae singula a patribus, successive interrogatis, fuerunt probata.

Tunc, exposito in medio sanctuarii, super pulpitum splendide ornatum, sacrorum evangeliorum libro, prope crucem archiepiscopalem, professionem fidei, ad formam praescriptam a summo pontifice Pio IV, emiserunt patres concilii, iuxta praeceptum sacri concilii Tridentini, sess. XXV, *de reform.*, cap. 2, et quidem, perlecta in extensum ab uno ex secretariis, e suggestu, Pii IV formula, singuli patres, genibus flexis, tactoque evangelio, alta voce eamdem fidem professi sunt, per haec verba: *Ego N. . . . episcopus N. . . . hanc fidem in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo; et in futurum spondeo, voveo* C *ac iuro. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia.*

Idem fecerunt, reverendissimus dominus dominus Dupuch, episcopus olim Caesaroiuliensis et reverendus dominus Cousseau, ad sedem Engolismensem nominatus. Concilii autem adiutores presbyteri, pro suis in sanctam matrem ecclesiam catholicam pietate et observantia, idem, submissa voce, manumque versus sancta evangelia elevatam tenentes, promotore concilii, nomine omnium, fidei formam breviorem modo relatam alta voce repetente, peregerunt.

His habitis, ad instantiam promotorum, indicta fuit a patribus sessio secunda pro die decima nona mensis iulii, in festo sancti Vincentii a Paulo.

Valde autem doluerunt concilii patres, seipsos improba aëris temperie impeditos fuisse, quominus ad maiorem seminarii aulam processionaliter reverD terentur, et sic non potuisse innumerabilis populi votis et pietati satisfacere, qui undique ex vicinioribus oppidis et pagis confluxerat.

His igitur ut supra absolutis, benedictione archiepiscopali accepta, finem habuit prima sessio concilii.

CONGREGATIO GENERALIS II.

Die decima sexta mensis iulii, hora pomeridiana quarta, habita est, in aula seminarii Burdigalensis, praeside illustrissimo et reverendissimo domino domino archiepiscopo metropolitano, secunda congregatio generalis, cui interfuerunt omnes illustrissimi ac reverendissimi domini domini episcopi, praesentibus deputatis et theologis.

Ineunte congregatione, ad instantiam domini promotoris, statuerunt patres: 1. omnibus licitum

[1] Ephes. II, 17.
[2] I Thess. II, 7-8.
[3] I Tim. I, 7.
[4] Ibid. III, 15.
[5] II Tim. II, 25-6.
[6] Sap. III, 14.
[7] Luc. XXII, 32.
[8] Ps. CXXXII, 1.
[9] Ps. XC, 6, 11-3.

[1] Eminentissimi cardinalis de Cheverus mausoleum, exquisite sculptum perita manu domini Maggesi, pluribus aliis [illegible]

esse sedere cooperto capite; 2. nullum, nisi postulata ab illustrissimo et reverendissimo praeside licentia, sermonem habere posse; 3. quemlibet, sibi concessa loquendi facultate, aperto capite stantem loqui debere.

Deinde, de mandato illustrissimi metropolitani praesidis, lecta sunt a secretario congregationis *de sacramentis*, duo decreta: prius, *de sacramentorum administratione;* posterius, *de iis quibus sacramenta deneganda sunt.*

Interea, admonuit assistentes illustrissimus metropolitanus, uniuscuiusque observationes a secretariis concilii esse conscribendas, quibus postea, pro sua sapientia, uterentur patres. Denique adhortatus est eos qui longiora dicenda haberent, vel prolixiores textus et notatu dignos, ut ea scriptis mandata secretariis committerent, patribus referenda.

Quibus omnibus habitis, decretisque mature perpensis, absoluta est congregatio per orationem *Sub tuum praesidium.*

### CONGREGATIO GENERALIS III.

Die decima septima mensis iulii anni millesimi octingentesimi quinquagesimi, hora quarta pomeridiana, in congregatione generali consederunt, praeside illustrissimo ac reverendissimo metropolitano, omnes concilii patres, praesentibus canonicis et theologis.

Lecto ab uno e notariis, probatoque a patribus instrumento earum rerum quae in congregatione praecedenti actae fuerant, lecta sunt a secretariis uniuscuiusque privatae congregationis respectivae, et examinata sunt quinque capita: primum et secundum, sub titulo sexto, fuerunt *de christiana iuventutis educatione in genere,* et *de domibus lactentium et parvulorum,* vulgo dictis *crèches et salles d'asile;* tertium, sub titulo tertio, fuit *de baptismo.* Nonnulli ex theologis sua sensa proposuerunt, praesertim circa baptismum, privatis in domibus, aut etiam in ecclesia, absque caeremoniis conferendum, de licentia episcopi; pariter, circa dotes a patrinis et matrinis exigendas. Quartum caput et quintum, sub titulo secundo, fuerunt *de ecclesiis, de earum munditie et ornatu, ac bonis rite gerendis,* et *de oratoriis privatis.*

Post haec, absoluta est tertia congregatio generalis, de more, per orationem *Sub tuum praesidium.*

### CONGREGATIO GENERALIS IV.

Die decima octava mensis iulii eiusdem anni, hora sesquisecunda pomeridiana, in congregatione generali consederunt, praeside illustrissimo ac reverendissimo archiepiscopo Burdigalensi, omnes concilii patres, praesentibus canonicis et theologis.

In hac congregatione, lecta sunt ab uno e notariis, et approbata a patribus acta eorum quae gesta fuerant in congregatione generali tertia.

Deinde lecta sunt a secretariis duo capita: unum, sub titulo primo, *de auctoritate ecclesiae* inscriptum; alterum, sub titulo quinto, fuit *de seminariis in genere et de eorum moderatoribus;* circa quae, cum sint omnino gravia, plures e theologis varia a patribus examinanda proposuerunt.

His habitis, illustrissimus ac reverendissimus praeses sessionem secundam solemnem sequenti die, prout iam indictum fuerat in sessione prima, ad horam sextam ante meridiem, habendam fore edixit.

Demum, absoluta est congregatio per orationem solitam.

## SESSIO SECUNDA.

Die decima nona mensis iulii anni millesimi octingentesimi quinquagesimi, in festivitate sancti Vincentii a Paulo, prout in sessione prima indixerant patres, hora matutina sexta, in ecclesia seminarii maioris Burdigalensis, celebrata fuit sessio secunda concilii.

Ex aula seminarii ad ecclesiam processerant patres et concilii adiutores, eo ordine qui statuitur in decreto *de modo vivendi in concilio,* parati omnes iuxta ea quae praescripta fuerant, in congregatione prima generali, de paramentis induendis.

Huic sessioni secundae aderat, cum nonnullis de civitatis clero, plebis christianae numerosus coetus, pietate religioneque commendabilis.

Omnibus rite dispositis, illustrissimus ac reverendissimus episcopus Rupellensis horam sacri officii *tertiam* cantando inchoavit. Qua absoluta, in pontificalibus celebravit missam *de communi confessoris non pontificis,* intra quam omnes episcopi et presbyteri de concilio sacram communionem de manu pontificis celebrantis susceperunt.

Finita missa, in medio chori de more exposita sunt, iuxta crucem archiepiscopalem, sacra evangelia; et illustrissimus ac reverendissimus metropolitanus, concilii praeses, ad altare procedens, ut in prima sessione paratus, actionem synodalem incepit. Accurate servatis omnibus quae in pontificali praescribuntur, sermonem habuit illustrissimus dominus dominus Dupuch, episcopus olim Caesariolensis; quo sermone, quanti sint momenti quae a concilio iam acta sunt, et quae in futurum sunt agenda, exposuit. De sancto Vincentio a Paulo etiam multa pie dixit ac luculenter; demum, in memoriam adstantium revocavit hanc esse diem in qua animam Deo reddiderat illustrissimus et reverendissimus cardinalis de Cheverus, archiepiscopus Burdigalensis.

Dein, ad instantiam dominorum promotorum, iubente illustrissimo ac reverendissimo praeside, a secretariis concilii, alta et intelligibili voce, de suggestu ad hoc parato, lecta sunt, servatis de more servandis, quatuor capita, scilicet: primum, sub titulo primo, *de auctoritate ecclesiae;* secundum, sub titulo secundo, *de ecclesiis, de earum munditie et ornatu, ac bonis rite gerendis;* tertium et quartum, sub tituto sexto, *de christiana iuventutis educatione et de domibus lactentium et parvulorum,* vulgo dictis *crèches et salles d'asile.* Quae singula a patribus, successive interrogatis, fuerunt probata.

Tandem secretarius a reverendissimis patribus postulavit utrum probarent tertiam sessionem fore die vigesima quinta eiusdem mensis, in festo sancti Iacobi; et, annuentibus patribus, indicta est ad hanc diem proxima sessio. Ex tunc, ab illustrissimo ac reverendissimo praeside benedictione solemni accepta, secunda illa sessio finem habuit, omnesque *Te Deum* alternis vocibus cantantes, ad aulam seminarii processionaliter redierunt.

### CONGREGATIO GENERALIS V.

Die decima nona mensis iulii eiusdem anni, hora quarta pomeridiana, in congregatione generali consederunt, praeside illustrissimo ac reverendissimo metropolitano, omnes concilii patres, praesentibus canonicis et theologis.

Inchoante hac congregatione, statuit illustrissimus metropolitanus, quando opportunum videretur, omnium concilii adiutorum de re controversa expostulandam esse sententiam, qui, surgentes aut sedentes, suam mentem aperirent.

Deinde lectum fuit ab uno e notariis, et approbatum a patribus, instrumentum eorum quae gesta sunt in congregatione generali quarta.

Tum, de mandato illustrissimi praesidis, lecta sunt a secretariis sex capita, quae sic se habent: tria, sub titulo secundo, scilicet: primum, de diebus

*dominicis et festis de praecepto*; secundum, *de festis sive suppressis, sive translatis*; tertium, *de missa et officiis divinis digne celebrandis, ubi praecipue de missa parochiali et de bina celebratione in eodem die.* Duo decreta fuerunt, sub titulo quarto, scilicet: unum, *de summo pontifice*, alterum, *de metropolitano*; denique unum, sub titulo sexto, fuit *de scholis primariis*.

Propter abundantiam decretorum, circa quae pauca tamen a theologis fuerunt exposita, congregatio ultra horam assuetam producta est; finem autem habuit, more solito, per orationem *Sub tuum praesidium*.

*Nota.* Post orationem *Sub tuum praesidium*, edixit illustrissimus praeses duas habendas esse die sequenti, id est sabbato, congregationes particulares, nullam vero generalem.

### CONGREGATIO GENERALIS VI.

Die vigesima prima mensis iulii eiusdem anni, hora meridiana, in congregatione generali consederunt, praeside illustrissimo ac reverendissimo metropolitano, omnes concilii patres, praesentibus canonicis et theologis, uno e notariis excepto, qui infirma valetudine impeditus, defuit.

Lecto, et a patribus approbato instrumento eorum quae gesta sunt in congregatione generali quinta, de mandato illustrissimi praesidis, lecta sunt a secretariis quinque capita, scilicet: duo, sub titulo primo, quorum unum fuit *de pravis libris et diariis; de haereticorum libellis ac proselytismo*; alterum, *de libris ab episcopo approbandis, et de prudentia ad id necessaria*; duo, sub titulo secundo, unum nempe *de cantu ecclesiastico et musica in ecclesiis*; et alterum, *de sacra supellectili, et praecipue de vasis sacris, de vasis oleorum sanctorum, de paramentis et linteaminibus ecclesiae*; ultimum, sub titulo tertio, fuit *de confirmatione*.

Quibus omnibus fusius et maturius perpensis, absoluta est congregatio per orationem solitam.

### CONGREGATIO GENERALIS VII.

Die vigesima prima mensis iulii eiusdem anni, hora quarta, in congregatione generali consederunt, praeside illustrissimo ac reverendissimo metropolitano, omnes concilii patres, praesentibus canonicis ac theologis.

Lecto ab uno e notariis, et approbato a patribus instrumento eorum quae gesta sunt congregatione generali sexta, de mandato illustrissimi praesidis lecta sunt a secretariis quinque decreta: tria scilicet sub titulo quarto, quorum primum fuit *de episcopis*; secundum, *de concilio provinciali*; tertium, *de synodo dioecesana*; duo vero, sub titulo sexto, nempe *de scholis secundariis*, et *de missionibus* et *praedicationibus extraordinariis*.

Post haec, absoluta est congregatio de more, per orationem *Sub tuum praesidium*.

### CONGREGATIO GENERALIS VIII.

Die vigesima secunda mensis iulii eiusdem anni, hora quarta pomeridiana, in congregatione generali consederunt, praeside illustrissimo metropolitano, omnes concilii patres, praesentibus canonicis ac theologis.

Lecto ab uno e notariis, et approbato a patribus instrumento eorum quae gesta sunt in congregatione generali septima, lecta sunt a secretariis duo capita: unum, *de eucharistia*; alterum, *de seminariis minoribus, et studiis ecclesiasticis quae congruunt huiusmodi institutis.* Et cum gravissimi sint momenti ea quae tractantur in decretis istis, plures [illegible]

runt, quae a secretariis, mandante illustrissimo praeside, annotata sunt, ut iam factum fuerat in praecedentibus congregationibus.

Post haec, absoluta est congregatio more solito.

### CONGREGATIO GENERALIS IX.

Die vigesima tertia mensis iulii eiusdem anni, hora quarta pomeridiana, in congregatione generali consederunt, praeside illustrissimo ac reverendissimo metropolitano, omnes concilii patres, praesentibus canonicis ac theologis, excepto domino Gignoux, uno e promotoribus, qui, infirma valetudine impeditus, abfuit.

Post deprecationem assuetam *Adsumus*, introducti sunt in concilium dominus Brunelière, vicarius generalis, archipresbyter ecclesiae cathedralis Engolismensis, iam supra designatus cum titulo theologi capituli Engolismensis; et dominus Carolus Roussel, presbyter Sancti-Sulpitii, moderator in seminario maiori Aquensi, tanquam theologus reverendissimi metropolitani.

Deinde, requirente uno e promotoribus, ut omnes quotquot variis congregationibus assisterent, sese eadem obligarent promissione quam emiserant concilii adiutores in prima congregatione generali, hoc perfecit dominus Brunelière, ad mandatum illustrissimi praesidis. Declaravit autem reverendissimus metropolitanus, se eos omnes ad eadem promittenda iam adstrinxisse qui congregationibus interdum adfuerant, inter quos recensendi sunt: domini Montera, canonicus Caesaroiuliensis in Africa; Drouet, parochus civitatis Oran, item in Africa; Fonteneau, secretarius illustrissimi ac reverendissimi domini domini archiepiscopi; et de La Salle, vicarius parochiae Sancti-Nicolai Burdigalensis.

Sub his, dominus Lacombe, rector seminarii minoris Burdigalensis, agens de quadam quaestione iam in praecedenti congregatione tractata, catechismum concilii Tridentini non ad quoslibet fideles, sed praesertim ad parochos directum esse, pluribus exposuit.

Tum, lecto ab uno e notariis, approbatoque a patribus, instrumento eorum quae gesta fuerunt in congregatione generali octava, lecta sunt a secretariis tria capita: unum, sub titulo primo, *de praedicatione in missa parochiali et catechismo*; secundum, sub titulo quarto, *de foro episcopali seu officialitatibus*; tertium, sub titulo quinto, *de seminariis maioribus, de studiorum materia, methodo et tempore*.

Multis, praecipue circa hunc ultimum titulum, agitatis et propositis, absoluta est congregatio de more.

### CONGREGATIO GENERALIS X.

Die vigesima quarta mensis iulii eiusdem anni, hora quarta pomeridiana, in congregatione generali consederunt, praeside illustrissimo metropolitano, omnes concilii patres, praesentibus canonicis ac theologis, uno e promotoribus, valetudinis causa, ut iam dictum est, excepto.

Post deprecationem assuetam, lecto ab uno e notariis, et a patribus approbato instrumento authentico eorum quae gesta sunt in congregatione generali nona, de more lecta sunt a secretariis sex capita: tria, sub titulo quinto, nempe, primum, *de examine ordinandorum et iuniorum sacerdotum*; secundum, *de collationibus ecclesiasticis*; tertium, *de altioribus studiis theologicis et de gradibus obtinendis*; tria vero, sub titulo tertio, nempe, *de poenitentia, de extrema unctione et ordine*.

Post haec, absoluta est congregatio per orationem *Sub tuum praesidium*.

## SESSIO TERTIA.

Die vigesima quinta mensis iulii anni millesimi octingentesimi quinquagesimi, in festivitate sancti Iacobi maioris, hora matutina sexta, prout indictum fuerat sub finem sessionis secundae, ex aula seminarii maioris Burdigalensis, ad ecclesiam parochialem Sancti-Michaelis, amicti iuxta ea quae in prima congregatione generali praescripta sunt, ordineque iam in eadem congregatione statuto, solemniter processerunt omnes concilii patres et presbyteri adiutores. Aderant etiam illustrissimi ac reverendissimi domini domini episcopi Lemovicensis et Bellovacensis, qui patribus concilii hac in solemnitate, pro sua pietate, sese adiunxerant. Dum progrederentur omnes, litanias beatae Mariae virginis alternis decantantes vocibus, immensa per vias et compita circumadstabat frequentia populi, nec minor iam totam Sancti-Michaelis ecclesiam, cum pluribus de clero, fidelium copia occupaverat.

Omnibus ingressis, illustrissimus ac reverendissimus dominus dominus archiepiscopus horam *tertiam* sacri officii cantando inchoavit. Qua absoluta, in pontificalibus celebravit illustrissimus ac reverendissimus dominus dominus episcopus Engolismensis, ad Cameracensem archiepiscopatum nominatus; et intra missam, sacram communionem de manu celebrantis receperunt de more omnes tum episcopi, tum presbyteri concilii adiutores. Hoc autem omnium commovit animos, quod venerabilis parochus Sancti-Michaelis, dominus Duburg, gravi et diuturno morbo prohibitus quin concilio assisteret, ad quod convocatus fuerat, voluerit et ipse de manu pontificis celebrantis communicare: qui illi super faldistorio sedenti, et habitu chorali cum stola induto, sacrum domini nostri Iesu Christi corpus sumendum dedit [1].

Finita missa, illustrissimus ac reverendissimus dominus dominus archiepiscopus, ad altare accedens, actionem synodalem, ut in sessionibus praecedentibus, incepit: omnibusque, prout habentur in pontificali, accurate servatis, post hymnum *Veni, creator*, illustrissimus ac reverendissimus dominus dominus episcopus Pictaviensis, pluviali mitraque paratus, de suggestu concionem publicam habuit, cuius tenor sequitur:

Reverendissimi patres et fratres carissimi.

*Quis ut Deus?* Hanc vocem olim in coelo prolatam qui possem hodie et ego non usurpare? O vere triumphalis compellatio, sublimis clamor, qui nostro e pectore, nostris e labiis erumpit; quo sonante gloriosum illius archangeli nomen una resonat, qui huic splendidissimo et ornatissimo templo patrocinatur, exsultantque simul et circumstantium corda et omnes huius lapides sanctuarii! *Quis ut Deus?*

Nonne et vos, illustrissimi ac reverendissimi patres, hanc pariter vocem emisistis, res cunctas quae nostris diebus eveniunt, et hoc praecipue spectaculum mirati quod vestris nunc temporis oculis subiicitur? *Quis* igitur *ut Deus?* scilicet, *quis* magnus, *quis* fortis, *quis* necessarius, *quis* sapiens, *quis* bonus *ut Deus?*

*Quis* magnus *ut Deus?* Ad haec: Ego, respondit olim superbiens creatura; et hanc quidem audistis dicentem in corde suo: „*Ascendam, similis* A *ero altissimo*."[1] Cernitis ut se ipse Deum declaret, sibi altaria ponat, „*ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus?*"[2] Sed hic sistere nefas; mox deitas altera, prioris istius numinis filia vel soror, ipsi proxima assidet, cui nomen *voluntas*; et, dum ante aram liberioris *rationis*, laeto concentu, amoena mendacia cum facetiis miscentur blasphemiis, *in circuitu* throni illius, quae iam sedet regina, *voluntatis, tempestas valida*[3] et horrificus cooritur seditionum, anarchiae mortisque ululatus. Trepidare omnes; utitur ratio verbis, brachiis voluntas; ludit ista, vagisque conceptibus pariundis insudat; haec praeceps volat ad actum, ruitque ad ultima. Et quidem, si Deus ipse iam non sit Deus, ecquis Dei vices tenere praesumat? Everso Deo, quis stare possit? *Quis ut Deus?*

At quid ego de everso Deo? Numquid non ipse Deus fortis est? Valebitne unquam infirma homi- B num manus thronum labefactare summae ipsius maiestatis? En ex alto coelo despiciens, aliquandiu quidem homines pro suo arbitrio agere sinit; at brevi sacrilegos suae felicitatis gloriaeque aemulos gravi premit dextra, operariorumque consilia eo momento confundit, quo fastigium aedificio imponere gloriabantur, operique nunquam absolvendo nomen erit *Babel*. Ea mulctatos poena voluit Deus homines superbos qui paria Deo sentire praesumpserunt. Ad eos autem qui, voluptati audacius indulgentes, et propriis elati artibus et industria, securi medias inter delicias volutabantur, quas sibi peperisse iactitabant, ita Dominus locutus est: „*Ecce ego ad te, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, et dicis: Meus est fluvius, et ego feci memetipsum;*" comprehendam te et omnes qui sortem miserunt tecum, et „*extraham te de medio fluminum tuorum; et universi pisces tui squamis tuis adhaerebunt, et* C *proiiciam te in desertum et omnes pisces fluminis tui*"[4]. Haec verissima et quasi spirans imago hominum voluptati inservientium, quorum finis ultimus deliciae, quos foras Dei brachium deiecit ex elemento in quo perpetuo vivere, frui perpetuo sibi gratulabantur: vere semineces pisces, qui in arena palpitant, mox extremum efflaturi spiritum, nisi ille, quem tamdiu lacessivere, Deus eos in vitam restituat. *Quis* enim *ut Deus?*

*Quis ut Deus*, qui perditos salvet? Quod enim dixit propheta: „*Salvator non est praeter*" ipsum[5], et nos dicere possumus, cum et nos in posterum prophetas fecerit magna illa humanae vitae magistra, experientia. Quam pulchrum, reverendissimi patres et fratres carissimi, nostris hisce diebus quasi de novo praegnantem religionem intueri, totque homines reditionem ad saniora vicinioraque saluti aggredientes! „*In diebus illis*, ait Zacharias propheta, D *apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, et apprehendent fimbriam viri Iudaei, dicentes: Ibimus vobiscum, audivimus enim quoniam Deus vobiscum est.*"[6] Nonne nos hoc ipsum perspicimus, fratres carissimi? Nunc etiam videre est homines ex decem tribubus, ex decem linguis in unum conspirare; alios quidem artis politicae, alios philosophiae peritos; istum faventem potentatui, obsistentem illum; quosdam cautos rerum aestimatores et omnia computantes calculis, nonnullos e contra novis rerum speciebus effingendis assiduos, exercitos studiis litterisque: alterum temporis acti et priscorum asseclam, alterum ulterius progrediendi

[1] *Nota.* Postera die, litteras congratulatorias scripsit dominus Duburg ad illustrissimum dominum dominum archiepiscopum, quarum tenor infra inscribitur; die autem octava mensis augusti eiusdem anni, animam Deo reddidit venerabilis ille et de ecclesia bene meritus presbyter, annos natus sexaginta.

[1] Is. XIV, 14.
[2] II Thess. II, 4.
[3] Ps. XLIX, 3.
[4] Ezech. XXIX, 3-5.
[5] Oseae XIII, 4.
[6] Zach. VIII, 23.

cupidum et recentioris aevi abreptum aestu; qui omnes, eodem commoti periculo, experientiaque monente, si virum quem inturrant rectae fidei doctrinaeque tenacem, sacerdotemve aut pontificem Dei altissimi, hunc corripientes, fimbriaque apprehensum hisce compellant verbis: deinceps vobiscum erimus et *ibimus vobiscum;* Deo enim nobis est opus; „*audivimus enim quoniam Deus vobiscum est*," neque alias inveniri potest. Et hoc quidem est, fratres carissimi, temporis, quo vivimus, mirabile portentum. Intellexere tandem omnes, aut iam sunt intellecturi, non parvi nostra referre, si illo ente quod necessarium est, careamus. Michaelis igitur vox praeclara omnibus in corde est; utinam in ore mox sit omnibus! *Quis ut Deus?*

*Quis* magnus, *quis* fortis, *quis* necessarius *ut Deus?* adiiciendum: *quis* sapiens, *quis* bonus etiam *ut Deus?* Simul ac in ruinam vergit regnum mendacii, Deus luminis ille auctor, suae creaturae poenitenti, et erroris vinculis expeditae, fit obvius. Quod quidem in promptu est. Cui enim aliquando, fratres carissimi, in mentem venire potuit futurum ut, inter tantos rei publicae tumultus et omnium rerum eversiones, ecclesiae iter ad concilia tenderet, atque hoc in imperio, tam penitus concusso, Dei altissimi sacerdotes solemnes illos suos, nullo prohibente, haberent consessus, ducentis amplius annis intermissos? *Quis ut Deus? Quis,* ut ad propositum finem perveniat, vias secutus humanae investigabiles sapientiae? Haud sane grandia hoc in primo concilio decernere aggressi sumus; non tamen despicienda quae sumus persecuti. Graves catholicorum dogmatum veritates plano sermone enuntiatae, praecipuique recentiorum temporum errores sedulo notati aperteque damnati; immunis ecclesiae auctoritas publice asserta; Petri principatus infallibilis sic declaratus, ut omnes quae, a praecedenti concilio, hac de gravi quaestione nubes coortae sunt, penitus et in perpetuum depellantur; ius commune plenissime acceptatum; principium unitatis disciplinae restitutum, praecipue circa ea quae precationem publicam, tradendaque in parochialibus ecclesiis religionis documenta spectant; studia ecclesiastica amplificata auctaque, et zelus sacerdotalis novo impulsu exstimulatus; monasticae gentis multiplicatio ardentissimis expostulata votis, piaque instituta fervidis adhortationibus incitata: haec sunt, inter multa, quae absolvisse sibi gratulabuntur illius concilii patres, quibus datum est, medias inter hesternae diei et crastinae forsan (quod Deus avertat!) procellas, diebus aliquot tentorium ponere sub miti Aquitaniae coelo, in urbe religionis et hospitalitatis plena, quae nos votis, reverentia et obsequiis omnimodis prosequitur, nobisque blando risu rependit quas inter eundum fundimus, vel frontibus infantium signamus, benedictiones. Urbs Burdigala, quicumque deinceps contingat rerum eventus, nova iam tuis pagina addita est annalibus; non mediocre enim accedit provinciae ex concilio celebrato decus: et quamquam tua hucusque comparatae laudis ornamenta tibi sint in pretio, splendidior forsan haec posterior gloria refulget, quae, coelo simul terraeque inscripta, novo te foedere aeternae iungit civitati. Caeterum, non dubium est, fratres carissimi, quin magna Deus praeparet: huius seculi pars altera famosa apud historicos habebitur. Ne interrogaveritis quas civium partes victoria maneat; quas regnum et potestas: Christo, soli Iesu Christo, in perpetuum victoria, regnum et imperium. Posteri autem, cum compererint nostra haecce Galliae, imo Europae totius concilia in tam singularibus temporum adiunctis habita fuisse, et [illegible] maiori quam nos admiratione exsultantes, eumdem nostrum clamorem tollent: *Quis ut Deus?*

Nobis autem, reverendissimi patres, inque episcopatu et sacerdotio fratres, quo laborum nostrorum termino magis appropinquamus, nonne eo magis etiam liquet Deum nobiscum esse et in nostro habitare tabernaculo? Quando enim deliberationum nostrarum formam, conventuumque speciem cum his conferimus quae de caeteris hominum conciliis narrantur, vos testes quam grato animo, quocumque advesperascente die, oculos ad coelum levantes, hanc vocem dictitamus: *Quis ut Deus? Quis ut Deus,* ut mentes et voluntates, ut corda et animos ita copulet? Ea aetate, qua tam penitus inter se dissentiunt homines, quam bonum nos idem semper sentire, et in eiusdem fidei confessione, in unanimi caritatis sensu, convenire! Si gravet aliquando labor, at certe iuvat recreatque animos, pro tam magna, et vera et iusta causa viribus exhauriri. Alii multi labore et vigiliis ut nos consumuntur; quid vero de labore eorum restat? Quod facimus, in vitam aeternam resiliet. *Quis ut Deus?* quis alius magister talia solatia, talem spem suis servis largitur?

Dixi, patres reverendissimi. Nunc per vos liceat recentiori vestro in episcopatu fratri, et, vobis iubentibus, interpreti vestro, eo privilegio uti quod ad dispensatorem verbi divini pertinet, nempe ut benedicat, omnium vestrum nomine, huic innumerae fidelium multitudini, nostris perattentae sermonibus, et in primis huic religiosae paroeciae, cuius pietate sincera candidaque noster captus est animus, et quae per vias salutis tam sancte directa incedit. Utinam omnes hic congregati christiani secum hanc reportent vocem, quae huiusce templi vexillo inscribitur! hanc habeant tesseram pugnae: hanc, non fidelium tantum, sed omnium bonorum coadunatricem: *Quis ut Deus?*

Post concionem, ad instantiam domini vicepromotoris, loco ipsius promotoris gravi infirmitate detenti, alta voce a secretariis de suggestu lecta sunt, de mandato illustrissimi praesidis, varia decretorum capita, scilicet: sub titulo secundo, caput secundum, *de diebus dominicis et festis de praecepto, ac de eorum sanctificatione;* tertium, *de festis sive suppressis, sive translatis;* quartum, *de missa parochiali et officiis divinis;* quintum, *de cantu ecclesiastico;* sextum, *de sacra supellectili;* sub titulo tertio, caput primum, *de legitima sacramentorum administratione;* secundum, *de baptismo;* tertium, *de confirmatione;* sub titulo quarto, caput secundum, *de metropolitano;* tertium, *de episcopis;* quartum, *de concilio provinciali;* quintum, *de synodo dioecesana.*

Quae omnia cum a patribus fuerint probata, Deo gratiae actae sunt.

His absolutis, instante vice-promotore, ab illustrissimo ac reverendissimo praeside, de consensu patrum, indictum est hanc tertiam sessionem continuandam fore diebus sequentibus, qui opportune designabuntur.

Tandem illustrissimus ac reverendissimus metropolitanus solemni benedictione hanc tertiae sessionis partem absolvit; omnesque processionaliter, concurrente et adstante eadem pia fidelium multitudine, *Te Deum* cantantes, ad aulam seminarii redierunt.

CONGREGATIO GENERALIS XI.

Die vigesima quinta mensis iulii eiusdem anni, hora quarta pomeridiana, in congregatione generali consederunt, praeside illustrissimo ac reverendissimo metropolitano, omnes concilii patres, praesentibus [illegible] et theologis, uno e promotoribus, ob cam-

dem semper rationem, excepto. Huic congregationi A adfuerunt: illustrissimus ac reverendissimus dominus dominus Bernardus Buissas, episcopus Lemovicensis, et dominus Prosper Brunet, dicti reverendissimi episcopi vicarius generalis *ad honores*.

Post deprecationem assuetam *Adsumus*, ad instantiam domini promotoris, de mandato illustrissimi praesidis, promissionem de qua in congregatione generali prima, emiserunt dominus Descordes, canonicus Engolismensis, qui, licet iam multis congregationibus adfuisset, ea de re non requisitus, nondum ea promissione sese obstrinxerat; et dominus Brunet, qui ab illustrissimo metropolitano in numerum theologorum adscriptus est, et in concilium admissus.

Deinde, lectis ab uno e notariis, et a patribus approbatis instrumentis eorum quae gesta fuerant in congregatione generali nona et in sessione tertia, lecta sunt a secretariis sex capita: quinque scilicet, B sub titulo secundo, quae sic se habent: primum, *de rubricis, caeremoniis, ac de unitate liturgica*; secundum, *de cultu externo sanctissimi sacramenti*; tertium, *de cultu sacratissimae crucis et de pio exercitio* via crucis *nuncupato*; quartum, *de cultu sanctorum et veneratione sanctarum reliquiarum et imaginum*; quintum, *de exsequiis, coemeteriis et sepulturis, ac precibus pro defunctis*; sextum caput fuit, sub titulo quarto, *de vicariis generalibus et archidiaconis*.

De liturgia multa graviaque agitata sunt a pluribus theologis. Circa titulum autem quartum, cum non pauca, tum ex parte vicariorum generalium, tum ex parte canonicorum, dicta fuissent, et plura dicenda suppeterent, non finita est controversia, admonente reverendissimo praeside, has quaestiones fusius et opportunius die crastina esse movendas, cum caput *de canonicis* legeretur; et C finem habuit congregatio, oratione assueta *Sub tuum*.

CONGREGATIO GENERALIS XII.

Die vigesima sexta mensis iulii eiusdem anni, hora decima ante meridiem, in congregatione generali consederunt, praeside illustrissimo et reverendissimo metropolitano, omnes concilii patres, praesentibus canonicis et theologis, uno e promotoribus excepto, propter dictam iam rationem.

Lecto ab uno e notariis, approbatoque a patribus instrumento eorum quae gesta fuerant in congregatione generali undecima, lecta sunt a secretariis de more quinque capita: unum, sub titulo quarto, fuit *de parochis*; tria autem, sub titulo secundo, fuerunt: *de cultu beatae Mariae virginis et de ipsius conceptione immaculata*; *de devotionibus superstitiosis aut non approbatis*; *de ieiunio et abstinentia*; quintum denique, sub titulo quarto, fuit D *de canonicis*.

Super his, absoluta est congregatio per orationem assuetam.

CONGREGATIO GENERALIS XIII.

Die vigesima sexta mensis iulii eiusdem anni, hora quarta pomeridiana, in congregatione generali consederunt, praeside illustrissimo ac reverendissimo metropolitano, omnes concilii patres, praesentibus canonicis ac theologis, uno e promotoribus excepto, ut iam dictum est.

Lecto ab uno e notariis, approbatoque a patribus instrumento eorum quae gesta fuerant in congregatione duodecima, lecta sunt a secretariis de more quinque capita: tria scilicet, sub titulo quarto; primum, *de archipresbyteris et decanis*; secundum, *de secundariis sacerdotibus, de capellanis et de presbyteris habituatis*; tertium, *de presbyteris infirmis aut senio confectis*. Duo ultima capita, sub titulo sexto, fuerunt *de confraternitatibus, et de bonis operibus instituendis aut fovendis*.

Quibus omnibus mature perpensis, praesertim iis quae spectant ad sublevandos seniores de clero, absoluta est congregatio per orationem *Sub tuum praesidium*.

CONTINUATIO SESSIONIS III.

Die vigesima septima mensis iulii, anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo, fuit continuatio sessionis tertiae. Hora matutina sesquiseptima, convenerunt in ecclesiam seminarii maioris Burdigalensis omnes concilii patres, amicti rochetto et mozetta cum bireto, et presbyteri adiutores, in habitu chorali, ordineque assueto. Sacrorum evangeliorum libro, iuxta crucem archiepiscopalem, super pulpitum posito, ad instantiam vice-promotoris, de mandato illustrissimi ac reverendissimi metropolitani praesidis, intelligibili voce a secretariis, de suggestu ad hoc parato, lecta sunt varia decretorum capita, scilicet: sub titulo primo, caput tertium, *de pravis libris et diariis, et de haereticorum libellis*; quartum, *de libris ab episcopo approbandis*; quintum, *de praedicatione in missa parochiali et de catechismo*: sub titulo tertio, caput quartum, *de eucharistia*; quintum, *de poenitentia*; sextum, *de extrema unctione*; septimum, *de ordine*: sub titulo quarto, caput sextum, *de officialitate*; septimum, *de vicariis generalibus*; sub titulo quinto, caput primum, *de seminariis in genere*; secundum, *de seminariis minoribus*; tertium, *de seminariis maioribus*; quartum, *de examine ordinandorum et iuniorum sacerdotum*; quintum, *de collationibus ecclesiasticis*: sub titulo sexto, caput quartum, *de scholis secundariis*; quintum, *de missionibus et praedicationibus extraordinariis*.

Quae cum fuerint a patribus approbata, gratiae Deo actae sunt; et solemni benedictione data a metropolitano, finem habuit continuatio sessionis tertiae per orationem *Sub tuum praesidium*.

CONGREGATIO GENERALIS XIV.

Die vigesima septima mensis iulii eiusdem anni, hora quarta pomeridiana, in congregationi generali consederunt, praeside illustrissimo ac reverendissimo metropolitano, omnes concilii patres, praesentibus canonicis ac theologis, uno e theologis excepto, ob iam dictam rationem.

Lecto ab uno e notariis, approbatoque a patribus instrumento authentico eorum quae gesta fuerant in congregatione generali decima tertia, lecta sunt a secretariis duo capita: unum, sub titulo tertio, *de matrimonio*; alterum, sub titulo sexto, *de ordinibus et congregationibus religiosis*.

Quibus accurate consideratis et perpensis, absoluta est congregatio more solito.

CONGREGATIO GENERALIS XV.

Die vigesima octava mensis iulii eiusdem anni, hora matutina octava, prout indictum fuerat sub finem congregationis praecedentis, habita est, in aula seminarii Burdigalensis, congregatio generalis decima quinta, praeside illustrissimo ac reverendissimo metropolitano, praesentibus omnibus reverendissimis concilii patribus, et concilii adiutoribus presbyteris.

Post orationem *Adsumus*, de mandato illustrissimi ac reverendissimi praesidis, palam edixit concilii vice-promotor, dominum Laurent, seminarii Pictaviensis oeconomum, recens admissum, promissionem secreti, de qua pluries diximus, emisisse. Statimque, lecta ab uno e notariis, probataque a

patribus, relatione eorum quae in praecedenti congregatione generali acta fuerant, de more a secretariis privatarum congregationum lecta sunt duo capita decretorum: primum scilicet, sub titulo quarto, *de presbyterorum et clericorum generatim moribus et conversatione*; secundum, sub titulo primo, *de sana et de perversa doctrina*; cuius cum decreti, ob circumstantiam diei dominicae, qua typographus ab opere cessare debuit, non potuissent haberi transsumpta, singulis patribus et presbyteris adiutoribus necessaria, statuerunt patres de hac tam gravi materia, crastina die, denuo esse disserendum. Primo autem decreto mature perpenso, speciatimque auditis pluribus theologis circa ea quae spectant ad *habitum clericalem*, absoluta est congregatio per orationem assuetam.

Antequam tamen ab aula discederent reverendissimi concilii patres, ab illis humiliter expostulavit dominus vice-promotor, ut statuerent quid de variis foliis agendum quae, durante concilio, ad usum fuerant theologorum et canonistarum.

### CONGREGATIO GENERALIS XVI.

Die vigesima octava mensis iulii eiusdem anni, hora quarta pomeridiana, praeside illustrissimo ac reverendissimo metropolitano, praesentibus omnibus reverendissimis concilii patribus adiutoribusque presbyteris, habita est congregatio generalis decima sexta.

Post deprecationem *Adsumus*, iuxta petitum domini vice-promotoris, ut habetur in congregatione praecedenti, statuerunt patres, nemini presbyterorum concilii adiutorum licitum esse quidquam ex his foliis, quibus, durante concilio, usi fuerant, sibi retinere et secum auferre; sed omnia prorsus relinquenda, et apud unum ex theologis deponenda, quem designavit reverendissimus metropolitanus. Declaravit autem illustrissimus archiepiscopus, antequam decreta Romam mitterentur, ab apostolica sede approbanda, unum saltem horum decretorum exemplar ad singulos concilii patres esse dirigendum.

Deinde, lecta ab uno e notariis, approbataque a patribus relatione eorum quae in praecedenti congregatione acta fuerant, de more a secretariis privatarum congregationum lecta sunt duo capita decretorum: primum, scilicet, sub titulo quarto, *de exercitiis secessus ecclesiastici*; secundum, sub titulo sexto, *de iis quae praestari possent ut ad religionem adducerentur aut in ea foverentur operarii et milites*.

Post haec, absoluta est congregatio, more assueto.

### SESSIO ULTIMA.

Die trigesima mensis iulii, anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo, hora matutina septima, prout indictum fuerat, habita fuit, in ecclesia metropolitana, concilii provincialis ultima sessio, praesentibus omnibus concilii patribus atque theologis et canonistis concilii adiutoribus.

Ad dictam ecclesiam iam convenerat clerus immensus de civitate et dioecesi Burdigalensi, et de finibus etiam provinciae, cum praecipuis urbis regionisque magistratibus et innumerabili fidelium multitudine.

Omnibus concilii patribus, quibus sese adiunxerant illustrissimi episcopi Bellovacensis et Lemovicensis et presbyteris adiutoribus, eo modo paratis, eoque ordine dispositis qui in prima sessione refertur, et omnibus canonicis ecclesiae metropolitanae pluvialibus indutis, illustrissimus ac reverendissimus metropolitanus horam sacri officii *tertiam* solemniter inchoavit. Qua absoluta, missam in pontificalibus celebravit votivam de immaculata conceptione beatis- A simae virginis Mariae; et intra missam, omnes tam episcopi, tum presbyteri de concilio sacram communionem receperunt de manu celebrantis.

Finita missa, sacra evangelia, ad crucem archiepiscopalem, in pulpito de more posita sunt, et pontificum sedilia in circuitu sacrorum evangeliorum collocata sunt, ad altare spectantia; tumque sedulo servatis omnibus quae habentur in pontificali, sermonem ad populum habuit illustrissimus dominus dominus episcopus Rupellensis, verbis sequentibus:

„*Gavisi sunt super consolatione*." Act. XV, 31.

Illustrissime praesul ac reverendissimi patres.

„Sic nuntiat sanctus Lucas exitum primi omnium conciliorum. Nunquam ecclesia sanctiori spectaculo gavisa est. Praesedit huic concilio Ierosolymis sanctus Petrus, apostolorum princeps, cuius fidem contra omnium errorum tela oratio Christi confir- B maverat; privilegium permansurum in cunctis Petri legitimis successoribus, ad quos, divino iure, pertinere debebat suprema potestas in universali ecclesia, cum omnibus praerogativis illi primatui honoris et iurisdictionis annexis.

Quando Christi vicarius, o christiani, divina qua pollet auctoritate, sanxerit quae iudicaverit sancienda in actis concilii ad quod convocati sumus ab illustrissimo eius praeside metropolitano, omnes filii nostri spirituales (nec nos dulcis illa spes deludet), intelligent animis nostris semper insedisse quae ipsorum utilitati spirituali ac temporali maxime inservirent, dum res sanctae matris ecclesiae tractaremus, dum stabilimento disciplinae ecclesiasticae collaboraremus: sicque, primitivorum fidelium exemplo, gaudebunt de felici nostrarum deliberationum exitu. Et quomodo incuria in nobis esse potuisset de his quae ad felicitatem pertinent eorum C pro quibus ad episcopatum fuimus promoti, quosque indesinenter in cordibus nostris portare debemus?

„*Numquid oblivisci potest mater filios quos dedit illi Deus?*", et, spectato religionis iure, nonne vos filii nostri estis, multumque strictiori titulo quam qui natura confertur?

Non poteratis adesse nostris pacificis conventibus; ah! si vobis illi aperiri potuissent (cur id reticeam?) admirationem et aedificationem in vobis commovissent, constanti, quod praebebant, pietatis, unitatis et charitatis spectaculo: imaginem namque fidelem offerebant sanctissimorum antiquitatis ecclesiasticae coetuum.

Sed si non licuit vos praesentes congregationibus nostris adesse, gratus animus noster testari sibi complacet, vos cum piis omnibus fidelibus, actionum nostrarum participes fuisse, precibus quas ad coelum pro nobis emisistis. Vires nostras fovebat ignita D vestra pietas, dum labores sustineremus hos, inexpertis vix cogitatos. Ut enim taceamus de tempore piis exercitiis immutabiliter destinato, deque deliberationibus diuturnis gravibusque, ultra modum constans sollicitudo premebat corda nostra: hinc, ne quid omitteremus ad religionis bonum, ad ecclesiae sanctae decorem, animarumque salutem conducens; inde, ne quo pia tendebant vota nostra assequi non valeremus.

Hodie, quod ad nos attinet, finem invenerunt concilii labores: et quia humiliter postulantibus nunquam auxilium lumenque denegat Spiritus sanctus, cuius efflagitavimus opem, confidimus, saltem nos contra ipsius voluntatem non egisse, etsi in laboribus nostris aliquot vestigia infirmitatis humanae remanserint.

Cur de his vestigiis doleremus? Grates semper divino flamini erunt a nobis rependendae pro mensura qualiumcumque coelestium donorum quae nobis im-

pertiri dignatum fuerit: humiliterque communi fidelium parenti nostra subiiciemus Acta, ut suprema ipsi divinitus concessa auctoritate, probet quae probanda forent, reformet quae exactiora esse deberent, mutet aut deleat quae ipsius suffragium non mererentur.

Palam libenterque vobis loquemur, filii dilectissimi: nolumus vel unicam in gregibus nostris oviculam dociliorem erga nos inveniri, quam nos ipsos obtemperantes esse profitemur vicario Christi. Ipsi obediendo, ut in die consecrationis nostrae solemniter facturos nos iuravimus, nos scimus obedituros Christo *auctori et consummatori fidei nostrae*. Nonne Christus ipse est qui, Pio IX immensi gregis curam ovium et agnorum committens, *confirmandi fratres* suos in fide sanaque doctrina onus et officium simul ipsi credidit? Ah! fides haec charissima, doctrina haec apostolica, tot defensores, si opus fuisset, quot concilii fuerant consortes, habuisset.

Sed adductis ad finem conciliaribus nostris laboribus, charissimi, finem propterea non habent ministerii nostri labores; quinimo, graviores illi deinceps erunt: diu enim noctuque invigilandum erit observationi sanctarum regularum quas nobis aliisque praescripsimus. Gregis custodes, vincula strinximus quae huic nos coniungebant, et catenas quibus ovile cum Deo connectebatur fortiores firmioresque praestitimus.

In mediis subversionibus quae infelicem patriam nostram successive conturbarunt, omnia molitus est *inimicus homo, ut superseminare* posset *zizania in medio tritici*. Ipse commoverat animos, faciliorem inde reputans luctuosarum suarum doctrinarum propagationem. Nunc *circuit, ut leo rugiens, quaerens quem devoret*. Nec dormire igitur, nec dormitare debemus. Quantum in nobis est, sistendi sunt progressus erroris, qui sub variis formis serpere et insinuare se conatur; propugnanda est veritas, confirmandaque fides et pietas eorum qui vere christiani sunt.

Apud populos Dei organa et legati sumus. *Labia* nostra *custodire* debent *scientiam* divinam. A nobis discere habent filii nostri spirituales quid ipsis sit agendum, ut se filios quoque lucis comprobent, fructus lucis producant, „*non communicantes operibus infructuosis tenebrarum*.“[1] Cuique nostrum dicit apostolus: „*Vide ministerium quod accepisti a Domino, ut illud impleas*[2]: ecclesiae siquidem non *dedit* Deus *pastores et doctores*, nisi *ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi*.“[3]

Nec satis nobis esse debet, regulis a nobis statutis, huius aedificii spiritualis fundamenta posuisse: Deo adiuvante, prosequenda et perficienda est illa constructio: propterea lac dandum est infirmis, non esca[4], perfectis vero solidus cibus[5]; *omnia omnibus* fieri debemus, *ut omnes* faciamus *salvos*[6]. Nec tantum spinis ac tribulis purgandus est ager nobis commissus; sed sedulo ipsius culturae nobis insistendum est: alioquin mox in priorem rediret statum. Oraculum Domini est: „*Ecce constitui te super gentes, et super regna*, inquit per Ieremiam, *ut evellas et destruas, et aedifices, et plantes*.“[7]

Omne privatum commodum nobis alienum esse debet: gloria, honores, voluptates, divitiae, nihil

[1] Ephes. V, 11.
[2] Col. IV, 17.
[3] Ephes. IV, 11-12.
[4] I Cor. III, 2.
[5] Hebr. V, 14.
[6] I Cor. IX, 22.
[7] Ierem. I, 10.

A horum ambitionem debet movere virorum *qui tantum quae Christi sunt inquirere habent*. Huius solius gloria, nostra gloria est; huius honor, noster honor; quae ipsius oculis placent, sola nostra voluptas; gratiae illius thesauri, solae opes nostrae. Perfecta quies nobis permitti nequit, quamdiu in gregibus nostris remanebunt caeci spirituales luce superna illuminandi; surdi, documentis salutaribus veritatis aeternae imbuendi, docilesque praestandi; claudi, ut firmo gradu currant viam mandatorum Dei et ecclesiae, pedibus erigendi et consolidandi; leprosi, quasi peccatis involuti, maculis purgandi; mortui, Deo resuscitandi; pauperes, evangelizandi.

Ut hunc animum, has dispositiones in nobis excitares, illustrissime antistes, nos vocasti in hanc urbem metropolitanam. Quam dulce nobis erat pios sensus quibus cor tuum supereffluebat, ex ore tuo percipere, dum te circumcingeremus, in his B diuturnis sessionibus, quarum tam perite onus fallebas ac permulcebas!

Si hodie a te discessuri moestitia afficimur, eam qua possumus, imperfecta licet, gratitudinis expressione solari conamur.

In eloquenti oratione quam habuisti ad hanc praeclaram concionem, die apertionis concilii provincialis, memores nos esse voluisti immortalis pontificis quem universae ecclesiae praefecit clementia divina; tanti papae memoriam nos quoque suscitare decet.

Ah! si mihi liceret ad thronum usque successoris Petri quosdam transmittere animi motus, humanae linguae ministerio rudius semper exprimendos, paternae charitati quam erga Galliam nostram Pius IX demonstravit, aliquid superaddere tentarem, signando quantum nostra et omnium vere fidelium corda ipsi adhaereant; palam profitendo doctrinas C quae ipsi displicuerunt nobis prorsus alienas esse. Earum quandoque auctores ortu nostrates erant, aut in medio nostri vixerant; sed fronte serena negamus pertinere ad hanc Galliam ecclesiae primogenitam, quae, omnibus ante actis saeculis, gloriata est zelo suo studioque in sanctam sedem impenso. Utinam errores in terra nostra exortos aut grassatos expiet cruor ille generosus quem, sub moenia sanctae civitatis, milites nostri fuderunt! Utinam hoc rore purpureo, sicut perpetuo foedere, amor noster conglutinetur, fidesque nostra erga Petri et successorum eius cathedram immutabiliter firmetur! Suscipiat obsequium istud magnus ille pontifex, in quo reviviscunt, Pii I fervida charitas, Pii II candor mirabilis, Pii III prudentia eminens, Pii IV zelus indefessus, Pii V sanctitas indubia, Pii VI exilium nobile, Pii VII virtus inconcussa, Pii VIII devotio religiosa.

D Nos, reverendissimi patres, semper attendamus ad petram fundamentalem unde excisi sumus, et quoadusque cursum vitae mortalis compleverimus, cavebimus ne degeneres unquam simus praecelsae originis unde processit episcopatus noster.

Omnium nostrum voluntatem suae consentaneam voluntati coelesti efficiat Pater! Provinciam istam suscipiat Filius, cuius adorando cordi modo consecraturi eam sumus! Spiritus sanctus qui supernum auxilium nobis praestitit in arduis nostris laboribus, comes nobis adesse dignetur in omnibus operibus quae deinceps zelum nostrum opperientur!

Tu quoque, virgo incomparabilis, quam immaculatam in conceptione gestientes invocamus, aurora semper fulgens ac labis expers, mater misericordiae, filios ne deseras coram te prostratos, maternam dilectionem implorantes. Sequere nos; esto assidua nobiscum in gaudiis, ut sancta sint; in aerumnis, ut meritum habeant; inter oviculas nostras, ut

obedientes et fideles permaneant. Filium Dei unigenitum tuumque, in brachiis tuis adorantes, te reginam venerentur; te vitam, dulcedinem spemque suam in huius exsilio vitae agnoscant. O benigna inter matres! Esto Galliae protectio ac fulcimentum; esto episcoporum eius refugium; defende hanc metropolim; hanc suscipe dioecesim, dotibus laetam ac virtutibus sui praesulis, et honorandi cleri ipsum circumstantis et adiuvantis, necnon zelo, pietate ac scientia ministerium sacrum clarificantis. Ora ut constanti felicitate perfruatur haec civitas, civilem ac militarem administrationem nacta, huic quae nunc eam protegit, non absimilem. Eamdem semper magistratus eius servent iudiciorum integritatem, sententiarum aequitatem. Cuncti cives eius religionem aeque colant, ac benevolentiam exhibeant. Iuvenes ac virgines castitatem et innocentiam amabilitati consocient. Regina cleri, nos in terris militantes ipsa moderare; ad metam appellentes, et ultimum spiritum exhalantes refove; coelestem patriam ingressis, *Iesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exsilium ostende:* cui, cum Patre et Spiritu sancto, sit gloria et honor in saecula saeculorum, amen."

Post concionem, instantibus concilii promotoribus, ad mandatum illustrissimi ac reverendissimi praesidis, a secretariis lecta sunt, e principali ecclesiae suggestu, varia capita decretorum, ut sequitur: sub titulo quarto, *de summo pontifice;* sub titulo secundo, *de cultu beatae Mariae virginis et de ipsius immaculata conceptione;* sub titulo primo, *de sana et de perversa doctrina;* sub titulo quinto, *de altioribus studiis theologicis et de gradibus obtinendis;* sub titulo sexto, *de bonis operibus instituendis aut fovendis, praesertim de societatibus dictis* Propagatio fidei, Sancti-Vincentii a Paulo, et Sancti-Francisci-Regis; demum *de iis quae praestari possent ut ad religionem adducerentur aut in ea foverentur operarii et milites.*

Quae decreta, cum a patribus fuerint probata, gratiae Deo actae sunt.

Tum, ad instantiam promotorum, designati sunt testes synodales, quo sequitur modo:

Pro dioecesi Burdigalensi: domini Taillefer, canonicus; de Langalerie, archipresbyter ecclesiae Sanctae-Fidis.

Pro dioecesi Rupellensi: dominus Thibaud, archipresbyter ecclesiae cathedralis.

Pro dioecesi Petrocorensi: dominus Mazet, superior seminarii maioris.

Pro dioecesi Aginnensi: dominus Trincaud, canonicus.

Pro dioecesi Engolismensi: dominus Brunelière, archipresbyter ecclesiae cathedralis.

Pro dioecesi Lucionensi: dominus Soyer, canonicus.

Pro dioecesi Pictaviensi: dominus de Larnay, canonicus.

Deinde, ad instantiam promotorum, de mandato illustrissimi praesidis, nominatim vocati sunt ab uno e secretariis ii omnes qui concilio adesse tenebantur; qui omnes reipsa aderant.

Et statim, instantibus iterum promotoribus, mandavit illustrissimus praeses ab uno e secretariis alta voce perlegi decretum *de subscriptione.* Quo perlecto, de moreque a patribus probato, subscripserunt ad altare concilii decretis singuli patres.

## SUBSCRIPTIONES EPISCOPORUM.

Nos Ferdinandus-Franciscus-Augustus Donnet, archiepiscopus Burdigalensis, comes Romanus, solio pontificio assistens, haec decreta a nobis definita subscripsimus.

† Ferdinandus, archiepiscopus Burdigalensis.

Ego Clemens Villecourt, episcopus Rupellensis, subscripsi.

† Clemens, episcopus Rupellensis.

Ego Ioannes-Baptista-Amedaeus George, episcopus Petrocorensis, subscripsi.

† Ioannes, episcopus Petrocorensis.

Ego Ioannes-Amatus de Levezou de Vesins, episcopus Aginnensis, subscripsi.

† Ioannes, episcopus Aginnensis.

Ego Renatus-Franciscus Régnier, episcopus Engolismensis, ad ecclesiam metropolitanam Cameracensem nominatus subscripsi.

† Renatus-Franciscus, episcopus Engolismensis.

Ego Iacobus-Maria-Iosephus Baillès, episcopus Lucionensis, subscripsi.

† Iacobus-Maria-Iosephus, episcopus Lucionensis.

Ego Ludovicus-Franciscus-Desideratus-Eduardus Pie, episcopus Pictaviensis, subscripsi.

† Ludovicus-Eduardus, episcopus Pictaviensis.

Ego Antonius-Adolphus Dupuch, episcopus olim Caesaroiuliensis, vocatus adfui et subscripsi.

† Antonius-Adolphus, olim episcopus Caesaroiuliensis.

*Praesentes etiam nomina dederunt:*

† Iosephus-Armandus, episcopus Bellovacensis;
† Bernardus, episcopus Lemovicensis;
Antonius-Carolus Cousseau, presbyter Pictaviensis, nominatus ad ecclesiam episcopalem Engolismensem.

Subscriptionibus absolutis, ad instantiam promotorum, et de mandato illustrissimi praesidis, lectum fuit decretum *de provincia Burdigalensi sacratissimo cordi Iesu consecranda,* ac alterum *de non typis mandandis decretis;* deinde *de proximo concilio provinciali habendo post tres annos,* et decretum *de fine concilii;* quibus a patribus probatis, illustrissimus praeses concilio finem iam tum factum esse decrevit, et patres concilii omnesque adstantes sic est allocutus:

„Nihil forte, fratres dilectissimi, nobis addendum esset sublimi eloquio praesulis huius provinciae senioris, cuius verba omnium animos commoverunt. Sed *„charitas Christi urget nos"*, ut libere sensa pandamus quibus anima superabundat.

Ac primum, solemnes gratiarum actiones altissimo, *„a quo descendit omne donum perfectum,"* quique, per dies adeo velociter elapsos, et favoribus amplissimis et suavissimis consolationibus pectora ditavit.

Grates etiam vobis, illustrissimi ac reverendissimi patres, de virtutum ac scientiae thesauro quo nos ampliavistis.

Vos quoque, septem dioeceseon veteris Aquitaniae honorandi presbyteri, qui miro nos pietatis odore respersistis, estote benedicti.

Cuiusque aetatis et conditionis fideles, qui ad hunc solemnem quasi familiae coetum accurristis, intueamini vestrorum episcoporum et sacerdotum sanctam concordiam: nec frustra huius intimae charitatis exemplar vobis ostensum remaneat. Diligite vos invicem, ut se invicem diligunt. Praeceptum enim Domini est: *„Hoc est praeceptum meum,* inquit, *ut diligatis invicem sicut dilexi vos."*

Si quosdam ex vobis, fratres carissimi, inquirere iuvat quinam fuerit deliberationum exitus; quidve boni dioecesibus nostris inde sit adventurum; quae tandem remedia morbidae societati fuerint praeparata; responsum habetis ipsam quam nuper auribus [illegible]

ciplinam ecclesiarum sumus moderati; defendimus A fidem vestram; pro vobis oravimus. Ulterius progressi, infensos habuissemus ipsos etiam qui nos terrenis rebus miscendos exoptare videbantur.

Nec tamen diffitemur, fratres amantissimi: aegrotat mundus, et periculosius quam dici queat. Venit hora et forte nunc est, quando, agnita malorum gravitate, et remedia quaerens, mundus iste tam violenter commotus ad Deum ecclesiamque, ima ex abysso, pias effundet supplicationes; et clerum exorabit, ut, mediantibus conciliis, societati opem suppeditet, non quasi dominaturus aut terrenam invasurus potestatem, sed ministerium pacis erga omnes impleturus.

Qua die ecclesiae plena libertas dabitur mundum illuminandi, manifestum fiet nec zelum, nec sapientiam, nec amorem, nec scientiam ipsi deesse.

Hic gradum sistamus; sed antequam unanimes nostrae acclamationes in hac basilica personent, B eas proferamus lingua omnibus nota.

Acclamationes ergo ecclesiae, supremae opitulatrici societatum humanarum; ecclesiae semper impugnatae, semperque invictae; ecclesiae, quam fastidia et iniurias conviciatorum benefactis rependere iuvat!

Acclamationes Pio nono! Eius sanctioni mox decreta sunt subiicienda; conatibus nostris benignus arridebit. Laboribus vires addebat sola spes consolationis ipsi ex synodo nostra exoriturae.

Acclamationes vobis omnibus, concilii venerandi praesules ac presbyteri, scientia necnon virtutibus splendentes!

Acclamationes Galliae christianissimae, tam praecelsae, tamque nobili!

Acclamationes tibi quoque, Burdigala, sensibus adeo generosis dotata, hospitalis civitas! Moenibus tuis, per aliquot dies, altissimi legatos et myste- C riorum Dei dispensatores obumbrasti, filiali obsequio ac laetitia prosequens. Vota suscipe, quae ad coelum emittunt hospites grati, gloriam et prosperitatem imprecantes.

Acclamationes bellatoribus, administratoribus, operariis indefessis civitatum et agrorum hic praesentibus!

Vobis demum, dilectissimi provinciae nostrae dioecesani, quos specialiter divina providentia nostros effecit; vobis, vobis, acclamationes!"

Post haec, illustrissimus praeses *Te Deum* inchoavit, choro alternis vocibus prosequente.

Hinc decantatae sunt ab uno e secretariis, choro respondente, acclamationes quae sequuntur:

Soli Deo honor et gloria in saecula saeculorum!

*Responsio:* Laudamus te, Domine, qui, illuminans mirabiliter a montibus aeternis, istud provinciale D concilium ad optatum exitum mira benignitate perduxisti. Tibi laus, tibi potestas et imperium in saeculum saeculi!

Beatissimo Pio papae et domino nostro, et sanctae universalis ecclesiae pontifici, anni permulti, ut cunctas gentes in obsequium Christi, pro sua pastorali sollicitudine, pertrahat!

*Responsio:* Impleat Dominus omnes petitiones sanctissimi patris, et ita omne consilium ipsius adversus inimicos crucis Christi confirmet, ut ad nihilum deveniant, tanquam aqua decurrens, et sicut deficit fumus, deficiant!

Reverendissimo domino huius provinciae metropolitano, et episcopis omnibus, quos Christus fecit regnum et sacerdotes Deo et Patri suo, accuratissima in creditos sibi populos vigilantia!

*Responsio:* Anticipent vigilias oculi eorum, et annos aeternos in mente habeant; intendant ad visitandas omnes gentes, quas lavit agnus in sanguine suo!

Patriae nostrae, et omnibus qui in sublimate sunt, ob zelum domus Domini, et quoniam salvum fecerunt Christum eius, perpetua et illibata felicitas!

*Responsio:* Deus primogenitos ponat illos excelsos prae regibus terrae; in aeternum servet illis misericordiam suam, et dies super dies eorum, ad dissipanda consilia impiorum, adiiciat!

Fidelibus provinciae nostrae et populo christiano universo, pax Christi aeterna!

*Responsio:* Vias tuas, Domine, demonstra illis; et dirige eos in veritate tua, ut non obliviscantur operum altissimi, et mandata eius exquirant!

Reverendissimis huius provinciae episcopis ad ecclesias suas reditus, cum iam hauserint aquas in gaudio de fontibus Salvatoris!

*Responsio:* Prosperum iter faciat eis Deus salutarium nostrorum, ut immolent ei sacrificium laudis, et benedicant populo suo in pace.

Nos, Domine, memores mandatorum tuorum et decretorum huius consessus, ad faciendum ea in sanctuario quod firmaverunt manus tuae, corpore tibi pariter famulemus et mente, intercedente beata virgine Maria, sanctis apostolis Petro et Paulo, et Andrea, et omnibus sanctis!

*Responsio:* Amen! Amen.

His peractis, omnes ad aulam seminarii maioris ex ecclesia cathedrali, hymnum *Magnificat* alternis vocibus cantantes, processionaliter redierunt, equitum turma pandente iter, dum longo ordine armatorum peditum copia progrediens, hinc et inde comitaretur. Pontifices autem, pluviali induti coopertique mitra, quibus praeiverant variae piarum congregationum turbae et multa totius dioecesis frequentia, innumerabili populo benedicebant, qui undique confluxerat, et omnes vias et plateas, imo et domorum fenestras omniaque loca repleverat unde prospici poterat, omnibus genua vel caput flectentibus, laudantibusque Deum qui in ecclesia sua facit mirabilia.

## APPENDICES.

### LITTERAE

***domini Duburg, parochi ecclesiae Sancti-Michaelis, ad illustrissimum ac reverendissimum provincialis synodi praesidem, de quibus in relatione actorum sessionis III.***

Illustrissime ac reverendissime praesul.

Non possum quin vividissimos grati animi sensus, tum meo, tum dilectorum parochianorum nomine, coram celsitudine vestra depromam, pro insigni quo nos praevenire dignata est favore, cum unam ex provincialis synodi sessionibus in ecclesia nostra haberi voluit.

Quemadmodum ipsa protulit, perinde etiam ac adeo luculenter edixit illustrissimus episcopus Pictaviensis, haec dies, in nostrae parochiae annalibus, inter caeteras elucebit insignior. Paternitatis vestrae necnon circumcingentium clarorum antistitum praesentia gregi meo fausta omnia certo certius praenuntiaverit. Quod quidem ad me spectat, nullum aerumnis uberius solamen poterat contingere.

Millies ergo milliesque vestrae celsitudini adstantibusque benedicat omnipotens Dominus!

Per ipsam, illustrissime ac reverendissime praesul, coram venerabilibus in episcopatu collegis, necnon provincialis concilii patribus, eadem sensa pandere, ipsorumque denuo ac imprimis vestrae paternitatis benedictiones exposcere liceat, simulque me summa, qua par est, observantia profiteri, cel-

situdinis vestrae, illustrissime ac reverendissime A praesul, humillimum ac devotissimum servum uti filium

Duburg, parochus Sancti-Michaelis.

## INSTRUMENTA
### *ad doctoratum sancti Hilarii spectantia.*

### *Litterae patrum synodi Burdigalensis ad summum dominum nostrum Pium papam IX.*

Beatissime pater.

Provinciae Burdigalensis episcopis in concilio sedentibus, inter multiplices curas, ea non fuit ultima, ut Romanae liturgiae unitas, centum fere abhinc annis misere abrupta, nunc tandem repararetur. Quod cum ecclesiae utile et sanctitati vestrae grâtum intelligeremus, nobis ideo sacrum esse communi decreto statuimus.

Nec obstitit quorumdam timor ne illorum sanctorum qui ecclesias nostras ortu vel incolatu, morte B aut miraculis nobilitarunt, minueretur honor et cultus, quo maxime continetur et fovetur populorum fides: in promptu enim erunt officia horum sanctorum propria, ex libris authenticis desumpta, et sacrae rituum congregationis examini ac iudicio subiicienda.

Unum tamen est, beatissime pater (libere coram Deo et sanctitate vestra confitemur), quod Aquitanorum nostrorum, imo Gallorum omnium animos offendit, eorum etiam quibus maxime placent officia Romana, quique ea omnibus placere peroptarent, nempe in istis officiis summo illorum patri ac doctori Hilario, Pictavorum episcopo, solitum honorem non esse reddendum, eiusque festum non iam ut de doctore, sed ut de confessore pontifice fore celebrandum.

Moveat sanctitatem vestram, beatissime pater, haec piorum hominum et sanctorum sacerdotum religio. Quod de Petro Chrysologo, de Petro Da- C miano, aliisque viris illustribus (si eo nomine erga sanctos uti fas est) praeclare statuerunt Romani pontifices, de viro illustriore statuere dignetur beatitudo vestra, et Hilario doctoris honores in universa ecclesia decernat.

Hic est enim ille Hilarius, inter mundi procellas magnus sustentator ecclesiae, sermonis latini tuba contra Arianos, „qui, teste Hieronymo, *et confessionis suae merito, et vitae industria, et eloquentiae claritate, ubicumque Romanum nomen est, praedicatur;*“[1] cuius eloquentissimos libros inoffenso pede decurri posse[2] testatur idem Hieronymus, vel sine ulla erroris suspicione, ut habet breviarii Romani verissima lectio. Nec minor in Hilarii laudibus clarissimum illud ecclesiae lumen, Augustinus, qui eius praecipue doctrina Pelagianos haereticos urget ac refellit: nec quidquam tanti viri verbis addendum putans: „*Catholicus loquitur,* ait; *insignis* D *ecclesiarum doctor loquitur; Hilarius loquitur.*“[3]

Quid plura? Vix ullum a quarto saeculo reperire est ecclesiae patrem, sive apud latinos, sive etiam apud Graecos, in latinorum laude parcissimos, qui Hilarii fidem et doctrinam summis laudibus non extulerit. Hanc miram de eo orientis atque occidentis consensionem luculenter testatur sacrosancta et oecumenica synodus Chalcedonensis, in qua, audientibus et probantibus quingentis episcopis et sancti Leonis papae legatis, pronuntiatum est bene fuisse fidem disceptatam et firmatam a sanctis patribus Athanasio, Cyrillo, Caelestino, Hilario[4].

Quae cum ita sint, hoc nostro episcopatui solatium tribue, hoc fideli Galliarum ecclesiae decus, hunc religioni triumphum, ut nostro aevo infelici, quo vetus Arianorum error reviviscit, et multorum animos spiritus timoris frangit, acerrimus divinitatis Christi defensor, quem nullus unquam humanae potestatis timor vincere potuit, universae ecclesiae doctoris titulo insignitus ostendatur.

Interim, affusi sacratis pedibus, multos et felices annos tanto pontifici adprecamur, sanctitatis vestrae, beatissime pater, devotissimi atque obedientissimi filii.

Ferdinandus, archiepiscopus Burdigalensis.
Clemens, episcopus Rupellensis.
Ioannes, episcopus Petrocorensis.
Ioannes, episcopus Aginnensis.
Renatus-Franciscus, episcopus Engolismensis, ad archiepiscopatum Cameracensem nominatus.
Iacobus-Maria-Iosephus, episcopus Lucionensis.
Ludovicus-Eduardus, episcopus Pictaviensis.
Antonius-Adolphus, olim episcopus Caesaroiuliensis.
Antonius-Carolus Cousseau, presbyter Pictaviensis, nominatus ad ecclesiam episcopalem Engolismensem.

## DECRETUM.

Quod potissimum in votis erat fidelibus non minus quam universo Galliarum clero, ac praecipue Aquitaniae provinciae, ut summo nimirum illorum patri, sancto Hilario, Pictavorum episcopo, debitus honor, sicuti et caeteris eiusdem meriti ac dignitatis, demum decerneretur ab hac sancta apostolica sede, quo laude ac titulo doctoris, sicuti apud quasdam peculiares ecclesias iamdudum gaudet, in universa ecclesia coli queat cum officio et missa ritu duplici: illud ipsum statuendum humiliter postularunt patres novissimae synodi Burdigalensis, eo modo quo non multis abhinc annis, summi pontifices de sancto Petro Chrysologo, Petro Damiano, episcopis, ac Bernardo abbate praeclare statuerunt. Sanctus nempe Hilarius, inter mundi procellas, magnus fuit ecclesiae sustentator, occidentalis tuba contra Arianos, ac teste Hieronymo, confessionis suae merito ac vitae industria et eloquentiae claritate ubique praedicatur, eiusque libros eloquentissimos inoffenso pede decurri ac legi posse sine ulla erroris suspicione: qui pariter a clarissimo ecclesiae lumine, sancto Augustino, in *libro contra Iulianum*, summis laudibus extollitur: cuius demum fides ac doctrina a caeteris patribus latinis et graecis magno in honore habetur. Sanctissimus dominus noster Pius papa IX, enixis hisce precibus attentis, ac volens hoc solatium episcopatui reddere, ac peculiare decus fideli Galliarum ecclesiae tribuere, hoc potissimum aevo, quo vetus Arianorum error reviviscit, negotium de more sacrorum rituum congregationi librandum commisit. Quae, in ordinariis comitiis, apud Vaticanas aedes, subscripta die coadunata, referente eminentissimo ac reverendissimo domino cardinali Ludovico Altieri, visis obiectis per reverendissimum patrem dominum Andream-Mariam Frattini, sanctae fidei promotorem, oppositis in animadversionibus in medium prolatis, iisque omnibus per defensores solutis, re maturius perpensa et examinata, ea fuit unanimis eminentissimorum ac reverendissimorum patrum sententia, ut scilicet rescriberetur: „pro gratia confirmationis tituli doctoris, et extensionis eiusdem tituli cum officio et missa ritus duplicis ad universam ecclesiam, in honorem sancti Hilarii, episcopi Pictavorum, si sanctissimo placuerit.“ Die 29 mense martio anno 1851.

[1] S. Hieron., *Epist. 141, ad Marcellam.* [al. *epist. 34.* n. 3, opp. s. Hieron., ed. Migne, I, 449].

[2] Id., *Epist. 107, ad Laetam* [n. 12, ed. Migne, I, 877].

[3] S. August., *Contra Iulianum*, lib. II, cap. 8, n. 28 [ed. Bened. X, 544 E].

[4] Actione II [Mansi *Conc.* (1901), VI, 954 D, 962 A].

Horum omnium et singulorum facta postmodum A eidem sanctissimo domino nostro Pio papae IX. per me subscriptum secretarium fideli facta relatione, sanctitas sua sacrae congregationis rescriptum in omnibus adprobavit et confirmavit, ac desuper apostolicas litteras in forma brevis expediri iussit. Die 4 mense aprili anno eodem.

A., cardinalis Lambruschini, sacrae rituum congregationis praefectus.

Loco ✝ signi.

I.-G., Fatati, sacrae rituum congregationis secretarius.

## PIUS PAPA IX.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Si ab ipsis surgentis ecclesiae temporibus, haud destitit inimicus homo in agro Domini superseminare zizania, nimirum ope haereticorum falsas B propagare doctrinas, providentissimus tamen Deus, qui ecclesiae usque ad consummationem saeculi se promisit adfuturum, insignes excitavit viros, qui sanctitatis doctrinaeque validissimis quasi telis haeresum pervagantium monstra confoderent, ac late diffusas errorum tenebras veritatis luce dissiparent. Sane, ubi Ariana erupit haeresis, qua nulla horribilior in perniciem animarum grassata est pestis, praeter Athanasium aliosque invictos heroes, Hilarius, Pictaviensis antistes, contra haeresim illam exacuit stylum, scriptisque editis, sapientissimis, divinitatem Christi ab Arii blasphemiis vindicavit. Ipse in Gallia tanquam arx exstitit catholicae fidei, quae furori obstaret Arianorum; ipse Saturninum, Arelatensem episcopum, impiae doctrinae sectatorem, necnon antesignanos haereticorum, Ursacium et Valentem, anathemate confixit: quorum potissimum opera pulsus in exsilium, nihil de studio atque C alacritate remisit asserendae catholicae veritatis; quippe relegatus in Phrygiam, minime fractus aerumnis exsilii, egregios protulit libros de synodis ac de Trinitate. Exinde, cum Seleuciae orientalium episcoporum synodo interfuisset, ubi integritatem fidei defendit antistitum occidentalium, Constantinopolim, quo Ariani episcopi convenerant, commigravit, ut eamdem fidem coram Constantio propugnaret. Quinimo fortis atque animosus, veniam ab imperatore postulavit cum Saturnino Arelatensi publice disceptandi; qui tamen, cum suis gregalibus sanctissimi antistitis doctrinam veritus, una cum ipsis, turbarum praetextu quas per orientem Hilarii causa excitari dicerent, suasit imperatori ut ipsum in dioecesim suam remitteret. Tunc Hilarium, de haereticorum certamine revertentem, Galliarum ecclesia complexa est, suoque gregi redditus, catholicae doctrinae propugnator studiose id egit atque D assequutus est, ut Saturninus Arelatensis et Fortunatus Petrocorensis deponerentur; quibus loco motis deiectisque, Gallia universa Arianum virus evomuit. Cum tot ac tanta pro catholica fide Hilarius praestiterit, haud mirum est si ab ipsis patrum doctissimis laudum praeconia fuerit promeritus. Enimvero ipsum, „*confessionis suae merito et vitae industria, et eloquentiae claritate ubicumque praedicari, eiusque libros inoffenso pede decurri posse,*“ testatur Hieronymus; ipsum „*ecclesiae catholicae adversus haereticos acerrimum defensorem*“ appellat Augustinus: quinimo Hilarii doctrina Pelagianos refellens, haec ait: „*Catholicus loquitur, ecclesiarum doctor loquitur, Hilarius loquitur.*“ Pari laude Hilarii fidem doctrinamque probarunt graeci patres; quam quidem graecorum latinorumque patrum consensionem testatur luculenter oecumenica synodus Chalcedonensis, quippe in ea catholica fides firmata est, „*iuxta expositiones sanctorum patrum, Gregorii, Basilii, Athanasii, Hilarii, Ambrosii et Cyrilli.*“ Quae cum ita sint, et praestantissimo ac sanctissimo antistiti, cuius doctrina veluti fax enituit ad fugandas errorum tenebras, doctoris titulus, quo iampridem gaudet apud nonnullas Galliarum ecclesias, auctoritate sanctae huius sedis confirmetur, atque idem titulus illius honori, cum officio ac missa ritus duplicis, per universam extendatur ecclesiam, a nobis postremae synodi Burdigalensis patres enixis precibus postularunt. Qua super re antequam aliquid statueremus, illam iudicio remisimus venerabilium fratrum nostrorum sacrae Romanae ecclesiae cardinalium, legitimis ritibus tuendis praepositorum, qui, ordinariis habitis in Vaticanis aedibus comitiis, die 29 martii anni vertentis, visisque obiectis per promotorem fidei in medium prolatis, iisque omnibus per defensores solutis, re mature perpensa, libratisque rationibus concordi suffragio rescribendum censuerunt: „Pro gratia confirmationis tituli doctoris, et extensionis eiusdem tituli, cum officio et missa ritus duplicis, ad universam ecclesiam, in honorem sancti Hilarii, episcopi Pictavorum, si sanctissimo placuerit.“ Nos igitur votis precibusque patrum nuperrimae synodi Burdigalensis obsecundare volentes, debitumque praestare honorem sanctissimo antistiti, qui scriptis suis catholicam doctrinam illustravit, de consilio praedictorum cardinalium, certa scientia ac matura deliberatione nostra, deque apostolicae auctoritatis plenitudine, sancto Hilario, Pictaviensi episcopo, titulum doctoris, quo gaudet apud peculiares ecclesias, ratum habemus atque confirmamus, eumque sanctum antistitem eodem doctoris titulo ac dignitate, cum officio ac missa ritus duplicis, ab universa in posterum ecclesia coli volumus ac mandamus: decernentes has praesentes litteras firmas, validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere, et ad titulum doctoris sancto Hilario Pictavorum episcopo ab universa ecclesia tribuendum plenissime suffragari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam sacrae Romanae ecclesiae cardinales, iudicari ac definiri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annulo piscatoris, die 13 maii anno MDCCCLI, pontificatus nostri anno quinto.

A., cardinalis Lambruschini.

Die 14 ianuarii.

## IN FESTO SANCTI HILARII,

*episcopi confessoris doctoris, duplex.*

ADDITIO AD VI LECTIONEM.

Eum, a multis patribus et conciliis insignem ecclesiae doctorem nuncupatum, atque uti talem in aliquot dioecesibus cultum, tandem, instante synodo Burdigalensi, Pius IX, pontifex maximus, ex sacrorum rituum congregationis consulto, universae ecclesiae doctorem declaravit et confirmavit, ac ipsius festo die, missam et officium de doctoribus ab omnibus recitari iussit.

## URBIS ET ORBIS.

*Postquam, superiori anno 1851, sanctus Hilarius, episcopus confessor, formaliter declaratus confirmatus-*

*que fuit universalis ecclesiae doctor, locus factus est* A *adprobationi additionis ad sextam lectionem, quam in ordinariis sacrorum rituum congregationis comitiis, ad Vaticanum hodierna die habitis, referente eminen- tissimo et reverendissimo domino cardinali Ludovico Altieri, huius causae relatore, ad instantiam reve- rendissimi Pictaviensis episcopi, sacra eadem con- gregatio adprobandam censuit, praevia revisione. Qua tandem expleta, per eumdem eminentissimum do- minum cardinalem relatorem, una cum reverendo patre domino Andrea-Maria Frattini, sanctae fidei promotore, sacra rituum congregatio [eam] ad- probavit, memorataeque sextae lectioni addendam concessit, declarans quod deinceps, in festo sancti Hilarii, a clero universalis ecclesiae, officium cum missa persolvi debeat de communi doctorum, et cum lectionibus primi nocturni de scriptura occurrente. Die 10 ianuarii 1852.*

A., cardinalis Lambruschini, sacrae rituum con- gregationis praefectus.

Loco ✠ signi.

Dominicus Gigli, sacrae rituum congregationis prosecretarius.

## SYNODUS DIOECESANA REMENSIS
1850 iulii 17.

Synodus dioecesana Remensis in Gallia, cele- brata die 17 iulii 1850, sub Thoma-Maria-Iosepho Gousset, archiepiscopo Remensi.

De hac synodo confer opera quibus tituli:

1) Synodi Remensis, ab illustrissimo et reveren- dissimo dd. Thoma-Maria-Iosepho Gousset archi- episcopo, anno Domini MDCCCL habitae, statuta. Remis, ex typis L. Jacquet, bibliopolae, MDCCCL.

In-8°, 40 p. — Lyon, séminaire; Paris, Bibl. nat. B 19881; Paris, Saint-Sulpice; Reims, ville.

2) Histoire du synode de Reims de l'an 1850, contenant le cérémonial qu'on y a suivi, par M. l'abbé Delan, curé de St-Marcel et membre du synode. Avec la permission de son éminence le cardinal Gousset, archevêque de Reims. Paris, chez Jacques Lecoffre et Cie, libraires, rue du Vieux- B Colombier, 29, ci-devant rue du Pot-de-fer-Saint- Sulpice, 8. 1851. *[Initio:]* Paris, typographie de Firmin Didot frères, rue Jacob, 56.

In-8°, 95 p. — Lyon, séminaire.

3) Indices synodorum Remis habitarum annis 1850, 1851, 1853, 1858 & 1861. *[In fine:]* Remis, ex typis P. Dubois.

Sine anno, in-8°, XVI p. — Paris, Bibl. nat. B 20223.

Pag. III, index synodi anni 1850; pag. IV, sy- nodi anni 1851; pag VI, synodi anni 1853; pag. VII, synodi anni 1858; pag. IX, synodi anni 1861.

# SYNODUS PLENARIA EPISCOPORUM HIBERNIAE APUD THURLES
1850 augusti 22.

Synodus plenaria episcoporum Hiberniae, cele- C brata in Thurles, die 22 augusti 1850, praeside Paulo Cullen, archiepiscopo Armacano [1].

### Bibliographia.

1) Decreta synodi plenariae episcoporum Hiber- niae apud Thurles habitae, anno 1850. Dublin, Jac. Duffy, 1851, in-12, XVI-80 p. — Baltimore, St. Mary's seminary; Roma, Vaticano.

2) Acta et decreta sacrorum conciliorum recen- tiorum, collectio Lacensis, auctoribus presbyteris s. J., e domo b. v. M. sine labe conceptae ad Lacum. Tomus tertius... Friburgi Brisgoviae, sumtibus Herder, MDCCCLXXV, col. 769-804 et 1289-312.

*Venerabilibus fratribus, archiepiscopis et episcopis totius Hiberniae*

PIUS PAPA IX.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Magno quidem cum paterni animi nostri solatio cognovimus vos in nostrae sollicitudinis partem vocatos consilium iniisse de plenario conventu epi- scoporum totius nationis celebrando, ut gravioribus nonnullis ecclesiasticis negotiis consulatur. Pro certo enim habemus maximas inde utilitates vestras D ecclesias esse percepturas. Quod quidem consilium nos vehementer in Domino probantes, Armacanum antistitem, totius Hiberniae primatem, virum pro- bitate, doctrina, ac prudentia spectatissimum, attentis etiam peculiaribus adiunctis, delegatum apostolicum renunciavimus, qui, eo quoque nomine, synodum convocet, eique praesit cum facultatibus omnibus necessariis et opportunis. Erit proinde vestrum, venerabiles fratres, Armacano antistiti hoc munere aucto obsequi; ac volumus imprimis ut facta ab eodem synodi convocatione, omnes adesse tenea- mini, nisi legitimum obstet impedimentum ad tra- mitem sacrorum canonum. Licet vero eidem dele- gato apostolico peculiares instructiones tradendas curaverimus, vos tamen generatim monitos volumus, ut non modo responsis pro gravioribus nonnullis negotiis datis, quo par est studio inhaereatis, sed illam potissimum curam geratis in synodo, ut disci- plina decretis et rescriptis ab apostolica sede vel congregatione Propagandae fidei praeposita, pro nonnullis praesertim gravioribus istius regionis ne- gotiis, alias editis consentanea ac uniformis per omnes provincias et dioeceses collatis consiliis con- stituatur. Acta vero et decreta synodi ad sedem apostolicam transmitti volumus, ut, examine de more instituto, iudicium de illis feratur, ac, si opportunum visum fuerit, suprema nostra auctoritate confirmentur ac roborentur. Caeterum, venerabiles fratres, firma spe tenemur fore, ut susceptam huius celebrandae synodi curam sic ad extremum studiose geratis, ut eam in maximam catholicae religionis prosperitatem cessisse vobiscum laetari possimus.

Datum Romae, sub annulo piscatoris, die 6 aprilis MDCCCL, pontificatus nostri anno quarto.

De speciali mandato sanctissimi:

A. Picchioni, substitutus.

*Venerabili fratri Paulo Cullen, archiepiscopo Arma- cano, ac totius Hiberniae primati*

PIUS PAPA IX.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

De firmanda augendaque catholica religione pro apostolici muneris ratione sollicitis ea nobis plerum-

[1] Sequemur editionem anno 1851 factam. Caeremoniae huius synodi ex actis sequentis concilii Casseliensis, quod easdem usurpavit, cognosci possunt. — *Nota editorum* Coll. Lac.

que probanda occurrunt, quae in utilitatem ipsius religionis cessura videatur. Porro illud certum est aetate qualibet maximas in ecclesia Dei utilitates importasse episcoporum conventus seu concilia, in quibus vel defensa catholica fides est a grassantibus haereseum monstris, vel ea salubriter instituta sunt, quae ad instaurandam tuendamque pertinerent vitae morumque disciplinam. Quapropter, animum nostrum magnopere recreavit consilium per venerabiles fratres totius Hiberniae antistites initum, de celebrando, consueta synodali forma, plenario conventu episcoporum totius nationis, ut gravioribus nonnullis ecclesiasticis negotiis provideatur. Quod quidem consilium nos commendantes et approbantes, de consilio venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae ecclesiae cardinalium Propagandae fidei praepositorum, pro synodi huius convocatione et celebratione perficienda, attentis etiam peculiaribus circumstantiis, tibi delegati apostolici munus demandandum censuimus. Te igitur, venerabilis frater, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurreris, huius tantum rei gratia absolventes ac absolutum fore censentes ad huiusmodi synodum convocandam et celebrandam delegatum apostolicum per has nostras litteras eligimus et constituimus, tibique facultates omnes ad hoc necessarias et opportunas tribuimus et impertimus. Tibi vero peculiariter demandamus, ut instructiones a memorata cardinalium congregatione pro synodi celebratione traditas, nec non decreta et rescripta ab apostolica sede, vel supradicta congregatione alias edita pro nonnullis praesertim gravioribus negotiis regionis istius exsequenda cures, studeasque demum ut disciplina eiusmodi in praxi servanda admittatur, quae et memoratis decretis consentanea existat, et uniformitatem per omnes provincias et dioeceses inducat. Denique, synodi acta et statuta ad apostolicam sedem transmittes, ut eius examini subiiciantur, ac, si opportunum videatur, eiusdem auctoritate confirmentur ac roborentur. Iam vero confidimus ut, pro tuo eximio religionis studio, doctrina [et] prudentia, sic recte commissi muneris partes gesturus sis, ut huiusmodi synodi celebratio, Deo bene iuvante, in maximum cedat catholicae religionis incrementum. Non obstantibus etiam speciali atque individua mentione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, sub annulo piscatoris, die 6 aprilis MDCCCL, pontificatus nostri anno quarto.

De speciali mandato sanctissimi

A. Picchioni, substitutus.

## INSTRUCTIO

*sacrae congregationis de qua in brevibus supra.*

Illustrissime ac reverendissime domine,

Cum in litteris apostolicis pro synodo nationali episcoporum Hiberniae mox celebranda mentio fiat de instructionibus per sacram congregationem tradendis, amplitudini tuae illas statim significandas duxi, atque ea ratione ut collegis quoque paterent.

Primo itaque, admonendos cures episcopos, atque alios etiam qui quovis titulo synodi participes sint extituri, ut super deliberationibus secretum servare studeant. Id profecto duabus potissimum rationibus praestandum patet, primo quidem ex eo quod synodi acta et decreta sedis apostolicae examini ac iudicio sunt reservanda; deinde vero quod cum in regione ista praesertim consuetudo invaluerit, ut de quibuscumque causis, etiam sacratioribus, polemicae quaestiones in publicis ephemeridibus exagitentur, si id contingeret ex vulgatis imprudenter iis, quae in synodo pertractantur, periculum adest, ne graviora etiam mala ex ipso profluant remedio. Ea vero occasione episcopi videntur admonendi generatim ut, cum de nonnullis quaestionibus haud inter se conveniant, abstineant ab ineunda publica controversia per documenta typis edita, ac domesticas querelas ad maternum sanctae Romanae ecclesiae sinum potius deducant, non vero palam exhibeant, atque ipsis catholicae fidei inimicis revelent.

Secundo, licet synodus ex episcopis potissimum coalescat, attamen iuxta praxim saepius servatam, valde opportunum videtur si presbyteri nonnulli veluti consultores atque administri adhibeantur: quod modo ad uniformitatem disciplinae constituendam in collegiorum negotio imprimis commendandum videtur. Attamen episcopos peculiariter admoneas, quatenus ecclesiasticos viros aetate ac probitate graves, solida ecclesiastica doctrina praeditos, ob labores in vinea Domini exantlatos cunctis venerabiles, eosque demum seligant, quos certum sit episcoporum coetui benevisos existere, eorumque fiduciam promerituros.

Quod demum spectat liturgicum ordinem in synodo servandum, nil obstat quominus illum sequi cures, qui pro synodis in pontificali vel caeremoniali Romano continetur; vel ad normam eorum quae in aliis probatis conciliis acta sunt, providendum cures.

Demum, si aliis de causis controversiae enascantur ob ea, quae formam synodi spectant, vel quoad nonnullorum iura in controversiam forsitan adducta, ipse interim prout melius videbitur, attentaque potissimum collegarum sententia, iudicium proferas, addita etiam si opus fuerit declaratione quod nullius iuribus praeiudicatum censeatur.

Precor Deum ut te diu sospitem servet.

Amplitudinis tuae, ad officia paratissimus,

I.-Ph., cardinalis Fransoni, praefectus.

Romae, ex aedibus sacrae congregationis de Propaganda fide, die 18 aprilis 1850.

## Paulus, Dei et apostolicae sedis gratia archiepiscopus Armacanus, primas totius Hiberniae, delegatus sedis apostolicae, etc.

*Illustrissimis et reverendissimis fratribus, archiepiscopis et episcopis Hiberniae, et aliis omnibus qui de iure concilio nationali interesse debent, salutem in Domino.*

Cum consilium, a cunctis Hiberniae praesulibus proxime elapso anno initum, de synodo plenaria totius regni celebranda a sanctissimo domino nostro Pio papa IX feliciter regnante fuerit approbatum; cumque nobis idem supremus ecclesiae pastor (ut ex eius litteris brevibus die 6 aprilis datis et huic decreto adnexis constat) potestatem concesserit, qua ad normam sacrorum canonum, eandem synodum convocaremus, eidemque praeessemus, etiam tamquam delegatus apostolicus; nos, vi potestatis benigniter sic concessae, synodum nationalem totius Hiberniae in civitate Thurlesia, in aedibus seminarii, qui locus omnibus huius regni archiepiscopis commodus et opportunus visus est, ad XVIII kalendas septembres, in festo beatissimae Virginis in coelum assumptae, quae inceptis nostris sit propitia, incipiendam, et diebus subsequentibus prosequendam, et, Deo optimo maximo adiuvante, ad eius gloriam et laudem, et huius fidelis populi salutem, absolvendam perficiendamque, indicimus et convocamus. Conveniant itaque, prout in brevibus pontificiis iam citatis praescribitur, praedicto die et loco omnes Hiberniae archiepiscopi et episcopi, et si qui alii inveniantur, qui ex iure huiusmodi conciliis

interesse debeant et possint, ut, collatis consiliis, ea A omnia statuantur, quibus fides apud nos firmetur et custodiatur, et pericula arceantur quibus in hac regione exponitur, Dei cultus augeatur, sacramentorum decus promoveatur, ecclesiasticarum personarum munera et onera definiantur, denique omnia praestentur quibus mores emendari, controversiae componi, vineaeque florentes nostrae curae commissae latius dare omnium virtutum odorem possint. Singuli porro praesules in suis dioecesibus tempus et locum in quibus synodus est habenda omnibus significent, ut si qui alii ius habeant ut intersint, notitiam convocationis opportunam habeant, et ius suum tempestive asserant, ut synodo admittantur. Caeterum, toto temporis intervallo quod inter praesentem synodi convocationem et eius celebrationem intercedet, praesules omnes enixe rogamus et hortamur, ut preces privatas ipsi effundant, et publicas praescripto sacrorum canonum per suas dioeceses B indicant, ut Pater coelestis dives in misericordia, visitare vineam suam in benedictionibus suis, et consilia actusque nostros aspirando praevenire et adiuvando prosequi dignetur.

Datum Droghedae, in festo corporis Christi, die 30 maii 1850.

**Paulus, Dei et apostolicae sedis gratia archiepiscopus Armacanus, primas totius Hiberniae, delegatus sedis apostolicae, etc.**

*Illustrissimis et reverendissimis fratribus, archiepiscopis et episcopis Hiberniae, et aliis omnibus qui de iure concilio nationali interesse debent, salutem in Domino.*

Aliis nostris litteris die trigesimo maii datis, plenarium Hiberniae concilium die decimoquinto augusti in festo assumptionis beatissimae virginis C Mariae, Thurlesiae habendum, indiximus. Cum vero, ob graves causas, id celebrare ad praestitutum diem non liceat, praedictum concilium eadem auctoritate qua illud indiximus, in diem vigesimum secundum eiusdem mensis augusti differimus et prorogamus. Itaque, eo die, omnes archiepiscopos et episcopos, caeterosque qui concilio interesse debent, rogamus in Domino et requirimus, ut in eandem civitatem conveniant, initium synodali actioni praedicto die vigesimo secundo augusti solemniter daturi. Interim Deum iterum atque iterum exorandum optamus, ut suae spiritum sapientiae mentibus nostris infundere dignetur quatenus eo inspirante opportunis modis quae recta sunt exsequi et malis omnibus obviare possimus.

Datum Droghedae, die 6 augusti anni 1850.

### RESCRIPTUM

*quo decreta approbantur.*

Decreta concilii Hibernensis apud Thurles superiore anno habiti, praesidente reverendo patre domino Paulo Cullen, archiepiscopo Armacano, Hiberniae primate, ac delegato apostolico, ad quod ex universa Hibernia episcopi convenerant, sacrae congregationi de Propaganda fide exhibita fuerunt. Mature vero omnibus perpensis in generali eiusdem sacrae congregationis conventu habito die 28 aprilis huius anni, eminentissimi patres censuerunt, nonnullis adhibitis emendationibus[1] iuxta tradendam instructionem, decreta omnia esse probanda, atque executioni mandanda. Hanc vero sacrae congregationis sententiam sanctissimo domino nostro Pio papae IX, ab infrascripto eiusdem sacrae congregationis secretario relatam in audientia die 4 maii, sanctitas sua eandem in omnibus confirmavit ac servari praecepit.

Datum Romae, ex aedibus dictae sacrae congregationis, die 23 maii 1851.

I.-Ph. cardinalis Fransoni, praefectus.

Locus † sigilli.

Alexander Barnabo, a secretis.

[1] Emendationes litteris cursivis insertae propriis locis sunt.

## DECRETA.

### I. *De aperienda synodo.*

In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti.

Nos, Paulus, sanctae sedis apostolicae delegatus, archiepiscopus Armacanus, et totius Hiberniae primas, ad laudem ac gloriam omnipotentis Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, ad honorem beatissimae virginis Mariae, sanctorum apostolorum Petri et Pauli, sancti Patritii et omnium sanctorum, ad incrementum fidei ac religionis catholicae, ad pacem et unionem ecclesiae huius regionis promovendam, et ad reformationem cleri et populi, sta- D tuimus ac decernimus, de consilio et consensu reverendissimorum episcoporum Hiberniae, hoc ipso die, qui vigesimus secundus est mensis augusti, adiutrice divina misericordia, initium fieri atque iam factum esse concilii nationalis Hiberniae; quod rite et auctoritate etiam a sancta sede apostolica, cuius delegatus sumus, accepta, litteris datis die 30 maii proxime elapsi, convocavimus, atque aliis postea die 6 augusti datis, in hunc praesentem diem prorogavimus: quae concilii inchoatio felix sit ac fausta, et in religionis incrementum et maiorem Dei gloriam bene vertat.

### II. *De modo vivendi.*

Cum omne datum optimum et omne donum perfectum desursum sit, descendens a Patre luminum, cumque, nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilet qui custodit eam, synodus haec nationalis fideles omnes, praecipue vero episcopos et sacerdotes monet et hortatur, ut assidue divinam implorent opem, et sine intermissione preces Deo effundant, rogantes ut sapientiam assistricem sedium suarum de coelo mittat, ut patribus huius concilii adsit, et cum ipsis laboret. Omnes porro qui concilio intersunt in meditationem divinarum rerum sedulo incumbant; missae sacrificium vel quotidie celebrent vel eidem devote assistant: preces horarias divini officii digne, attente ac devote studeant recitare, et iisdem, cum in ecclesia solemniter celebrantur, intersint: ea demum omnia, quae de ratione vivendi iam a sacrosancta Tridentina synodo tam plene sunt tradita, et prae mente habeant et executioni mandare curent. Cum autem in eum finem haec synodus sit congregata ut promoveatur Dei honor atque gloria, ecclesiae decus augeatur, atque concordia sacerdotalis firmetur, omnia sedulo sunt evitanda, quae ad animos concitandos, aut ad caritatis vinculum violandum tendant. In sententiis itaque dicendis magna verborum moderatio adhibenda est, et ab omni violentia et perturbatione abstinendum. Magna tamen libertas in iis quae sentiunt proferendis, est omnibus in Domino concedenda.

### III. *De praeiudicio non afferendo.*

Quod si cui contigerit in hanc nationalem synodum non iure admissum fuisse, vel suo proprio loco non sedere sententiamve dicere, aut aliud quidpiam agere; vel si forte aliqua ratione, propria

alicui privilegia non concedantur, declaramus ac A decernimus nullum ipsi ius novum esse ideo acquirendum vel praeiudicium inferendum: omnium enim iura sarta tectaque esse volumus.

### IV. *De officialibus.*

Cum autem ad huius nationalis concilii actiones et tractationes ministri nonnulli requirantur, ideo sequentes eliguntur: nempe

Promotor: reverendissimus dominus episcopus Clonfertensis.

Secretarii: reverendi domini Dominicus O'Brien, Patritius Leahy, Petrus Cooper.

Caeremoniarii: reverendi domini Laurentius Forde, Matthaeus Keogh, Thomas M'Hale.

### V. *De iudicibus causarum personalium in synodo occurrentium.*

Ne vero singulorum causae rerum graviorum, B quae a nobis in hoc nationali concilio agi debent, cursum impedire possint, ideo reverendissimi domini episcopus Clogherensis, episcopus Ossoriensis, et episcopus Kilmorensis huic muneri praeficiuntur, ut absentium excusationes, causasque ante dimissam synodum abeundi, si quae a quopiam allegentur, cognoscant, easque ad nos deferant.

### VI. *De non discedendo.*

Demum universis, qui ad hanc synodum nationalem convenerunt, in virtute sanctae obedientiae et sub poenis in iure statutis praecipimus, ne antequam synodus ad exitum perducta fuerit, et eius acta subscripta, discedant, nisi ob iustas et rationabiles causas facultatem recedendi aliquis a patribus obtinuerit.

### VII. *De fide catholica.*

C

1. „Nullae sunt maiores divitiae", inquit sapienter Augustinus, „nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi huius maior substantia, quam est fides catholica, quae peccatores homines salvat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles iustificat, poenitentes reparat, iustos augmentat, martyres coronat, virgines et viduas et coniuges casto pudore conservat, clericos ordinat, sacerdotes consecrat, regnis coelestibus praeparat, in aeterna haereditate cum angelis sanctis communicat." [1] Quae quidem verba tamquam in compendio ea omnia exprimere videntur, quae in sacris litteris de fide traduntur, et clarissime ostendunt quanto in pretio praeclara illa virtus sit habenda.

Itaque, constitutiones nostrae initium sumant a fide oportet, sine qua impossibile est placere Deo, „*et sine qua nihil sanctum, nihil castum, nihil vivum.*" [2] Licet enim in Domino gloriari possimus D regionem hanc nostram, divino beneficio, nunquam foedatam inventa nova aliqua haeresi fuisse, tamen in re tanti momenti vigilare nos oportet, et contendere ut depositum tam pretiosum omni cura et quam accuratissimo custodiatur.

2. Imprimis itaque, cum concilio Tridentino dicimus, fidem esse humanae salutis initium, fundamentum et radicem omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum eius consortium pervenire [3]. Deinde, firmissime et constantissime eam profitemur fidem, atque ab omnibus nostrae iurisdictioni subiectis teneri volumus, quam, a Christo domino per apostolos acceptam, sacrosancta apostolica Romana profitetur ecclesia, quae omnium ecclesiarum mater est et magistra [1], extra quam nec vera fides, neque salus aeterna inveniri potest; cuius quidem ecclesiae visibile in terris caput est Romanus pontifex, successor beati Petri principis apostolorum, in universum orbem tenens primatum, et verus Christi vicarius, omnium christianorum pater et doctor, cui pascendi, regendi et gubernandi universalem ecclesiam plena a domino nostro Iesu Christo potestas in beato Petro tradita est [2]. Itaque, quidquid Romana ecclesia de fide divina credendum proponit, ex intima cordis sententia credimus et credere debemus; et quidquid reiicit et damnat, reiicimus et damnamus; ac propterea errores omnes, quos Romani pontifices tamquam fidei adversos proscripserunt, nos proscribimus et damnamus, atque pro virili parte conabimur ut nullum eorum vestigium in nostris dioecesibus inveniatur.

### VIII. *De fidei professione emittenda.*

Cum iis, qui corde in fide firmi sunt et stabiles ad iustitiam, ore insuper confessio facienda sit ad salutem; concilii Tridentini decreto adhaerentes, professionem fidei a Pio IV praescriptam, quam nosmetipsi, cum synodus haec solemniter aperiretur, publice edidimus, et quam huic decreto, ut ad manum habeatur, subnecti curabimus, ab infrascriptis in suis respective dioecesibus emittendam decernimus. Illam nempe emittant:

1. Episcopi aliique de clero, recens de beneficiis ecclesiasticis provisi, aut sacris ordinibus initiati, in dioecesana synodo primo celebranda.

2. Dignitates aut canonicatus obtinentes, post possessionem obtentam, tum in manibus episcopi vel eius vicarii generalis seu officialis, tum in capitulo infra bimestre.

3. Beneficia cum animarum cura recipientes post possessionem infra idem tempus, in manibus tantummodo episcopi vel vicarii generalis.

4. Item novus vicarius generalis.

5. Docentes publice vel privatim theologiam, philosophiam vel ius canonicum.

Quodsi ii qui hic recensiti sunt, aut alii qui de iure tenentur (nam omnes hic recensere nobis necessarium non est), professionem fidei emittere negligant, sciant se subiacere poenis quae adversus contumaces a Pio IV in bulla *In sacrosancta*, anno 1564 latae sunt, et aliis episcoporum arbitrio ferendis.

*Professio fidei catholicae, iuxta formam Pii IV.*
[*Vide supra col.* 36 A - 38 A.]

### IX. *De fidei periculis evitandis.*

1. Cum fidem omnibus thesauris rebusque humanis longe antehabendam esse pateat, facile est hinc concludere eam omni cautela et vigilantia esse servandam et evitanda esse pericula quibus exponatur. Scilicet thesaurum in vasis fictilibus portamus, et vaferrimi hostes generis humani nos perdere quaerentes insidias nobis struere nunquam desinunt. Cum vero notum sit perditos quosdam homines et ecclesiae catholicae infensissimos hostes in quibusdam huius regni regionibus pecunia, elargitionibus et omni corruptelarum genere conari, ut pauperiores et fame et aliis calamitatibus afflictos catholicos ab avita fide seducant, quo scilicet eos apostatas, hypocritas, et filios gehennae efficiant, episcopos illorum locorum et alios omnes viros ecclesiasticos in Domino hortamur, ut saepissime populo exponant fidei praestantiam, et pericula et

[1] *Sermo 1, de verbo Dei* [al. 384, *de Trinitate,* ed. Bened., V, 1486 F].
[2] S. Leo, *Sermo 4, in nat. Domini* [ed. Ballerini, I, 89].
[3] Sess. VI, *de iustif.*, cap. 8.

[1] Trid., sess. VII, can. 3, *de bapt.*
[2] Conc. Flor. [decretum unionis. Mansi, *Conc.*, (1906), XXXI, 1031 E].

damna denuncient quibus apostatae exponuntur. Curent etiam episcopi ut parochi diligentissime de iisdem rebus agant, utque omni prudentia et caritate se huiusmodi *magistris erroris* opponant. Hortentur quoque omnes, ut saepe mente recolant, quam insigne sit beneficium quod gratuito Dei dono sunt consecuti, dum adhuc tot alii inter quos ipsi vivunt, abdito sane hominibusque impervio concilio, *catholicae ecclesiae vocem audire recusant.* Hac enim ratione fiet ut, dum debitas largitori optimo pro fidei munere grates maiori quo valent studio reddant et habeant, auxilium a Deo ad fidem conservandam consecuturi sint et firmius veritati revelatae adhaesuri.

2. Quo facilius finis imponi possit eorum conatibus, qui fidem catholicam eradicare conantur, hortamur episcopos, ut quam saepissime optimos divini verbi praecones in loca mittant ubi praedicti conatus fiunt, qui populum fidelem instruant, et errores irrepentes refellant. Videant quoque ut, si fieri possit, in iis locis sacrae missiones a sacerdotibus congregationis Sancti-Vincentii, a patribus societatis Iesu, aut ab aliis fiant; utque praeterea piae sodalitates inter fideles instituantur, quae finem istum habeant ut fidem pauperiorum servent eosque a periculis custodiant.

3. Optandum quoque est, ut libelli pii et qui fidem catholicam defendunt, quamplurimum disseminentur. Reiiciendi autem omnino sunt libri damnati, et qui ad errores disseminandos conscripti sunt.

4. Catholicos laicos cum acatholicis hortamur de rebus ad religionem pertinentibus non agere. Vetamus ne publice, absque ordinarii licentia, ab aliquo, sive laico sive clerico, cum iisdem disputationes ineantur; quippe ex eiusmodi disceptationibus vix quidquam boni fructus exspectari potest, et ferme semper accidit ut christiana pax et caritas violentur.

5. Cavendum vero ne ii, qui heterodoxis famulantur, precibus acatholicis a suis heris recitari solitis assistant, aut alia in re fidei detrimentum patiantur. Nisi famuli praedicti ius retineant libere religionem catholicam exercendi, et omnia peragendi quae a sancta ecclesia praescribuntur, servitium dimittant quod sine periculo aut conscientiae laesione retinere non possunt.

6. Videant episcopi ne nautae aut milites catholici rei sacrae heterodoxorum adesse cogantur. Cum enim ii parati sint vitam et sanguinem pro republica tuenda profundere, id certe ipsis debetur, ut libero Deo iuxta avitae fidei dictamina inservire possint, quin conscientiae labem inurant. De eorum etiam filiis, praesertim si orphani sint, pia pastorum sollicitudo est excitanda, ne in aliena religione educentur.

7. Si qui catholici ex hac in exteras regiones profecturi sunt, eos hortandos esse existimamus ut in loca minime se conferant ubi copiam exercendi religionem suam non habeant. Antequam vero proficiscantur cavendum ut sacramenta poenitentiae et eucharistiae suscipiant, utque etiam litteras testimoniales a parochis subscriptas secum deferant quibus eos baptizatos fuisse constet, nec non solutos esse, prout res se habeat, vel legitimo coniunctos matrimonio.

8. Catholici haereticorum templa invisere, ut cultui eorum adsistant, omnino prohibentur. Ab haereticorum etiam concionibus audiendis prorsus abstineant, et eorum libros de religione tractantes nunquam legant.

## X. *De sacramentis.*

Cum proxime elapsis saeculis fides catholica in hac regione, gravissimis propositis poenis, proscripta

A esset, et ritus sacri in angulis et latibulis saepissime exercerentur, fieri non potuit ut ea omnia quae ad decorem et maiestatem divini cultus ab ecclesia sunt statuta, servarentur.

Optaret haec synodus ut ea omnia quae, ob temporum calamitates, ecclesiae legibus minus conformia, praesertim in sacramentorum administratione, inducta sunt, ad normam generalis disciplinae quam citissime reducerentur: verum cum, ut ait sanctus Augustinus, „*quae utilitate iuvant, novitate quandoque perturbent,*“ [1] sequentia tantum ad renovationem disciplinae, hac in re spectantia, monenda aut statuenda censet.

1. Ritus omnes praescripti in rituali Romano, rubricis missalis et pontificali Romano pro sacramentorum administratione, quantum circumstantiae huius regionis permittunt, accurate observentur.

2. Curandum est ut typis edatur rituale Roma-
B num integrum, quod omnes sacerdotes nostri adhibere teneantur. In appendice, partes, quae anglice in quorumdam sacramentorum administratione adhiberi solent, edi poterunt, nec non exhortationes quaedam quae cum fructu in iisdem sacramentis administrandis legi poterunt; et has exhortationes specialis congregatio, ad hoc posthac nominanda, parandas suscipiet.

3. Volumus ut praxis administrandi sacramenta in ecclesiis, in quantum commode fieri poterit, introducatur.

4. Cum magni momenti sit ut vis, efficacia et dignitas sacramentorum rite a fidelibus intelligatur, ea quae habet sanctus Carolus in sacramentali Ambrosiano, seu instructionibus generalibus pro administratione omnium sacramentorum, in mentem parochorum revocamus: „Sacramenti quod ministrabit [sacerdos] vim, rationem, usum salutaresque
C fructus, prout temporis ac personae ratio et praesentium multitudo tulerit, diligenter explicabit, praesertim catechismi Romani doctrinis inhaerendo. Cum vero caeremoniae, quae ad sacramenta adhibentur, mentes illorum qui eas intuentur accurateque observant ad sublimium rerum cogitationem erigant, fidemque et caritatem in iis ipsis excitent, earum etiam vim sanctioresque significationes, ut diligentissime poterit, idem populo exponet, cum usu venerit.“ [2]

5. In oblationibus, quae ex veteri et recepto usu fieri solent occasione administrationis quorumdam sacramentorum, caveant parochi ne aliquid fiat quod simoniam aut avaritiam sapiat. Sacramenta vero nunquam denegentur eo sub praetextu quod oblationes istae dandae non sint; alioquin noverint delinquentes se ad arbitrium ordinarii esse puniendos.

## D XI. *De baptismo.*

1. Cum baptisma ad salutem necessarium sit, Dei benignitate factum est, ut a quolibet homine valide conferri possit. Curandum itaque est a parochis ut singuli fideles, praesertim vero obstetrices, modum et formam illius ministrandi norint, ut in casu necessitatis illud rite conferant.

2. Ob praeteritorum temporum calamitates, usus in hanc regionem inductus est baptisma in domibus privatis conferendi. Cum sine magno incommodo in pluribus locis haec consuetudo aboleri nunc possit, praecipimus ut in locis praedictis hoc sacramentum in ecclesiis in posterum conferatur. Quodsi infantes in periculo mortis sint, aut si longe degunt ab ecclesiis, ita ut ad eas tuto ferri non possint, tunc morem iam inductum necessitas mutari non sinit.

[1] *Ep. 54, ad Ianuar.*, ed. Bened., II, 126 D.
[2] *Acta eccles. Mediolanensis*, (Patav. 1754, fol.), t. I, p. 490.

8. Meminerint parochi rituale Romanum et eccle- A siae consuetudinem exigere ut aqua in baptismo adhibenda, infuso oleo et chrismate benedicatur, vel sabbato sancto, vel sabbato pentecostes, vel, si necessitas exigat, alio tempore ante baptismi administrationem. Caveant itaque, ut quam primum fontes baptismales in ecclesiis parochialibus erigantur et custodiantur, apud quos baptismus conferatur, et omnia quae ad huius sacramenti administrationem in rituali Romano praescribuntur, accurate serventur.

9. Si quis acatholicus suos infantes sacerdoti catholico baptizandos offerat, et spes adsit eos catholice esse educandos, omnino baptizentur, adhibitis tamen patrino vel matrina catholica. Quodsi infantes huiusmodi in proximo aut probabili mortis sint periculo, sacerdotes, si occasio se obtulerit, eos baptizare absque ulla dubitatione debent.

10. Baptizantur sub conditione hi qui ad reli- B gionem catholicam in nostra regione convertuntur, eo quod constet plurimos esse inter protestantes qui baptismum nihili faciunt, aliosque esse qui illud haud servata propria materia aut forma administrent. Usum itaque istum retinendum esse volumus, nisi plane constet ex fide dignis testimoniis personam de qua agitur baptizatam valide fuisse.

11. Baptizari etiam sub conditione volumus infantes expositos a parentibus, atque etiam eos qui a nutricibus aut obstetricibus in domibus privatis abluti sunt, nisi similiter fide dignis testimoniis constet baptismum fuisse rite collatum.

12. Occasione baptismi oblationes quaedam parocho fieri ex vetusta et recepta consuetudine solent. Hanc consuetudinem secundum praxim dioecesium ab episcopis probatam retinendam esse arbitramur. Verum, ne ex alicuius avaritia abusus C hac in re introducantur, et ne sacramentum ad salutem omnino necessarium alicui non conferatur, nullus parochus aut eius vicarius pactiones de oblationibus praedictis ante baptismi collationem ineat. Vetamus quoque, et sub poena suspensionis latae sententiae, ne infantem baptizare recusent sub praetextu defectus aut subtractionis oblationum praedictarum.

Sedulam operam dent sacerdotes ut, quantum poterunt, impediant nefandum illud scelus quo, adhibitis chirurgicis instrumentis, infans in utero interficitur. Omnis foetus, quocumque tempore gestationis editus, baptizetur, vel absoluto si constet de vita, vel sub conditione, nisi evidenter pateat eum vita carere.

## XII. *De confirmatione.*

13. Cum tristissimis temporibus vivamus, quibus D fides innumeris periculis exponitur, parochis singulari cum cura cavendum est, ut pueri et puellae omnes ad confirmationis sacramentum recipiendum accedant, quo gratiam ad fidem confidenter profitendam accipiant.

14. Nisi adsit periculum mortis aut alia iusta causa, pueros ante septennium ad confirmationem ordinarie non admittimus.

15. Nemo ad hoc sacramentum admittatur nisi in doctrina christiana sufficienter institutus sit; et curent parochi ut omnes doli capaces antea ad tribunal confessionis accedant.

## XIII. *De eucharistia.*

16. Ad normam decretalis Innocentii III in concilio Lateranensi editi, statuimus ut magna cum cura et sub fideli custodia, clavibus adhibitis sanctissima eucharistia conservetur.

17. Ne autem diutius asservatae corrumpantur particulae, a parochis et aliis sacerdotibus ad quos spectat, renovandae sunt octavo quolibet die.

18. In omnibus indiscriminatim sacris aedibus nequaquam permittitur asservare sanctissimam eucharistiam. Ecclesiae cathedrales, parochiales, et si quae sint in quibus, ex consuetudine immemorabili, assidue hactenus asservata fuerit, hoc iure fruantur. In reliquis ecclesiis, nisi adsit privilegium apostolicum, servari non potest.

19. In ecclesiis in quibus sanctissima eucharistia asservatur, diu, et ubi tuto fieri potest, noctu, una saltem lampas accensa colluceat.

20. Sedulam dent operam parochi ut fideles Christum sub speciebus eucharisticis in templis delitescentem frequenter invisant, pronique adorent ac venerentur, ac propterea ecclesiarum suarum fores patentes, saltem per aliquot horas, singulis diebus relinquant, ubicumque id commode et sine ulla irreverentiae periculo fieri potest.

21. Tempus paschale pro tota Hibernia ex indulto Pauli V a die cinerum usque ad diem ascensionis Domini extenditur. Cum vero, ob multitudinem fidelium, intra illud tempus omnes praeceptum adimplere non possint, supplicem libellum pontifici exhibendum esse arbitramur, ut ulteriorem prorogationem eiusdem temporis usque ad octavam festi sanctorum apostolorum Petri et Pauli benigne concedat[1].

22. Parochi, tempore aestivo cuiuslibet anni, per aliquot dies pueros eos, qui ad primam communionem accedere volunt, erudiant de natura, virtute effectibusque sanctissimae eucharistiae, ac de necessariis ad illam rite et digne suscipiendam dispositionibus.

Missa, in qua prima vice pueri sacra synaxi reficiuntur, ea, qua fieri potest, maxima solemnitate celebretur.

23. Parochi magna cum reverentia sacram eucharistiam ad aegrotos deferendam in domibus suis servent, ubi id necessarium et permissum est. Singulis autem enixe commendamus, ut sacellum aut saltem tabernaculum constituant ab omni usu profano segregatum, in quo eucharistiam reverenter custodiant. In formula 6, numero 21, sanctissimum sacramentum hoc in casu sine lumine servare permittitur.

24. In eadem infirmitate, si longius protrahitur, parochi saepius sacro viatico aegrotos reficiant, cum illud iterum et saepius licite dari possit.

25. Benedictio solemnis cum sanctissimo sacramento dari non debet nisi temporibus ab episcopo definitis, et eius accedente consensu. Forma autem benedictionem impertiendi, quam in appendice edemus, ab omnibus adhibeatur[2].

26. Sacerdotes diligenter se disponant sanctissimi sacrificii celebrationi, et debitas postea gratias semper agant.

27. Ne liceat unquam sacerdotibus sine veste talari missam celebrare.

28. Sacra suppellex in hoc incruento sacrificio adhibenda, si pretiosa, ut par esset, haberi nequeat, munda saltem et nitida sit, et convenientis materiae et praescriptorum colorum; non sordida, non obsoleta, neque indecenter compacta. Episcopi mandent suis vicariis foraneis, ut non solum tempore visitationis, sed et aliis statis temporibus, denuntient sacerdotes quos hac in re graviter negligentes deprehenderint.

29. Calices sint aurei vel argentei; vel saltem cuppa, quae debet esse intus deaurata, sit argentea.

[1] Vide appendicem n. 1.
[2] Vide appendicem n. 2.

30. Nulli lapides sacri in posterum consecrentur A nisi sint iustae magnitudinis, et commode calicem, sacram hostiam et pyxidem continere valeant.

31. Cum missa celebratur, colluceant duae saltem candelae cereae.

32. Maximam diligentiam adhibeant sacerdotes ut panis consecrandus sit recens, purus et albus. Hostiae pro communione populi sint rotundae et non nimis parvae. Curent episcopi ut ratio aliqua adhibeatur, qua vinum sincerum pro missae celebratione obtineatur, utque sacerdotes nullum aliud adhibeant.

33. In oppidis, ubi adest copia sacerdotum, missa sit quotidiana et hora fixa, ad fovendam pietatem fidelium.

34. Missae post meridiem non celebrentur.

35. In sacro peragendo nullus sacerdos saecularis ritus alios aut alias caeremonias et preces adhibeat, praeter eas quae in missali Romano prae- B scribuntur.

36. Onera perpetua missarum a nullo rectore ecclesiae, aut alio sacerdote saeculari suscipiantur, nisi specialis ab eius ordinario ad id concessa fuerit licentia.

37. Missa bis in dominica vel die festo non celebretur, nisi episcopus id necessarium existimaverit, et vi facultatis a sancta sede sibi concessae fieri permiserit.

38. Nullus cantus nisi gravis et ecclesiasticus in ecclesiis adhibeatur. Rectores seminariorum curent, praepositis etiam praemiis, ut alumni in cantu gravi et ecclesiastico bene instituantur, utque sacras caeremonias probe ediscant.

39. Intra missarum solemnia nihil nisi latine cantetur, nec extra missam in ecclesiis nisi quod in ecclesiasticis libris probatis inveniatur, vel ab ordinario fuerit probatum.

## XIV. *De poenitentia.*

40. Volumus, ut quam primum in omnibus ecclesiis erigantur sedes confessionales, easque cratibus infornientur.

41. Hortamur parochos ut, quantum fieri potest, confessiones in ipsis ecclesiis audiantur, et nullibi audiantur nisi in locis decentibus, et ianuis patentibus; *mulierum vero, praeter casum necessitatis, nonnisi in ecclesia, et ad sedem confessionalem.*

42. Stola violacea et vestis talaris adhibeantur a sacerdotibus, cum confessiones in ecclesiis aut stationibus excipiunt.

43. Sacerdotes ad confessiones excipiendas ab ordinario in qualibet dioecesi approbati et iurisdictionem consecuti, possunt valide ac licite quoslibet poenitentes ad se confluentes absolvere, sive sint ex sua, sive sint ex aliena dioecesi aut pa- D roecia, dummodo in fraudem legis seu reservationum non adveniant.

44. Idem dicendum est de confessionibus fidelium, quae ad praeceptum semel in anno confitendi adimplendum fiunt.

45. Volumus ut omnia quae a Romanis pontificibus et praesertim a Benedicto XIV, in bullis quae incipiunt *Sacramentum poenitentiae* et *Apostolici muneris*, de sollicitatione sunt praescripta, accurate observentur.

46. Curent episcopi, ut parochi eorumque vicarii statutis quibusdam diebus et horis populo opportunis, in singulis hebdomadibus, in ecclesia publica ad confessiones audiendas se sistant.

47. Hortentur quoque parochi fideles, ut quam saepissime ad hoc sacramentum accedant.

48. Hortamur parochos, ut, praeter consuetas stationes, habeant alias aliquoties, et saltem bis in anno, in ecclesia parochiali, ad quas presbyteros viciniores seu extraneos convocare expedit.

49. Ne omittantur interrogationes, praecipue de doctrina christiana, praesertim cum de rudiorum audienda confessione agitur.

## XV. *De extrema unctione.*

50. Extremae unctionis sacramentum, in solatium aegrotorum a Domino institutum, non animae solum, sed etiam corpori interdum salutare, omni diligentia cuilibet catholico gravi morbo periclitanti administrandum est.

51. Orationes et unctiones omnes, iuxta normam ritualis Romani, in sacramento hoc conferendo perficiantur.

52. Cum hoc sacramentum administratur, nulla a fidelibus oblatio petatur.

## XVI. *De matrimonio.*

53. Parochi moneantur ea accurate servare, quae in rituali Romano de matrimonio contrahendo praescripta sunt. Caveant imprimis, ut uterque contrahentium sciat rudimenta fidei, cum ea deinde filios suos docere debeant.

54. Admoneant coniuges ut, antequam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur, et ad sanctam eucharistiam atque ad matrimonii sacramentum accipiendum pie accedant; et quomodo in eo recte et christiane conversari debeant diligenter eos instruant.

55. De vagis statuimus ut ea, quae in concilio Tridentino praescripta sunt, observentur. Magnam curam adhibeant parochi ut certiores de eorum statu libero efficiantur; nam, ut ait idem concilium, *„sunt improbi ingenii et prima relicta uxore aliam et plerumque plures, illa vivente, diversis in locis* C *ducunt.“*[1]

56. In hac regione, solent parochi litteras testimoniales de statu libero viris matrimonium contracturis hac vel simili forma tradere: „Lator N. N. liber est ad matrimonium contrahendum cum quavis muliere similiter libera.“ Declaramus huiusmodi litteras non esse habendas ut continentes sufficientem delegationem vi cuius quilibet indiscriminatim sacerdos possit latoris matrimonio valide assistere.

57. *Matrimonia fidelium, extra casum necessitatis vel gravem aliam causam per episcopum definiendam, fiant semper in ecclesia;* et episcopi in singulis dioecesibus, in quibus talis lex non viget, legem quandam statuant, qua oblationes occasione matrimoniorum fieri solitae *vel omnino tollantur, vel saltem intra iustos limites coarctentur.*

58. Sacerdotibus omnibus huius regionis in memoriam revocamus, antiqua ecclesiae lege, quam summi pontifices non desierunt inculcare, vetari matrimonia catholicorum cum acatholicis, cum sanctitas sacramenti postulet ut uterque fide et aliis animae dispositionibus gratiae sacramenti suscipiendae idoneus sit, et plura graviaque incommoda et mala ex huiusmodi connubiis saepe sequantur, nempe discordia domestica, et catholicae partis et prolis perversio. „Quodsi rerum adiuncta aliquando suadeant ex auctoritate apostolica ea esse permittenda, imprimis curandum erit ut conscientiae securitati et libero religionis exercitio a catholica parte consulatur, sicut et prolis utriusque sexus in fide catholica educationi, solemni coram Deo promissione iis de rebus emissa; secus, nullatenus licebit sacerdoti iis connubiis adstare. Meminerint insuper sacerdotes pluribus summorum pontificum decretis vetari, ne ullus sacer ritus fiat, vel vestis

[1] Sess. XXIV, cap. 7, *de ref. matr.*

sacra adhibeantur, dum foedera huiusmodi ineantur; quae neque intra ecclesiam ineunda sunt.“ [1]

## XVII. *De vita et honestate clericorum.*

1. Cum laqueus ruinae populi sit sacerdos malus, salus vero gregis integritas pastoris, studeant clerici, memores vocationis qua illos dignatus est Deus, ita vitam moresque componere, ut sint in omni loco bonus odor Christi, facti forma gregis ex animo; nec communem fidelium vitae honestatem sibi sufficere existiment, sed eluceat in iis totius forma iustitiae; et in alto gradu positi in sublimi quoque virtutum culmine sint erecti, ut sicut ordine sacro a reliquis hominibus seiuncti sunt, ita a communis fidelium vitae usu seiuncti, praecipuum quoddam atque hoc praestantius vivendi genus sequantur, quo ordinis dignitate praecellunt [2].

2. Fugiant igitur ea omnia quae non solum deturpant, verum etiam dedecent illos qui in terris pro Christo legatione funguntur.

3. Convivia proinde saecularium frequentiora, praesertim intempestiva, haud aucupentur, nec ament, memores istius sancti Hieronymi consilii: „*Nunquam petentes, raro accipiamus rogati.*“ [3]

4. Ab omni specie intemperantiae et ebrietatis, omnium vitiorum fomitis ac nutricis, prorsus abhorreant.

5. Choreas et saltationes publicas omnino fugiant, nec eas instituant vel ullo modo promoveant sacerdotes sive saeculares sive regulares. Et privatim cum foeminis vel coram iis nunquam ipsi saltent.

6. A publicis cursibus equorum omnino abstineant.

7. Ne intersint etiam venationi quae cum magno clamore fit, quaeque equis et canibus geritur.

8. Theatrorum publicorum quorumcumque spectaculis nunquam intersint.

9. Cum in chartis lusoriis haud modicum aliquando tempus teratur, et desidia turpiter foveatur, caute admodum adversus huiusmodi lusum se munire debet sacerdos, praesertim ubi de pecunia agitur, ne aleatoris illi nota inuratur.

10. Conviviorum festivitatem, vel chartarum lusum, vel alios huiusmodi lusus, ad intempestam noctem producere viro ecclesiastico omnino indignum iudicamus, nec cum debita ad orationem attentione, nec cum decenti et devota sacrorum mysteriorum celebratione ullo modo conciliandum.

11. Ab omni luxu et fastu mundano sacerdotes se alienos omnino ostendant, memoria retinentes se esse ministros illius, qui his in terris degens non habebat ubi caput reclinaret.

12. Omne studium et gloriam suam non in luxu et fastu proprio, nec in divitiis mundanis, sed in eo reponant, ut domus Dei rite ornata, et omni decore plena sit, utque vineae spirituales sibi commissae virtutibus floreant et opportuno tempore dent fructum suum.

13. Licet habitus non faciat monachum, tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre oportet, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant. Clericorum itaque vestitus nec sordes, nec luxum sapiat. Sit semper nigri vel subnigri coloris, et eiusmodi ut facile eius ope viri ecclesiastici ab aliis omnibus distinguantur. Decernimus ut omnes sacerdotes collare, quod Benedictus XIV *sacerdotum insigne* vocat, deferant. Volumus ut in omnibus collegiis ecclesiasticis, superiores, professores et alumni statui clericali destinati, intra moenia collegii, Romano collari et bireto quadrato simul cum veste talari, vulgo dicta *soutaine*, induantur.

14. Alte animo infixum habeant sacerdotes in vanum se sibi proponere eximiam istam virtutem castitatis, sacerdotii decus et ornamentum, intactam servare, si cum mulieribus, etiam devotis, nimiam consuetudinem, nedum familiaritatem, colere velint. Quisnam Samsone fortior, Davide sanctior, Salomone sapientior? Et quia sacerdotes non solum innocentes, verum etiam ab omni mali suspicione immunes esse debent, ancillae, quae illis ministrant, sint aetate provectiores, spectatae morum honestatis, et quae nulli incontinentiae suspicioni locum praebere possint.

15. Quodsi in eadem domo cum parocho habitent eius coadiutores seu vicarii, volumus ut parochi in praedicta domo nullo modo consanguineas vel affines iuniores retineant, nisi permittente ordinario.

16. Nullus sacerdos in domo conducta aut privata resideat, absque praevio episcopi consensu.

17. Caritatem vero imprimis foveant, qua tamquam discipuli Christi dignoscantur, scientes fructus eo uberiores ex laboribus suis esse proventuros, quo arctiori pacis et caritatis vinculo astringuntur; ab obtrectationibus omnino abstineant, nec invidos illos spargant sermones, praesertim coram laicis, quibus fama et existimatio illorum etiam leviter laedatur, qui eiusdem ministerii sunt consortes. Quaecumque denique vera, quaecumque pudica, quaecumque sancta ac religiosa, ea cogitent eaque agant.

18. Et ne tentationibus et periculis, quae undique grassantur, succumbant, ut labores et onera ordinis clericalis strenue perferant, ut ex oratione hauriant quod in populum refundant, ut gratias uberes in oves sibi commissas a patre luminum descendere faciant, orationi indesinenter insistant, et mentalem, sine qua pastor animarum salutem vix consequi potest, quotidie exercere non omittant.

19. Et quoniam ordo, iuxta sanctum Augustinum, dux est ad Deum [1], ideo quam maxime consulendum videtur, ut officia quotidie peragenda certo aliquo ordine, quantum fieri potest, disponat sacerdos; ita ut ipsi tempus suppetat vacandi orationi, nec non studio et meditationi sacrarum litterarum, praecipue sacrae scripturae et theologiae moralis. Optandum quam maxime est, ut horam aliquam parochi statuant, qua in suis domibus singulis diebus vespertino tempore tertia pars rosarii, assistentibus coadiutoribus et tota familia, recitetur, et aliae preces vespertinae peragantur.

20. Frequentem sanctissimae eucharistiae visitationem omnibus sacerdotibus enixe commendamus, nec non singularem erga Dei matrem cultum et amorem, quae semper fuit patrona generalis Hiberniae, et quae in posterum speciali quadam devotione erit invocanda sub titulo Immaculatae conceptionis.

21. Et quoniam cavendum est illis, qui inter tot inquinamenta vitiorum et rerum mundanarum tumultus ministeriis exterioribus necessitate officii sunt addicti, ne tepescat ardor spiritus aut sordescat nitor animae, ideo ad pietatem refovendam et gratiam Spiritus sancti resuscitandam, praecipiendum iudicamus, parochos et coadiutores annis vel singulis vel saltem alternis in secessum spiritualem convenire, ubi ad rerum aeternarum meditationem, ad vitam priorem emendandam, et perfectionem promovendam, animos sedulo intendant.

22. Et quoniam ea quae semel in scholis didicerunt pastores, e memoria facile excidunt, nisi usu constanti recolantur, ideo collationes theologicas

[1] Excerpta ex concilio provinciali Baltimorensi IV. [Mansi, Conc., (1907), XXXIX, 367 A.]

[2] S. Car. Borrom.

[3] [Epist. ad Nepotian., n. 16, opp. s. Hieron., ed. Migne, I, 589.]

[1] *De ordine*, l. 1, cap. 9, ed. Bened., 1, 335 F.

saltem quater, iuxta consuetudinem hic ubique vigentem, singulis annis indicendas consulimus, in quibus de iis quaestionibus tractetur quae ad praxim praecipue pertineant. Illis collationibus tum parochi, tum coadiutores, tum etiam regulares respondere parati adesse teneantur; nec studio disputandi, sive quaestiones inutiles aut vanos sermones intermiscendo, exercitia theologiae tam fructuosa perturbare alicui permittatur.

23. Lectioni praeterea attendant, et supellectilem librorum ecclesiasticorum sibi comparent: saltem sacra biblia, et unum integrum theologiae cursum, canones concilii Tridentini, catechismum Romanum, et vitas sanctorum habeant et assidue versent.

24. Hortamur vero omnes sacerdotes, ut a libris romanticis aliisque, qui ad passiones inflammandas conscripti sunt, nec non a libris quibus religio ludibrio vertitur, aut in quibus doctrinae periculosae insidiose et latenter inculcantur, omnino abstineant.

## XVIII. *De parochis.*

1. Qui ad ecclesiarum parochialium curam sunt promovendi, tales esse debent „*qui idonei sint aetate, moribus, doctrina, prudentia et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis*“[1]. Maximi momenti est, ut parochi hisce omnibus dotibus praediti eligantur, atque ad id consequendum forma quaedam concursus a concilio Tridentino est proposita. Verum, cum per circumstantias huius regionis, concursus, quamvis optandus, vix introduci possit, episcoporum hac in re diligentia et zelus est exercendus, ut omni cura et prudentia in tam gravi negotio procedant, eosque seligant ad paroecias regendas quos digniores esse post diligens examen invenerint. Ne vero quis existimet se ius ad paroeciam ea tantum de causa habere, quod inter alios sacerdotes sit ordinatione antiquior, declaramus in collatione paroeciarum rationem aetatis, morum, zeli animarum, doctrinae, facilitatis concionandi et aliarum omnium dotum, quae pastorem populi decent, esse habendam.

2. Quae de residentia, de administratione sacramentorum, de missae pro populo applicatione, et aliis parochorum muneribus in lege canonica aut statutis provincialibus aut dioecesanis definita sunt, accurate observari volumus.

3. Parochus missam in ecclesia parochiali, nisi legitime impeditus sit, diebus dominicis et festivis de praecepto ordinarié celebrare tenetur: aliter muneri suo non satisfacit.

4. In festis apostolica auctoritate reductis apud nos, ex dispensatione sedis apostolicae, parochi missam pro populo applicare non tenentur, habito episcopi consensu. Non sunt tamen exempti iis diebus ab obligatione missam celebrandi, cum in rescripto apostolico iubeantur commemorationem populi praedictis diebus in missa facere. Cum vero sine magno incommodo missae in pluribus ecclesiis celebrari non possint, supplicandum arbitramur sedi apostolicae, ut parochi ab obligatione celebrandi praedictis diebus eximantur: licet eodem tempore optemus ut parochi, cum id commode possint, celebrare non omittant[2].

5. Curent parochi ut non tantum diebus dominicis, sed etiam festivis de praecepto, populus ad missam audiendam confluat. Hortentur fideles ut in diebus festivis praedictis ab operibus servilibus abstineant, et abusus hac in re vigentes corrigant.

6. Nundinae, quae ex veteri ac recepto usu in diebus festivis fieri solent, impediri non possunt. Curet tamen parochus, ut populus aliis negotiis impeditus missam non negligat.

7. Parochos hortamur, ut speciali quadam ratione curam gerant pauperum et miserabilium personarum, quae in suis paroeciis degant; prudentia et caritate apud oppressores agant, eosque a pauperibus vexandis dissuadeant.

Diligenti etiam et frequenti visitationi aegrorum provideant. Singulis dominicis et diebus festivis, volumus ut pabulo doctrinae christianae pastores fideles populos enutriant. Hoc officium per se parochi adimplere tenentur, nisi legitime impediti fuerint[1]; implere autem debent, iuxta idem concilium,[2] „*cum brevitate et facilitate sermonis.*“

8. Ad sacrorum canonum tramitem, prohibemus ne in posterum novae ecclesiae sine consensu episcopi erigantur.

9. Si nova aliqua ecclesia sit aedificanda, volumus ut eiusdem ichnographia, a perito quodam viro confecta, episcopo exhibeatur, antequam prima aedificii fundamenta ponantur.

10. Si veteres ecclesiae sint diruendae, aut magna ex parte immutandae, statuimus etiam ut parochus in antecessum debitam licentiam ab episcopo obtineat.

11. Statuimus praeterea ut, ubi aedificanda est domus parochialis, res ad episcopum deferatur, eiusque consensus obtineatur, ne in loco parum opportuno erigatur.

Quodsi iam exstet domus parochialis, eam dirui vel plurimum immutari, nisi accedat episcopi consensus, prohibemus; volumus autem ut huiusmodi domus sartas tectasque teneant parochi.

12. Cavendum vero omni diligentia est, ut tituli ecclesiarum et domorum parochialium ita conficiantur, ut perpetuo ea aedificia in usum debitum conservari possint.

13. Optaret haec synodus, ut in singulis paroeciis domus parochiales exstarent, quibus decem aut quindecim iugera terrae adnecterentur. Parochorum hac in re industriam excitamus.

14. Cum gravissima damna religioni et reipublicae ex societatibus secretis oriantur, parochos monemus ut maximam diligentiam in eo ponant, ut huiusmodi societates in suis paroeciis non instituantur.

15. Cum vero maximopere dolendum sit non paucos catholicos damnatae societati liberorum muratorum nomen dedisse, parochi eis in memoriam revocent, omnes iure meritoque excommunicationem summo pontifici reservatam ipso facto incurrere, qui audent vel praesumunt huiusmodi societates inire, vel propagare, aut confovere, receptare, occultare, aut iis etiam interesse, prout statuit Clemens XII constitutione *In eminenti*[3], roborata ac confirmata a Benedicto XIV in constitutione *Providas*[4], a Pio VII in constitutione *Ecclesiam*[5]; a Leone XII in constitutione *Quo graviora*[6]; et ab aliis pontificibus.

Quodsi catholici aliqui in alias societates secretas nominatim a sede apostolica non damnatas conveniant, sive iuramento sive mera promissione ad secretum servandum se obligent, eos parochus ad episcopum deferat, ut re perpensa gravissimis poenis ecclesiasticis contumaces puniantur.

16. Cum nemo militans Deo negotiis saecularibus se implicet, cumque periculum sit ne ii qui

[1] Conc. Trid., sess. XXIV, cap. 18, *de reform.*
[2] Vide appendicem n. 3.

[1] Conc. Trid., sess. V, cap. 2, *de reform.*
[2] Loc. cit.
[3] Die 28 aprilis anno 1738.
[4] Die 18 maii anno 1751.
[5] Die 13 septembris anno 1821.
[6] Die 13 martii anno 1825.

latifundia conducant, tempus in iis colendis, quod spirituali populi curae debitum est, impendant, vetamus ne quis parochus conducat aut retineat plus quam quindecim iugera terrae sine consensu episcopi.

17. Vicarii autem parochorum non conducant ullam portionem agrorum, nisi accedat episcopi consensus.

18. Ne vero contentiones, lites aut alia scandala ex imprudentia alicuius sacerdotis oriantur, districte prohibemus, ne quis parochus aut alius sacerdos aliquem praesumat nominatim declarare excommunicatum, nisi prius licentiam huiusmodi declarationis faciendae in scriptis ab episcopo habuerit.

19. Vetamus etiam ne quis sacerdos, quacumque de causa, nomine prolato in aliquem ex altari invehatur, aut publice aliquem denuntiet.

20. Hortamur parochos in Domino praecipua quadam ratione in id operam impendere, ut pueri et puellae instituantur in rudimentis fidei christianae, et omni virtute imbuantur.

21. Parochi vel coadiutores visitent singulis hebdomadibus, in quantum fieri potest, scholas approbatas aut toleratas, quae in suis paroeciis existunt; curentque ut ludimagistri bonum exemplum verbo et opere pueris exhibeant.

22. Caveant ne libri male olentes aut legitime non approbati in scholas indroducantur: et si qui dubiae notae sint, de iis proprium episcopum consulant.

23. Conentur omnibus viribus impedire ne in suis paroeciis erigantur scholae, quae ad fidem puerorum labefactandam sint destinatae; et si scholae eiusmodi erectae fuerint, ab iis frequentandis pueros catholicos prudenter, sed efficaciter retrahant.

24. Si scholae etiam aliquando erigantur, in quibus iura parochi non admittantur, aut ad quas visitandas ipse non admittatur, caveat ut eas pueri catholici non frequentent.

25. Quodsi parochus animadvertat in aliquam scholam ubi catholici erudiuntur, ministros protestantes aut alios heterodoxos admitti ad pueros catholicos vel protestantes, praesentibus catholicis, in rebus ad doctrinam christianam spectantibus examinandos vel docendos, aut eiusmodi ius sibi vindicare, a tali schola, ne periculis exponantur, volumus ut pueri catholici retrahantur.

26. Denique, in toto hoc educationis negotio, parochos hortamur ut magna cum prudentia ac zelo se gerant, atque ut in rebus difficilioribus consilium saepissime cum episcopo proprio ineant.

27. Ex praescripto concilii Tridentini, et ad normam ritualis Romani, registrum teneant parochi baptismorum et matrimoniorum.

### XIX. *De coadiutoribus parochorum.*

1. Parochis in Hibernia dantur coadiutores seu vicarii ob amplitudinem paroeciarum et multitudinem populi. Hi coadiutores seliguntur ab episcopo, et ab eodem de paroecia ad paroeciam removentur.

2. Eorum iura et munera definiri debent ab episcopis.

3. Tenentur tamen generatim in muniis curae parochiali annexis parochum adiuvare, ideoque praedicare, sacramenta administrare, residere, et caetera officia adimplere ad quae fuerint ab episcopis destinati.

4. Meminerint coadiutores parochum esse rectorem paroeciae, et proinde erga parochos reverentiam et subiectionem exhibeant, illos semper consulant de rebus in paroecia ordinandis, et nihil ipsis invitis innovent, nisi aliter ordinario visum fuerit. Ita debitus ordo servabitur, contentiones quae oriri possunt cum scandalo fidelium evitabuntur, et pax, quae debet existere inter eos qui vineam Domini excolunt, servabitur.

5. Si quod exsurgat dissidium inter parochum et vicarium, tota res iudicio ordinarii committatur. Interim, causa non finita, cedat vicarius sententiae parochi.

### XX. *De episcopis.*

1. Episcopi passim a sanctis patribus principes ecclesiae, apostolorum successores et Christi legati vocantur. Quam difficilia sint eorum munera, concilium Tridentinum sic explicat: „Optandum est ut ii qui episcopale ministerium suscipiunt, quae suae sint partes agnoscant; ac se non ad propria commoda, non ad divitias aut lucrum, sed ad labores et ad sollicitudines pro gloria Dei vocatos esse intelligant. Nec enim dubitandum est, et fideles reliquos ad religionem innocentiamque facilius inflammandos, si praepositos suos viderint non ea quae mundi sunt, sed animarum salutem ac coelestem patriam cogitantes“ [1].

2. Episcopis id in primis curandum, ut sibi ex praescripto sancti Pauli attendant. Verum id non sufficit. Cum enim speculatores domus Israel sint constituti, pro aliorum salute invigilare omnino tenentur. Ante omnia opus est ut assidue laborent ne, quae humanae salutis est initium et fundamentum, fides detrimenti aliquid patiatur. Fortiter itaque eorum conatibus se opponant, qui tristissimis hisce temporibus pauperes inedia, calamitatibus et miseriis omnibus afflictos, oblata pecunia, seducere conantur. Curent etiam ut populus accurate religionis principia ediscat, utque errores et depravatae opiniones inter eos non disseminentur.

3. Episcoporum munus est etiam praedicare. Hac de re recolenda sunt quae concilium Tridentinum [2] praescribit: „Quia vero christianae reipublicae non minus necessaria est praedicatio evangelii, quam lectio, et hoc est praecipuum episcoporum munus; statuit et decrevit eadem sancta synodus episcopos, archiepiscopos, primates († patriarchas) et omnes alios ecclesiarum praelatos teneri per seipsos ad praedicandum sanctum Iesu Christi evangelium. Si vero contigerit eos legitimo detineri impedimento, viros idoneos assumere teneantur ad huiusmodi praedicationis officium salubriter exequendum.“ Et alio in loco [3]: „Cupiens sancta synodus illud ministerium, quo frequentius possit, ad fidelium salutem exerceri, mandat ut episcopi in aliis ecclesiis per parochos, sive, iis impeditis, per alios ab episcopo deputandos, sacras scripturas divinamque legem annuntient.“

4. Quae de residentia a concilio Tridentino praescripta sunt, accurate sunt observanda.

5. Synodus dioecesana singulis annis, si fieri potest, habeatur, in qua statuta conciliorum provincialium aut nationalium publicentur, eaque omnia agantur quae ad rectam dioecesis administrationem spectent.

6. Quae de cura pauperum et miserabilium personarum, de legatis piis exsequendis, in sacris canonibus et praesertim in concilio Tridentino habentur, accurate ab episcopo sunt servanda.

7. Tenentur episcopi Hiberniae singulis decenniis visitare limina apostolorum, nisi dispensati fuerint, et relationem status suarum dioecesium exhibere iuxta formam [4] traditam a Benedicto XIV in suo opere *De synodo dioecesana*, in fine.

[1] Conc. Trid., sess. XXV, cap. 1, *de ref.*
[2] Sess. V, cap. 2, *de ref.*
[3] Sess. XXIV, cap. 4, *de ref.*
[4] Coll. Lacens., I, 493-5.

8. Inter episcopalis officii munera, praecipua est et ad salutem gregum maxime necessaria, visitatio. Ideo, haec synodus monet episcopos omnes, ut singuli, ex decreto sacri concilii Tridentini, ecclesiam suam ac dioecesim visitent intra tempus ab eodem concilio praestitutum. Ut autem dioecesis visitatio rite peragatur, sequentia monita ex prima synodo provinciali a sancto Carolo Borromaeo habita excerpimus: „Meminerint episcopi visitationem ad salutem eorum qui visitandi sunt institutam esse: quamobrem, illis maxime propositum esse debet, ut in iis incorruptam orthodoxamque doctrinam, probatam morum disciplinam tueantur ac restituant. Studebunt verbi Dei praedicatione, vehementi exhortatione, ad religionem, vitae innocentiam, pacemque et concordiam omnes adhortari."

9. Si vero privata admonitione opus esse intelligent, in eam docendo, arguendo, obsecrando, pro rei, personae ac temporis ratione, incumbent. Confirmationis sacramentum, ubi opus erit, ministrabunt.

10. In singulis locis a viris aetate, usu et probitate commendatis, de omnibus subtiliter inquirent quae eos pro officii sui munere scire oportebit.

11. Ecclesiam et omnes eius partes inspicient; an in eo cultu et nitore teneantur, qui domum Dei deceat; et si quid restituendum, reparandum reconcinnandumve sit, iubeant ab eis, ad quos pertinet, resarciri.

12. Videndum etiam an desint vestes, libri, calices, patenae, corporalia, et reliqua eius generis instrumenta et ornamenta, quae ad altaris ministerium, et ad divina officia sunt necessaria; an illa munda et purgata serventur; an ecclesiae libri, vetera scripta, instrumenta et privilegia custodiantur; an eorum exstet ratio quae in inventarium relata sunt.

13. An parochi resideant, et administrationi sacramentorum, et missarum ac divinorum officiorum celebrationi, et anniversariorum persolutioni, aliisque oneribus et muneribus satisfaciant; quae sit vitae eorum ratio; qui vestitus; quibuscum versari soleant; qualis sit eorum familia.

14. An parochi libros habeant in quibus baptizatorum, compatrum, et eorum qui matrimonio coniunguntur nomina et cognomina describantur.

15. An rite sacramenta praebeantur; an sacrosanctum eucharistiae sacramentum, sacrum chrisma et reliqua sacra, ea munditia, cura et custodia qua debent, conserventur et suo tempore mutentur.

16. An legitime matrimonia contrahantur.

17. An suae curae commissas ecclesias, maxime diebus festis, deserant.

18. An Dei verbum praedicent, et pueros rudimentis fidei instruant.

19. An libros, quos nos in hac synodo habendos praescripsimus, habeant.

20. Denique dispiciant, an in populo sint aliqui flagitiosi homines qui scandalum praebeant; an sint usurarii aut concubinarii.

21. An sint qui legata pia non exsequantur.

22. An domestica disciplina patrumfamilias in educandis liberis, diligens, pia et honesta sit.

23. An scholae recte gerantur[1]; an piis et catholicis disciplinis pueri erudiantur; an saltem aliquando in hebdomada parochus vel vicarius scholas invisat.

24. His exquisitis, cognoscere studeant quinam ex regularibus et praedicandi munere fungantur, et fidelium confessiones audiant; an et eorum probata sit doctrina, et probatae doctrinae vita respondeat; an hospitalia et alia pia loca recte administrentur; eorumque bona prudenter fideliterque in eum usum, cui addicta sunt, distribuantur.

25. An qui in hospitalibus sunt pie vivant.

De scholis sciant, quos libros discipulis magistri interpretentur: et an illi officio suo satisfaciant.

26. An magistri idonei sint. De bibliothecis diligenter quaerant, an in iis sint libri pii atque utiles; et an excludantur periculosi; si quid in his omnibus tollendum corrigendumve fuerit, tollent et corrigent: et ad puniendos delinquentes censuras, et alia iuris remedia, adhibebunt.

27. Omnes vero summo studio monebunt et hortabuntur ut officii sibi commissi munus fideliter ac diligenter exerceant.

28. Neque solum haec, sed quaecumque a concilio Tridentino, a summis pontificibus, vel a nobis in synodis praecipiuntur, et alia multa, quae pro eorum prudentia ac pietate ad utilitatem ac salutem populorum eis in mentem venire poterunt, exquirent et exsequentur.

Caveant vero, ne legem de victu, procuratione et muneribus a sacro concilio Tridentino definitam transeant.

## XXI. *De archivis constituendis.*

1. Cum ecclesiarum utilitati maxime conferat veterum instrumentorum custodia, plurimaque eorum in hoc regno dolere debeamus malo quidem fato deperdita esse; hinc decernimus ut in posterum media adhibeantur, quibus tanto malo obvietur.

2. Episcopale itaque archivum in loco quo possit tutiori simul et commodiori, episcopi stabiliter in singulis suis dioecesibus erigant et constituant. In illo omnia documenta quae ad suae dioecesis originem et historiam spectant; ea quoque quae ad dispensationes matrimoniales, ad presbyterorum ordinationes pertinent; quae ad controversias et iudicia referuntur; quae ad beneficiorum provisiones, paroeciarum uniones et divisiones; privilegia et indulgentias, quae dioecesi ipsi, ecclesiae cathedrali, vel parochiali concessae fuerint; quaeque quocumque modo ad rectam dioecesis administrationem pertineant, omnino reponantur.

3. Ne vero post mortem episcopi archiva dispereant, cum ipse se ex hac vita migrare perspexerit, eorum curam duobus sacerdotibus committat, qui in eius testamento sunt nominandi, quique ipsa archiva episcopi demortui successori fideliter consignabunt.

4. Quodsi quis documenta, quae in archivo conservantur, violaverit, subtraxerit, aut suppresserit, omni sit dignitate, officio et beneficio privatus, ad futura obtinenda inhabilis eo ipso, sicut statutum legitur in actis concilii Romani[1] anno 1725 sub Benedicto XIII; si vero laicus fuerit, excommunicationem ipso facto incurrat.

## XXII. *De bonis ecclesiasticis.*

1. Cum res ecclesiae, seu bona ecclesiastica, nihil aliud sint nisi vota fidelium et patrimonia pauperum; cumque praeterea ea ad cultum divinum exercendum, et ad sacrorum ministrorum sustentationem necessaria sint, facile quilibet intelliget quanta fide et diligentia sint custodienda ab iis quibus eorum ministratio et fruitio est commissa. De iis itaque sequentia statuenda esse existimamus, praeter alia quae a iure canonico statuta sunt.

2. Primo praecipimus omnibus parochis, aut paroeciarum administris, nec non locorum piorum quae ab episcopis pendent curatoribus, ut, statim post publicationem huius concilii constitutionum,

[1] *Fortasse regantur.*

[1] Mansi, *Conc.*, (1902), XXXIV, 1871 A.

bonorum, tam mobilium quam immobilium, quae ad ecclesias suas vel paroecias, vel ad loca pia praedicta spectent, inventarium conficiant. In hoc inventario diligenter vasa sacra, sacramque omnem supellectilem, quae in suis ecclesiis existat, describent: si quae sint praedia ecclesiae, si domus aut scholae parochiales, si reditus denique permanentes, eos omnes recensebunt. Onera autem non omittant quibus ecclesia vel loca pia subiiciuntur.

3. Secundo, confecto inventario singularum ecclesiarum et locorum piorum, unum exemplar, a parocho vel ab alio ad quem spectat subscriptum, episcopo dioecesis mittetur ab eo in archivo episcopali custodiendum: alterum penes ipsam ecclesiam de qua agitur in loco tuto asservabitur. Vasa sacra aurea vel argentea, nomine illius ecclesiae ad quam pertinent, insculpantur. Si sint nova, id fiat antequam ab episcopo consecrentur.

4. Tertio, si quae bona in operibus piis et ecclesiasticis insumenda post confectum inventarium parocho alicui vel alii cuicumque catholico donata vel legata fuerint, statim parochus vel alius sacerdos episcopum moneat, qui curabit ut piae donationes et legata pia effectum sortiantur.

5. Quarto, ne, ob legis defectum, bona ecclesiastica in alienas manus transeant, curae erit episcopo ut eorum tituli aut instrumenta accurate iuxta legem civilem, et in nomine trium aut quatuor curatorum conficiantur. Hi vero curatores sint episcopus dioecesis, parochus seu alius sacerdos cui bona commissa, vicarius generalis aut alius vir prudens et vitae integritate conspicuus, et [in] huiusmodi rebus versatus. Hi curatores semel in anno convenire debent, ut securitati bonorum praedictorum providere possint. Et si aliquis ex eorum numero e vivis discesserit, alium in eius loco subrogare teneantur.

6. Quinto, ne lites aliquae de bonis, quae ab episcopis et a parochis tenentur, post eorum obitum cum scandalo fidelium oriantur, praecipimus ut singuli episcopi et sacerdotes omnes testamenta sua rite confecta et signata teneant.

7. Si quis autem sacerdos testamentum sic conficere, et loco tuto episcopo cognito consignare neglexerit, suffragiis publicis consuetis post mortem privetur, nisi aliter episcopus iudicaverit.

8. Ut haec omnia quae respiciunt sive archiva, sive bona ecclesiastica serventur, ab episcopo secretarius dioecesanus instituendus videtur.

9. In mentem omnium revocamus poenas, quae in concilio Tridentino[1] in bonorum cuiuscumque ecclesiae aut pii loci occupatores latae sunt.

### XXXIII. *De collegiis reginae.*

1. Cum in Romano pontifice, Christi in terris vicarium et sancti Petri successorem agnoscamus ac veneremur, cui divinitus munus optimis doctrinis fideles instituendi, et a pestiferis et veneno infectis pascuis arcendi, commissum est; libenti animo, et eo, quo par est, obsequio monitis et rescriptis assentimur, quae respiciunt quaestionem de collegiis reginae apud nos nuper erectis, quaeque, ipsius Christi vicarii auctoritate munita, a sacra congregatione de Propaganda fide nobis sunt communicata.

2. Non solum litterae, sed spiritui horum rescriptorum inhaerentes, declaramus nullum Hiberniae episcopum partem ullam assumere sibi posse in praedictis collegiis gerendis aut administrandis.

3. Sacerdotes omnes aliosque clericos prohibemus, ne munus aliquod, quod ad administrationem horum collegiorum spectet, assumant aut retineant; seve professores, seu decani residentiae, in iis fiant aut remaneant.

4. Quodsi quis sacerdos aut clericus ad id temeritatis venerit, ut, spreta sedis apostolicae auctoritate, aut huius concilii nationalis statuto, aliter agere ausus fuerit, suspensionem ipso facto incurrat.

5. Praeterea, collegia praedicta, ob gravia et intrinseca pericula, quibus, ex iudicio sanctae sedis, in eis fides et mores studiosae catholicae iuventutis exponuntur, talia esse declaramus, quae omni ratione a fidelibus catholicis, qui fidem commodis omnibus et emolumentis temporalibus anteponere debent, sint reiicienda et evitanda.

6. Ne vero fideles populi nostrae curae commissi, de quorum fide et aeterna salute ratio districta nobis Deo est reddenda, detrimentum aliquod ex nostro silentio patiantur, in epistola pastorali nomine huius synodi edenda, gravia et intrinseca pericula, a sancta sede memorata, quibus iuvenes catholici in hisce collegiis exponuntur, indicabimus, et omnes fideles gravissimis et caritate plenis verbis monebimus et hortabimur, ut ab his collegiis frequentandis, ne eorum fidei aliqua macula inuratur, aut pestifera aliqua doctrina inficiantur, omnino abstineant.

7. Episcopi locorum, ubi exstant collegia, invigilent ut haec statuta a sacerdotibus omnibus serventur, et ut debita ab eis veneratio sedis apostolicae mandatis et huius concilii statutis observantia et veneratio exhibeantur.

8. Denique, ad perpetuam rei memoriam, rescripta et monita sacrae congregationis de Propaganda fide, quae ad collegia reginae spectant, actis huius concilii inserantur[1].

9. Ut sanae tandem educationi iuventutis catholicae provideamus, et iteratis commendationibus nobis a sede apostolica datis inhaereamus, muneris nostri esse arbitramur totis viribus conari ut quam primum, collatis consiliis, universitatem catholicam in Hibernia erigendam curemus.

### XXXIV. *De scholis nationalibus.*

1. Prudentem agendi modum a sancta sede servatum respectu systematis *nationalis educationis*, quae abstinuit a iudicio super ea re definite proferendo, et a nobis servandum esse arbitramur. Attamen nostri muneris esse ducimus declarare, separatam catholicae iuventutis educationem esse omnimode ei anteponendam. Auxilium a gubernio Britannico nuper in Anglia collatum, ut separatim, et iuxta normam catholicae religionis, prolis catholicae educatio fieret, lubenter conspeximus. Ius ita agnitum nobis vindicamus. Si enim catholicos Britanniae iustum et expediens sit adiuvare ex aerario publico in separata educatione suae iuventutis, nulla exstat ratio cur erga fideles Hiberniae catholicos similiter non agatur.

2. Quoniam autem de facto adhuc nobis huiusmodi auxilium denegatur, et nonnisi mediante systemate *nationalis educationis* participes esse possumus redituum publicorum, qui assignantur educationi, oportet omnes opportunas cautelas adhibere ut istud quam minime periculosum evadat, et praesertim prae oculis habere quae consilia et quas providentiae episcopis Hiberniae, omnibus rei periculis et utilitatibus accurate perpensis, commendavit sacra congregatio de Propaganda fide, litteris datis die 16 ianuarii 1841.

3. Haec autem sunt quae consulenda duxit.

I. Libros omnes, qui noxium aliquid sive adversus sacrorum bibliorum canonem aut puritatem,

[1] Sess. XXII, cap. 11, de reform.

[1] Vide appendicem n. 4.

sive contra catholicae ecclesiae doctrinam vel mores continent, a scholis removeri debere. Hoc autem eo facilius effici potest, quia nulla memorati systematis lex obstat.

II. Dandam esse pro viribus operam, ut praeceptor normalis paedagogorum catholicorum in classe religiosa, morali et historica, vel catholicus, vel nullus sit. Nam catholicum ab acatholico religionis tradendae methodum, vel religiosam historiam doceri indecorum est.

III. Tutius multo esse ut literarum tantummodo humanarum magisterium fiat in scholis promiscuis, quam ut fundamentales, ut aiunt, et communes religionis christianae articuli restricte tradantur, reservata singulis sectis peculiari seorsum eruditione. Ita enim cum pueris agere periculosum valde videtur.

IV. Generatim episcopos et parochos advigilare oportere, ne ex hoc systemate *nationalis institutionis* pueris catholicis, quamlibet ob causam, labes obveniat; eorumdem etiam esse, enixe curare, ut a supremis moderatoribus meliorem in dies rerum ordinem et conditiones aequiores impetrent. Illud quoque perutile fore censet sacra congregatio, si loca ipsa scholarum in episcoporum vel parochorum potestate ac proprio iure manerent. Existimat simul permagnae futurum esse utilitatis, episcopos de tam gravi negotio in provincialibus synodis invicem saepe conferre. Si autem quid adversum accidet, sedes apostolica certior facienda sedulo est, ut ipsa simul provideat.

4. His monitis inhaerentes, improbandam censemus regulam nuper a commissionariis latam, vi cuius prohibetur ne aliquid auxilii praebeatur ad erigendas scholas et eas suppellectili informandas, nisi in ipsorum potestate ac iure proprio constituantur loca ipsa scholarum. Hanc regulam plurimum obstare quominus scholae erigantur a catholicis patet: eam itaque a gubernio statim rescindi rei catholicae quam maxime interest.

5. Inhibemus catholicis penes quos sunt loca scholarum quae, antequam haec regula ad effectum perducta fuit, erectae erant, ne ea ad commissionarios transferant. Quoad impensas procurandis et reparandis aedibus et supellectili scholarum supplendae necessarias, putamus eas omnino a commissionariis esse faciendas, etiam catholicis, quorum fidei loca scholarum committentur aut commissa sunt, ius et possessionem eorumdem retinentibus.

6. Periculosum esse censemus liberis catholicis, si scholas adeant quibus soli protestantes praesunt; ideoque, omnino necesse est ad tutam eorum educationem, ut in singulis ab iis frequentandis adsit saltem unus catholicus ludimagister aut magistra.

In scholis ubi maior pars puerorum vel puellarum catholica esset, oportet ludimagistrum vel magistram principaliorem esse catholicum. Hos autem solos catholicos scholis praefici mandamus qui ab ordinario probati fuerint.

7. Oportet libros, etiam in litteris humanis docendis adhibendos, sive in scholis communibus, sive in scholis normalibus, quo catholici conveniunt, approbari ab ordinario. Episcopi soli censendi sunt iudices respectu librorum qui in religiosa educatione iuventutis catholicae adhibentur.

8. In scholis singulis quas frequentant catholici, habeatur liber in quo inscribantur eorum nomina et religio; et ludimagistri teneantur impedire ne catholici intersint religiosae cuicumque exercitationi quae habeatur a ministro protestante vel ab alio quocumque quem pastor catholicus non approbaverit. Sit autem pastoris ex officio invigilare ne aliquid religioni catholicae adversum in scholis huiusmodi accidat, et si aliquid vel in libris vel in disciplina tradita, vel in ratione agendi eorum qui scholis praeficiuntur, detexerit, de quo opportunum iudicaverit apud commissionarios reclamare, omnino necessarium est eius reclamationes, utpote patris spiritualis alumnorum, esse excipiendas.

Nullo modo in iis quae attinent historiam, religionem aut moralia instituantur catholici a protestantibus.

9. Permitti minime potest, professorem historiae protestantem abhinc in schola quacumque normali ludimagistros catholicos historiam docere. His cautelis praemissis, et ad effectum a gubernio et commissionariis perductis, adhuc necesse erit proportionem aequiorem servare, quam huc usque servata est, in designandis commissionariis catholicis. Dum enim hi numero longe sunt inferiores protestantibus in consilio supremo (board), longe maxima pars puerorum et puellarum pro quorum educatione institutum est, catholica est.

10. Haec autem quo felicius effectum sortiantur, volumus ut fratres nostri venerabiles, archiepiscopi nomine, nostro gubernio ea nota faciant, et apud illud enixe agant, ut eisdem systema *nationalis educationis* accommodetur.

### XXV. *De dissensionibus inter viros ecclesiasticos evitandis.*

1. Ne dissensiones inter episcopos aut alios ecclesiasticos viros in Hibernia oriantur, statuimus ut si quae lex in posterum lata aut proposita a gubernio pro toto regno fuerit, quae ad catholicorum educationem, bona ecclesiastica et iura ecclesiae pertineat, aut quacumque ratione ecclesiam in omnibus et singulis dioecesibus respiciat, nullus episcopus munus sibi assumere possit huiusmodi legem ad executionem deducendi, neque eam acceptare, nisi antea alii episcopi legem ad examen vocaverint, et acceptandam esse declaraverint.

2. Quodsi sententiarum diversitas sit hac in re inter episcopos, aut si agatur de causis maioribus, quae ab episcopis dirimi non possunt, tota controversia ad sedem apostolicam deferatur, iuxta veterem canonem ecclesiae Hiberniae a sancto Patritio latum: „*Si quae quaestiones in hac insula oriantur, ad sedem apostolicam referantur,*“ [1] et iuxta consuetudinem ecclesiae universalis.

### ELENCHUS
*decretorum concilii nationalis Hiberniae, Thurlesiae habiti, cum numero articulorum.*

Decretum de aperienda synodo: articulus unicus.
" de modo vivendi: articulus unicus.
" de praeiudicio non afferendo: articulus unicus.
" de officialibus: articulus unicus.
" de iudicibus causarum personalium in synodo occurrentium: articulus unicus.
" de non discedendo: articulus unicus.
" de fide catholica: articuli undecim.
" de sacramentis: articuli quinquaginta octo.
" de vita et honestate clericorum: articuli viginti quatuor.
" de parochis: articuli viginti septem.
" de coadiutoribus parochorum: articuli quinque.
" de episcopis: articuli viginti octo.
" de archivis constituendis: articuli quatuor.
" de bonis ecclesiasticis: articuli novem.
" de collegiis reginae: articuli novem.
" de scholis nationalibus: articuli decem.
" de dissensionibus inter viros ecclesiasticos evitandis; articuli duo.

[1] *Can. s. Patr.*, apud Wilkins, *Conc. Brit.*, tom. 1, pag. 6.

A Omnia et singula in hac synodo nationali statuta, decreta et acta, qua decet obedientia et reverentia, auctoritati, correctioni et emendationi sanctae Romanae ecclesiae, omnium ecclesiarum matris et magistrae, et Romani pontificis, Christi vicarii, iudicio emendanda, corrigenda, mutanda subiicimus.

Ego Paulus, archiepiscopus Armacanus, totius Hiberniae primas, sedis apostolicae delegatus, definiens subscripsi.

Ego Daniel, archiepiscopus Dubliniensis et Hiberniae primas, definiens subscripsi.

Ego Michaël, archiepiscopus Casseliensis, definiens subscripsi.

Ego Ioannes, archiepiscopus Tuamensis, definiens subscripsi.

Ego Patritius, episcopus Rapotensis, definiens subscripsi.

Ego Ioannes, episcopus Limericensis, definiens subscripsi.

Ego Iacobus, episcopus Kilmorensis, definiens subscripsi.

Ego Guilielmus, episcopus Ardacadensis, definiens subscripsi.

Ego Ioannes, episcopus Midensis, definiens subscripsi.

Ego Georgius, episcopus Elphinensis, definiens subscripsi.

Ego Michael, episcopus Dromorensis, definiens subscripsi.

Ego Cornelius, episcopus Dunensis et Connorensis, definiens subscripsi.

Ego Patritius, episcopus Laonensis, definiens subscripsi.

Ego Nicolaus, episcopus Waterfordiensis et Lismorensis, definiens subscripsi.

Ego Franciscus, episcopus Kildarensis et Leighlensis, definiens subscripsi.

Ego Thomas, episcopus Alladensis, definiens subscripsi.

Ego Carolus, episcopus Clogherensis, definiens subscripsi.

Ego Laurentius, episcopus Galviensis, definiens subscripsi.

Ego Eduardus, episcopus Ossoriensis, definiens subscripsi.

Ego Guilielmus, episcopus Corcagiensis, definiens subscripsi.

Ego Ioannes, episcopus Clonfertensis, definiens subscripsi.

Ego Timotheus, episcopus Cloynensis et Rossensis, definiens subscripsi.

Ego Franciscus, episcopus Titopolitanus, et dioecesis Derriensis apostolicus administrator, definiens subscripsi.

Ego Milesius, episcopus Fernensis, definiens subscripsi.

Ego Bernardus, procurator reverendissimi epi-
B scopi Achadensis, eius nomine subscripsi.

Ego Ioannes, procurator reverendissimi episcopi Kerriensis, eius nomine subscripsi.

Ego Ioannes MacEvily, procurator reverendissimi episcopi Duacensis et Fenaborensis, eius nomine subscripsi.

Ego fr. Bruno, abbas Cisterciensis de Monte Mellerario, privilegio admissus, definiens subscripsi.

Dominicus O'Brien, vicarius generalis Waterfordiensis;

Patritius Leahy, praecentor Casseliensis;

Petrus Cooper, canonicus Dubliniensis: a secretis synodi.

Praedicta statuta accurate in omnibus cum authentico exemplari respondent, et emendationes a congregatione de Propaganda fide, pro-
C bante summo pontifice, praescriptae, locis suis insertae sunt.

Paulus Cullen, archiepiscopus Armacanus, etc.

## APPENDIX.

### I. RESCRIPTUM
*de tempore paschali.*

Hibernenses antistites, ex concilio apud Thurlesiam habito, preces in hunc modum sedi apostolicae exhibuerunt:

„Tempus paschale pro tota Hibernia, ex indulto Pauli V, a die Cinerum usque ad diem Ascensionis Domini extenditur. Cum vero, ob multitudinem fidelium, intra illud tempus omnes praeceptum adimplere non possint, supplicem libellum pontifici exhibendum esse arbitramur, ut ulteriorem prorogationem eiusdem temporis usque ad octavam festi sanctorum apostolorum Petri et Pauli benigne concedat."

*Ex audientia sanctissimi habita die 4 maii 1851.*

Sanctissimus dominus noster Pius divina providentia papa IX, referente me infrascripto sacrae congregationis de Propaganda fide secretario, iuxta votum eminentissimorum patrum eiusdem sacrae congregationis benigne indulsit iuxta petita; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus dictae sacrae congregationis de Propaganda fide, die et anno quibus supra. Gratis, sine ulla omnino solutione quocumque titulo.

Al. Barnabo, a secretis.

### II. RITUS SERVANDUS
*in expositione et benedictione sanctissimi sacramenti.*

Prima pars huius instructionis a concilio Cincinnatensi (29 aprilis 1861) relata, a nobis edetur infra, ad dictum annum. Pauca tamen haec diversa sunt, in exemplari concilii Hiberniae:

Ad verba n. 2: *Bursa continens corporale*, adnotatur a concilio Hiberniae: „Bursa non est stricte necessaria, et corporale potest praecedenter praeparari super mensa altaris; immo pro corporali potest adhiberi simplex palla."

Ad n. 4, omittitur ultimum verbum *dalmaticis*, et adnotatur: „Iuxta regulam ministri sacri adhibendi non sunt, nisi cum benedictio datur ab episcopo vel cardinali; quo in casu utuntur dalmaticis absque manipulis."

Ad n. 5, pro verbis: *sacerdos assistens, assumpta stola, seu diaconus, si adsint ministri sacri*, dicitur: *sacerdos assistens, si adest, assumpta stola*, et ad-
D notatur: „Si adsint ministri sacri, haec actio fit a diacono, et tunc opus non est sacerdote assistente."

Integer n. 7 omittitur a concilio Hiberniae et ponuntur haec: „7. Dum praedicti hymni cantantur verba *Veneremur cernui*, ab omnibus persistendum est in inclinatione profunda (quae tamen nunquam sit prostratio), et ad reliquos versus sola perdurabit genuflexio. Cavalerius apud Gardellini *de instructione Clementina*, fol. 160. Ad initium sequentis strophae *Genitori genitoque*, surgit sacerdos cum assistentibus, imponit incensum et thurificat ut antea; redditoque thuribulo, remanet genuflexus usque ad orationem exclusive."

Ad ultima verba n. 8, adnotatur: „Forma conclusionis potest esse indifferenter vel *qui vivis et regnas in saecula saeculorum*, vel *qui vivis et regnas per omnia*," etc.

In n. 9, verba Catalani *per se scilicet et sine alterius ministerio* cum adnotatione omittuntur, poni-

tur vero haec nota: „Sacerdos assistens vel ministri sacri, quando adsunt, ascendunt cum sacerdote principali, et remanent genuflexi in ora suppedanei, elevantes fimbrias pluvialis tempore benedictionis. His deficientibus, hoc munus implent clerici superpelliceis induti. Diaconus porrigit celebranti ostensorium, si is sit episcopus, aut si facienda sit processio." Praeterea, finis n. 9 ita sonat: „Thuriferarius ter incensat, et ubi non est organi sonus, per clericum datur signum benedictionis cum tintinnabulo, ter illud pulsando."

N. 10 omnino omittitur; item finis n. 11: *quae in expositione etc.*

### MODUS
*in ipsa benedictione servandus.*

Sacerdos ostensorium, ut supra descriptum est, manibus tenens, vertit se a parte epistolae, ita ut in medio altaris populum respiciat. Tunc illud elevat decenti mora, non supra caput, sed tantum usque ad oculos, et eodem modo illud demittit infra pectus; mox iterum recta illud attollit usque ad pectus; et deinde ad sinistrum humerum ducit, et reducit ad dexteram, nec ante pectus reducit, sed continuo se convertit ad cornu evangelii, perficiens circulum, nec tamen, dum crucem efformat, movens pedes.

Si episcopus hunc sacrum ritum peragere voluerit, serventur quae superius descripta sunt, praeter sequentia:

1. Adhibendi sunt ministri sacri, dalmaticis absque manipulis induti; inter quos episcopus super pulvinari in infimo gradu genuflexus manet, dum cantantur hymni etc.

2. Cantata ab episcopo oratione *Deus qui nobis*, diaconus ipsi assistens vel sacerdos superpelliceo indutus et stolam assumens, deponit a throno sanctissimum sacramentum, et reverenter collocat in medio altaris. Episcopus velum super humeros habens, cum diacono et subdiacono, accedit ad suppedaneum altaris, ibique omnes genuflexi adorant (caeremoniario pulvinar praebente). Diaconus surgit et utraque manu capit ostensorium, illudque, adhuc stans, reverenter collocat in manibus velo coopertis episcopi genuflexi: qui statim surgit, diacono e contra statim genuflectente. Episcopus se vertit ad populum in medio altaris, et trinam benedictionem impertitur; scilicet primo versus latus epistolae, tunc in medio altaris, tandem versus cornu evangelii, ubi perficit circulum. Tunc ostensorium tradit diacono ad eius dexteram genuflexo; qui statim surgit et illud reverenter collocat super corporali, episcopo immediate genua flectente. Detracto ab eius humeris velo, surgit episcopus cum ministris, et descendit ad infimum gradum; ubi genuflexus manet, dum a diacono vel a sacerdote assistente, qui stolam assumit, reponitur sanctissimum sacramentum modo supra descripto in tabernaculo. Surgit tunc pontifex, et post genuflexionem assumit mitram et baculum, ac redit in sacristiam. A simplici sacerdote nunquam datur trina, sed unica tantum benedictio.

### III. RESCRIPTUM
*de missis in festis reductis.*

Episcopi Hibernenses, in synodo apud Thurlesiam habita, petitionem hanc sanctae sedi apostolicae exhibendam censuerunt:

„In festis, apostolica auctoritate reductis, apud nos ex dispensatione sedis apostolicae parochi missam pro populo applicare non tenentur, habito tamen episcopi consensu. Non sunt tamen exempti iis diebus ab obligatione missam celebrandi, cum in rescripto apostolico iubeantur commemorationem populi praedictis diebus in missa facere. Cum vero sine magno incommodo missae in pluribus ecclesiis celebrari non possint, supplicandum arbitramur sedi apostolicae ut parochi ab obligatione celebrandi praedictis diebus eximantur: licet eodem tempore optemus ut parochi, cum id commode possint, celebrare non omittant."

*Ex audientia sanctissimi habita die 4 maii 1851.*

Sanctissimus dominus noster Pius divina providentia papa IX, referente infrascripto sacrae congregationis de Propaganda fide secretario, ac iuxta votum eminentissimorum patrum eiusdem sacrae congregationis, benigne petitioni episcoporum indulsit, ita tamen ut res arbitrio et conscientiae episcoporum remittatur. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus dictae sacrae congregationis de Propaganda fide, die et anno quibus supra. Gratis, sine ulla omnino solutione quocumque titulo.

Al. Barnabo, a secretis.

### IV. RESCRIPTA
*de collegiis reginae.*

1.

Illustrissime ac reverendissime domine.

Mirum fortasse videbitur quod sacrae congregationis responsum de collegiis academicis tamdiu dilatum fuerit; verum et negotii ipsius de quo agitur gravitas et rerum pertractandarum copia effecerunt ut diuturnum tempus effluxerit antequam, documentis et rationibus pro utraque sententia rite perpensis, iudicium tuto edi posset. Illud vero ante omnia significare debemus ne cogitasse quidem sacram congregationem aliquid minus rectum sibi proposuisse antistites illos, qui collegiorum institutioni favere visi sunt: diuturna siquidem experientia illorum probitatem compertam habet, eosdemque in eam fuisse mentem impulsos existimat spe tantummodo maioris boni assequendi, utque religionis prosperitati in Hibernia consulerent. Attamen, re mature et quolibet sub respectu penitus considerata, fructus huiusmodi ex ea collegiorum erectione sacra congregatio haud sibi audet polliceri; grave imo periculum fidei catholicae inde obventurum timet; uno verbo, religioni institutionem huiusmodi detrimento existere arbitratur.

Monitos proinde voluit archiepiscopos et episcopos Hiberniae, ne ullam in eiusdem executione partem habeant: quemadmodum vero exoptasset ut, antequam ex eis nonnulli apud gubernium agerent ad legis praefata collegia respicientis mitigationem aliaque in eorundem favorem obtinenda, sedis apostolicae sententiam postulassent; ita pro summo obsequio quod erga eandem Hiberniae antistites iugiter prae se tulerunt, haud dubitat quin iidem ea, quae in contrarium praestiterint, sint retractaturi. Haec omnia vero haud efficiunt quominus, si aliqui ex vobis nonnulla gravioris momenti ulterius notanda habeant, sacrae congregationi libere patefaciant, ut de omnibus rite diiudicari valeat.

Caeterum, sacra congregatio probe noscit quanti intersit adolescentium, civilioris praesertim coetus, scientificae instructioni consulere: proinde amplitudinem tuam et suffraganeos simul episcopos hortatur, ut media omnia legitima quae in vestra sint potestate ad eandem promovendam adhibeatis. Curandum erit ut collegia catholica, quae iam constituta reperiuntur, magis magisque floreant, eis additis, in philosophica praesertim facultate, utilioribus cathedris, quae fortasse desiderentur, atque ita ea collegia disponantur, ut maiori adolescentium numero, prout regionum adiuncta exigant, patere

possint. Imprimis vero opportunum sacra congre- A gatio fore duceret, si, collatis viribus, catholicam academiam ad illius instar quae per Belgii antistites in civitate Lovaniensi fundata est, in Hibernia quoque erigendam episcopi curarent.

Haec vero omnia ut ex votis feliciter contingant, sacra congregatio episcopos hortatur, quatenus mutuam unionem maximamque concordiam perpetuo servent, neque se partium studio abripi sinant ob negotia quae sacrum ministerium ipsis creditum haud attingant, cunctisque pateat Dei cultum, religionis bonum, animarum demum salutem eosdem tantummodo quaerere.

Haec vero eo maiore studio vos praestituros arbitramur, cum eadem in omnibus sanctissimi domini nostri Pii IX sententia extiterit; postquam enim accuratam de universo hoc negotio notitiam sibi comparasset, sacrae congregationis consilium probandum censuit, eique supremum auctoritatis B suae robur adiecit.

Precamur Deum interim ut amplitudinem tuam diu sospitem ac felicem servet.

Amplitudinis tuae, ad officia paratissimus,

I.-Phil. cardinalis Fransoni, praefectus congregationis de Propaganda fide.

Alexander Barnabo, pro-secretarius.

Romae, ex aedibus sacrae congregationis de Propaganda fide, die 9 octobris 1847.

Illustrissimo et reverendissimo domino Michaeli Slattery, archiepiscopo Casseliensi.

2.

Illustrissime ac reverendissime domine.

Excerpta nonnulla ex statutis, quae pro novis Hiberniae collegiis rediguntur, ac suffragia super C iisdem ab episcopis data, occasionem sacrae congregationi praebuerunt, ut eo potissimum sub respectu de praefatis collegiis iterum pertractaret, quidque pro spirituali bono catholicae gentis Hibernensis esset rescribendum sedulo ac mature perpenderet. Licet vero praefata statuta ea sub forma consistant, ut diiudicari non valeat quantae auctoritatis, attenta Anglicani regni constitutione, sint futura; omnibus tamen mature pensatis, sacra congregatio adduci non potuit, ob gravia et intrinseca eorundem collegiorum pericula, ad emolliendam sententiam de illis prolatam ac probante sanctissimo domino nostro quatuor metropolitanis expositam nonis octobris anni superioris.

Cum autem innotescat quanto studio clerus et integra natio pro iis adlaborent quae ad bonum ecclesiae promovendum referuntur, de universitate catholica erigenda eminentissimi patres haud D desperandum censuerunt; imo consilium huiusmodi iterum iterumque commendarunt, ut in eiusdem executionem omnes pro viribus operam suam conferant, sicque pleniori catholicorum instructioni satisfiat, quin ullum exinde eorumdem religio detrimentum patiatur.

Quam sacrae congregationis sententiam sanctissimus dominus noster, omni maturitate ac prudentia perpensam, auctoritatis suae pondere probandam confirmandamque esse duxit, voluitque eam quatuor archiepiscopis remitti, respectivis per eos suffraganeis communicandam.

Dum vero id exsequor, significare etiam debeo sacram congregationem, imo et dominum nostrum illud imprimis habere in votis, ut sacerdotalis concordia servetur, ac summopere cordi vobis exstat unitatem spiritus colere, quam plurimum apostolis suis Christum dominum commendasse sacrosancta evangelia testantur. Et quoniam antistites alloquor, qui ecclesiae historiam et sanctorum patrum praeclara monita perspecta habent, supervacaneum profecto arbitrer vel ista adducere, vel commemorare quae bona episcoporum consensio ecclesiae contulerit, quanta vero mala ex eorumdem dissensione dimanaverint: cumque illam unanimes omnes quidem exoptetis, abs re tamen non erit vobis in mentem revocare, ut opportuniora quaeque media ad eam obtinendam seligatis alacriterque adhibeatis. Ea vero prostant in sacris canonibus caeterisque ecclesiasticae disciplinae regulis, quas quidem si exactissime in ministerio vestro persequemini, et si in dubiis vestris ad apostolicam sedem provocabitis ut per eam quid vobis agendum sit tuto innotescat, supradicta unio magis magisque firmabitur atque consistet. Inter caetera, sanctissimo domino nostro probante, illud commemorandum vobis censuit sacra congregatio, ut sacerdotales conventus ex ordine, et ad sacrorum canonum et librorum liturgicorum tramitem in posterum fiant; alioquin sententiarum varietas in dies augebitur, nihilque boni ex huiusmodi conventibus, qui potius saecularem quam religiosam speciem prae se ferant, exsurget ad ecclesiasticam disciplinam, cui solummodo inservire debent, rite dirigendam. Proindeque utilissimum erit acta conventuum ad apostolicam sedem transmittere, sicuti etiam statis temporibus litteras dare de statu vestrarum ecclesiarum, prout sancitum est, ut opportuna hinc responsa excipiatis.

Haec vero vobis significantur, non quia dubitatio ulla exoriatur de obsequio vestro erga apostolicam sedem (siquidem orbi universo exploratum est quam sit fervens et constans; novumque de eo testimonium litterae omnes pro supradicto collegiorum negotio redditae perhibent): verum, ut et significationibus istis facto iterum comprobetur; cumque de gravioribus negotiis accurate ad eam ecclesiam referatur, unde unitas sacerdotalis exoritur, facilius et inter vos eadem unitas hac ratione consistet.

Interim Deum precor ut amplitudinem tuam diu sospitem ac felicem servet.

Romae, ex aedibus sacrae congregationis de Propaganda fide, die 11 octobris 1848.

Amplitudinis tuae, ad officia paratissimus,

I.-Ph. cardinalis Fransonius, praefectus.

Al. Barnabo, a secretis.

Illustrissimo et reverendissimo domino Michaeli Slattery, archiepiscopo Casseliensi.

3.

Illustrissime ac reverendissime domine.

Licet Hiberniae episcopi ea potissimum de causa plenariam synodum celebraturi videantur, ut quoad collegia uniformis disciplina per Hiberniam retinenda communi deliberatione statuatur, attamen id peculiariter per amplitudinem tuam commendari iisdem voluit sacra congregatio; eoque praesertim hortationes in apostolicis litteris contentas dirigi significes oportet. Id vero feliciter praestituros confido si a debito erga apostolicam sedem eiusdemque responsa obsequio vel[1] minimum deflectant, atque in illud potissimum intendant ut religionis bono atque animarum saluti, nullo partium studio abrepti, optima ratione consulere studeant. Interim per amplitudinem tuam episcopis significandum duxi mirum videri quod nonnulli asseverare haud dubitaverint, post responsa de collegiis iam lata, presbyteris licere officia quaedam in iisdem

[1] Fortasse: nec.

collegiis gerenda suscipere. Enimvero, si ob gravia A et intrinseca pericula praedicta collegia in religionis detrimentum obventura declaratum est; si admoniti sunt episcopi ne ullam partem habeant in erectionis eorumdem executione: patet profecto nec aliis ecclesiasticis viris licere munus, quod ad eadem referatur collegia, obire. Quod vero alias controversias spectat eorumdem collegiorum causa excitatas, episcoporum erit, praefatis rescriptis sedulo perpensis, ut fideles ab iis collegiis frequentandis retrahantur, regulas eiusmodi proponere generatim ubivis servandas, quae et iisdem respondeant rescriptis, et aequitati ac benignitati, quam ipsa apostolica sedes suo commendat exemplo, conformes existant. Interim Deum precor ut amplitudinem tuam diu sospitem servet.

Romae, ex aedibus sacrae congregationis [de] Propaganda fide, die 18 aprilis 1850.

Amplitudinis tuae, ad officia paratissimus,

I.-Ph. cardinalis Fransoni, praefectus.

Alexander Barnabo, a secretis.

Reverendo patri domino Paulo Cullen, archiepiscopo Armacano.

## LITERAE SYNODICAE CONCILII NATIONALIS THURLESIANI.

„Go, and cry in the ears of Jerusalem, saying: Thus saith the Lord: I have remembered thee pitying thy youth, and the love of thy espousals, when thou followedst me in the desert, in a land that is not sown.

„Israel is holy to the Lord, the first fruits of his increase: all they that devour him offend; evils shall come upon them, says the Lord."

„Hear you the word of the Lord, o house of Jacob, and all you families of the house of Israel."

Very reverend and reverend Brethren, and you, our beloved children in Jesus Christ, the objects of our pastoral charge and devoted affection, it is with feelings of profound gratitude to the „Father of mercies and God of all consolations", as well as of unspeakable joy at the promotion of your best and highest interests, that we announce to you the happy termination and gratifying results of the most solemn and important assembly that has been held by the Irish church since the days of her glorious apostle, saint Patrick. To you who are so identified by affection as well as by principle with the interests of that church, who are so feelingly alive C to all that concerns her honour and her welfare whose attachment to her, neither distress, nor famine, nor nakedness, nor danger, nor persecution, nor the sword, has been able to sever or relax —, to you, our dearly beloved children, it must furnish a subject of heartfelt thanksgiving to the „giver of all good gifts", as well as of inexpressible gratification to yourselves, to learn that an assembly convoked under the highest and most solemn auspices, and charged with the most momentous interests, has happily succeeded in devising such measures and enacting such regulations, for the renovation of discipline, and the promotion of piety and morals, as cannot fail, with the aid of the divine mercy, and your zealous cooperation, to be productive of the most salutary results. Our enactments we shall immediately submit with the profoundest reverence and submission to the judgment D of the apostolic see; and we will not publish them, until we shall have obtained the necessary approbation. We are persuaded that henceforward this council will become an epoch in the history of the national church — an epoch, we humbly trust in a paternal providence, which will not only be found pregnant with immediate benefits, but which will throw its directing light and influence on the future.

Charged in a special manner by Almighty God with the guardianship of the faith, placed as sentinels on the watchtowers of Israel to warn the faithful by day and night of the approach of danger, imperatively bound, as we are, at all hazards and sacrifices to denounce those ravening wolves that appear in the clothing of sheep — those apostles of infidelity and error, who veil their unholy designs

*„Vade, et clama in auribus Ierusalem, dicens: Haec dicit Dominus: Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, et caritatem desponsationis tuae, quando secuta es me in deserto, in terra quae non* B *seminatur.*

*„Sanctus Israel Domino, primitiae frugum eius; omnes, qui devorant eum, delinquunt; mala venient super eos, dicit Dominus."*

*„Audite verbum Domini, domus Iacob, et omnes cognationes domus Israel."* [1]

Admodum reverendi et reverendi fratres, carissimique in Iesu Christo filii, quos cura nostra et amor complectitur, gratissimis in *„patrem misericordiarum et Deum totius consolationis"* animis, gaudentesque, supra quam dici potest, amplius iam maximis vestris bonis et commodis esse consultum, nuntiamus vobis felicem exitum laetosque fructus gravissimi maximeque solemnis concilii, quod in ecclesia Hiberniae, post aetatem gloriosi apostoli Patritii, celebratum sit. Ac vos profecto, quos cum hac ecclesia non caritas magis quam iudicium tanta rerum omnium communione coniunxit, quosque ea omnia, quae ad eius honorem ac prosperitatem pertinent, tam acriter movent, ut vestri in illam amoris vincula nec *„angustia*, nec *fames*, nec *nuditas*, nec *periculum*, nec *persecutio*, nec *gladius"* divellere aut relaxare potuerit; vos igitur necesse est, carissimi filii, largitori *omnis dati optimi* summas gratias agere, et vobismet ipsis vehementer gratulari, cum audietis, conventum, tantis tamque solemnibus auspiciis convocatum, cui maximarum rerum imposita esset cura, tam prospere successisse, et ad renovandam disciplinam augendamque pietatem et morum integritatem ea cepisse consilia, easque leges constituisse, quae, adiuvante divina benignitate et vestra conspirante industria, non possint non uberrimos fructus salutis afferre. Et nostra quidem decreta continuo cum summa veneratione et obedientia subiiciemus sedis apostolicae iudicio, nec prius promulgabimus, quam necessaria approbatione firmata sint. Sic vero nobis persuademus, huius concilii insignem posthac in ecclesiae nostrae annalibus memoriam fore, ita ut, quod nos quidem a paterna providentia pie speramus, non modo in praesens bona fruge abundet, sed etiam in posteros salutarem suam lucem vimque diffundat.

Quoniam nobis praecipue credita est ab omnipotenti Deo fidei custodia, et, tamquam vigiles in speculis Israel collocati, ut diu noctuque, si quid discriminis ingruat, fideles moneamus, gravissima lege obligamur, vel maximis cum periculis et iacturis ad denuntiandos rapaces lupos in pellibus ovium circumeuntes, id est, illos incredulitatis et erroris magistros, qui nefariam suam voluntatem

[1] Ierem. II, 2-4.

[2] Rom. VIII, 35.

under an appearance of simplicity or godliness; the measures necessary for the preservation and diffusion of the faith formed, as you may have naturally anticipated, the first object of our anxious deliberations. Profoundly impressed with the conviction that „without faith it is impossible to please God", that „he who believes not will be condemned", and that, according to the apostle, every other acquisition is to be esteemed as loss, compared „with the excellent knowledge of our lord Jesus Christ", we have viewed with alarm the perils by which it is surrounded in these days of difficulty and trial, and given to the measures necessary for its defence the mature reflection and patient examination which the momentous importance of the subject required. As faith constitutes the fountain of all those graces and blessings by which the mystical spouse of Jesus Christ is vivified and adorned, the moment its current is stopped or defiled „the whole head becomes sick and the whole heart sad. From the sole of the foot unto the top of the head there is no soundness therein". Those broken cisterns, of which the prophet speaks — those vain devices of human wisdom can furnish no substitute to the thirsty soul for that stream of life, which flows from the throne of God, reflecting his purity and imparting his immortality. Its possession is more than sufficient to compensate all the sufferings of this life, whilst there is no amount of this world's wealth or glory that could counterbalance the calamity of its loss. Hence, when the Almighty punishes a people in his anger, when it is not the chastisement of a father seeking the amendment of his children, but the vengeance of an inexorable judge, it is no longer the famine that kills the body, the pestilence or the sword he employs, but the famine of the word of Life — the spirit of error — the false prophet, that become the instruments of his fury in desolating the moral world.

No wonder, then, that your forefathers, recognizing and appreciating, as they ought, this most precious gift of God, generously encountered chains, and exile, and death for its preservation, that you yourselves endured so long the most galling civil disabilities rather than compromise its principles, or endanger its purity; and that, during the late visitation of famine so many heroic souls were found amongst your destitute brethren, to prefer the agonising death of hunger to the bribe of the tempter, who proffered the food and the life of this world as the reward of apostasy.

There is not a page of your history, however dark and disastrous in other respects, that is not brightened by the heroic fortitude, the generous selfsacrifice, the persevering devotedness which you have exhibited in the defense and preservation of the faith. Its memorials are to be found on the mountain top, and in the depths of your valleys, not the less dear because inseparably linked with the holiest affections and most touching traditions of a persecuted people, nor the less enduring because crimsoned in the blood of its martyrs.

It is this all-vivifying principle of Faith which, working through charity, has, in the midst of the poverty and desolation of modern times, covered the land with those countless institutions of benevolence that strike the eye on every side — which has raised up so many noble temples for the

A specie quadam simplicitatis et benignitatis occultant; illud primum nobis sedulo deliberantibus propositum fuit (id quod facile potuistis ipsi coniicere), ut ad conservandam et propagandam fidem necessaria iniremus consilia. Nam, ut erat nobis penitus insita haec persuasio, „*sine fide impossibile esse placere Deo*,"[1] et, „*qui non crediderit, condemnandum esse*,"[2] et, secundum apostolum, quodcumque aliud acquiratur, id pro *detrimento* esse habendum, si compararetur cum „*eminenti scientia Iesu Christi Domini*"[3] nostri; non sine gravi metu vidimus, quibus periculis obiiceretur fides in hac tanta difficultate et iniquitate temporum; quaeque ad eius praesidium decernenda esse duximus, iis meditandis et examinandis tantum studii patientiaeque impendimus, quantum summa rei gravitas postulabat. Cum enim hic fons sit omnium gratiarum donorumque coelestium, quibus mystica Iesu Christi sponsa

B viget ac splendet, sicubi forte eius aquae consistant vel corrumpantur, continuo fit „*omne caput languidum et omne cor moerens; a planta pedis usque ad verticem non est* ibi *sanitas*"[4]. „*Cisternas illas dissipatas*,"[5] quas commemorat propheta, inania videlicet humanae sapientiae commenta, nihil afferre possunt animae sitienti, quod compenset „*fluvium* illum *vitae, procedentem de sede Dei*"[6], ex quo resplendet divina puritas, hauritur immortalitas. Sicut enim hac una possessione satis superque compensantur omnia huius vitae mala, ita nulla est in mundo tanta prosperitas aut gloria, quae sarcire possit eiusdem amissae calamitatem. Quare, cum iratus omnipotens aliquem populum ita punit, ut non patris ea castigatio sit filium emendare cupientis, sed inexorabilis iudicis ultio, tum non iam famo, quae perimit corpora, non pestilentia gladiove utitur: fames vitalis verbi, spiritus erroris, falsi prophetae, haec sunt arma,

C quibus eius furor mundum vastat animorum.

Minime ergo mirandum est, si maiores vestri, cum pretiosissimum illud Dei donum, ut oportebat, agnoscerent magnique facerent, eius conservandi causa, catenis, exilio, morti, fortissime obviam iverunt; si vos ipsi tamdiu acerbissimum civilium iurium interdictionem perferre maluistis, quam fidei vel praecepta deserere vel integritatem in discrimen vocare; aut si nuper, cum saeviret fames, tam multae inter egenos fratres nostros fortissimae animae sunt repertae, quae miserrimum mortis genus anteponerent corruptorum muneribus, qui alimenta vitamque corporis mercedem defectionis offerrent.

Nullum est in vestris annalibus tempus tam lugubre et calamitosum, quod non collustret insignis illa fortitudo, illa generosa vitae contemptio, illa

D constans caritas, quam in tuenda et conservanda fide praestitistis. Quae fides tum in verticibus montium, tum in vallium vestrarum recessibus, perennem sui memoriam impressit; neque aut eam minimam habet apud nos commendationem, quod cum sanctissimis studiis carissimisque monumentis divexati populi inseparabiliter cohaeret, aut illud minimum patientiae incitamentum, quod martyrum suorum sanguine purpurata est.

Atque haec vitalis est vis fidei, quae, per caritatem operans, in summa paupertate et recentium temporum asperitate, patriam nostram innumerabilibus illis replevit christianae misericordiae institutis, quae undique intuentium oculos ad se convertunt; haec item tot praeclara templa ad cultum

[1] Hebr. XI, 6.
[2] Marc. XVI, 16.
[3] Phil. III, 8.

[4] Isa. I, 5, 6.
[5] Ier. II, 13.
[6] Apoc. XXII, 1.

worship of the most-high, and which sends, at the present day, its missionaries to the eastern and western worlds, as formerly to the various countries of Europe, to announce the tidings of salvation to those „who sit in darkness and the shadow of death". May that glorious distinction be for ever associated with the name of Ireland. May neither fraud nor force be able to wrest from her the emblem of that „victory which overcomes the world" — which has been the pride of her prosperity and the consolation of her sorrows; but may her deathless attachment to the most sacred of principles, and her generous selfdevotion in the noblest work of charity, form the glory of her future history as they have been the brightest record of the past.

As rulers of the church of Christ, chief pastors of his flock, rigorously responsible to the Prince of Pastors for every soul committed to our charge, it forms, as is obvious, our first and paramount duty, to attend to the pastures in which they feed — the doctrine with which they are nourished. And, surely, if ever there was a period, which called for the unsleeping vigilance, the prudent foresight, the intrepid and selfsacrificing zeal of our august ministry, — that period is the present. The alarming spectacle which the Christian world exhibits at the present day, — the novel, but formidable, forms in which error presents itself, and the manifold evils and perils by which the church is encompassed, must be evident to the most superficial observer. It is no longer a single heresy, or an eccentric fanaticism, the denial of some revealed truth, or the excesses of some extravagant error, but a comprehensive, all-pervading, well-digested system of unbelief, suited to every capacity, and reaching every intellect, that corrupts and desolates the moral world. Is not such the calamitous spectacle which the continent of Europe offers to us at this moment? Education, the source of all intellectual life, by which the mind of man is nurtured and disciplined, his principles determined, his feelings regulated, his judgments fixed, his character formed, has been forcibly dissevered from every connection with religion, and made the vehicle of that cold scepticism and heartless indifferentism which have seduced and corrupted youth, and by a necessary consequence, shaken to its centre the whole fabric of social life. Separated from her heavenly monitor, learning is no longer the organ of that wisdom which comes from above, which, according to saint James, is „chaste, peaceable, modest, easy to be persuaded, consenting to the good, full of mercy and good fruits, without dissimulation", but rather of that wisdom which he describes as „earthly, sensual, and devilish".

It is, we feel assured, unnecessary to observe to you that, of all modes of propagating error, education is the most subtle and dangerous, furnishing, as it does, the aliment by which the social body is sustained, which circulates through every vein, and reaches every member, and, that, if this aliment should prove to be corrupt or deleterious, it will not fail to carry moral disease and death to the entire system. Hence the awful obligations we are under, at the peril of our souls, of watching over the education of the people, whom God has entrusted to our charge.

Listen to the pathetic words in which the present illustrious pontiff sets forth the dangers to

A altissimi excitavit; haec tot viros apostolicos, ut olim in diversas Europae regiones, ita nunc in orientis et occidentis oras mittit, qui *„sedentibus in tenebris et umbra mortis"* [1] bonum salutis nuntium perferant. Utinam haec tam excellens gloria perpetuo cum Hiberniae nomine societur! Utinam neque fraus neque vis eripiat illi signum eius *„victoriae, quae vincit mundum,"* [2] quod ei cum prosperitatis ornamentum fuit, tum calamitatis solatium: sed sacratissimam omnium legum sic inviolata fide teneat, sic se omnium nobilissimo caritatis operi devoveat, ut, quemadmodum haec laus maxime elucet in eius pristinis annalibus, ita futuram illustret historiam!

Quoniam sumus rectores ecclesiae Christi, primique pastores eius gregis, severissimam principi pastorum rationem reddituri uniuscuiusque anima-
B rum nobis creditarum; apparet, primum et praecipuum esse nostrum officium videre, quibus illae in pascuis versentur, quibus nutriantur doctrinis. Quodsi ullum unquam fuit tempus, cum augustum hoc ministerium assiduam vigilantiam, sollertem providentiam, impavidum impensissimumque studium a nobis posceret, hoc illud profecto est, quo vivimus. Quae enim nunc undique in christiano orbe cernuntur periculi plena, novae illae horribilesque formae, in quas se vertit error, tam multa tamque varia mala ac discrimina, quibus circumdatur ecclesia, haec vel levissimi spectatoris oculos feriant necesse est. Neque enim iam singularis aliqua haeresis, aut fanaticus furor, non certae alicuius doctrinae revelatae negatio, aut vesani cuiuspiam erroris intemperies, sed amplissima quaedam, pervadens omnia accurateque digesta incredulitatis disciplina, eaque ad omnium intelligentiam accommo-
C data et ad omnia permanans ingenia, humanam societatem corrumpit ac vastat. Nonne huiusmodi est miserum spectaculum, quod nobis praebet hoc tempore Europae continens? Fons ille omnis vitae mentium, educatio, qua hominis ingenium alitur et ad disciplinam exercetur, ratio dirigitur, moderantur affectus, firmantur iudicia, totiusque animi velut figura formatur, violenter ab omni religionis societate distracta est, et abiecta ad usum propagandi frigidi illius scepticismi durique indifferentismi, qui iuventutem corripuit infecitque, et, quod necessario consequens erat, id, quo tota socialis vitae quasi structura continetur, labefactavit. Ita coelesti sua duce destituta doctrina, non iam *„desursum descendentis"* sapientiae est interpres, quae, ut ait sanctus Iacobus, *„pudica est, pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis, non iudicans, sine dissimulatione;"* sed magis
D illius, quae *„terrena, animalis, diabolica"* [3] ab eodem appellatur.

Nihil opus esse arbitramur vos admonere, ex omnibus modis disseminandi erroris unum maxime subtilem et periculosum esse educationem, ut quae suggerat id alimentum, quod societatis corpus sustentat, per omnes venas diffunditur et in omnia membra permanat; quodsi idem forte vitiosum aut venenatum sit, fieri non posse, quin toti corpori morbum exitiumque importet. Quapropter, gravissimo illo officio, cum periculo nostrarum animarum, obligamur, ut pro educatione populi nobis a Deo crediti vigilemus.

Audite, quam gravibus verbis gloriosus pontifex noster cum pericula, quibus hoc tempore ob-

[1] Isa. IX, 2.
[2] I Ioan. V. 4.

[3] Iac. III, 15, 17.

which youth is exposed at the present time, and the duties which are placed upon the pastors of the people in this regard: — „it is incumbent upon you," he says, „and upon ourselves, to labour with all diligence and energy, and with great firmness of purpose, and to be vigilant in every thing that regards schools, and the instruction and education of children and youths of both sexes. For you well know that the modern enemies of religion and human society, with a most diabolical spirit, direct all their artifices to pervert the minds and hearts of youth from their earliest years. Wherefore they leave nothing untried, they shrink from no attempt to withdraw schools, and every institution destined for the education of youth, from the authority of the church, and the vigilance of her holy pastors."

Such are the words of the vicar of Jesus Christ, which show the responsibility under which we are placed, and point out our duty to protect from the insidious snares laid for their destruction, the lambs of the fold — that most helpless but precious portion of the flock of Jesus Christ, which the prophet represents as carried in his bosom.

It is by the sternest sense of duty — by a painful, but irresistible feeling of necessity — that we are compelled, dearly beloved, to announce to you that a system of education frought with grievous and intrinsic dangers, has, within the last twelve months, been brought to your own doors. It is presented to you, we deplore to say, in those collegiate institutions, which have been established in this country, and associated with the name of our august, most gracious, and beloved Sovereign. Far be it from us to impugn for a moment the motives of its originators. The system may have been devised in a spirit of generous and impartial policy; but the statesmen who framed it were not acquainted with the inflexible nature of our doctrines, and with the jealousy with which we are obliged to avoid everything opposed to the purity and integrity of our Faith. Hence those institutions, which would have called for our profound and lasting gratitude, had they been framed in accordance with our religious tenets and principles, must now be considered as an evil of a formidable kind, against which it is our imperative duty to warn you with all the energy of our zeal and all the weight of our authority.

In pointing out the dangers of such a system, we only repeat the instructions that have been given to us by the vicar of Jesus Christ. He to whom were given the „keys of the Kingdom" — to whom was committed the charge, not only of the lambs, but of the sheep, that is of the entire flock, pastors as well as people — he, for whose faith the prayer of Christ was offered — whom saint Chrysostom so appropriately designates as the teacher of the whole world — he, Peter, has spoken to us by Pius as he spoke to the fathers of Chalcedon by Leo, and pronounced this system of education, too fraught with „grievous and intrinsic dangers" to faith and morals — has declared that „religion can expect nothing but loss from it" — and that your „Bishops should take no part in carrying it into effect".

Following the invariable practice of our own church as well as that of every church connected with the centre of Unity, and, in particular, the instructions given in one of those synods convoked and presided over by saint Patrick — „if any

A iicitur iuventus, describat, tum officia, quae, hac in parte, populi pastoribus iniuncta sunt. „Prudentiam vestram," inquit, „minime fugit, periculoso hoc tempore, vobis nobisque ipsis omni industria atque opera ac magna animi firmitate connitendum et invigilandum esse in illis omnibus, quae scholas et puerorum ac iuvenum utriusque sexus institutionem et educationem attingunt. Nostis enim, hodiernos religionis humanaeque societatis inimicos, diabolico plane spiritu, in id suas omnes artes conferre, ut iuveniles mentes et corda a prima ipsa aetate pervertant. Idcirco, etiam nihil intentatum, nihil prorsus inausum relinquunt, ut scholas et instituta quaelibet iuventutis educationi destinata, ab ecclesiae auctoritate et a sacrorum pastorum vigilántia omni ex parte subducant" [1].

Haec sunt verba, quibus Iesu Christi vicarius conditionem, qua tenemur, reddendae rationis de-
B clarat; sic nos docet oportere agnos ovilis, maxime destitutam eamdemque pretiosissimam gregis Christi partem, quos ille apud prophetam *„in sinu suo levans"* [2] describitur, adversus insidias et laqueos paratamque perniciem tueri.

Severissimi officii conscientia et acerba, sed ineluctabili necessitate cogimur, carissimi, vos certiores facere, genus quoddam institutionis plenum ingentium et inhaerentium periculorum, hoc anno, paene in domos vestras illatum fuisse. Id vobis offertur, quod moerentes dicimus, in illis collegiis, quae per hanc regionem constituta sunt, et augustae, clementissimae dilectaeque reginae nostrae nomen prae se ferunt. Multum abest, ut ea, quae huius consilii auctores moverint, ullo modo reprehendamus. Exstiterit id sane e liberali studio civilis cuiusdam aequitatis; at certe illi viri, a quibus est excogitatum, parum intelligebant, quam flecti non possent
C nostrae doctrinae, quamque diligenter vitandum nobis esset, quidquid fidei nostrae sinceritati atque integritati repugnaret. Itaque, haec instituta, quae, si ad religionis nostrae dogmata et leges accommodata essent, perpetuam a nobis gratissimi beneficii memoriam poscerent, eadem nunc exitiosissimi mali loco habenda sunt, a quo vos quanta maxima possumus vi atque auctoritate prohibere debemus.

Cuius quidem ut disciplinae declaremus pericula, ea tantum monita repetenda ducimus, quae Iesu Christi vicarius ad nos dedit. Ille igitur, cui datae sunt *„claves regni coelorum"* [3]; cui non modo agnorum, sed totius gregis, id est et pastorum et populi cura commissa est [4]; ille, pro quo, ne de-
D ficeret eius fides, Christus rogavit [5]; quem sanctus Chrysostomus [6] tam apte totius mundi doctorem appellat; ipse Petrus nobis locutus est per Pium, sicut patribus Chalcedonensibus per Leonem, illamque educandi rationem per se ipsam gravia fidei et moribus pericula creare pronuntiavit declaravitque, religionem nihil aliud ex eo nisi damnum exspectare posse, vestrorumque episcoporum nullam in ea exsequenda partem esse oportere.

Secuti enim, cum perpetuum morem et nostrae et alius cuiusvis cum unitatis sede coniunctae ecclesiae, tum imprimis id, quod praecipit una e synodis, quibus a se convocatis praefuit sanctus Patritius, ut, *„si quae quaestiones in hac insula*

[1] Encycl. Pii IX. 8 decembris 1849.
[2] Isa. XL, 11.
[3] Matth. XVI, 19.
[4] Ioan. XXI, 16.
[5] Luc. XXII, 32.
[6] *Hom.* 88 *in Ioan.* (opp., ed. Migne, VIII, 480).

questions arise in this island (Ireland), they are to be referred to the apostolic see" — we laid at the feet of our present venerable and beloved pontiff the plan of instruction that had been proposed to us, with a statement of the diversity of opinion that prevailed on the subject; because we knew, to use the language of saint Columbanus, addressing one of the great pontiffs of antiquity, that it was ours „to call upon, to put questions, to beseech him: and his not to withhold what had been freely bestowed, but to put out his talent to interest, to give, at Christ's behest, the bread of doctrine to those who sought for it from him".

After a most searching and protracted examination of the statements and facts that were urged on either side, availing himself of every resource of council and information which he could procure, demanding and receiving from every member of the Irish episcopacy his individual opinion on the subject, making it the object of his long and anxious deliberation, and pouring forth his soul in prayer to him who promised to abide with his church even to the consummation of the time, the successor of Peter pronounced his final judgment on the subject. All controversy is now at an end — the judge has spoken — the question is decided.

Recognizing with reverential awe, in that decision the voice of Him who hath said „he who hears you, hears me, he who despises, you despises me" this synod has received, not only with profound respect, but with unanimous acclamation, the decisions and instructions which were asked for in the name of the Irish church. This synod now solemnly communicates to you the rescripts of the holy see, which we have received on this important matter, that they may serve to guide and regulate your conduct; we do not add anything to the instructions that have been given; neither will we suffer anything to be detracted from their importance.

That you, our faithful children in Jesus Christ, will exhibit the same spirit of faith and docility — that you will recognize in the supremacy of Peter and his successors not the work of a man, but the appointment of heaven — not a civil tribunal, but a divine institution — not an arena for controversy, but the judgment seat at which every controversy is to be decided, is amply guaranteed to us by the unswerving and untarnished allegiance which has bound the Irish people to the holy see from the first moment it was plighted through its envoy and apostle saint Patrick, to the present day, in the midst of every trial and temptation that could sever or relax it, as well as by your uniform and filial obedience to those pastors to whom you well know your happiness is far dearer than their own existence; and who in the day of peril and suffering, have so often proved the extent and self-devoting spirit of the charity they bear you by „laying down their lives for their flocks".

It is then, in our conviction, quite unnecessary to assure you that everything which concerns your welfare, all that regards the advancement of your interests, whether temporal or eternal, is bound up with our warmest affections; that there is no exertion, no sacrifice, compatible with principle, which we would not cheerfully make, to ameliorate your condition and promote your prosperity. As a pledge of the sincerity of those sentiments, we have determined to make every effort in our power to establish

A (Hibernia) *orientur, ad sedem apostolicam referantur;*"[1] haec secuti, eam institutionis rationem, quae nobis proposita erat, ad venerandum dilectumque pontificem nostrum detulimus, exposita simul opinionum discrepantia, quae super ea re exstiterat; noveramus enim, ut sancti Columbani verbis utamur, ad unum e clarissimis antiquitatis pontificibus scribentis[2], nostrum esse „*provocare, interrogare, rogare; ipsius vero gratis accepta non negare, talentum foenerari, petenti panem doctrinae, Christo praecipiente, dare*".

Ille, diu multumque versatis examinatisque argumentis et factis, quae utrinque proferebantur, adhibita, quantum potuit, consulendi et inquirendi diligentia, petita acceptaque uniuscuiusque Hibernorum antistitum de proposito negotio sententia, B post diuturnam et accuratissimam deliberationem, cum interim animam suam precando effunderet coram illo, qui se cum ecclesia sua usque ad consummationem saeculi fore promisit: ita demum Petri successor de summa rei sententiam pronuntiavit. Omnis iam controversia desiit; iudex locutus est, causa finita est.

In qua pontificis sententia cum haec synodus illius vocem agnosceret ac veneraretur, qui dixit: „*Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit,*"[3] non modo summa reverentia, sed etiam consentienti omnium acclamatione, ea decreta et praecepta suscepit, quae ecclesiae Hiberniae nomine erant expetita. Nunc sanctae sedis rescripta, quae super hoc gravi negotio accepimus, synodus vobiscum solemni more communicat, ut ad eam normam actiones vestras dirigatis. Nos quidem, ut iis, quae C in illis praescribuntur, nihil adiicere volumus, ita non patiemur quidquam de eorum gravitate deminui.

Vos quoque, fideles nostri in Christo filii, eamdem fidem idemque obsequendi studium esse exhibituros, et in primatu Petri eiusque successorum, non humanum opus, sed coelestem ordinationem, non civile aliquod tribunal, sed divinum institutum, non arenam quamdam controversiarum, sed iudiciale forum, in quo omnis controversia dirimenda sit, agnituros; id nobis plane spondet cum inconcussa et inviolata fides, qua Hiberniae populus sanctae sedi divinctus est, ex quo primum huius legatus et apostolus Patritius hoc vinculum dedicavit, usque ad hodiernum diem, idque inter tot vexationes sollicitationesque, quae idem dissolvere aut relaxare possent; tum etiam vestra constans pietas et obedientia erga eos pastores, quibus non ignoratis feli- D citatem vestram sua ipsorum vita multo esse cariorem; quique, ingruentibus periculis et calamitatibus, saepissime probarunt, quam ampla quamque effusa in vos caritate ferrentur, ita ut „*pro gregibus suis animas suas ponerent*"[4].

Itaque, plane supervacaneum esse ducimus vobis persuadere, quidquid illud sit, quod commoda vestra promoveat et, vel ad hanc vitam vel ad aeternam, vestra intersit, id nobis haerere in medullis; neque quidquam esse tam laboriosum aut grave, modo idem per conscientiam liceat, quod non libentissime facere velimus, quo melior et felicior fiat vestra conditio. Cuius sincerae erga vos benevolentiae id pignus fuit, quod decrevimus omni ope, quoad in nobis situm esset, contendere, ut condenda uni-

[1] *Canon s. Patritii*, apud Wilkins, *Concilia*, I, 6.
[2] *Epistola I ad Greg. papam* apud Galland., *Bibl. vet. patr.*, XII, 346 [*Patr. lat.*, ed. Migne, LXXX, 262].
[3] Luc. X, 16.
[4] I Ioan. III, 16.

a sound and comprehensive system of university education, that will combine all that is practically useful in the present system with all that is pure and edifying in religious doctrine. A committee has been appointed by this synod to examine into the details of this most important project and to carry it into execution. The difficulties to be contended with are, indeed, great; but if we meet them in the spirit of faith, if we act with Christian union, they will soon disappear. We have within ourselves here at home, and in the persons of our brethren, who are scattered not only through the sister kingdoms and the British colonies, but throughout the continent of America, ample resources — zeal, learning, talent, and the pecuniary means for the accomplishment of such an object.

As great undertakings cannot be realized in a moment, some time will be necessary for collecting and combining these resources, and giving maturity and organization to the plan. During the brief interval that must intervene previous to the realization of this most desirable object, you can procure for your children, as you have ever done, the advantages of a liberal and comprehensive education in those excellent collegiate establishments of your own church, that are to be found in this country and the sister kingdom.

But, as in the days of primitive fervour, so now in those latter times, there are to be found „spirits of error", „disobedient, vain-talkers, and seducers", „wise in their own conceit", and puffed up with the little knowledge they possess — men, „whose speech creepeth like a canker", and whose seared consciences are dead to every sense of duty and every feeling of remorse — men who, like the first tempter, hold out the advantages of superior enlightenment as the reward of disobedience, and who, apostates in all but the name, dare to preach contumacy and rebellion against that church, of which our Lord hath said, that those who hear her not are to be ranked with the heathen and the publican. Since such men are to be found, it becomes our solemn duty to remind you how rigorous the obligations are by which the parent is bound to watch over the salvation of his children. You are aware that those children are only a sacred deposit entrusted by God to our care for a short time; that, although he made use of you to give them existence, they are entirely his property; that, being indebted to him for all they possess, both as to soul and body, and made to his image, and redeemed by his blood, your first great duty is to provide, as far as lies in your power, for the salvation of their souls. It matters not how blameless your life may be in other respects, if you neglect this duty — if, through a criminal ambition, or an inordinate desire of filthy lucre, you expose the soul of your child to grievous danger, then assuredly, do you incur the reprobation pronounced by the apostle on „the man who has no care of his own, and especially of those of his own household", and who, by such conduct, „denies the faith, and is worse than an infidel." The man who hid his talent was condemned. What, if he had lost or destroyed it? What, if he had given it to his master's enemies? The faithless pastor must answer blood for blood, soul for soul. Can the treacherous and unnatural parent, whose cruelty is far worse than that of

A veritate sanam et amplam disciplinae rationem institueremus, quae, quidquid in ratione super inducta esset utile, ad religiosae doctrinae sinceritatem ac salubritatem adiungeret. Constitutum est ab hac synodo delectorum virorum consilium, qui gravissimum hoc negotium et diligentissime perpenderent et exsequendum curarent. Luctandum profecto erit cum magnis difficultatibus; quibus si obviam imus fide freti, si cum christiana concordia opus aggredimur, brevi evanescent. Praesto enim nobis sunt, cum hic domi, tum in fratribus nostris, qui non modo per coniuncta regna et Britannicas colonias, sed etiam per omnem Americae continentem diffusi sunt, ampla subsidia industriae, doctrinae, ingenii; itemque pecuniarum copiae, quae ad huiusmodi consilium exsequendum pertinent.

Sed quoniam res magnae subito effici non possunt, aliquanto tempore opus erit, cum ad illa B auxilia colligenda et componenda, tum ad totius rëi digerendam elaborandamque rationem. Brevi autem hoc intervallo, quod intercedat necesse est, priusquam illud tam expetendum opus perfectum sit, est vobis integrum filiis vestris, quemadmodum adhuc fecistis, liberalem et suis numeris absolutam educationem comparare in egregiis illis catholicisque institutis, quae tum hic tum in vicino regno reperiuntur.

Verum, ut illis primi fervoris temporibus ita ne hac quidem novissima aetate desunt „*attendentes spiritibus erroris*"[1], „*inobedientes, vaniloqui et seductores,*"[2] „*sibi ipsis sapientes*"[3] et exigua scientia sua inflati; quorum „*sermo ut cancer serpit*"[4]; quorum „*cauteriata conscientia*"[5] neque monentis officii neque remordentis ullo iam sensu movetur; qui, ut primus ille tentator, exquisitioris eruditionis commoda tanquam inobedientiae mercedem offerunt; C quique, excepto nomine, apostatae, contumaciam et seditionem praedicare audent adversus eam ecclesiam, de qua Dominus noster ait, qui illam non audiant, esse ethnicorum et publicanorum numero habendos[6]. Cum igitur huiusmodi homines reperiantur, sanctissimo obstringimur officio admonendi parentes, quam gravi lege obligentur ad vigilandum pro liberorum suorum salute. Neque enim ignoratis, liberos nihil aliud esse, nisi sacrum depositum a Deo custodiae vestrae ad breve tempus creditum, et quamvis vestra opera usus sit Deus ad vitam eis dandam, tamen ipsius omnino esse proprios; cumque omnia, quae possident, cum corporis tum animi bona eidem debeant, et ad eius imaginem creati, eius sanguine redempti sint: idcirco, primum et maximum esse vestrum officium, eorum aeternae saluti, quoad in vobis situm sit, providere. Nihil refert, quam sit vita vestra ceteris in rebus D integra, hoc unum si negligatis; si enim, scelerata ambitione aut prava sordidi lucri cupiditate, filiorum vestrorum animas obieceritis gravi periculo, sine dubio incurretis in sententiam apostoli de eo, qui „*suorum et maxime domesticorum curam non habet*"[7]; quem ait hoc facto *fidem negasse et esse infideli deteriorem*. Ille, qui talentum suum abscondit, condemnatus est. Quid igitur, si illud perdiderit aut destruxerit? quid, si domini sui inimicis tradiderit? Ab infideli pastore sanguis pro sanguine, anima pro anima reposcetur. Num igitur potest perfidus et inhumanus parens, multo deterior et crudelior Herode, qui parvulorum corpora tantum mactavit, impune se abiturum sperare?

[1] I Tim. IV, 1.
[2] Tit. I, 10.
[3] Rom. XI, 25.
[4] II Tim. II, 17.
[5] I Tim. IV, 2.
[6] Matth. XVIII, 17.
[7] I Tim. V, 8.

Herod, who only sacrificed the bodies of his youthful victims, expect to escape with impunity? A

„He", says Jesus Christ, „that shall scandalise one of these little ones who believe in me, it were better for him, that a millstone should be hanged about his neck, and that he should be drowned in the depth of the sea. Woe to the world because of scandals. For, it must needs be that scandals come; but, nevertheless, woe to the man by whom the scandal cometh." That the woes thus pronounced against the man of scandal must fall with aggravated force on the head of the parent who, after having been solemnly warned by the authority established by Christ for his direction, thrusts his child into the furnace of danger, immolating him to the moloch of avarice or ambition, is so obvious as to require neither proof nor illustration. If the learning, riches, or honours to be gained by such a sacrifice be pleaded in excuse, we can only reply B with Jesus Christ in the Gospel: „What doth it profit a man to gain the whole world and to lose his own soul? or what shall a man give in exchange for his soul?"

Nor is it to be doubted that, even in this world, such conduct would be visited by the retributive justice of God — that the daring disobedience, which trampled on the authority of the church, would not be unlikely to receive its heavy chastisement from the ungrateful and rebellious child, and that the pride which spurned the salutary restraints of religion would meet its deepest and most bitter humiliation from the very object in which it had centred its fondest affections. That a system of education, the dangers of which have been publicly and solemnly pointed out by the church — which is the pillar and the ground of truth — a system against the dangers of which the history of modern C Europe bears witness — will meet with your marked reprobation; that you will not yield in encouragement or patronage of any kind, but that you will save your children from its influence, is an assurance supplied to us by your uniform and devoted obedience to the voice of that church, and attested by every page of your history, and by every act of your lives.

The solemn warning which we address to you against the dangers of those collegiate institutions extends, of course, to every similar establishment known to be replete with danger to the faith and morals of your children — to every school in which the doctrines and practices of your church are impugned, and the legitimate authority of your pastors set at nought. Alas! our country abounds with too many public institutions of this kind, which have been the occasion of ruin to thousands of those D souls that were redeemed by the precious blood of Jesus Christ, but still they bear the perils with which they are replete inscribed upon their front, and they are known by all to be most dangerous and anticatholic. It is not necessary, nor was it ever necessary, to raise our voice against estaiblishments so avowedly hostile. It is when the wolf assumes the clothing of the sheep that the pastor has most reason to tremble for his flock and to exert all his courage and energy for its defence.

In guarding you against the path of error — warning you against those deceitful lights which lead to the lowest depths of mental darkness, and to the worst and most fatal species of ignorance — you cannot fail to recognize that character of true

A „*Qui scandalizaverit*, inquit Iesus Christus, *unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius, et demergatur in profundum maris. Vae mundo a scandalis! necesse est enim ut veniant scandala: verumtamen vae homini illi, per quem scandalum venit!*"[1] Quae autem mala intentantur auctori scandali, ea multo etiam maiore cum impetu erupturа esse in caput eius parentis, qui, quamvis graviter admonitus ab iis, quos cum auctoritate ad eum regendum Christus constituit, tamen liberos suos in periculum incendiumque coniicit, et, tanquam alicui moloch, sic avaritiae et ambitioni mactat: res est profecto ita manifesta, ut nullam probationem aut declarationem desideret. Quodsi quis impii sacrificii hanc excusationem afferat, quod tali ratione acquirantur B doctrina, divitiae, honores, unum illud respondere possumus, quod ait Christus in evangelio: „*Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?*"[2]

Neque vero dubitandum est, quin, vel in hac vita, huiusmodi improbitas dignam relatura sit a iustissimo Deo mercedem; quin flagitiosa parentum inobedientia, quae ecclesiae auctoritatem contempserit, graviter nec immerito plectenda sit ab ingratis et contumacibus filiis; aut superbia, quae salutares religionis frenos abiecerit, summam acerbissimamque contumeliam acceptura sit ex illa ipsa re, in qua una omnem suum amorem defixerit. Vos igitur id genus educationis, quod quam sit periculosum, cum ecclesia, „*columna et firmamentum veritatis*,"[3] aperte graviterque denuntiavit, tum recentior Europae historia testatur, liberrime esse C repudiaturos, neque commissuros, ut illud ullo modo iuvetis aut commendetis, sed perniciosam eius vim a filiis vestris prohibituros: hoc nos certo sperare iubet constans et insigne vestrum ecclesiae parendi studium; hoc omnis vestrorum annalium memoria, omnia vitae vestrae facta confirmant.

Iam quod vos palam de horum collegiorum periculis admonemus, idem scilicet ad quodvis aliud simile institutum pertinet, in quo liberorum vestrorum fidem et mores periclitari constet; itemque ad omnes eas scholas, in quibus ecclesiae doctrinae moresque oppugnantur, legitima pastorum vestrorum auctoritas evertitur. Patria nostra, id quod dolemus, abundat publicis huius generis institutis, quae multis millibus animarum pretioso Christi sanguine D redemptarum exitio fuerunt. Quanquam haec quidem pericula, quorum plena sunt, tanquam in fronte inscripta praeferunt, nec quemquam fugit, quam sint perniciosa et catholicae religioni infesta; ut neque necesse sit, neque unquam fuerit, adversus tam aperte inimica instituta vocem nostram extollere. At cum lupus ovium pellem induit, tum est profecto, cur pastor timeat gregi suo, et omnem suam fortitudinem vimque animi ad eum tuendum expromat.

Quod autem monemini, ut erroris viam vitetis, caveatisque ab eo fallaci lumine, quod in densissimam mentis caliginem pessimumque ac funestissimum ignorantiae genus abducit; non potestis in ea re non agnoscere illud insigne verae sapientiae,

[1] Matth. XVIII, 6-7.
[2] Matth. XVI, 26.
[3] II Tim. III, 15.

enlightenment, and zealous concern for the real A interests of knowledge, which have invariably distinguished the religion to which you belong.

The instructress of Europe in arts and literature — the civiliser of every barbarous nation into which she has carried the gospel — the foundress of those innumerable schools of learning, which illustrated this island in former ages, as well as the inspirer of those heroic sacrifices, and of that deathless struggle in her cause when, at a subsequent period, a barbarous policy punished education as a crime, and sought to extinguish the intellect of a people, the catholic church has continually borne the torch of knowledge in her hand, during her missionary career, or sheltered it in her sanctuary, when the stormy passions of the savage horde or the calculating cruelty of the oppressor sought to quench it for ever. And if she cannot, like other forms of belief, vary at will the immu- B table truth, of which she is the depositary — if she cannot blend and fuse its inflexible principles into a community of creed and doctrine — if no human consideration can induce her to sacrifice an jota of that gospel which will outlive the heavens and the earth, it is not because the charity with which her heart continually burns is less comprehensive, or the works of beneficence in which her hands are unceasingly employed, are less numerous and various than those of other religious institutions, which arrogate to themselves the possession of a more liberal philanthropy. This adherence to the cause of truth is not only perfectly compatible with the exercise of charity, but a condition indispensable of its existence. He who was charity itself, whose lips continually preached and whose life so beautifully and touchingly illustrated its doctrine, pronounced the woes that were to light upon C the proud and self-sufficient pharisee, and denounced with unmitigated severity the teachers of error.

The same irreligious spirit which by its cold indifferentism, chills and deadens our moral nature, and then leaves it a prey to corruption, after having vitiated the education of the continent, has, as might naturally be expected, diffused itself through its literature; for anti-christian philosophy, assuming the most popular forms, has devoted all its reasoning and research to sapping the foundations of faith; and genius, seduced and corrupted by its suggestions, has lavished its highest gifts in adorning with all the embellishments of taste and eloquence the grossest sensualism and vice that could corrupt and degrade even the society of the pagan world. There is no medium for its diffusion, from the philosophic essay to the work of fiction, on which the apostleship of infidelity has not drawn, D in order to extinguish the truths of christianity in the understanding, or to banish its pure and exalting morality from the heart. Unfortunately, many of those works have been translated into our own language — circulated in every variety of form, from the most ornate to the cheapest and most accessible — and, we bitterly lament to state, are occasionally to be seen even in the precincts of the domestic circle, where nothing defiled should be permitted to enter, when the anxious vigilance of parental love, as well as its awful responsibility, ought to have been prompt in banishing, with indignation, everything calculated to taint the purity or unfix the principles of its youthful charge.

Nor are works of a similar spirit and tendency wanting in our own literature, adapted to every

illud germanae doctrinae providendi studium, quod omni tempore eam ecclesiam, cuius membra estis, ornavit.

Haec enim Europae magistra exstitit artium et literarum; haec cultrix omnium barbararum gentium, in quas evangelium invexit; haec parens earum scholarum, quae innumerabiles quondam hanc insulam nobilitarunt; haec illam impensissimam caritatem illudque immortale certamen, ipsius causa susceptum, excitavit, cum, insequenti aetate, inhumana prudentia educationem, tanquam crimen persequeretur, et populi mentem extinguere studeret; haec denique doctrinae facem palam praeferre non destitit, dum suo propagandae fidei munere fungebatur, aut in loco sancto condidit, cum eam vel impotens barbarorum furor vel oppressorum astuta crudelitas in perpetuum conabatur obruere. Quod si eadem non potest, quemadmodum aliae religiones, immutabilem, cuius custos est, veritatem ad arbitrium suum fingere, aut eius inflexibilem disciplinam in ullam fidei et doctrinae societatem confundere atque conflare; si nulla humana ratione induci potest, ut vel unum *iota* remittat de evangelio, quod, transeunte coelo et terra, non est transiturum; hoc profecto non idcirco fit, quod aut caritas, qua semper ardet, minus ampla, aut beneficentiae opera, quibus assidue occupatur, minus multa et varia sint, quam aliarum religionum, quae sibi ipsis liberalioris humanitatis laudem arrogant. Nam haec in retinenda veritate constantia adeo non abhorret a studio exercendae caritatis, ut haec sine illa consistere non possit. Qui enim erat ipsa caritas, caritatisque doctrinam et verbis assidue praedicabat, et vita tam praeclare tamque suaviter illustrabat, idem ipse pronuntiavit illa *vae*, quibus petebantur superbi sibique confidentes pharisaei, et acerrima severitate erroris magistros notavit.

Eadem autem illa impietas, quae religionis negligentia, quasi quodam frigore, omnem honestatis sensum hebetat et exstinguit, atque ita hominem tradit omnibus vitiis, postquam in continente educationem infecit, literis quoque, quod erat exspectandum, latius diffusa est. Nam christianae doctrinae inimica philosophia, induens maxime populares formas, omnem suam ratiocinandi atque excogitandi vim contulit ad convellenda fidei fundamenta; cuius fraudibus decepta ac perversa vel summa ingenia praeclaras suas facultates in id effuderunt, ut omni elegantia et eloquentiae cultu foedissima vitia libidinesque ornarent, quibus vel apud ethnicos humana societas corrupta fuerit ac perdita. Nullum est huius pervulgandi mali instrumentum, si a philosophorum commentationibus ad poetarum fabulas deveneris, quo non sint usi infidelitatis magistri, ut vel in mentibus hominum lumen christianae veritatis restinguerent, vel pura et excelsa, quae tradit, bene vivendi praecepta ex animis evellerent. Male autem actum est nobiscum, quod multi horum librorum in sermonem nostrum versi sunt, et in maxima formarum varietate disseminati (nam et ornatissimos videre licet, et rursus minimo pretio parabiles); ut, quod vehementer deploramus, nonnunquam etiam intra domorum penetralia, quo nihil impuri admittendum est, reperiantur; cum vigilans et intenta parentum caritas gravissimaeque reddendae rationis memor id omne, quod ad violandam integritatem suorum vel fidem sollicitandam pertinet, promptissime severissimeque arcere deberet.

Sed ne in nostris quidem literis simili consilio et animo conscripti desunt libri, ad omne lectorum

class of readers and to every grade of intellect — A reviving the old errors, and fertile in the production of new ones — flattering the pride of the understanding, and stimulating the passions of the heart, — diffusing their moral poison in every department of learning, and through every form of publication by which the popular mind can be reached. That bad books form a most powerful instrument of satan in perverting and destroying souls, is a melancholy fact proved every day by the ruin not only of individuals, but of whole communities; and hence the rigorous obligation of every pastor, parent and guardian, to save, as far as in their power, those under their charge from the demoralizing influence of those impious and licentious books. As revelation proclaims to us „that those who love danger shall perish therein", and that we should incessantly „watch and pray, lest we enter into temptation" and that we carry the treasure of divine B grace in earthen vessels, as in fine the whole tenor of its teaching is to inculcate the humility and self — distrust that fly the occasions of sin, not the pride and selfsufficiency that court them — all should be studiously on their guard against the daring curiosity of intellectual pride that would spurn a restraint, which the church in every age has deemed so necessary for the moral government of the faithful.

genus, ad omnem quasi intelligentiae gradum accommodati, qui veteres renovant errores, afferunt novos; qui superbiae intellectus blandiuntur, pravos animi motus concitant; quique venenum suum in omnes doctrinarum partes diffundunt, ea editionis forma, quaecumque attingendis popularibus ingeniis apta videatur. Iam vero pravos libros valida esse arma satanae ad depravandas perdendasque animas, deploranda calamitas est, quae quotidie, non modo singulorum hominum, sed etiam totorum conventuum exitio comprobatur; et idcirco pastores, parentes tutoresque gravissima tenentur lege, ut suos, quantum possunt, ab hac impiorum et impudicorum librorum peste defendant. Cum enim divinae literae testentur, „*qui amat periculum, in illo peribit*"[1] noque assidue „*vigilare et orare* debere, *ut non intremus in tentationem*"[2], et divinae gratiae „*thesaurum habere in vasis fictilibus*"[3]; cumque earumdem summa in eo uno versetur, ut nobis inculcent humilitatem et nostri diffidentiam, quae peccandi occasiones fugit, non superbiam et temeritatem, quae easdem consectatur: omnes diligentissime caveant necesse est a superba et praefidenti curiositate, quae id frenum abiiciat, quod regendis fidelium animis adeo necessarium omni aetate iudicavit ecclesia.

We exhort you, dearly beloved, with all the fervour of our souls, to be more vigilant than ever, in these days of error and infidelity. Avoid all books in which your holy religion is assailed, cast away those corrupt and condemned versions of the scriptures, those tracts teeming with calumny and misrepresentation that are so industriously circulated by the agents of the bible and other such societies. We caution you also against those publications in C which loyalty is treated as a crime, a spirit of sedition is insinuated, and efforts are made to induce you to make common cause — to sympathize with those apostles of socialism and infidelity who in other countries, under the pretence of promoting civil liberty, not only undermined the foundations of every government, but artfully assailed the rights of the apostolic see and sought for the destruction of the holy catholic church.

Vos igitur, carissimi, quam possumus vehementissime hortamur, ut, si unquam antea, his maxime erroris et infidelitatis temporibus vigilantes sitis. Vitate omnes libros, in quibus sancta religio vestra impugnatur; abiicite pravas illas et damnatas sanctorum librorum translationes, illos calumniis et malevolis interpretationibus refertos libellos, quos tanta industria disseminant societatis *biblicae* et aliarum similium administri. Neque minus vos cavere volumus ab illo scriptorum genere, in quibus fidelitas crimini vertitur, sparguntur seditionis semina, magnoque opere contenditur, ut inducamini ad causam vestram ac studia cum illis socialismi et incredulitatis praeconibus coniungenda, qui aliis in regionibus, per speciem augendae civilis libertatis, non modo omnis reipublicae fundamenta labefactarunt, sed etiam artificiose impugnarunt sedis apostolicae iura, et sanctae catholicae ecclesiae perniciem machinati sunt.

The heroic sacrifices made by our destitute brethren in defence of the faith present to the rich and the comfortable an example as touching as it is edifying: for it is to be borne in mind that we have but one gospel for the rich and the poor, and that this gospel imperatively demands of both the sacrifice, not only of the goods of this world, but even of life itself, rather than to infringe its D laws. When a spirit of proselytism, more blind and fanatical than that denounced by our Lord in gospel, outraging not only the laws of humanity, but all the decencies of public opinion — which more destructive than the famine in whose footsteps it followed, endeavoured to smite with the second and everlasting death those, who escape to first — which visited the widow and the orphan in their desolation not to mitigate their sufferings, but to rob them of that immortal hope that redeems all the miseries of this life, and brightens the prospect of the future — which aggravated with the horrors of religous persecution the darkest calamity that ever crushed a people and scattered on every side the seeds of infidelity, hypocrisy and fraud —

Quas fratres nostri pauperes in defendenda fide summas fecere iacturas, eae sunt eiusmodi, ut et divites et, quibus satis lauta res est, non minus commovere, quam ad imitandum excitare debeant. Meminisse enim oportet, unum esse et divitibus et pauperibus evangelium, eoque utrisque praecipi, ut non modo huius vitae bona, sed vitam quoque ipsam profundant potius, quam illius leges violent. Et quidem cum proselytos faciendi studium, idque illo stultius atque insanius, quod Dominus noster in evangelio notavit, nec solum humanitatis iura, sed etiam omnem pudorem hominumque verecundiam conculcans; quod fame ipsa, cuius vestigiis instabat, exitialius iis mortem secundam et perpetuam inferre conabatur, qui primam effugissent; quod viduas orboeque lugentes adibat, non ut solaretur, sed ut illa spe immortali spoliaret, quae et huius vitae miserias omnes redimit et futurae aperit claritatem; quod denique acerbissimam calamitatem, qua ullus unquam populus conflictatus sit, atroci ob religionem vexatione cumulabat, et omnibus locis incredulitatis, simulationis et fraudis semina spargebat: cum igitur ille nequitiae et corruptionis

[1] Eccli. III, 27.
[2] Matth. XXVI, 41.
[3] II Cor. IV, 7.

when this malignant spirit of seduction stood amongst them to tempt and to destroy, how often has the heroic parent, like the mother of the Machabees, encouraged her offspring to despise the *breath* and life of this world for the sake of that creator who would certainly restore them on a future day? And how often has that offspring suffered, not the torments of the executioner, but the more severe and lingering death inflicted by starvation rather than transgress the laws of God, received from our fathers? To the credit of the respectable and enlightened portion of our protestant brethren be it said that none have been more loud and indignant in reprobating a system so scandalous and degrading to any form of religion, a system that does not even pretend to conceal the corruption and profligacy, which it employs as the instruments of perversion, but which drives a sacrilegious traffic in the noonday and before the public gaze, offering its mess of pottage for the glorious inheritance it seeks to purchase. Yet we deeply lament to state, that up to the present hour its frenzy continues unabated; from the crowded city to the most secluded hamlet, its unscrupulous agents are to be seen offering the rewards of apostacy to the destitute or to the venal, whilst it has spread its proselytising schools like a network over the length and breadth of the land. Childhood, weak, defenceless childhood, is the great object of its unhallowed speculations and insidious efforts, and it does not hesitate to avow that it is satisfied with making an unprincipled hypocrite of the parent, provided it succeeded in perverting the soul of the child. It seeks above all things, to stamp upon the mind those first impressions, which are always so durable and so hard to be effaced, and has recourse to every expedient, which ingenuity can suggest, and to every resource which wealth can purchase, for the purpose of preserving and perpetuating the fruits of its unholy exertions.

To you the pastors of the people, our venerable brethren in Jesus Christ, who trough evil report and good report have been so vigilant and indefatigable in the defence of your flocks, who have maintained with such unshrinking courage and fidelity one of the most severe and unequal contests that ever exercised the patience or tested the devotedness of our ministry, there is no language we can employ adequate to express the high sense we entertain of your services, labours and sufferings in the cause; and it only remains for us to exhort you not to relax for a moment in the fervour of your zeal or the energy of your exertions, but trusting in the mercy and omnipotence of him, whose hand is with you, rather to redouble those efforts to increase as much as possible the number of schools for the young, to be assiduous in visiting and inspecting the schools already erected, to organise and direct those pious associations for the diffusion of catechetical knowledge and for visiting, consoling and instructing the poor and the abandoned — such as the lay-society of Saint Vincent of Paul; associations, that have been always found so efficient in promoting the interests of religion. We exhort you to be indefatigable in preaching the word, in season and out of season, sustaining the faint-hearted, consoling the afflicted, rebuking the inquiet, always remembering the high price at which the souls entrusted to you have been bought, and shrinking from no labour, danger or sacrifice for their preservation.

A artifex daemon inter miseros versaretur, ut tentaret ac perderet, quam saepe fortissimae matres, quemadmodum illa Machabaeorum, cohortatae sunt liberos, ut hunc spiritum et hanc mortalem vitam despicerent propter creatorem, a quo certissime essent aliquando haec recepturi! Quam saepe ipsi filii, non tormenta illi quidem carnificis, sed acerbiorem et tardiorem mortem fame exstincti pertulerunt, ne Dei leges a patribus nostris acceptas violarent. Ceterum, illud honestis et prudentibus viris, qui sunt inter fratres nostros acatholicos, laudi tribuendum est, quod nemo his liberius improbarit indigniusque tulerit adeo flagitiosam et cuivis religionis formae probrosam rationem; qua qui utuntur, ne dissimulare quidem curant illiberales corrumpendi artes, quibus perniciem animis machinantur; sed luce palam et in oculis omnium sacrilegum nego-
B tium exercent, et suas pultis patellas gloriosae haereditatis pretium miseris obtrudunt. Verum magno cum dolore testamur, usque ad praesens tempus nulla re fractam esse hominum insaniam. Nam, à frequentissimis urbibus usque ad remotissimos viculos, ubique cernuntur improbi administri egenis aut venalibus hominibus defectionis mercedem offerentes; cum interea scholae captandis proselytis longe lateque per totam sint regionem, quasi quoddam rete, dispositae. Videlicet aetas puerilis, tenera et imbecilla aetas, potissimum petitur nefariis istis studiis et insidiosis conatibus; nec dubitant boni homines confiteri, satis sibi esse, si parentes vel vanissimos simulatores fecerint, dummodo contingat liberorum animas pervertere. Illud enim super omnia contendunt, ut animis prima illa imprimant quasi vestigia, quae diutissime haerere, et difficillime obliterari solent; neque vero quidquam praetermittunt, quod aut sollertia excogitare aut
C pecunia efficere possit, ut nefandae industriae fructus conservent ac perpetuos reddant.

Vobis vero, populi pastores, venerabiles nostri in Christo fratres, qui, *„per infamiam et bonam famam“*[1], tanta vigilantia et assiduitate vestros greges defendistis, quique unum e molestissimis et iniquissimis proeliis, quae unquam nostri ministerii vel patientiam exercuerint vel caritatem comprobarint, tanta constantia et fide sustinuistis, nihil plane dicere possumus, quod satis declaret, quanti vestram operam et, quae pro hac causa egistis tulistisque, faciamus; neque aliud nobis superest, nisi ut vos hortemur, ne quid omnino remittatis de vestri studii ardore aut laboris contentione; sed eius misericordia et omnipotentia, cuius manus vobiscum est, freti, acrius etiam intendatis animum
D ad multiplicandas, quoad fieri potest, pueriles scholas, in iisque, quae iam exstant, visitandis et inspiciendis sitis assidui; itemque pias illas ordinetis regatisque societates, quarum munus est doctrinam christianam diffundere, et pauperes destitutosque homines invisere, consolari et erudire (cuiusmodi est Vincentiana laicorum sodalitas); quibus tantam inesse vim ad amplificandam religionem semper usu cognitum est. Hortamur vos, ut nunquam remisso studio *„praedicetis verbum opportune* et *importune“*[2], sustinentes infirmos, consolantes moestos, inquietos obiurgantes, semper memores, quanto pretio redemptae sint animae vobis creditae, neque ullum pro earum salute laborem, periculum aut incommodum recusantes.

[1] II Cor. VI, 8.

[2] II Tim. IV, 2.

But it is not only the spiritual afflictions of the A poor that call for our sympathy and relief — their corporal wants and sufferings appeal to our most tender commiseration and prompt assistance. The inestimable favour conferred upon us by almighty God, in the gift of the true faith, will only serve as the subject of our greater condemnation, if not illustrated by works of charity. „For what shall I profit, my brethren, if a man say he hath faith, but hath no works? Shall faith be able to save him? And if a brother or sister be naked, and want daily food; and one of you say to them: Go in peace, be ye warmed and filled; yet give them not those things that are necessary for the body; what shall it profit? So faith also, if it have no works, is dead in itself.“ „We charge the rich of this world“ therefore with saint Paul, not to be high-minded nor to trust in the uncertainty of riches, but in the living God (who giveth to us B abundantly all things to enjoy) — to do good, to be rich in good works, to give easily, to communicate to others, to lay up in store for themselves a good foundation against the time to come, that they may lay hold on the true life.“ — And to all we say „according to the ability, be merciful: if thou have much give abundantly; if thou have little; take care to bestow willingly a little. For thou storest up for thyself a good reward for the day of necessity. For alms deliver from sin and from death and will not suffer the soul to go into darkness. Alms shall be a great confidence before the Most High, to all them that give it“.

Now if such be the spirit and the law of charity for all times and places; for every age and every nation, what shall we say of the force and stringency with which they apply to a country, whose ordinary and characteristic sufferings have been C so intensely aggravated by the awful visitations of the last years? Surely, if ever there was a people whose manifold miseries and privations could pierce the heart of charity to its core, and call for her most devoted exertions and sacrifices, our suffering countrymen at the present hour are preeminently entitled to that afflicting distinction.

Let your contributions and exertions then, dearly beloved, be proportionate to the wants and calamities you have to succour or alleviate. Enlarge your hearts with the greatness of the occasion, which presents itself to you. „Give and it shall be given unto you; good measure and pressed down, and shaken together, and running over shall they give into your bosom. For with the same measure you shall mete withal it shall be meted unto you.“ For „he who soweth sparingly shall also reap sparingly; and he who soweth in blessings D shall also reap in blessings. Every one as he hath determined in his heart, not with sadness or of necessity, for God loveth a cheerful giver. And God is able to make all grace abound in you; that ye, always having all sufficiency in all things, may abound to every good work. As it is written, he hath dispersed abroad, he hath given to the poor. His justice remained for ever. And he that ministreth seed to the sower, will both give you bread to eat, and will multiply your seed and increase the growth of the fruits of your justice“.

For our parts, did we omit, on this important occasion, admonishing and exhorting you by all the motives, which religion can supply, to succour

Neque solum spiritualibus pauperum malis moveri et succurrere debemus; sed corporum etiam necessitates et miseriae intimum misericordiae sensum promptamque opem a nobis requirunt. Nam inaestimabile omnipotentis Dei beneficium, verae fidei dono in nos collatum, graviori nobis damnationi erit, nisi caritatis operibus illustretur. *„Quid enim proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? Si autem frater et soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, et calefacimini et saturamini, non dederitis autem eis, quae necessaria sunt corpori, quid proderit? Sic et fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa.“*[1] Quare *divitibus huius saeculi* praecipimus, auctore sancto Paulo, *„non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (qui praestat nobis omnia abunde ad fruendum) bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum; ut apprehendant vitam veram.“*[2] Omnibus autem dicimus: *„Quo modo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Praemium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis, quoniam eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.“*[3]

Quodsi omni tempore et loco, apud omnes omnium aetatum nationes, haec est caritatis vis, haec lex, quanto, potius ac iustius eadem convenire dicemus in eam regionem, cuius perpetua et insignia mala tantopere aggravarunt horrendae superiorum annorum calamitates? Profecto, si ullus unquam fuit populus, cuius multiplices miseriae atque aerumnae ipsas quodammodo caritatis medullas foderent, eamque provocarent ad maxima et generosissima quaeque praestanda; miseri populares nostri hoc tempore longe optimo iure hunc luctuosum honorem sibi vindicant.

Facite igitur, carissimi, ut vestra beneficentia atque industria certent cum necessitatibus et miseriis, quae a vobis opem aut levamentum exspectant. Dilatate, pro oblatae occasionis magnitudine, animos vestros. *„Date, et dabitur vobis: mensuram bonam, et confertam et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.“*[4] Nam *„qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, sicut scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus; iustitia eius manet in saeculum saeculi. Qui autem administrat semen seminanti, et panem ad manducandum praestabit, et multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum iustitiae vestrae“*[5].

Ac nos quidem, nisi vos, hoc tam gravi tempore, iis omnibus rationibus, quas religio suggerere potest, moneamus et hortemur, ut afflictis fratribus sub-

[1] Iac. II, 14-7.
[2] I Tim. VI, 17-9.
[3] Tob. IV, 8-12.
[4] Luc. VI, 38.
[5] II Cor. IX, 6-10.

your afflicted brethren, and to treat them with all A possible kindness and compassion, we should not only fail in one of the most obvious and essential duties of the episcopal charge, but pass over, in criminal silence, one of the subjects with which prelates, when assembled in synod, are obliged to occupy themselves. On the day on which the church placed the pastoral staff in our hands, she made mercy to the poor one of the subjects of that solemn examination to which she subjected us: hence the constant remembrance and concern for the poor expressed in her canons, and hence those decrees and regulations of such frequent recurrence in her councils from Chalcedon to Trent, whereby the various charitable establishments for their relief are placed under the authority and control of the episcopacy. The council of Toledo (an. 633, c. 22) amongst others admonishes bishops of the charge placed on them by God to protect B and defend the people, and accuses them of criminal neglect, if they suffer the poor to be oppressed without raising their voice in their defence and vindication. Whilst then the miseries of our destitute brethren appeal to the charity and compassion of all at the present time, they press with peculiar force and weight upon our hearts.

veniatis, summamque benignitatem et misericordiam praestetis, non modo unum e primis maximisque muneris episcopalis officiis negligamus, sed etiam, non sine gravi culpa, praetereamus unam ex iis rebus, quas episcopi, cum in synodum conveniunt, tractare debent. Nam quo die pastorale baculum nobis tradidit ecclesia, inter ea, de quibus solemni more interrogati sumus, fuit misericordia in pauperes: atque hinc assidua illa pauperum memoria atque cura sanctis canonibus consignata; hinc illa, quae in conciliis, a Chalcedonensi ad Tridentinum, tam multa leguntur decreta atque praescripta, in quibus pia iis sublevandis instituta episcoporum auctoritati et custodiae committuntur. Concilium Toletanum, habitum anno 633 (c. 22), inter alia episcopos admonet de iniuncto a Deo munere protegendi et defendendi populi, eosdemque gravis negligentiae accusat, si pauperes opprimi patiantur, neque ad eos tuendos vindicandosque auctoritatem suam interponant. Quemadmodum igitur destitutorum fratrum nostrorum angustiae hoc tempore omnium caritatem et misericordiam postulant, ita nos praecipua quadam vi sollicitant atque angunt.

We behold our poor not only crushed and overwhelmed by the awful visitation of heaven, but frequently the victims of the most ruthless oppression that ever disgraced the annals of humanity. Though they have been made to the image of the living God, and are purchased by the blood of Calvary — though the special favourites and representatives of Jesus Christ — we see them treated with a cruelty, which would cause the heart to ache if inflicted on the beasts of the field, and for which it would be difficult to find a parallel C save in the atrocities of savage life. The desolating track of the exterminator is to be traced in too many parts of the country, in those levelled cottages and roofless abodes, whence so many virtuous and industrious families have been torn by brute force, without distinction of age or sex, sickness or health, and flung upon the highway to perish in the extremity of want. But let not the oppressor and the wrongdoer imagine that the arm of the Lord is shortened in Israel. For „he will not accept any person against a poor man and he will hear the prayer of him that is wronged. He will not despise the prayers of the fatherless, nor the widow, when she poureth forth her complaint. Do not the widow's tears run down her cheeks, and her cry against him that causeth them to fall? For from the cheeks they go up even to heaven, and the Lord that heareth will not be D delighted with them". — And again: „Do no violence to the poor man, because he is poor, and do not oppress the needy in the gate. Because the Lord will judge his cause and will afflict them that have afflicted his soul." — Hence the woes pronounced by saint James against the perpetrators of such cruelties. „Go now ye rich men, weep and howl in your miseries, which shall come upon you. Your riches are corrupted, and your garment are motheaten. Your gold and your silver is cankered, and the rust of them shall be for a testimony against you, and shall eat your flesh like fire. You have stored up for yourselves wrath against the last days. Behold the hire of the labourers who have reaped down your fields, which

Sed pauperes nostros non solum ingentibus a Deo immissis calamitatibus afflictos mersosque cernimus, sed etiam saepe immanissima crudelitate, quae unquam annales humani generis foedaverit, oppressos. Qui, quamvis ad imaginem Dei viventis sint creati, et fuso in Calvaria sanguine redempti, quamvis praeter ceteros et diligantur a Christo et ipsius personam gerant, nihilominus tamen illos tanta inhumanitate tractari videmus, quantam ne in bestias quidem adhiberi aequo animo feramus; ut vix quidquam tale, praeterquam in summa barbarie ac vitae immanitate, reperiri possit. Cuius inhumanitatis foeda vestigia, nimium multis terrae nostrae locis, facile persequare in illis solo aequatis tuguriis et tecto nudatis domunculis, ex quibus tot egregia probitate et industria familiae per vim atque iniuriam exturbatae sunt, nulla habita ratione aetatis aut sexus, morbi aut valetudinis, eiectaeque in publicum, extrema inopia periturae. Verum ne sibi persuadeant oppressores et iniuriarum architecti, „*abbreviatam esse manum Domini*"[1] in Israel. „*Non* enim *accipiet Dominus personam in pauperem; et deprecationem laesi exaudiet. Non despiciet preces pupilli, nec viduam, si effundat loquelam gemitus. Nonne lacrymae viduae ad maxillam descendunt, et exclamatio eius super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt ad coelum, et Dominus exauditor non delectabitur in illis.*"[2] Et rursus: „*Non facias violentiam pauperi, quia pauper est; neque conteras egenum in porta; quia iudicabit Dominus causam eius, et configet eos, qui confixerunt animam eius.*"[3] Hinc illae sancti Iacobi plenae minarum voces adversus talium scelerum patratores: „*Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quae advenerunt vobis. Divitiae vestrae putrefactae sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum et argentum vestrum aeruginavit; et aerugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurisastis vobis iram in novissimis diebus. Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quae fraudata est a vobis, clamat, et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit. Epulati estis super terram, et in luxuriis enutristis corda vestra in die occisionis.*"[4]

[1] Isa. LXI, 1.
[2] Eccli. XXXV, 16-19.
[3] Prov. XXII, 22-3.
[4] Iac. V, 1-5.

by fraud has been kept back by you, crieth, and A the cry of them hath entered into the ears of the Lord of Sabaoth. You have feasted upon earth and in riotousness you have nourished your hearts in the days of slaughter."

But whilst defending the rights of the poor, and announcing the woes with which the gospel threatens their oppressors, it becomes our duty also to admonish the former that the merits, privileges and rewards which God had annexed to their state, can only be secured by the exercise of patience and resignation. The moment, they become their own avengers, enter into secret and illegal combinations, condemned so severely by the church, and have recourse to deeds of blood and violence, they lose all resemblance to that divine model, who, in suffering for them, left them an example that they should tread in his footsteps, as well as all rights to that future joy in which none can B participate save those who have shared in his afflictions here below. Instead, then, of being impelled by the promptings of that sanguinary resentment, which far from alleviating their sufferings, never fails to aggravate them with tenfold bitterness and intensity, let them treasure deep in their hearts, and constantly recall to their remembrance those consoling promises of Jesus Christ. — "Blessed are ye poor, for yours is the kingdom of Heaven. Blessed are ye that hunger now, for you shall be filled. Blessed are ye that weep now, for you shall laugh. Blessed shall you be when men shall hate you, and when they shall reproach you, and cast out your name as evil for the Son of Man's sake." — One of the worst fruits of the false teaching of the age has been to generate a spirit of contempt, hardheartedness, and hostility to the poor. The mammon of iniquity, not the spirit of chri- C stianity, and the avarice which the apostle denounces as the root of all evil, not the charity of Jesus Christ, have furnished the principles and the maxims, by which they have been estimated and ranked in the social scale. Whilst the gospel everywhere breathes respect, love, and commiseration for the destitute, pouring its heavenly consolations into their desponding hearts, and shedding its undying halo over their darkest sufferings, continually dissipating the clouds, which the arrogance and terror of this world have cast around them, and revealing the dignity and privileges with which their divine master has invested them: the spirit of error, on contrary, either denounces them as the great nuisance of the moral world, for whose removal or abatement the laws of nature and religion are to be outraged, or, by endeavouring to give them an undue and extravagant exaltation in the social D scale, seeks to counteract the order of Providence, and thereby considerably augments the prejudice and aversion with which they are regarded. How admirable is the teaching of the catholic church upon this important matter! Guided by divine charity, she exhorts the rich to put on bowels of compassion for the poor — to consider them as brethren — to respect them as members of Jesus Christ; and, at the same time, she teaches the poor to respect the rights of property — to honour the rank and station of the great and powerful — to be obedient to those in authority — to be grateful for favours received — and to pour forth fervent prayers for their benefactors.

Instructed, dearly beloved, in the true nature of the relation in which you stand towards the

Sed ut pauperum iura defendimus, et denuntiamus mala, quae evangelium eorum oppressoribus intentat, sic nostrum est admonere pauperes, ita dumtaxat posse eos adiuncta divinitus suae conditioni merita, privilegia et praemia consequi, si patientiam et animi aequitatem servaverint. Nam cum se ipsi ulciscuntur, ineuntque occultas et vetitas coitiones, quas tam severe damnat ecclesia, et ad cruenta et violenta consilia decurrunt, continuo omnem divini illius exemplaris similitudinem amittunt, qui, pro ipsis passus, et exemplum eis reliquit, ut sequerentur sua vestigia, et haeredes eos instituit futurae felicitatis, ad quam nemo admitti potest, nisi qui de amaro eius calice biberit in hac vita. Ne igitur sinant impelli se aculeis illius atrocis iniuriarum doloris, qui eorum mala adeo non lenit, ut multo etiam graviora et acerbiora reddat; sed alte in suis animis recondant perpetuoque recordentur plena illa solatii promissa Iesu Christi: *„Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. Beati, qui nunc esuritis, quia saturabimini. Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis. Beati eritis, cum vos oderint homines et cum separaverint vos, et exprobraverint, et eiecerint nomen vestrum tanquam malum propter filium hominis.“*[1] Nam ex falsis huius aetatis doctrinis cum alia exstiterunt ingentia mala, tum spiritus quidam arrogans, durus, infestus in pauperes. Mammona iniquitatis, non christianae religionis ingenium; avaritia, quam apostolus *„radicem omnium malorum“*[2] esse testatur, non Christi caritas, decreta ista et placita suggessit, ex quibus illis assignatus est in hominum societate locus et gradus. Cum enim totum evangelium spiret reverentiam, amorem, misericordiam pauperum, desperatis eorum animis infundens divina solatia, teterrimas etiam miserias immortali splendore illuminans, assidueque dissipans eas nubes, quibus eos involvit mundi superbia atque terror, et dignitatem ac praecipua iura, quibus a divino magistro ornati sunt, aperiens: contra artifices erroris aut illos tanquam maximam humanae societatis pestem criminantur, ad quam removendam ac tollendam naturae religionisque leges sint conculcandae; aut rursus, dum ad altiorem eos gradum, quam ferunt aequitas et ratio, in hominum societate evehere conantur, id agunt, ut providentiae ordinem invertant; ex quo quidem magnopere augentur iniquae et infestae opiniones in eos pervulgatae. O mirandam in re tam gravi ecclesiae catholicae doctrinam! Haec enim, divina caritate ducta, hortatur divites, ut *„viscera misericordiae“* in pauperes suscipiant, ut eos tanquam fratres intueantur, tanquam Christi membra venerentur; eademque rursus docet pauperes proprietatis iura sancta habere, magnorum et potentium conditionem ac dignitatem vereri, parere iis, qui cum auctoritate praesunt, grata memoria prosequi accepta beneficia, et pro bene meritis ferventer orare.

Quoniam igitur probe nostis, carissimi, tum quae et qualis ratio vobis cum pauperibus intercedat,

[1] Luc. VI, 20-2.

[2] I Tim. VI, 10.

poor, as well as in the duties which you owe them, it should be the object of all to mitigate, as much as possible, the severities of their lot; those amongst you who fill the responsible office of guardians of the poor should weigh well the sacred obligations of your stewardship, and the rigorous account you must render of it on a future day — whilst those who are charged with the office of supervising and administering to their wants in the asylums and workhouses where they are placed, should be careful to treat them with the consideration, mildness, and humanity that are due to the suffering members of Jesus Christ.

But as it is impossible to discharge our duties to the poor, or to fulfil the other engagements of our christian vocation, without the assistance of divine grace — and as prayer and the sacraments are the medium instituted by almighty God for conveying that grace to the soul, all should be fervent and persevering in employing these inestimable and consoling means of mercy and salvation. One of the principal objects of the present assembly has been to render these resources more abundant, and accessible to all — to stimulate the zeal and piety both of pastors and people for the accomplishment of so desirable a purpose — to diffuse as widely as possible the knowledge necessary for a due preparation for the sacraments, in order to remove every obstacle to their efficacy — and above all, to animate the faithful to a worthy and frequent participation of the bread of life. Humbled by the recollection of the manner in which we have hitherto abused those precious graces — of the base ingratitude with which we have repaid the favours of the best of benefactors, and of the scandals which have drawn from his paternal hand those heavy chastisements, by which he seeks our correction and reformation, let us pour out our hearts before him in penitential sorrow — recall in bitterness of soul the sins by which we have outraged his divine majesty — fervently resolve on a perfect change and amendment of life, and approach with the requisite dispositions to that fountain of mercy in the sacrament of penance, where the guilty and perishing soul is cleansed, purified, revived, and strengthened by the blood of the lamb.

An opportunity most favourable for the accomplishment of all these objects will soon be offered to you. His holiness has been pleased to grant to us the indulgences of a general jubilee, which will commence on saint Michael's day next, and will continue for three months; we exhort you to avail yourselves of the treasures which are thus opened to you by the church, in a spirit of true penance and compunction, that God, appeased by our repentance, may look upon us with compassion, and deliver us from the evils that overwhelm us.

That our prayers may be more efficacious, let the everblessed and immaculate Virgin, so faithful to all her disciples; so compassionate to the afflicted and the erring; so merciful to all; whose name is enshrined in the hearts of our people; the never-failing star of hope, that has cheered the sorrowful vigil, and dissipated the darkest storm that ever threatened the distinies of our church — she, — under whose gracious auspices this synod was opened, and under whose maternal protection it now closes its labours — let this help of christians be fervently and constantly invoked by you in all your devotions. This most holy mother has been long recognised and venerated by our predecessors, as the general patroness of all Ireland; and it is

A tam quibus officiis erga illos sitis obstricti, omnes operam dare debent, ut eorum conditionis molestias, quoad possunt, leniant. Illi ex vobis, qui curatorum pauperum sane gravi officio funguntur, sedulo cogitent, quanta sit religio sui muneris, quamque severam suae praefecturae rationem sint aliquando reddituri; itemque illi, quibus mandata est, in pauperum hospitiis et ergasteriis, hos custodiendi et his ministrandi cura, videant diligenter, ut eos cum ea observantia, mansuetudine et humanitate tractent, quae calamitosis Iesu Christi membris iure debetur.

Sed quia neque officiis nostris erga pauperes recte fungi, neque cetera christianae vitae munera explere possumus, nisi divina adiuvante gratia, oratio vero et sacramenta fontes sunt ab omnipotenti Deo instituti, ex quibus gratia in animas B dimanaret; omnes praestantissimis illis et suavissimis misericordiae salutisque subsidiis studiose et perseveranter utantur. Inter ea autem, quae hic conventus imprimis spectavit, illud quoque fuit, ut ii fontes fluerent uberius et omnibus facilius paterent; ut, tantae rei causa, et pastorum et populi stimularetur studium ac pietas; ut quam latissime propagaretur ea scientia, quae requiritur ad sacramenta digne percipienda, sublatis videlicet iis omnibus, quae salutarem eorum vim praepediant; ante omnia vero, ut fideles ad pium et frequentem vitalis panis usum excitarentur. Reputantes igitur submisso animo, quam male adhuc pretiosis illis donis simus usi; quam malam gratiam retulerimus maximorum in nos beneficiorum auctori; quibus nostris flagitiis coacta sit paterna eius manus graves illas plagas nobis infligere, quibus id spectat, ut resipiscamus et emendemur; effundamus coram illo C corda nostra dolore contrita; recogitemus in amaritudine animae peccata, quibus violata est a nobis divina maiestas, statuamus ex animo vitam nostram plane mutare atque corrigere; et sic rite praeparati accedamus ad poenitentiae sacramentum, ad fontem illum misericordiae, in quo criminibus foedatae pereuntesque animae sanguine agni abluuntur, mundantur, recreantur, roborantur.

Iam vero ad haec omnia perficienda opportunissima vobis mox afferetur occasio. Nam sanctissimus pater dignatus est nobis indulgentias generalis iubilaei concedere; quod proximo sancti Michaelis festo die incipiet, et ad trium mensium spatium extendetur. Hortamur vos, ut thesauris, quos sic nobis aperit ecclesia, vere poenitentibus et compunctis animis utamini; atque ita lacrymis nostris D placatus Deus nos miserando respiciat, et de malis, quibus obruti sumus, liberet.

Quo vero efficaciores sint nostrae preces, facite, ut semper beatam et immaculatam Virginem, omnibus clientibus suis tam fidam, afflictis et errantibus tam misericordem, omnibus tam benignam, cuius nomen popularium nostrorum animis inscriptum et consignatum est; illam stellam nunquam deficientem, spei nuntiam, quae tristissimas noctes vigiliasque exhilaravit, et teterrimam procellam, quae unquam perniciem minata sit huic nostrae ecclesiae, disiecit; illam, cuius laetissimis auspiciis inchoata, materno praesidio iam terminata est haec synodus; illam, inquimus, auxiliatricem christianorum ferventer et assidue in omnibus vestris orationibus invocetis. Haec mater sanctissima iam pridem a nostris decessoribus totius Hiberniae

our wish that she shall be for the future invoked A as such *under the title of the Immaculate conception.* To obtain more effectually the assistance of this our powerful advocate in the present wants and calamities that overwhelm us, we have determined that her litany shall be recited before the parochial mass on every sunday and holiday of obligation, in the churches and chapels throughout the kingdom for the next twelve months, together with the collect *pro quacunque tribulatione,* which collect is also to be inserted in the masses of each day during the same period. Let that glorious apostle, to whose charity, labours, and sufferings you are indebted under God, not only for the blessings of the faith, but, in no small measure, for the preservation of this divine gift, be also earnestly supplicated by you when appealing to the throne of grace, nor forget those other holy advocates to whose efficacious intercession the voice of the B church and your own experience bear testimony.

Receive once more, dearly beloved, the assurances of our devoted charity and heartfelt interest in all that concerns your welfare; and in bidding you farewell, and imploring the benediction of heaven on yourselves and on all who are dear to you, as well as upon all your labours and concerns, suffer us to exhort you, in the words of the apostle, „to walk worthy of the vocation in which you are called — careful to keep the unity of the spirit in the bond of peace. One body and one spirit; as you are called in one hope of your calling. One Lord, one faith, one baptism. One God and father of all; who is above all, and trough all, and in us all.“ — „Loving one another with the charity of brotherhood, with honour preventing one another. To no man rendering evil for evil. Providing good things not only in the sight of God, but C also in the sight of men. If possible, as much as is you, having peace with all men.“ — „Let every soul be subject to higher powers: for there is no power but from God: and those that are, are ordained of God.“

„Render therefore to all men their dues. Tribute to whom tribute is due; custom to whom custom; fear to whom fear; honour to whom honour. Owe no man anything, but to love one another. For he that loveth his neighbour has fulfilled the law.“ „May the grace of our lord Jesus Christ, and the charity of God, and the communication of the holy Ghost, be with you all, Amen.“

This pastoral address was read in full synod, and unanimously adopted, and ordered to be published.

Thurles, monday within the octave of the feast of the nativity of the blessed virgin Mary, in the D year of our Lord, 1850.

magna patrona et habita est et eo nomine honorata; eamdemque nos in posterum *sub titulo Immaculatae conceptionis* invocari cupimus. Cuius potentis advocatae quo certius opem impetremus in his, quibus premimur, angustiis et calamitatibus, statuendum duximus, ut eius litaniae ante sacrum paroeciale, singulis diebus dominicis festisque praescriptis, per annum proximum recitarentur in omnibus huius regni ecclesiis et sacellis, una cum collecta *pro quacumque tribulatione,* quae per idem tempus omnibus sacris inserenda est. Ille quoque gloriosus apostolus, cuius caritati, laboribus et patientiae, secundum Deum, non modo fidei beneficia, verum etiam non minima ex parte divini huius doni conservationem debetis, sedulo imploretur a vobis, cum *ad thronum gratiae* acceditis supplices, non praetermissis ceteris illis sanctis patronis, quorum intercessionis vim et ecclesiae auctoritas testatur et ipsimet estis experti.

Denique, quod saepe iam vobis significavimus, carissimi, nos totos esse vestros, et, quidquid ad vestram prosperitatem pertineat, vehementer nobis cordi esse, idem nunc denuo confirmamus; et dum vobis valedicimus, ac coelestem favorem tum vobis ipsis et iis omnibus, quos caros habetis, tum etiam operibus rebusque vestris imprecamur, sinite vos hortemur verbis apostoli, „*ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis*[1]. — *Caritate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem praevenientes. Nulli malum pro malo reddentes, providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus; si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes*[2]. — *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis; qui enim diligit proximum, legem implevit*[3]. — *Gratia domini nostri Iesu Christi, et caritas Dei, et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.*“[4]

Hae pastorales litterae coram frequenti synodo lectae sunt, et uno ore probatae, easque in lucem edi placuit.

Thurlesiae, feria 2 infra octavam nativitatis beatae virginis Mariae, anno Domini nostri 1850.

[1] Eph. IV, 1, 3-6.
[2] Rom. XII, 10, 17, 18.
[3] Ibid. XIII, 1, 7, 8.
[4] II Cor. XIII, 13.

## SYNODUS DIOECESANA SANCTI-LUDOVICI

1850 mense augusto.

Synodus dioecesana Sancti-Ludovici in Foederatis Statibus Americae septentrionalis, celebrata mense augusto 1850, sub Petro-Ricardo Kenrick, archiepiscopo Sancti-Ludovici.

Exstant constitutiones synodales in opere cui titulus:

Statuta lata et promulgata ab illustrissimo ac reverendissimo Patro-Ricardo Kenrick, archiepiscopo Sancti-Ludovici, in synodo dioecesana habita mense august. 1850. Sancti-Ludovici, Philips, 1850.

In-12, 20 p. — Washington, catholic university. — *Ipse non vidi.*

# CONCILIUM PROVINCIALE SENONENSE

## 1850 septembris 2-15.

**Concilium provinciale Senonense in Gallia, celebratum a die 2 ad diem 15 septembris 1850, sub Mellono Jolly, archiepiscopo Senonensi.**

**Bibliographia.**

1) Concilium provinciae Senonensis, Senonis habitum, anno Domini MDCCCL, mense septembri, V autem pontificatus Pii papae IX. Senonis, e typis Car. Duchemin, illust. dd. archiepiscop. et cleri typograph. et bibliop., 1852.

A In-8°, 170 p. — Lyon, abbé Martin; Lyon, missionaires diocésains; Paris, Bibl. nat. B 23718; Paris, Saint-Sulpice; Sens, séminaire.

2) Acta et decreta sacrorum conciliorum recentiorum, collectio Lacensis, auctoribus presbyteris s. J., e domo b. v. M. sine labe conceptae ad Lacum; tomus quartus ... Friburgi Brisgoviae, sumtibus Herder, MDCCCLXXIII, col. 871-954.

### INDICTIO
### CONCILII PROVINCIALIS SENONENSIS.

*Mellonus Jolly, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae gratia archiepiscopus Senonensis, Autissiodorensis episcopus, etc., etc.,*

*Reverendissimis in Christo fratribus, Nivernensi, Trecensi et Molinensi episcopis, comprovincialibus nostris, nec non venerabilibus abbatibus, capitulis, aliisque ecclesiasticis personis, quae de iure vel consuetudine concilio provinciali interesse debent, salutem in Domino.*

Provinciarum concilia primis a saeculis et fere ab ipsa christianae societatis origine frequentata et usitata commendant exempla patrum, utilitas multiplex, vox canonum, summorum pontificum auctoritas; et sacrosancta Tridentina synodus, *pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, concilia provincialia, sicubi omissa sunt, renovari*, atque a metropolitano suae provinciae episcopos *quolibet saltem triennio* convocandos esse, statuit. Quas ob causas tam salutaris, tamque sancta lex nostris in Galliis obsoleverit, *non indigemus scribere vobis:* sat erit, si vos, venerabiles fratres, hisce verbis sancti Caroli fuerimus allocuti: „*Nota sunt vobis ecclesiae Dei vulnera quae libenter praetereo, quia sine acerbissimo doloris sensu nec a me commemorari, neque a vobis audiri posse existimo.*"

Ex illa luctuosa cessatione tanquam ex infausto fonte, quae videtis et quae nobiscum defletis, venerabiles fratres, ortum cepere: inquieta scilicet animorum commotio, regularum antiquarum neglectus, imminutum erga superiores obsequium, obscuratus sacrae doctrinae splendor, et plaga, huic aetati propria, quae vel clerum invasit, novitatum cupido, et illa ingenita cordis humani sub nomine libertatis audacia iugum omne detrectans: venere *tempora periculosa;* insurgunt *cupidi homines, elati, seipsos amantes, inobedientes, vaniloqui, a veritate auditum avertentes, ad fabulas conversi, qui dominationem contemnunt, maiestatem blasphemant.*

Quamnam tot ingruentibus malis promptam ac praesentem medelam adhibere possent antistites, nisi, *cum ubi sunt duo vel tres congregati in nomine Christi, ipse sit in medio eorum,* per illos conventus in quibus inest splendidius lumen, purior doctrina, tutius consilium, sapientia sublimior, auctior vis imperii maiestasque venerabilior?

Atqui, venerabiles fratres, insperatae libertatis faustus ille tandem illuxit dies: *Post tempestatem tranquillum* fecit Dominus; gratias immortales *Deo et Patri qui triumphat nos in Christo Iesu,* qui nobis non modicum hoc largiri dignatus est solatium ut possimus os ad os loqui, et mutuis sublevari et illuminari sermonibus, hoc in sacro conventu, ubi, praesente et adiuvante Deo, quae utilia perfici, quae prava corrigi, quae debilitata corroborari, quae desueta restitui curabimus, ubi tam *bonum* nobis *iucundumque* fuerit congregari *fratres in unum.*

Vos igitur, venerabiles fratres, et simul omnes B qui ex privilegio vel consuetudine ius habent in concilio sedendi, per praesentes litteras hortamur, ac, in quantum opus est, mandamus atque praecipimus ut ad hoc concilium, quod feria secunda intra octavam sancti Lupi Senonensis episcopi, quae dominicam decimam quintam post pentecosten proxime subsequetur, die scilicet 2 mensis septembris celebrandum indicimus, conveniatis, nisi legitime impeditis et excusatis concedatur dispensatio.

Vos etiam rogamus, venerabiles fratres, ut unusquisque propriae cathedralis ecclesiae capitulo praesentis istius indictionis decreti copiam facere dignetur, quo, de episcoporum consensu, si opus fuerit, congregati canonici, aliquem e gremio ad concilium de iure habeant delegatum.

Hoc in nostro provinciali concilio, si placuerit patribus, iuvante Deo, quaedam de hierarchia ecclesiastica, de sacra liturgia, de sacramentorum C administratione, de praecipuis parochorum officiis, de monasteriis et piis congregationibus, de seminariis et studiis levitarum, de tribunalibus ecclesiasticis, de nonnullis ad vitam et honestatem clericorum spectantibus, de utilitate unius in tota provincia pro rudibus edocendis catechismi, fusius disseremus.

Quid restat, venerabiles fratres, nisi ut enixe vos obsecremus: concilium hoc nostrae provinciae in precibus et sacrificiis Deo optimo maximo commendetis: Patri qui „*operatur in nobis velle et perficere*": Filioque eius domino nostro Iesu Christo *sine* quo *nihil* possumus *facere:* Spiritui sancto „*qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei*" ut nobiscum *sit* et nobiscum *laboret*, ut mentes illuminet, corda succendat; utque nostra actio et operatio bene incoepta, bene et feliciter ad exitum perducatur, ad maiorem Dei omnipotentis gloriam, in honorem D beatae et immaculatae virginis matris Mariae, cuius tunc gloriosa recolitur nativitas, sanctorumque omnium, ad utilitatem sanctae ecclesiae, huiusque provinciae fructum peculiarem: ut inde virtutes pietasque promoveantur, ecclesiastici ordinis decus augeatur, plebi christianae salus oriatur; utque nos *evangelio collaborantes in suavitate, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiae a dextris et a sinistris, bonum certamen certantes, reportemus finem fidei nostrae salutem animarum.*

Datum Senonis, in aedibus nostris, sub signo sigilloque nostris ac secretarii nostri generalis chirographo in festo sanctorum apostolorum Petri et Pauli, anno millesimo octingentesimo quinquagesimo, die vero mensis iunii vigesima nona.

† Mellonus, archiepiscopus Senonensis.

De mandato illustrissimi ac reverendissimi domini domini archiepiscopi,

Sicardy, canonicus, secretarius generalis.

## EDICTUM DE CONCILIO SENONENSI.

*Mellonus Jolly, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae gratia archiepiscopus Senonensis, Autissiodorensis episcopus, etc., etc.,*

*Venerabilibus decano* (et) *capitulo ecclesiae nostrae Senonensis, aliisque ecclesiasticis personis, quae de iure, vel consuetudine provinciali synodo interesse debent, salutem in Domino.*

Notum vobis facimus, venerabiles fratres, quod nos, pro nostri muneris officio, necessitatibus ecclesiarum totius provinciae nostrae, iuxta sacrorum canonum praescripta, providere cupientes, provincialem synodum in ecclesia nostra metropolitana Senonensi ad diem secundam mensis septembris, quae, intra octavam festi sancti Lupi Senonensis episcopi, dominicam decimam quintam post pentecosten proxime subsequetur, praesentis anni millesimi octingentesimi, quinquagesimi, decrevimus B habendam et inchoandam; et ad eum finem reverendissimos dominos episcopos provinciae nostrae per litteras ad singulos directas iam evocavimus, ac denuo evocamus.

Proinde vos, venerabiles fratres, hortamur et peramanter vos monemus ut quamprimum duos e gremio vestro viros ad praedictam synodum de iure habeatis delegatos.

Mandantes interim ut hoc praesens edictum nostrum ad valvas tum ecclesiae metropolitanae, tum singularum cathedralium, ut omnibus innotescat, affigatur.

Quod in Dei gloriam et honorem, feliciter, Dei iuvante gratia, cessurum confidimus.

Datum Senonis, die secunda mensis iulii anni 1850, sub signo sigilloque nostris et secretarii generalis nostri chirographo.

† Mellonus, archiepiscopus Senonensis.

De mandato reverendissimi domini domini archiepiscopi,

Sicardy, canonicus, secretarius.

## DE APERIENDA SYNODO.

In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti:

Nos, Mellonus Jolly, ecclesiae metropolitanae Senonensis archiepiscopus, ad laudem et gloriam Dei Patris omnipotentis et salvatoris Iesu Christi domini nostri, ad honorem beatissimae, immaculatae ac semper virginis, Dei genitricis Mariae, sanctorumque angelorum, nec non sanctorum Saviniani, Potentiani, Peregrini, Senonensis et Autissiodorensis regionis apostolorum, aliorumque omnium sanctorum quorum, tum sanguinis effusione, tum virtutibus provincia haec inclaruit, ad Nivernensis, Trecensis et Molinensis ecclesiarum decorem, statuimus D decernimusque, de consilio et consensu reverendissimorum episcoporum comprovincialium nostrorum, hac ipsa die tertia septembris, initium fieri atque ideo factum esse concilii provincialis quod nostra metropolitana auctoritate indiximus et convocavimus: Iesum Christum ecclesiae sponsum humiliter deprecantes, ut quod coepit et ipse dignetur perficere.

## DE MODO VIVENDI IN CONCILIO.

Nos, Mellonus Jolly, misericordia Dei et apostolicae sedis gratia archiepiscopus Senonensis,

Reverendissimos episcopos, fratres nostros, universos et singulos qui in hoc, quod indiximus et iam incoeptum esse modo declaravimus, concilio versantur, pro nostra sollicitudine monemus, hortamur et peramanter obsecramus, ut toto huiusce concilii tempore, nihil de sedulitate sua remittentes, ad eum toto desiderio cordis et mentis affectu

A perfugiant, a quo venit spiritus scientiae et descendit „*omne datum optimum et omne donum perfectum*".

Quocirca, id inprimis habeant omnes summopere sibi commendatum ut, a negotiis saecularibus prorsus abstracti, divinis toti incumbant. Et, si quidem omni tempore oportet episcopos esse irreprehensibiles ac omnimodae sanctitatis exempla praebere, [tunc vero] praesertim cum in synodo ea quae maxime spectant ad vitam iuxta evangelica praecepta informandam, meditantur ac decernunt.

Omnes etiam clericalis ordinis viros monemus, ut, qua par est, vitae innocentia, integritate morum, fide, religione et pietate, sicut luminaria praelucentes, suis orationibus et sacrificiis, mentibus nostris gratiae lumen expostulent, quibus illud nostrum concilium peragi ac finiri prospere impetrent, uti iam impetravimus feliciter inchoari.

Praeterea, huiusce civitatis Senonensis incolas B paterno animo admonemus atque adhortamur, ut christianae pietatis operibus se dedant impensius, poenitentiae sacramento a mundano pulvere contractas sordes eluant, auctori gratiae sacra synaxi sese coniungant, „*eleemosynam in sinu pauperum*" effundant ut ipsa exoret Deum pro nobis.

Contestamur demum in Domino, „*obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones*" fieri[1] pro ecclesia sancta Dei, pro beatissimo papa nostro Pio IX, pro episcopis in hoc concilio congregatis, pro cunctis populis christianis, pro gubernatoribus et caeteris *qui in sublimitate sunt* constituti, ut *quietam et tranquillam vitam agamus*, fruamur pace et fidei videamus incrementa.

Et cum scriptum sit, „*omnia secundum ordinem fiant*,"[2] et alibi *qui recte vivit, Deo vivit*, hanc vitae disciplinam ab omnibus tenendam proponimus:

Hora V matutina, pulsante campana seminarii, C surgemus, orationi mentali, recitationi breviarii, missae celebrationi vacaturi.

Hora VII, pulsante ecclesiae metropolitanae campana maiore, in sacello privato domini domini archiepiscopi celebrabitur missa synodalis, cui interesse debent omnes qui in concilio admittuntur.

Hora VIII cum dimidia, congregationes privatae, quae intra septa maioris seminarii, in aedibus designatis, habebuntur, et hora undecima terminabuntur.

Hora XI cum dimidia, omnes conveniemus in refectorium seminarii ad prandium, quod sacris lectionibus conditum, post visitationem sanctissimi sacramenti, relaxatio sequetur.

Hora XII cum tribus quadrantibus post meridiem, finis relaxationis indicabitur, et unusquisque vacabit recitationi vesperarum cum completorio.

Hora III, congregatio generalis, nisi aliter sta- D tuerint reverendissimi patres. Ob congregationem, indicante campana ecclesiae metropolitanae, conveniunt omnes in sacellum privatum palatii archiepiscopalis.

Hora VII, coena in eodem loco et eadem ratione ac prandium, quam sequitur visitatio sanctissimi sacramenti et relaxatio.

Hora VIII cum dimidia, oratio vespertina communis in capella seminarii.

Nunc vero omnes obtestamur, ut in congregationibus, sive privatis, sive generalibus, unusquisque ad gloriam Dei cum modestia et lenitate animi, opportune, servatoque ordine suam opinionem libere proferat, *prout Spiritus sanctus dabit eloqui*;[3] et quidquid dicatur, sic mitissima verborum prolatione

[1] I Tim. II, 1.
[2] I Cor. XIV, 40.
[3] Act. II, 4.

temperetur ut nec audientes offendantur, nec recti iudicii acies perturbato animo inflectatur, „*non enim in commotione Dominus.*“[1]

Insuper declaramus ac decernimus, quod si forte contigerit aliquem, durante concilio, debito in loco non sedere, nulli propterea praeiudicium generetur, nulli ius novum acquiratur. In qualicumque enim ordine quisque compareat et sedeat, iura illius salva esse volumus.

Denique, sub poenis a iure statutis inhibemus ne quis eorum, qui ad nostrum hoc concilium evocati huc accesserunt, ex hac civitate Senonensi ante dimissam synodum discedere praesumat, nisi discessus causa a patribus cognita, approbata, ac legitimo procuratore suffecto.

Quoniam autem ad huius concilii progressionem nonnulli adiutores et ministri requiruntur, constituimus:

Promotorem: reverendum dominum Nicolaum Roger, vicarium generalem domini archiepiscopi, archidiaconum Aballonensem.

Vice-promotorem: reverendum dominum Marinum Rouchauce, canonicum, capituli ecclesiae Nivernensis decanum.

Secretarios: reverendum dominum Stephanum Chauveau, vicarium generalem domini archiepiscopi, archidiaconum Autissiodorensem, et reverendum dominum Emmanuelem-Iulium Ravinet, capitularem canonicum ecclesiae Parisiensis, vicarium generalem domini archiepiscopi Parisiensis, vices officialis dioeceseos Parisiensis gerentem.

Notarios secretariis adiutores: reverendum dominum Stephanum Rollet, parochum ecclesiae Torigniacensis, et reverendum dominum Augustum

A Puech, ecclesiae Sancti-Saviniani in suburbio Senonensi parochum.

Magistros caeremoniarum: reverendum dominum Adolphum Carlier, canonicum ecclesiae metropolitanae et reverendum dominum Ferdinandum-Gustavum-Adrianum de Conny, officialitatis metropolitanae Parisiensis promotorem.

Adiutores caeremoniarum: reverendum dominum Ioannem-Baptistam Laureau, in seminario minori Autissiodorensi directorem, et reverendum dominum Ludovicum Thomas, ecclesiae Sancti-Theobaldi vicarium.

## DE PROFESSIONE FIDEI.

Cum, iuxta Tridentinum, fides sit humanae salutis initium et fundamentum, ac sine illa, dicente apostolo, „*impossibile* sit *placere Deo,*“[1] primum ac praecipuum munus pastoralis sollicitudinis est illam B integram illibatamque servare fidem catholicam, quam sancta Romana ecclesia colit ac tenet, nobis in votis est ut, in hac provincia, incorrupta sinceraque semper vigeat, et ideo in hoc nostro concilio hinc praecipue exordiendum duximus, ut quae ex eodem spiritu est fides, eamdem una oris confessione profiteamur. Quocirca, sacri concilii Tridentini decretis insistentes, professionem fidei, Pii IV pontificis maximi constitutione praescriptam, a nobis et reverendissimis coepiscopis, caeterisque in hoc concilio insidentibus, palam et publice emittendam decernimus.

*Forma professionis fidei catholicae, apostolicae et Romanae.*

Ego N., firma fide credo etc. [*Vide supra, col.* 36 A - 38 A.]

[1] III Reg. XIX, 11.

[1] Hebr. XI, 6.

# DECRETA CONCILII.

## TITULUS I.

### De hierarchia et de personis ecclesiasticis.

### Caput I.

*De ecclesia et de Romano pontifice ipsius capite.*

Ut inter tot errorum tenebras, fidelibus nobis commissis rectum tramitem ostendamus, quo securi ducantur ad veritatem, ante omnia ipsos rogamus ut oculos dirigant ad civitatem in monte positam, ecclesiam scilicet Dei a Christo in Petro et supra petram fundatam.

Cum igitur per Christum, cui „*data est omnis potestas in coelo et in terra*“[1], condita fuerit ecclesia, meminerint omnes illam esse audiendam non tantummodo docentem, sed etiam praecipientem, eodem Christo contestante: „*Si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus;*“[2] et: „*Euntes, docete omnes gentes ... servare omnia quaecumque mandavi vobis.*“[3]

Doceantur etiam fideles eamdem ecclesiam minime a populis aut principibus, aut ab alia qualibet terrena potestate, sed et ab ipso Christo domino immediate et plenarie proprias praerogativas accepisse propriaque iura, scilicet: docendi omnes gentes, sacramenta administrandi, seipsam regendi, proindeque haec omnia exerceri independenter a cuiuslibet alterius potestatis auctoritate vel permissu; cum, e contra, a primo ad ultimum, quacumque fulgeant dignitate, obsequium ipsi praestare debeant omnes, in iis quae sunt ad salutem, per-

C suasum habentes, hac pia et filiali obedientia suae auctoritati plurimum addi, nedum aliquid detrahatur.

Sed Christus ut unitatem manifestaret, ecclesiamque faceret inconcussam, fundamentum posuit Petrum dicens: „*Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam*[1];“ et: „*Tibi dabo claves regni coelorum*[2];“ et: „*Pasce agnos meos*[3], *pasce oves meas*[4];“ et: „*Rogavi pro te ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.*“[5] Ideo, Romanum pontificem, Petri successorem agnoscentes, ecclesiam Romanam omnium ecclesiarum matrem et magistram profitemur, in qua fides Petri vivit et praesidet numquam defectura, ad quam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem D convenire ecclesiam.

Quocirca, nos provinciae Senonensis metropolitanus et episcopi in concilio congregati, volumus frequenter fidelibus inculcari hoc solemne Florentinae synodi decretum: „*Definimus Romanum pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum pontificem Romanum successorem esse beati Petri, apostolorum principis, et verum Christi vicarium, totiusque ecclesiae caput, et omnium christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem ecclesiam domini nostri Iesu Christi, plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur.*“

[1] Matth. XXVIII, 18.
[2] Ibid. XVIII, 17.
[3] Ibid. XXVIII, 19-20.

[1] Ibid. XVI, 18.
[2] Ibid. XVI, 19.
[3] Ioann. XXI, 15-6.
[4] Ibid. XXI, 17.
[5] Luc. XXII, 32.

Igitur sciant omnes, si qua exoriatur circa fidem A aut mores controversia, Romani pontificis esse *„doctrinas approbare vel reprobare, confutare errores, tenenda determinare,“*[1] tam[2] in iis quae spectant ad disciplinam, eiusdem esse sive leges novas condere, sive antiquos canones redintegrare et urgere, sive eosdem relaxare vel immutare, prout locorum vel temporum necessitas expostulaverit; ideoque, sanctae sedis constitutiones sive dogmaticas, sive practicas, minime a potestatis saecularis placito suam vim ducere agnoscimus.

Nec grave cuiquam iugum videatur, sed suave, per quod sic omnes ad unitatem compinguntur ut ad singulos descendat pastoris supremi sollicitudo, ideoque illud Claraevallensis cuilibet usurpare liceat: *„Tu princeps episcoporum, tu haeres apostolorum, tu potestate Petrus, unctione Christus. Tu, cui claves traditae, cui oves creditae; habent alii sibi assignatos greges singuli singulos; tibi universi cre-* B *diti; uni unus; nec modo ovium, sed et pastorum, tu unus omnium pastor.“*[3]

## Caput II.

### *De episcoporum dignitate et iuribus.*

*„Praeter caeteros ecclesiasticos gradus, episcopos, qui in apostolorum locum successerunt, ad hierarchicum ordinem praecipue pertinere, et positos a Spiritu sancto, sicut apostolus ait, regere ecclesiam,*[4] *eosque presbyteris superiores esse“* declarat sacrosancta Tridentina synodus[5].

Quod igitur in sola characteris sacerdotalis plenitudine reponenda non sit episcoporum, qui canonice instituti et missi fuerunt, praeeminentia, sed etiam in iurisdictione et gubernandi auctoritate manifestum est; quia scilicet, ut ait sanctus Cyprianus, *„scire debes episcopum in ecclesia esse, et ecclesiam in episcopo, et si quis cum episcopo non sit, in ec-* C *clesia non esse.“*[6]

Ad hanc autem episcoporum dignitatem ipsorumque iura commendanda, ipsa plebis christianae necessitas cogit.

Quotidiana enim experientia confirmatur haec Hieronymi sententia: *„Ecclesiae salus in summi sacerdotis dignitate pendet; cui si non exsors quaedam et ab omnibus eminens potestas detur, tot in ecclesiis efficientur schismata quot sacerdotes.“*[7]

Sic autem episcopo certam ac determinatam partem dominici gregis esse creditam intelligendum est, ut ipsi curanda sint non tantummodo ea quae pertinent ad totam dioecesim in communi, sed etiam quae ad uniuscuiusque ovis individuae salutem referuntur.

Ideo sacerdotum cooperatio summe utilis, imo necessaria, eo magis est profutura, quo erga episcopum docilior fuerit et devotior.

Nec quemquam pigeat illum canonem apostolicum prae oculis semper habere: *„Presbyteri et diaconi sine sententia et voluntate episcopi nihil peragant; ipse enim est cui concreditus fuit populus Domini, et a quo de animabus eorum ratio reposcetur.“*[8] Quia vero plura sunt iura episcoporum et amplior dignitas, simul intelligatur gravissimum *et angelicis etiam humeris formidandum onus impositum.* Ideo semper illud prae oculis habeant et clerici et fideles: *„Obedite praepositis vestris et subiacete eis; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes, hoc enim non expedit vobis.“*[1] Rogamus vos, fratres, ut noveritis eos qui praesunt vobis in Domino et monent vos, ut habeatis illos abundantius in caritate[2].

## Caput III.

### *De officiis episcoporum.*

Enumeratis pontificiae dignitatis iuribus, intentam et infixam mentem in haec concilii Tridentini monita episcopi semper habeant: *„Optandum est ut ii qui episcopale ministerium suscipiunt, quae suae sint partes agnoscant, ac se non ad propria commoda, non ad divitias aut luxum, sed ad labores et sollicitudines, pro Dei gloria, vocatos esse intelligant. Nec enim dubitandum est, et fideles reliquos ad religionem innocentiamque facilius inflammandos, si praepositos suos viderint, non ea quae mundi sunt, sed animarum salutem, ac coelestem patriam cogitantes.“*[3]

Magnopere ergo studeant, ut se moresque suos ab omni specie mala temperent et ad omne bonum ordinent, atque ad eam formam quam praecipit apostolus componant, in id potissimum incumbentes ut, non modo sint vita irreprehensibiles, sed in verbo et conversatione, *„forma facti gregis ex animo,“*[4] in divinis negotiis semper sint mancipati, a terrenis alieni, humilitatem et patientiam in seipsis custodire et alios similiter docere satagant. Abundet in eis constantia fidei, puritas dilectionis et sinceritas pacis, et in se exhibeant *„omnem hominem perfectum in Christo Iesu“*[5].

Attamen ipsis, utpote speculatoribus et domus Israël custodibus, non foret satis sibimetipsis attendere, et providere bona coram Deo et hominibus; sciant se in excelso positos, ut vigilantiae munus quod ipsis proprium est, facilius adimplere valeant, in his praesertim quae ad fidem pertinent. Episcopis enim dictum est: *„Depositum custodi;“*[6] ipsorum est ergo ante omnia catholicam fidem episcopali robore tueri, defendere, ac summa cura invigilare ut grex ipsis commissus in ea stabilis et immotus permaneat[7].

Et quoniam non minus in fidei ruinam vergit crassa illa culpabilisque catholicarum veritatum ignorantia, quam earum per haereses et errores depravatio, pari cura huic operi incumbant ut et errores confutentur, et ignorantiae vitium, quantum fieri poterit, extinguatur.

Quoniam autem magna pietas sit, ut ait sanctus Leo, impiorum latebras prodere, episcoporum est D omni opera multiformes inimici hominis insidias et fallacias fideli populo detegere, eumque a pestiferis doctrinis diligenter avertere, ut ea omnia studiosissime devitent quae fidei et morum integritati adversantur.

Nec praetereat episcopos, ad formam sacrorum canonum et praesertim concilii Tridentini[8], mandatum esse omnibus fidelium pastoribus, ut in ecclesiis sibi commissis assidue resideant, quo facilius et commodius sibi subiectos regere, et omnibus muniis suis satisfacere valeant, nisi absentiam

[1] Conc. prov. Senonensis 1394 (?).
[2] Fortasse *tum*.
[3] S. Bern., *De consid.*, l. II, c. 8. opp. s. Bern., ed. Migne, I, 751.
[4] Act. XX, 28.
[5] Trid., sess. XXIII, *de sacr. ord.*, cap. 4.
[6] Epist. 69, *ad Florent. Puppian., de obtrect.*, opp. s. Cypr., ed. Baluz., pag. 123.
[7] Adv. Lucifer., n. 9, opp. s. Hieron., ed. Migne, II, 165 A.
[8] Can. apost. XXXII, edit. Coleti, tom. I, p. [illegible] [vel [illegible]].

[1] Hebr. XIII, 17.
[2] S. August.
[3] Sess. XXV, *de ref.*, cap. 1.
[4] I Petr. V, 3.
[5] Coloss. I, 28.
[6] I Tim. VI, 20.
[7] Bened. XIV.
[8] Sess. VI, *de ref.*, cap. 1; sess. XXIII, *de ref.*, cap. 1.

suam legitima requirat causa, quae a sacris canonibus probata sit.

Sed illud primum eos admonendos censet sacrosancta Tridentina synodus, ut se pastores et patres esse meminerint, et ita subditis praeesse, ut non in eis dominentur, sed illos tanquam filios et fratres diligant. Quos tamen, si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, arguant, obsecrent, increpent „*in omni bonitate et patientia*“.[1] Quia vero, ut aiunt eidem patres Tridentini, christianae reipublicae non minus necessaria est praedicatio evangelii quam lectio, et hoc est praecipuum episcoporum munus, statuit et decrevit eadem sancta synodus, „*episcopos et omnes alios ecclesiarum praelatos teneri per se ipsos . . . ad praedicandum sanctum Iesu Christi evangelium. Si vero contigerit eos legitimo detineri impedimento, . . . viros idoneos assumere teneantur ad huiusmodi praedicationis officium salubriter exsequendum.*“[2] Quinimo, cupiens[3] B eadem sancta synodus illud ministerium, quo frequentius possit, ad fidelium salutem exerceri, obsecrat episcopos haec Senonensis provinciae synodus, ut praedicationi verbi constanter invigilent; ipsamque ita peragi curent per rectores animarum, ut plebs ipsis commissa divinis praeceptis in iudicio et veritate salubriter pascatur.

Cum autem omnibus debitores sint episcopi, sapientibus et insipientibus, doctis et indoctis, eosdem hortatur vehementer haec synodus, ut ad fideles suos omnes animum intendentes, ad singulas visitandas parochias accedant per seipsos, aut per delegatos, si ipsi legitime impediti fuerint. Sed neque satis sit episcopo dioecesim perlustrare; restat illud enixe ab ipso perficiendum ut, quae in visitationibus constituenda vel emendanda decreverit, vere in effectum, tempore opportuno, adducantur.

Constanter etiam servent episcopi salutarem illam C consuetudinem convocandi suae dioecesis presbyteros, ut in spirituali secessu piis exercitiis per aliquot dies vacent; ibi recte sancteque vivendi formam, et quae sunt pastoralis officii munia, vel per se, vel per conspicuos sacri eloquii praecones, in memoriam revocare curabunt.

Peculiari insuper sollicitudine provideant episcopi, ut quotannis, determinato tempore, synodus dioecesana habeatur; in hoc pio conventu, antiqua renovare statuta et nova etiam condere satagant, quae ad abusus tollendos, defectus reparandos, excessus reprimendos et disciplinae ecclesiasticae vigorem fovendum, magis apta iudicaverint.

Verum, inter multiplices gravesque episcoporum obligationes, nulla maior quam seminariorum cura ipsis cordi esse debet. In his nempe ecclesiasticis scholis spes sacerdotii tota reponitur. Sed quo uberem lautissimamque[4] christianae reipublicae segetem D seminaria tum maiora, tum minora proferant, ea interdum invisant, ac singulorum alumnorum indolem et mores, atque in pietate et studiis profectum, ad sancti Caroli exemplar, paterne explorent.

Caveant etiam summopere, iuxta apostoli praeceptum, ne *cuipiam cito manus* imponant, sed eos tantum sacris initient ordinibus qui, accurate explorati, et virtutum ornatu, nec non scientiae profectu commendabiles, spem afferunt se utiliter ecclesiae inservituros.

Illud quoque non minoris est momenti, ut iis animarum cura committatur, qui, iuxta Tridentinum, doctrina, pietate, et praeclaris bonorum operum exemplis, gregi sibi commisso praelucere, atque A dominicum agrum diligenter valeant excolere. Igitur, ad parochiale officium obeundum eligantur ii tantum qui ad Christi fidelium regimen, merito videntur aptiores; melius est enim profecto, secundum effatum Benedicti XIV, pauciores habere ministros, sed probos, sed idoneos atque utiles, quam plures qui in aedificationem corporis Christi nequicquam sint valituri.

Praeterea, cum nihil sit quod magis conferat ad conservandam augendamque inter populos vitae christianae rationem, quam pia puerorum educatio, curabit episcopus, ut parentes admoneantur saepe saepius de stricta obligatione ipsis imposita, in hac parte, legibus naturae simul et religionis; nihilque omittat ut in sua dioecesi instituantur et multiplicentur scholae, in quibus, una cum litteris humanioribus et artibus liberalibus, scientiam religionis christiana iuventus edoceatur[1].

Quod si charitas, quae est perfectio legis, omnium fidelium et maxime sacerdotum mentes accendere debet, quanto magis episcoporum? Sint ergo in pauperes et peregrinos, omnesque indigentes, propter nomen Domini, affabiles et misericordes *(pontificale Romanum)*; nullusque praesuli titulus carior sit et potior quam pauperum advocati nomen et patroni[2].

## Caput IV.

### *De metropolitano.*

Archiepiscopalem dignitatem quasi novo splendore illustrat conciliorum provincialium instauratio. Monitos ergo volumus clerum et fideles nequaquam inanis tituli gratia institutam a primaevae ecclesiae saeculis fuisse metropolitanam dignitatem, variisque auctam praerogativis, sed ad totius provinciae bonum, ut scilicet commune existat vinculum per quod colligentur illi qui communes, ut plurimum, habent necessitates; et secundum canones aliquis existat qui possit indebite omissa supplere, appellationes in casibus a iure statutis suscipere, opemque benignam illis praestare qui se laesos putant, demum fidei et disciplinae illibatae conservationi in provincia sollicitius invigilare.

## Caput V.

### *De vicariis generalibus, archidiaconis et decanis ruralibus.*

„*Cum saepe contingat, quod episcopi, propter suas occupationes multiplices, vel occasiones alias, per se ipsos non sufficiant ad omnes muneris sui partes, maxime per amplas dioeceses et diffusas, ideo mandat Lateranense concilium quartum, ut episcopi viros idoneos assumant, potentes in opere et sermone, qui plebes sibi commissas, vice ipsorum, cum per se idem nequiverint, sollicite visitantes, eas verbo aedificent et exemplo.*“

Instituuntur vicarii generales, ut in omni foro voluntario episcopum repraesentent, eumque, si necessarium fuerit, suppleant. Unde fit ut nusquam proprio, sed praesulis nomine cuncta peragant, moraliter enim una persona cum praesule efficiuntur. Cum igitur in iis, quibus demandata est, auctoritatem propriam quadam observantia exornent ipsi episcopi; multo magis convenit ut caeteri omnes presbyteri episcopum in vicariis generalibus revereantur, iisque honorem praestent et obsequium. In choro et extra post episcopum primum locum obtinent, et episcopi impediti vicem in festis solemnibus supplent.

[1] Sess. XIII, *de ref.*, cap. 1.
[2] Sess. V, *de ref.*, cap. 2.
[3] Fortasse cupit . . . ideo obsecrat etc.
[4] Fortasse lautissimamque.

[1] Conc. Romanum [Mansi, *Conc.*, XLIII, 691 C].
[2] Conc. Romanum [Mansi, *Conc.*, XLIII, 692 A].

Permultorum episcoporum vestigiis inhaerentes, A statuimus unamquamque dioecesim maiores partes habituram super quibus constituantur, sicut oculi episcoporum, vicarii generales, nomine et munere archidiaconorum generaliter insigniti; sub archidiaconis certus archipresbyterorum vel saltem decanorum ruralium numerus, qui, iuxta mentem concilii Tridentini, caeteris invigilant parochis, sive illi sint titulares, sive tantum amovibiles.

Decani igitur caeteris presbyteris mandata episcoporum, sacraque olea transmittunt, certorum negotiorum rationem accuratam excipiunt et referunt; ipsorum est etiam sive parochos in possessionem mittere, sive iisdem aegrotantibus sacramenta ministrare, sive demum defunctorum exequias celebrare; sacerdotales congressus et collationes dirigunt, custodiendis ecclesiasticae disciplinae regulis invigilant, ecclesias visitant aliaque adimplent quae statutis dioecesanis determinantur.

Visitationum autem istarum scopus est sanam orthodoxamque doctrinam inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus et admonitionibus ad religionem, pacem innocentiamque conducere; caetera, prout locus, tempus et occasio feret, ex visitantium prudentia, ad fidelium fructum constituere; quo facilius feliciusque succedant, monentur praedicti omnes et singuli ad quos visitatio spectat, ut paterna caritate, christianoque zelo omnes amplectantur.

Non ut molesti exploratores excipiantur, sed ut amici et fratres; accusationes haud facile excipiant, sed maturo et districto examine perpendant, quas saepius contra presbyteros confingit impietas, accipit credulitas, disseminat malignitas. Ab omni vero humana consideratione alieni, testimonium reddant fideliter, unice gloriam Dei et ecclesiae bonum intendentes.

De caetero, visitationis factae infra mensem episcopo rationem reddere, et integra acta ei exhibere tenentur.

Declaramus enumerata munia tali vel tali personae indissolubiliter annexa neutiquam esse, sed eadem episcopum posse cui libuerit committere, quinetiam eadem auferre, aut ad arbitrium restringere.

## Caput VI.

### *De capitulis et canonicis.*

Certissimum est capitula ad illud inprimis esse constituta ut publicas preces nomine ecclesiae persolvant, et cunctis rite psallendi ac divina officia peragendi normam praebeant. Hoc igitur sacrum munus magni pretii faciant canonici, siquidem, dum sunt orationi instantes, non minus ecclesiae utilitati inserviunt quam si muniis pastoralibus darent operam. Dei igitur caritate et religionis cultu commoti, ad chorum conveniant, ut attente, studiose, rite et pie, divinas laudes concelebrantes, illud ex animo concinant: „*Voluntarie sacrificabo tibi et confitebor nomini tuo, quoniam bonum est.*" [1]

Canonici episcopo celebranti, aut alia pontificalia exercenti, assistant et inserviant; quin etiam ea sint animi promptitudine, reverentia et obsequio, ut sese praesulibus utiles, consilio, aliave opera praebeant.

Ea polleant morum integritate, doctrina, rerum hominumque experientia ut, secundum concilii Tridentini dictum, ecclesiae senatus merito dici possint [2]. Ideo, sic omnia disciplinae officia adimpleant, ut canonice, nempe ad normam legum ecclesiasticarum, congruenter vivant.

Porro decet summus pontifex Romanus Benedictus XIV [1], „*sacrorum canonum sanctionibus praecipi, ut, singulis diebus in ecclesiis cathedralibus, tum horas canonicas debitis modo et forma recitentur, tum etiam missa conventualis celebretur,*" quam pro benefactoribus in genere esse applicandam ibidem monet pontifex.

Et illa quidem sunt iure communi constituta: sed ea fideliter in omnibus retineri non permisit hucusque, nec adhuc permittit in nostris ecclesiis sive paucior canonicorum numerus, sive etiam tenuis rerum copia; ac propterea ad sanctam sedem pro opportuna utriusque oneris reductione erit recurrendum.

Quae cum ita sint, declaramus ab unoquoque nostrum post huiusce concilii promulgationem, faciendam esse accuratam revisionem statutorum capitularium per capitulum conficiendorum ut, scilicet, B ea constituantur quae magis erunt opportuna, retenta religiose sacrorum canonum observantia, habita etiam usuum et laudabilium consuetudinum antea vigentium ratione, prout praesentibus accommodantur circumstantiis.

Interea, illud fieri praecipimus ut bis in unaquaque die canonici qui non fuerint legitime impediti ad chorum conveniant, tum ut intersint missae conventuali, tum ut certam partem publici officii canant aut recitent, obtenta apostolica venia supra reductione choralis servitii, quatenus ex integro satisfieri eidem non possit.

Assidue igitur resideant, et secundum concilii Tridentini legem: „*Non liceat vigore cuiuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem ecclesiis, quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt* [2]." Caveant canonici ne C simultanee eo absint numero, quo impediatur assidua et conveniens officiorum celebratio.

Provisi de canonicatu, secundum Tridentinam legem, fidei catholicae professionem, iuxta formam a Pio papa IV praescriptam, coram episcopo vel eius vicario seu officiali et capitulo, faciant, quando possessionem adipiscuntur.

Sede episcopali vacante, sic ad capitulum dioecesis administratio et iurisdictio transferuntur, ut infra octo dies, teneatur constituere vicarium, aut, secundum receptum in Galliis morem vicarios plures, non eo tamen numero id fiat, ut ipsummet et per se dictam iurisdictionem exercere videatur.

Caeterum, in praefata statutorum capitularium revisione, ea omnia decernentur quae pertinebunt sive ad capituli singulorumque canonicorum iura, sive ad dignitates officiave et eorumdem praerogativas, sive ad coetus capitulares, quorum aliis D episcopus per se vel per vicarium generalem praeerit, alii vero libere haberi poterunt, certis sub conditionibus, quarum praecipua debet esse ut resolutiones capituli episcoporum approbatione in casibus a iure statutis sanciantur.

## Caput VII.

### *De parochis, vicariis, capellanis et presbyteris sine titulo in parochiis degentibus.*

Quam grave et veneratione dignum sit parochorum munus, satis indicant haec sacri concilii Tridentini verba: „*Mandat sancta synodus episcopis, pro tutiore animarum sis commissarum salute, ut, distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent, qui eas cognoscere valeat et a quo licite*

[1] [illegible]

[1] Bulla Sollicit. [illegible]

*sacramenta suscipiant, aut alio utiliori modo* . . . A *provideant* [1]."

Sic igitur parochus commissam sibi plebem pastorali suscipiat affectu, ut intelligat suum esse munus, secundum Gersonii verba, „*purgare per correptionem, illuminare per praedicationem, et perficere per sacramentorum administrationem*." Cum omnes parochi subesse debeant episcopo, sedulo caveant ne fines praefixos praetergrediantur: nec fideles ullo modo inquietent circa ea quae sunt ab episcopis concessa aut statuta.

Meminerint parochi teneri ad oblationem missae pro populo singulis diebus festis etiam suppressis anno 1801, nisi apostolicam dispensationem obtinuerint.

Vicarii parochiales ideo sunt constituti, ut parochum iuvent, eiusque vices suppleant. Nihil proinde peragant quod non a parocho fuerit commissum aut indicatum.

Capellani seu eleemosynarii non quidem parochi sunt; sed, in quibusdam, parochis assimilati certa et determinata munia exercent. Cum autem privilegia non sunt extendenda, ab eis observetur id quod fuerit ab episcopis ordinatum; caveantque ne iurisdictionem aliave iura parochialia usurpent in eas personas quae non sunt de familia sibi concredita.

Presbyteri quibus nullum speciale officium commissum fuerit, modo sint ab episcopo approbati, semetipsos paratos exhibeant, sive ad confessiones audiendas, sive ad caetera munia obeunda de consensu parochorum. Caeterum reverentia erga parochos, assidua in divinis officiis praesentia, denique omnium virtutum exemplo, fidelibus se praebeant commendabiles.

Quoad sacerdotes senectute aut aliqua infirmitate gravatos, cum solatio et subsidiis maxime indigeant, huic necessitati sublevandae iam opportuna C conati sumus adhibere remedia, *aerarium* scilicet instituendo, quod ex consacerdotum voluntariis oblationibus praecipue conflaretur. Congratulantes igitur illi quam affectu comprobaverunt promptae voluntati, fratres nostros carissimos ac filios adhortamur, et etiam per viscera misericordiae Christi obsecramus, ut quod fieri coepit et facto perficiatur: „*Ostensionem ergo quae est caritatis vestrae, et nostrae gloriae pro vobis, in illos ostendite in faciem ecclesiarum* [2]."

### Caput VIII.

*De auditorio episcopali ac metropolitano.*

Quoniam episcopum decet patrem se magis quam iudicem praebere; quoniam insuper episcopi innumeris propemodum negotiis vacare tenentur: in unaquaque nostrae provinciae dioecesi, auditorium episcopale constituatur, quod de causis ad D contentiosam iurisdictionem pertinentibus agnoscat, delicta clericorum inquirat, examinet ac etiam canonice coerceat.

Officialis itaque ab episcopo eligitur qui, episcopi nomine, causas instruere, testes audire, sententiasque ferre valeat; adiunctis etiam assessoribus, caeterisque ministris, quorum numerum et officia episcopus determinabit.

Nulla causa ad hoc forum deferri poterit et in eodem expendi absque iussu aut consensu episcopi. Serventur vero ad amussim omnes regulae canonum, sive circa citationem, sive circa causae discussionem, sive circa sententiam, sive etiam circa poenas infligendas, prout natura causarum et temporum circumstantiae permiserint.

Ab officiali episcopali dabitur appellatio ad metropolitanum vel ad Romanum pontificem. Appellatio autem non suspensivum, sed devolutivum effectum habebit, exceptis casibus a iure determinatis.

Canonicis legibus prohibitum est, ne in rebus ad forum ecclesiasticum pertinentibus ab auditorio episcopali ac metropolitano recurratur ad forum saeculare.

Caeterum, salva remanet potestas quae competit episcopo extraiudicialiter inquirendi et sententias ferendi ex informata conscientia.

Si, ob delicti gravitatem, virga opus fuerit et acriora adhibenda fuerint remedia, tunc opera detur ut rigor mansuetudine, iudicium misericordia, severitas lenitate temperetur.

Insuper, requiritur ut in metropolitana ecclesia unum etiam instituatur auditorium, ad quod de- B ferantur iuridicae appellationes a iudiciis suffraganeorum officialium.

## TITULUS II.

**De fide, de erroribus praesentis aevi, atque de librorum examine.**

### Caput I.

*De fide.*

Quoniam, docente apostolo, „*fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* [1]," et iuxta Tridentinum, totius humanae salutis initium fundamentum et radix, omnis iustificationis, *sine qua impossibile est placere Deo* [2]; nos agnoscentes quot et quanta impietas in fidem Dei quotidie moliatur, id nobis praecipuum videtur, si ab exordio providemus ut omnia quae fidei sunt Christi fideles apprime edoceantur.

Quapropter, mandamus omnibus nostrae provinciae presbyteris commilitantibus nobis in Christo, quatenus doctrinam verae fidei iuxta verbum Dei, sanctum Iesu Christi evangelium, apostolicae Romanaeque ecclesiae traditionem teneant et sequantur, *in omnibus sumentes scutum fidei in quo possint omnia tela nequissimi ignea exstinguere* [3], et fidelium mentes contra impiorum artes et effraenos impetus praemunire.

Praeterea, attentis quae hodie non solum ut cancer serpunt, sed audacius attolluntur, erroribus, plura iudicavimus esse notanda quibus aut ab errore avertantur fideles, aut iam animo conceptum noverint depellere.

### Caput II.

*De erroribus praecipuis praesentis aevi.*

Sane non diffitendum vere *apertum esse puteum abyssi*, et homines *in peius proficientes*, eo devenisse, ut, omni seu divina, seu humana postposita auctoritate, seipsos sibi magistros constituerint: hinc in humanis, opinionum sibi invicem pugnantium colluvies, commenta portentosa, *dissensiones, seditiones, rixae*, perturbationes, et *his similia*, quibus ius omne et potestas aut concuti videntur aut funditus evelli; hinc, plurima etiam de divinis erronee excogitata, totam ipsam religionem et ipsum religionis fundamentum, fidem scilicet, labefactantia.

Igitur, pro officio damnat haec nostra synodus et damnare intendit inprimis nefandum istum et omnium errorum principem et caput *rationalismum*, ut aiunt; quo homines verbum Dei et *sanam* ecclesiae *doctrinam* non sustinentes, nullam credendi et

[1] Sess. XXIV, *de ref.*, cap. 18, versus finem.
[2] II Cor. VIII, 24.

[1] Hebr. XI, 1.
[2] Hebr. XI, 6.
[3] Ephes. VI, 16.

agendi normam, nisi sensum unicuique proprium A agnoscunt et proclamant.

Ex hoc venenato et inexhausto fonte manasse deprehenduntur et quotidie manare tot inaudita usque nunc, simul et impia systemata, quae omnia suadeque facere moliuntur et irremediabiliter opprimere.

Quorum praecipua, a nobis recensenda, denuntianda et profliganda, haec sunt:

*Pantheismus* sive spiritualis sive materialis, quo Deus est omnia et omnia Deus; ita ut Deus *solus Dominus, creans coelos et formans terram et omnia quae in eis sunt, tribuens omnibus vitam et inspirationem, et omnia; cuius est gloria quam alteri non dabit:* iam sit finitus simul et infinitus, spiritus et materia, *universale* illud *ego*, ut aiunt, et *substantia universalis*, creator et creatura, ac proinde nihil.

*Naturalismus*, qui, postquam Deus *maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec* efficia- B mur *divinae consortes naturae*[1], hominis ad statum supernaturalem ordinationem, et etiam huius ordinationis possibilitatem non erubuit abnegatam[2].

*Mythismus*, audaci cuius et mirum in modum ementita interpretatione, patriarcharum, prophetarum, salvatoris etiam nostri Iesu Christi et apostolorum vita, *actus*, miracula, ad figuras inanes redacta penitus evanescunt; quasi homo Deus, *cuius diem desideravit Abraham videre, vidit et gavisus est, de quo locuti sunt Moyses et prophetae et psalmi*, vere *parvulus nobis* non *natus fuerit*, vere *nostros* non *tulerit languores*, vere *inclinato capite* non *emiserit spiritum*, non *surrexerit vere et apparuerit Simoni*, nec apostolis verum corpus suum praebuerit, sed phantasma, palpandum.

*Indifferentismus*, iuxta quem omnes omnino religiosae societates aequaliter verae, aequaliter falsae, aequaliter Deo gratae nuncupantur et hominibus C proficuae, monente frustra Domino, „*ego sum via et veritas et vita;*“[3] unde necessario evenit plerosque religionem omnem abiicere; alios, servato Christi fidelium nomine, plurima tamen et ad credendum et ad agendum proposita contemnere *dividentes Christum*, et ad illud non attendentes: „*Qui offendit in uno, factus est omnium reus.*“[4] De quibus Psalmista: „*Salvum me fac, Domine, quoniam diminutae sunt veritates a filiis hominum.*“[5]

*Materialismus*, qui totum hominem ad *merum organismum* revocans, *hunc ad similitudinem Dei* conditum eo ignominiae detrahit ut, anima, fine, dignitate penitus omissis, *homo comparetur iumentis insipientibus et similis fiat illis;* cuius igitur *cor cinis, spes terra, vita ludus, Deus venter est*, et *lucrum undequaque acquirere etiam ex malo* suprema lex, summa sapientia, unica felicitas.

*Communismus*, sub quacumque forma vel nomine, D cuius inter sequaces alii ad perditionem depravant evangelicae perfectionis consilia et illa totidem esse praecepta, sub Deo optimo, iusto et provido necessaria mentientes affirmant; alii non erubescunt praedicare finem hominis ultimum in hac vita sistere, et omnibus ad terrenam felicitatem, spretis etiam societatis legibus aeternis, aequale ius natura inesse; sicque illud a se et a populis miserabiliter deceptis proiicientes: „*Non furtum facies, non concupisces domum proximi tui, non uxorem, non argentum, nec omnia quae illius sunt,*“[6] sub specie bonorum aequationis nihil nisi omnimodam servitutem et miseriam foedamque promiscuitatem et facinorosa latrocinia praetentant.

Quae insania forsan tam multi non meditati fuissent et locuti, nec tam multi accepissent, si melius intelligeretur et ad praxim reduceretur ab omnibus illud Christi: „*Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem sicut dilexi vos.*“[1] Fideles igitur exhortamur ut, viscera misericordiae induti, domos pauperum visitent, verbis piis fraternoque affectu dolores eorum leniant, apertiori manu tribuant quo subleventur: matres, pueros, senes, opifices adiuvent et ament. Hoc sane modo melius revivisceret aegra admodum et infirma societas, quae, deficiente in dies caritate, pene deficit, et quae, per hanc solam in pluribus redivivam, convalescere potest.

*Pseudochristianismus* denique, id est, illa huc usque inaudita impietas, quae sacrosancta dogmata, evangelica dicta, verba ecclesiae usu sancita, ad sensus et usus profanos, sed et criminosos perversa hypocrisi detorquens, quin ipsum salvatoris Iesu Christi nomen, sacrilega quadam audacia usurpans, Dominum nostrum sibi vindicat, hodiernisque sectariis antesignanum blasphemare non refugit.

Quos omnes supradictos errores et alios quoscumque ex his scaturientes, scripturae sacrae, ecclesiae doctrinae, documentis patrum, doctorum testificationibus, intimisque mentis humanae sensibus tam aperte contrarios, nec non religionis et societatis bono imo et existentiae plus minusve infensos, quis non videat omnino damnandos et reprobandos, sicuti reapse damnamus et reprobamus? *Rogantes per Deum et in visceribus Christi obsecrantes* omnes huius provinciae fideles, quatenus se ab emptione, venditione, lectione, conservatione librorum in quibus huius modi errores continentur, penitus abstineant et a subditis curent abstineri.

## Caput III.

### *De librorum examine.*

Cum episcopi sint fidei iudices, doctrinae ac morum integritatis custodes et defensores, certum est officii sui esse libros examinare, noxios prohibere et condemnare, utiles commendare et propagare.

Propterea, iure cautum est ne libri typis demandentur et ad usus publicos in lucem prodeant, nisi prius ab episcopis aut eorum delegatis examinati fuerint, quo populus ipsis commissus cibo salutari pascatur, non autem lethifero inficiatur.

Quae cura episcopis praecipue incumbit circa libros de rebus sacris tractantes, vetante Tridentina synodo ne imprimantur aut vendantur libri de sacris rebus, nisi prius examinati probatique fuerint ab ordinario[2].

Sed propter improbitatem temporum, cum has sapientissimas sanctae matris ecclesiae leges urgere nullatenus in promptu sit, facilius ad obsecrationem quam ad imperium inclinantes, omnes Christi fideles exhortamur ut in seligendis libris profanis, quando opus erit, consilium exquirant a viris doctrina et religione conspicuis, libros autem de rebus sacris non legant nisi ab ecclesia approbatos.

Verumtamen, iuxta mentem ecclesiae, prohibendum censet haec synodus ne quis in fidem proponat prophetias, visiones, miracula sive ad rem politicam, sive ad futurum ecclesiae statum, sive ad alia eiusmodi spectantia, absque recognitione et probatione ordinarii.

[1] II Petr. I, 4.
[2] Fortasse *abnegare*.
[3] Ioan. XIV, 6.
[4] Iacob. II, 10.
[5] Ps. XI, 2.

[1] Ioan. XIII, 34.
[2] Sess. IV, decret. *de edit. et usu sacr. libror.*

Quoad viros ecclesiasticos autem, ipsis expresse A inhibitum volumus ne librum ullum aut scriptum quodcumque fidem aut mores respiciens, absque ordinarii praevio examine et permissu quam citius et gratis impertiendo, typis mandent, in quo exhibeantur et proponantur fidelibus religionis dogmata aut historia, ad scholarum et catechismorum usum, aut orationum formulae aut cantica spiritualia, indulgentiae novae, praxes devotionis, aut tandem novorum miraculorum non rite recognitorum narrationes.

## TITULUS III.

### De sacramentis et de cultu divino.

#### Caput I.

*De sacramentis.*

Sacramenta novae legis septem sunt fontes Salvatoris unde hauriuntur *aquae vivae salientes in vi-* B *tam aeternam*. Per illa, ut ait concilium Tridentinum, „*omnis vera iustitia vel incipit vel coepta augetur, vel amissa reparatur*."[1]

In se continent spiritalem alimoniam simul et medelam, pro vario hominis statu et multiplici morbo, ab ipso vitae exordio, usque ad extremum agonem accommodatam. Unde praecipuum pastorum munus est docere populos sibi subditos de institutione, utilitate, necessitate, efficacia sacramentorum, eisque simul fidem, reverentiam, pietatem et omnes dispositiones instillare, quarum defectu non tantum sine fructu, sed saepe cum gravi peccato reciperentur.

Et cum pia mater ecclesia in solemni sacramentorum administratione quosdam ritus et caeremonias adhiberi mandavit, praecipimus omnibus animarum rectoribus ut illa non solum diligenter, sed etiam summa cum animi attentione et religione observent, C nihil omittentes, nihil mutantes; in ipsorum etiam sacramentorum administratione manus puras ab omni simoniae labe et avaritiae suspicione continentes. Omnia tam decenti gravique actione peragantur, ut adstantium mentes ad coelestium cogitationem erectae, rem divinam agi facile intelligant.

#### Caput II.

*De baptismo.*

Baptismus est sacramentorum ianua sicut christianae religionis et aeternae vitae. In illo rite administrando summam adhibeant diligentiam sacerdotes.

Prohibemus ne sacramentum hoc solemniter privatis in aedibus conferant; nec etiam extra mortis periculum illud absque caeremoniis *(ondoyer)* administrare praesumant, sine episcopi licentia scriptis mandata, quae non concedetur nisi gravibus de D causis.

Unus ad summum patrinus et una matrina infantem e sacro fonte suscipiant ad formam sacri concilii Tridentini, sess. XXIV, cap. 2, *de reform. matrim.* Neque ad hoc munus admittantur infideles, haeretici, excommunicati denuntiati et interdicti, aut publice criminosi, nec qui civili tantum contractu adunati, matrimonium coram ecclesia inire nolunt. Non idonei iudicentur, saltem ordinarie, nisi unus aut alter ad primam synaxim accesserit. Vetamus ne illo munere fungantur monachi, sanctimoniales, et clerici saeculares absque nostra speciali licentia.

Infantes expositi baptizentur, sine conditione quidem, si nulla secum habeant collati baptismi indicia; sub conditione vero, si dubia tantum et non omnino certa deprehendantur; idem faciendum, si baptizaverit obstetrix, et, facta inquisitione, aliquis sit dubio locus.

Quoad eos qui ab haereticis baptizati fuerint, sub conditione baptizentur, nisi constet rectam baptizandi formam servatam esse. Saepe exponant pastores parochianis suis ritus baptismi essentiales et inprimis satagant ut eos probe calleant obstetrices, quibus baptizandi necessitas ex officio saepe saepius incumbit.

#### Caput III.

*De confirmatione.*

Expedire duximus pueros ad confirmationem generaliter non admitti nisi post primam communionem, confidentes eos tunc intelligentia, doctrina et pietate magis probatos, certiorem inde et uberiorem fructum esse percepturos.

Provideant parochi ut fideles, tanti sacramenti excellentiam et dignitatem edocti, rite illud suscipiant, et ad gratiam eius fovendam atque amplificandam efficaciter inducantur. Nomina autem patrinorum et episcopi describantur in regesto ad formam ritualis.

Moneant ut omnes confirmandi adsint, incipiente caeremonia, neque exeant nisi post benedictionem episcopi.

#### Caput IV.

*De eucharistia.*

Nullum sacramentum est illo salubrius quo purgantur corda et illuminantur, virtutes augentur, et mens omnium spiritualium charismatum abundantia impinguatur.

Doceantur assidue fideles de summo ineffabilis huius sacramenti pretio, de exhibenda illi adoratione, eadem quae vero Deo debetur, de desiderio consequendi tot tantasque inde profluentes gratias, de reverentia et sanctitate quibuscum ad illud accedendum est.

Enixe adhortandi sunt Christi fideles ut frequentius, pro cuiusque maiori devotione et perfectione, ac, saltem in solemnioribus festis, ad sacram mensam pie accedant.

Iuxta antiquam ecclesiae consuetudinem, sancta eucharistia administretur, quantum fieri potest, intra missarum solemnia, potius quam ante vel post missae celebrationem.

Pastores, in praeparandis ad primam communionem pueris, omnem curam et diligentiam impendant ut illi christiana doctrina imbuti, morum disciplina informati, toga innocentiae conservatae vel reparatae induti, probati et digni ad mensam Domini admittantur.

Quoad aetatem admissionis et tempus per quod fieri debent catecheses, stricte adimpleantur statuta cuiusque dioecesis. Expresse prohibemus, ne ullus pastor vel sacerdos puerum externae parochiae ad primam communionem, sine proprii parochi aut episcopi licentia admittat.

Ante sanctissimum sacramentum lampas diu noctuque luceat et ardeat, nisi pro tempore episcopus, ex indulto sedis apostolicae, dispensaverit.

Viaticum summo studio et diligentia deferatur aegrotis, nec denegetur nisi ob gravissimas causas.

Potest quandoque dari sacra eucharistia amentibus, si lucida habeant intervalla; surdis et mutis, si possint in fidei elementis erudiri, nullusque sit irreverentiae timendae locus. In dubiis casibus consulatur episcopus.

Pueris gravi et periculoso morbo decumbentibus concedatur, modo sufficienter edocti corpus Christi a vulgari cibo discernant.

[1] Sess. VII, *de sacram.*, prooem.

Illi qui capite damnati sunt sacris mysteriis non A iudicentur semper indigni, sed ad suscipiendam eucharistiam admittantur, si vere poenitentes sint et nihil indecorum timendum sit sacramento.

De caetero, pastores non facile arceant etiam peccatores a sacramentis et inconsideratae repulsae scandalum praecaveant. Quoties eventuram illam denegandi occasionem praevidere poterunt, nulla interposita mora, episcopum consulant, nihilque, quoad per tempus licebit, illius iniussu statuant vel etiam moliantur.

## Caput V.

### *De sacramento poenitentiae.*

Sacramentum poenitentiae Christus dominus instituens dixit: *„Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt.“* [1] Voluit ergo in ecclesia esse sacramentum in quo contritis, confessis et ad satisfactionem paratis B remitterentur omnia peccata post baptismum commissa. Quod apprime declarans, docet sancta synodus Tridentina sacramenti poenitentiae formam, in qua praecipue ipsius vis sita est, his ministri verbis exprimi: *Ego te absolvo*, etc. Sunt autem quasi materia huius sacramenti ipsius poenitentis actus, nempe contritio, confessio et satisfactio; cuius sacramenti effectus, reconciliatio est cum Deo, quam praeterea interdum in viris piis et cum devotione hoc sacramentum percipientibus, conscientiae pax ac serenitas, cum vehementi spiritus consolatione consequi solet.

Quamobrem, non satis deflere possumus hanc exitiosam fidelium indifferentiam, qua salutis curam parvipendentes, et tantum charitatis Christi beneficium despicientes, nunquam aut non nisi raro ad salutiferum hunc gratiae fontem accedunt.

Igitur non possumus quin vehementius horte- C mur omnes Christi fideles ut saepe saepius poenitentiae sacramentum suscipiant; ad minus memores sint huius praecepti concilii generalis Lateranensis quarti: *„Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti.“* Quod ut facilius praestare queant, volumus et declaramus eos annuae confessionis praecepto satisfacere, qui peccata sua cuilicet sacerdoti ad confessiones excipiendas approbato confitentur, ita ut ea de re nemo debeat inquietari, non obstante qualibet alia consuetudine.

Quamvis presbyteri, in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant, nullus tamen potest confessiones audire, nisi aut parochiale beneficium, aut approbationem ab episcopo obtineat.

Episcopo etiam integrum est ut concessae approbationi eum, quem velit, quoad tempus et locum, D quoad personas et peccata, modum imponat. Caveant igitur sacerdotes ne facultatis indultae limites excedant; a casibus censurisque reservatis non nisi de expressa reservantis licentia absolvant; monialium conventualiter viventium confessiones non audiant nisi specialiter approbati. Quoad caeteras autem religiosas personas in paroecia commorantes, parochus earum confessiones excipiet, nisi alium confessarium specialem designaverit ordinarius.

Episcoporum quoque est quaedam graviora crimina sibi reservare; sed cum in aedificationem, non in destructionem istam facultatem habeant, ea parce utantur, ne, propter nimiam severitatem, suffusi rubore subditi peccata retineant; ea tantum sibi reservent quorum reservatio ad bonum animae subditorum conducit.

Cum autem Christus dominus potestatem absolvendi apostolis tribuens, ipsis ad hoc munus exsequendum Spiritum sanctum dederit, patet supremum illud ministerium digne a presbyteris exerceri non posse, nisi spiritum Dei habeant, spiritum veritatis quo illuminentur, spiritum charitatis quo accendantur.

Hoc spiritu ducti, sacerdotes ad audiendam confessionem vocati, promptos facilesque se praebeant, et poenitentes sine acceptione personarum admittant. Eos, quantum in ipsis est, ad absolutionem recipiendam disponant, ne in longius dilati tempus, conceptam voluntatem bonam deperdentes, in peccatis consenescant.

Pueros ad confessionem blando alliciant; eos ter saltem aut quater in anno confitentes audiant; ad gratiam absolutionis, in quantum poterunt, illos praeparent, ne vitium pro natura inolescat.

Praeterea, meminerint confessarii se iudicis pariter et medici personam sustinere, ac divinae iustitiae simul et misericordiae ministros a Deo constitutos esse; ut, tanquam arbitri inter Deum et homines, honori divino et animarum saluti consulant.

Equidem recte iudicare debent inter lepram et lepram, et tanquam periti medici, animarum morbos prudenter curare, et apta cuique remedia applicare; sed sciant pariter erga eos qui per humanam fragilitatem peccaverint, hanc apostoli servandam esse praescriptionem, *ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate, patientia et doctrina.* Non enim ad arbitrium proprium, sed ad sensum et voluntatem Christi, iuxta sanae theologiae regulas exercenda est potestas clavium et moderanda.

Reliquum est ut in hoc sacratissimo ministerio, legem sigilli religiosissime servent, et ponant *ori suo custodiam et ostium circumstantiae labiis suis.* Vicem enim Dei gerunt, a quo tegitur id omne quod homo detexit.

## Caput VI.

### *De sacramento extremae unctionis.*

*„In hoc* maxime *apparuit benignitas salvatoris nostri Dei“* quod cum fidelis cuiusque vitam ineuntem et progredientem copiosissimis adiuverit salutis praesidiis, eam brevi defecturam novo gratiae subsidio sanctificari voluit, ut ad felicem consummati cursus exitum perduceretur.

Sacramentum hoc, extrema scilicet unctio, iam apud Marcum insinuatum, per Iacobum autem apostolum fidelibus promulgatum ac commendatum, *„infirmatur quis in vobis,“* [1] infirmis periculose aegrotantibus cum ad usum rationis pervenerint, aut iis qui prae senio deficientes proxime videntur morituri, praeberi debet, non modo in animae, sed etiam in corporis levamen.

Amentes, qui olim sui compotes fuerunt et verisimiliter petiissent, sacro oleo ungendi sunt, nisi in suscipiendo sacramento aliqua irreverentia timeatur.

Impoenitentibus vero et aliis, qui in manifesto peccato mortali moriuntur, et excommunicatis sacra unctio denegatur.

Videant parochi diligenter ut extremam unctionem tempestive suscipiant aegrotantes parochiani; cunctando enim imprudenter periculum incurrunt vel sine extrema unctione moriendi, vel ipsam in huius modi statu recipiendi in quo minus utilitatis percipiatur.

Cum infirmus [in] tam instanti periculo versatur, ut timendi locus sit ne singulis perficiendis unctionibus tempus desit, tunc ungatur in uno sensu

[1] [illegible] XX, 23.

[1] Iacob. V, 14.

qui se primum obtulum dederit sub unica forma, ut in rituali Romano; oculi tamen, quantum fieri poterit, eligantur.

Nullus infirmus sacro oleo ungatur quin prius debita confessus fuerit, nisi forte tanta morbi violentia laboret ut confiteri non possit.

Sacrum autem oleum pro extrema unctione habeat parochus diligenter custoditum, loco nitido et decenter ornato, in vase argenteo, seu stanneo, ab aliis vasculis oleorum sacrorum speciali inscriptione distincto; quod quidem oleum, singulis annis, veteri reverenter combusto, accurate renovandum est.

## Caput VII.

### *De sacramento ordinis.*

Sacra ordinatio constituit legis evangelicae sacerdotium, cuius caput est Christus, „*sacerdos in aeternum;*" in varios autem gradus et ordines mira dispositione distinguitur, unde exsurgit ecclesiae hierarchia, *quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris:* episcopi tanquam ecclesiarum speculatores necnon pastores ovium habentur; presbyteri inferiores episcopis iure divino sunt, diaconis vero superiores, spiritualibus fidelium commodis collaborant; subdiaconi et reliqui ministri († qui) diaconos in suis officiis sublevant.

Haec est illa divina ordinatio unde exsurgit sacerdotii fortitudo et decor: cuique assignato munere „*ut castrorum acies ordinata*" consistit ecclesia.

Cum tanta sit sacerdotii dignitas, quicumque verendum hoc ministerium suscipere intendit, illum eximiis dispositionibus praepollere perquam necesse est.

Pastores in Domino hortamur ut si quis inter pueros felicis indolis et pietatis clericalisve vocationis signa prae se ferre videatur, has novellas et bonae spei plantas sedulo foveant et excolant, ad sanctam gentem multiplicandam et ecclesiae laetitiam magnificandam.

Ordinandi *probentur primum et sic ministrent,* nullum crimen habentes, Christum dominum sanctum, innocentem, impollutum in semetipsis exhibeant.

Nihil obstat, in praesenti rerum statu, quominus renovemus, sicut renovamus, praescripta multorum conciliorum, maxime Tridentini, scilicet: nullum admittendum esse ad sacrum subdiaconatus ordinem nisi promovendi nomen intra missarum solemnia ter fuerit proclamatum et nisi constet de titulo clericali, id est, de honesta sustentatione constituta vel in possessione fundi seu reditus annui, vel in professione religiosa.

Quoad pauperes clericos, a lege Tridentina, annuente sede apostolica, dispensent episcopi, ne scilicet plurimae parochiales ecclesiae omni sacro priventur ministerio. Verum satagant episcopi, ut simul ac ecclesiis provisum fuerit, redeatur ad praedictam legem: cuius etiam executionem urgebunt iam nunc, et in posterum erga eos, quos bonis patrimonialibus pensionem sibi creare posse constiterit.

Quando iuniores clerici aut levitae, sacri tyrocinii domo ad tempus egressi, in domum paternam remeant, rectoribus parochiarum, in quibus commorantur, diligenter invigilandum est, ut vitam et mores ad normam clericalis disciplinae componant, veste talari et tonsura semper insignes in publicum prodeant, decoris domus Domini curam habeant, cum multa pietate, atque in habitu chori officiis intersint.

Cum autem solo parochorum testimonio per tempus feriarum, nobis, ut plurimum, innotescant pietas et morum integritas clericorum, ipsos parochos in Christo Iesu obsecramus ut testimoniales litteras iis duntaxat concedant, qui pie et religiose vixerint, qui parochialibus officiis assidue interfuerint, qui sacramenta convenienter frequentaverint, qui per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostenderint.

Ipse autem parochus propriae perfectioni diligentius incumbat, eoque studeat exemplo sanctitatis praelucere, ut vivam in semetipso exhibeat vitae clericalis regulam, nec sinat unquam indiscretis carpi oblocutionibus, aut seminarii tum disciplinam, tum pios usus pessumdari.

## Caput VIII.

### *De sacramento matrimonii.*

Matrimonium, magnum utique foedus, quo nullum antiquitate venerabilius nec firmitate inviolabilius, Deus ab initio instituit, cum humani generis protoparentes coniunxit, illisque benedixit.

In ecclesia autem et in Christo magnum est sacramentum, quo gratia coniugibus confertur, ut per fidem, sanctitatem, indissolubilitatem et prolem, unionem Christi cum ecclesia repraesentent.

Quos de matrimonio contrahendo cogitare noverint parochi, sedulo moneant ut in re tanti momenti se Deo, in cuius manibus sunt sortes nostrae, commendare, et piis precibus vitaeque innocentia divinam benedictionem impetrare curent: „*Filii quippe sanctorum sunt, et non possunt coniungi sicut gentes quae ignorant Deum.*"[1]

Doceantur insuper fideles impedimenta matrimonii propter bonum societatis et religionis sapienter ab ecclesia fuisse constituta, nec super his nisi gravi de causa dispensari.

#### De bannis.

Antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus dominicis, vel festis de praecepto, in ecclesia, inter missarum solemnia, publice denuntietur inter quos matrimonium sit contrahendum. Quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie ecclesiae procedatur.

Si vir et mulier sint diversae parochiae, in utraque parochia fiant denuntiationes. Si non semper commorati sunt in paroecia quam nunc incolunt, denuntietur insuper matrimonium in ea ex qua veniunt, nisi acquisierint domicilium per habitationem sex mensium in paroecia in qua versantur; servetur haec regula etiam pro iis qui ex aliena veniunt dioecesi.

Si sint minores, banna publicentur in paroecia ubi domicilium de facto habent, et in paroecia eorum quorum auctoritati subsunt: maiores autem reputentur quoad matrimonium qui annum vigesimum quintum pro viris, et vigesimum primum pro mulieribus impleverunt. Si vero non habeant ascendentes, uterque sponsus maior reputatur, dummodo vigesimum primum annum impleverint.

Famulorum banna, qui maioritatem attigerunt, promulgentur in parochia heri, si a sex mensibus apud eum famulentur; sin minus, in parochia in qua antea habitabant. Si vero sunt minores, serventur quae dicta sunt de minoribus.

Quoad milites, proclamanda sunt eorum banna in praesidiis ubi degunt, et insuper in domicilio parentum si sint minores.

#### De celebratione matrimonii.

Etsi usus, et quidem commendabilis, obtinuerit ut in sponsae parochia celebretur matrimonium, decernimus illud in parochia sponsi vel sponsae valide et licite iniri posse.

[1] Tob. VIII. 5.

His qui duplex habent domicilium, facultas datur matrimonii contrahendi sive in parochia ubi rerum suarum summam constituerunt, sive in parochia ubi sex menses commorati sunt: notandum aliunde quod quivis domicilium habere censeatur in loco ubi nunc versatur cum animo manendi.

Qui ad tempus commigrant domesticis rebus invigilaturi, aut aliud negotium acturi, ut operarii, artifices, nec non famuli, nubere possunt in prima qua degebant paroecia.

Pro vagis et ignotis, Tridentina synodus parochis praecipit ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et ab ordinario licentiam id faciendi obtinuerint.

Diebus dominicis aut festis nullum matrimonium celebretur, nisi sciente et consentiente episcopo.

Propter infringendae legis ecclesiasticae periculum, vehementer exhortamur, ne diebus abstinentiae nuptiae celebrentur.

Valde exoptandum est, ex ecclesiae mente, nullum absque missae sacrificio matrimonium celebrari: nunquam autem vespere, noctu, vel ante auroram, nisi ab ordinario facta potestate, detur benedictio.

### Caput IX.

*De sanctificatione diei dominicae et aliarum festivitatum quae sunt de praecepto.*

Cum, ex scriptura sacra, septima quaeque dies, quae sabbatum nuncupatur, requies Domini sit, et in christiana religione dies resurrectionis, scilicet dominica, rite successerit sabbato Iudaeorum, nemo non videt singulos Christi fideles diem dominicam sanctificandi lege adstringi; ut cultum Deo debitum reddant, doctrinam christianam addiscant, mores ad normam evangelii componant, et vinculo charitatis in unum gregem coadunentur. Neque imme- C rito sic Deus ordinavit, ut vires corporis debilitatae refici queant, mirumque in modum promoveatur tum societatis, tum familiae bonum.

„*Viae Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem,*"[1] et tantopere imminutus sit Dei cultus. Etenim, temporalibus curis dediti homines, nihil de salute solliciti, unicum Deum minime cogitantes nec colentes, sanctissimum hunc diem, partim assuetis laboribus vacantes, partim libidinibus inservientes, ab ecclesiae prorsus officiis et ab ipso missae sacrificio alieni, penitus violare non reformidant.

Tantis igitur malis opportunum remedium afferre peroptantes, hortamur et obsecramus singulos huiusce provinciae fideles, ut diem dominicam, et alias de praecepto festivitates, plene et perfecte sanctificent (hoc autem gravissimum praeceptum adimplebunt, si abstinuerint ab omni opere servili, praeter casus a iure vel a legitima consuetudine determina- D tos, atque, nisi legitime impediti fuerint, sacro missae sacrificio interfuerint); illos tamen adhortantes ut ad suam parochiam, in qua missa pro ipsis offertur et in qua sua officia edocentur, frequenter accedant. Attamen declaramus praecepto ecclesiae satisfieri per auditionem cuiuslibet missae; meminerint autem pastores verba concilii Tridentini: „*Moneant populum diligenter, teneri unumquemque parochiae suae interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei.*"[2]

Ut autem populis negligendae parochialis missae subtrahatur occasio, optamus ut nulla missa in sacellis exterioribus per tempus missae parochialis celebretur. Communitatum quae parochiae ambitu continentur ipsimet invigilent superiores, ne ulla in A suis ecclesiis privata missa ianuis apertis celebretur, dum cantabitur missa parochialis.

Inter eos qui sanctum hoc ecclesiae praeceptum saepius pessumdare solent, milites praecipue appellare debemus. Quapropter, monemus duces praesidiorum ut disciplinam militarem eo modo accommodent, quo subditi a missa non absint, nisi propria aut mala voluntate.

Item magistratus omnesque in civili potestate constitutos, per Christi charitatem enixe deprecamur, ut, pro suo munere, procurent observantiam magni illius et Dei et ecclesiae praecepti; officinarum etiam patronos *pro Deo et propter Deum* rogamus ut omnem curam adhibeant quatenus opera servilia die dominica et aliis festis diebus omnino cessent.

Quoad festa suppressa, mandamus ut parochi illa annuntient sicut alia festa, et ad missam audien- B dam, caeteraque opera persolvenda pietatis fideles invitent; declarent tamen missam illis diebus non esse de praecepto, nec iis ab operibus servilibus abstinendum esse.

Sciant quoque ecclesiarum rectores, diebus illis, missae sacrificii fructum gregi suo applicandum esse, nisi a sancta sede dispensationem obtinuerint, ut iam pluries responsis apostolicis cautum est.

Parochi vero qui ecclesiae vacantis curam ab episcopo susceperint, et qui hanc ob causam duas missas celebrant, pro parochia vacante missae fructum applicare non tenentur.

Festa, quae confraternitates aut operariorum societates, ut aiunt, celebrare solent, et quae in diebus abstinentiae occurrunt, ad aliam diem non impeditam ordinarie transferantur.

### Caput X.

*De liturgia.*

Nos, illam considerantes liturgiarum diversitatem, quae in provincia nostra, et in singulis etiam eius dioecesibus viget, utpote ex antiquis dioecesibus coalescentibus, ducimus opportunum ut „*ea quae fuerunt a sacrosancta Romana ecclesia caeterarum ecclesiarum matre ac magistra tradita, ubique complectantur omnes et observent*"[1]; ut scilicet, quamprimum fieri poterit, admittantur a singulis provinciae dioecesibus breviarium et missale iussu Pii V et Urbani VIII edita.

Dum autem dioecesanas liturgias sic dimittimus, tendimus ad illam unitatem demonstrandam, quam Christus moriturus expetebat, orans ut discipuli *sint consummati in unum*; sectamur *unanimitatem sedis apostolicae et sanctae Dei ecclesiae pacificam concordiam* a patribus nostris celebratas[2]; providemus ut firmius et securius *legem credendi statuat lex supplicandi*, secundum sancti Coelestini monitum ad episcopos Galliae; „*cavemus demum ut cesset periculosissima librorum liturgicorum immutandi facilitas.*"[3] Proinde Romani breviarii, itemque missalis usum ab omnibus, ad quos spectat, teneri, unusquisque nostrum curabit pro temporum et locorum opportunitate.

## TITULUS IV.

**De disciplina et studiis.**

### Caput I.

*De praecipuis parochorum et rectorum officiis.*

Memoriae tradiderunt prisca saecula quam tranquilla, quam florens, quam fructificans ecclesia fuerit,

[1] Thren. I, 4.
[2] [illegible]

[1] Bulla s. Pii V *Quo primum*, die 12 iulii 1570.
[2] Capit. Aquisgr. anni 789 [cap. 78, Mansi, *Conc.*, XVII bis, 200 D].
[3] Greg. XVI ad archiep. Remensem, anno 1842.

dum talibus esset pastoribus foecunda, qui evangelicis informati regulis, non tantum nomine, sed et facto praestabant quod dicebantur. Ut felicia haec tempora reviviscant, de praecipuis parochorum officiis haec statuenda iudicavimus.

Imprimis, memoranda est residentia; quippe quae omnino necessaria sit, ut caetera pastoralis muneris officia rite possint adimpleri. Idcirco, decretis Tridentinis adhaerentes, statuimus omnes curam animarum habentes ad residentiam personalem et continuam in sua parochia stricte obligari: decernimus ergo parochos abesse non posse ultra hebdomadam, nisi ex causis quae a sacris canonibus legitimae declarantur. Si vero iusta necessitas illos abesse cogat, tunc primum discedendi licentia petita, et ab ordinario probata et concessa, sollicite provideat rector peregrinaturus, ne ex absentia sua quantumvis brevi, ullum parochiani detrimentum patiantur. Attendant parochi non otiosam residentiam a sacris canonibus requiri, sed operosam, qua se totos indesinenter suis muniis devoveant.

Quos habuerint in adiutorium vicarios, illos ut fratres et filios diligant parochi, conversationem cum eis habeant bonam, et miti benevoloque animo illos complectantur ut suos cooperatores et in evangelicis laboribus adiutores.

Pastorale onus, viribus animisque coniunctis, dividant et sustineant, graviora in se munia saltem ex parte suscipiant, quo facilius et suavius opus Dei consummetur. Vicarium praesertim iuniorem et imperitum, paterno studio et affectu, in pastorali officio erudiat parochus et informet: si quid autem in vicario suo minus rectum deprehendat, de hoc ipsum semel et iterum in mansuetudine admoneat et corripiat, et ad meliorem frugem revocare conetur. Quod si paterna monita spernantur, aut a vicario parvipendantur, hac de re episcopum certiorem faciat.

Vicarius pio obsequio erga parochum, et diligentia in omnibus muniis commendabilem se praebeat, saepe saepius cogitans se non ad sua commoda partem ministerii esse sortitum, sed ut totis viribus in humili subiectione aptum se reddat ad gerendas utiliter omnes rectoris vices. Studeat ergo parochum honore debito et obedientia filiali ut superiorem agnoscere, diligere ut patrem, audire ut magistrum, et in sacri ministerii scientia practica doctorem sequi. Doceri amet ut aliquando docere potens sit, nec praesumat esse magistrum, qui vix coepit esse discipulus; in casibus gravibus nihil agat, nisi cum parocho deliberatum et ab ipso approbatum, et nunquam e parochia, illo non commonefacto et assentiente, discedat. Hoc nobis maxime in votis est ut parochi simul et vicarii, si qui sint, in eadem domo habitantes, ad eamdem mensam sedentes, una vivant, quo melius et efficacius tum regulari observantiae, tum morum integritati consulatur.

Quoniam, hisce luctuosis temporibus, dierum Deo dicatorum sanctificatio ubique negligatur, quod magno cordis nostri dolore deflemus, pastores enixe rogamus, ut omni sollicitudine et industria fideles excitent et urgeant ad sacros illos dies inter religionis exercitia et pietatis opera transigendos. Porro, quia cultus his diebus Deo exsolvendus maxima ex parte in divinorum officiorum celebratione consistit, praecipimus ut divina haec officia omni cura et religione celebrentur; ut nihil non ordinatum sit, nihil cursim, perturbate et oscitanter peragatur, sed omnia secundum ritus et caeremonias ecclesiae antiquis institutis praescriptas, pio affectu serventur; et statis horis officia quoque persolvantur. Constanti zelo curent singuli rectores ut divinis officiis

A sacrosancta restituatur maiestas, omniaque in his vivam atque perfectam in Deum religionem redoleant, et astantibus inspirent. Arceantur ergo saeculares actiones, vana atque profana colloquia, deambulationes, strepitus, ita ut domus Dei vere *domus orationis* esse videatur et dici possit. Arceantur etiam musicae illae in quibus, sive organo, sive cantu, lascivum aut profanum aliquid misceatur. Divini autem cantus ars neutiquam parvipendatur, cuius melodia animos populi circumstantis ad memoriam amoremque coelestium, non solum *sublimitate verborum*, sed etiam suavitate tonorum erigat. Ecclesias ornent congruo decore parochi, domus Dei decorum diligant, mundam et nitidam conservent; vasa sacrificii, sacraque linteamina, nec non et paramenta sacerdotalia integra sint et nitore splendida resplendeant, ita ut *invisibilia* Dei *per visibilia* in templo eius *intellecta conspiciantur*.

B Quam enixe et sollicite commissae sibi animarum saluti invigilare debeant parochi, facile intelliget qui iis de suo grege rationem reddendam esse noverit. Stent ergo perpetuo super eius custodiam, ne ipsis dormientibus, superveniat inimicus, et in agro patrisfamilias zizaniam superseminet. Eam, si nasci aliquando coeperit, festinent evellere, sed tempestive et prudenter, ne eradicent simul et triticum. Habeant zelum Dei, sed secundum scientiam; caveant ab isto acri, amaro et praecipiti zelo, qui nedum homines Christo lucrifaciat, eos exasperat et abalienat.

Ab omni etiam avaritiae suspicione vel levissima caveant parochi, et in fidelium oblationibus percipiendis pastores se, non exactores et mercenarios, demonstrent; gratis acceperunt, gratis dare gaudeant.

Petentibus sacramenta, si sint aliunde dispositi, ex *corde magno et animo volenti* administrent. Cum C praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, pro his sacrificium offerre, orationes et lacrymas effundere, bonorum omnium operum exemplo pascere, eos admonemus et hortamur, ut, divinorum praeceptorum memores, *factique forma gregis*, in iudicio et veritate pascant et regant.

Cum non sit potestas nisi a Deo, omnes et singulos qui in aliquo auctoritatis gradu sunt constituti, parochus honoret, proprii tamen gradus nusquam immemor. Quoties decuerit, aut quaedam utilitas poposcerit, comiter eos invisat; cum illis, quantum poterit, pacem et concordiam foveat et custodiat, salva tamen in omnibus conscientia. In iis quae sunt civilis regiminis nunquam interveniat, sed nec laicos spiritualia usurpare patiatur.

Quoniam vero boni pastoris sit oves suas agnoscere, volumus ut, certis temporibus, singuli D parochi plebem sibi commissam visitent; sic se utiles praestabunt omnibus, in monendo et consolando, prout prudentia et caritas suggesserit. Semper in mente habeant huius visitationis scopum, scilicet, bonos mores tueri, pravos corrigere, pacem et concordiam stabilire, moerentes consolari, prostratos sublevare, peccatores blande allicere, nullum e parochianis verbo laedere, et pertranseundo omnibus benefacere. Haec autem omnia sequentur, si, sicut *electi Dei sancti et dilecti*, induant modestiam quae *„nota sit omnibus hominibus“*; si sint in cunctis bene morati, in loquendo discreti, in incessu et vultu graves, in conversatione mansueti, et singulis misericordia proximi.

Sed inter praecipuas muneris sui partes non postremam esse aegrotantium curam noverit parochus. Quapropter, cum primum audierit quempiam e parochianis aegrotare, non exspectet ut ad eum vocetur, sed ultro et festinanter adeat, cum *nulla*

*sit securitas ubi periclitatur aeternitas.* Ipsum ad peccatorum confessionem prudenter benigneque alliciat, et omni solertia disponat ad ecclesiae sacramenta recipienda, poenitentiam scilicet, extremam unctionem et sacrum viaticum, quod quidem de praecepto divino est suscipiendum. Nec putet suo se ministerio fecisse satis, cum aegrotum inviserit, donec ei sacramenta administraverit; sed quam diutissime eum consoletur et roboret, iteratis vicibus absolvat, eique tandem, pro posse, assistat, quousque seu sanitati restituatur, seu e vivis excesserit.

Unusquisque rector animarum, ad apostoli exemplar „*omnibus omnia factus*", viduis, orphanis, pupillis, aliisque omnibus qui humanis sunt auxiliis destituti, provide opituletur, et alios verbo et exemplo ad id officium praestandum studeat allicere. Sciat enim, ut ait sanctus Gregorius papa, quod praedicatio multorum plerumque despicitur, quia dum delinquentium facta corripiunt, necessaria tamen eis praesentis vitae non tribuunt, ideoque nequaquam libenter audiuntur.

Maxima tandem puerorum cura parochis commendatur; meminerint ex officio suo scholas saepe ab ipsis visitandas; caveant ne quid irrepat mali; alumnos, tum de studiis, tum frequentius de iis quae religionis sunt, interrogent, et ut scientiae nec non et virtuti incitamentum et merces non desint, praemia et munuscula quaedam largiantur; ipsorum enim est invigilare ut pueri salutaribus documentis imbuantur; et non nisi bona, sancta et christiano nomine digna percipiant, ita ut aetate, gratia et sapientia crescant apud Deum et homines, et ex ista generatione creetur populus qui laudet Dominum.

## Caput II.

### *De praedicatione.*

„*Quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes.*"[1] Hinc apostolus: „*Praedica verbum, insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina;*"[2] et insuper: „*Vae mihi si non evangelisavero, necessitas enim mihi incumbit.*"[3]

Et vero per praedicationem fides fovenda et morum conservanda integritas aut instauranda est. Non desunt enim, his praesertim miserrimis temporibus, qui sibi videntur sapientes esse, scientiam tamen salutis haud satis exploratam habent. Ideo, mandamus omnibus et singulis in hac provincia Senonensi curam animarum gerentibus, ut ministerio verbi instantes sint.

Unde, decrevit Tridentina synodus „*ut quicumque parochiales vel alias curam animarum habentes ecclesias quocumque modo obtinent, per se vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus, plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia quae eos declinare et virtutes quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadere et coelestem gloriam consequi valeant*"[4].

Et ne inanis efficiatur praedicatio nostra et non evacuetur *crux Christi*, haec de verbi divini praedicatione statuenda decrevimus:

1. Qui sacri huius ministerii munere funguntur, *non doctas fabulas secuti quae quaestiones praestant magis quam aedificationem Dei; praedicent Christum crucifixum, Dei virtutem et Dei sapientiam*, doctrinam evangelii sinceram, plenam, scilicet mysteria fidei, praecepta, sacramenta et orationem dominicam fidelibus tradant, illaque interpretentur et doceant eo sensu quem catholica ecclesia et consentiens sanctorum patrum auctoritas comprobavit.

2. Memores apostolici verbi: „*Sermo meus et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis,*"[1] auditorum plausus et laudes non quaerant, sed compunctionem cordis et lacrymas; ambitiosum dicendi genus non consectentur, sed loquantur in simplicitate sermonis, quaerendo verba utilia et conscribendo *sermones rectissimos ac veritate plenos.* Caveant ne unquam decipiant fideles *per inanem philosophiam, et profanas vocum novitates, non adulterantes verbum Dei*, sed recte tractantes et exhortantes in doctrina sana.

3. Memores caritatis Christi, errores et vitia, non personas reprehendant et „*linguis suis tanquam flagellis non utantur*"[2]. Verum loquantur digne, simpliciter, dilucide, non abiecto modo; nec ineptias, facetias, anilia proverbia unquam proferant, ne „*vituperetur ministerium nostrum*".

A rebus politicis, quaestionibus et controversiis inter saeculares agitatis sedulo abstineant; sciant insuper se muneri suo perfectius satisfacturos, si, continuato ordine, christianae doctrinae summam, iuxta normam *catechismi ad parochos*, fidelibus exponant.

4. Videant ministerium quod acceperunt in Domino ut illud impleant. Meminerint quod dicit sanctus Hieronymus, ut qui pastor est, esse debeat et magister, nec pastoris sibi nomen assumat nisi possit docere quos pascit. Brevitatem populis nimia prolixitate minus nocivam esse cum experientia constet, horae dimidiae spatium plerumque non excedat concio, et saltem in ruralibus parochiis ultra horam cum quadrante tota missae parochialis, inclusa concione, celebratio minime protrahatur.

Denique attenta gravi qua plerique etiam adulta aetate ignorantia laborent, summi pretii imo et praesentis necessitatis esse iudicamus, si, loco praedicationis, catechismus pro his omnibus habeatur, tempori et audientium animis accommodatus; ideoque, parochos enixe rogamus et adhortamur quatenus hoc sanctissimum opus intra missarum solemnia peragant saltem bis in mense.

Meminerint praedicatores quod *viri desideriorum esse* debeant, nec populos edocere praesumant, nisi diligentiori accuratiorique studio, ad hoc tantum munus digne Deo adimplendum, sese praeparaverint.

## Caput III.

### *De catechizandis pueris.*

Praecipua parochorum cura sit catechizare pueros, spem optimam religionis ac christianae reipublicae.

Itaque, sacri concilii Tridentini statutis inhaerentes, mandamus singulis parochis ut pueros fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes diligenter doceant, singulis diebus dominicis et festis, et frequentius quando opus erit, sub interminatione suspensionis, si per tres dies dominicas continuas, praeter tempus a consuetudine et statutis determinatum, sua culpa negligentiaque id muneris omiserint.

Huic igitur ministerio, quod aliunde tantum parochis affert solatium, totis viribus incumbant, ut pueri iam a teneris annis fidei rudimentis imbuantur, etiam ante tempus primae communionis. In anno

[1] I Cor. I, 21.
[2] II Tim. IV, 2.
[3] I Cor. IX, 16.

[1] I Cor. II, 4.
[2] Concil. Ang

primam communionem praecedente, frequentius catechizentur, nec unquam tam sacrum officium laicis, inconsulto episcopo, in ecclesia adimplendum committatur.

Peracta autem prima communione, puerorum catechizandorum curam non deserant, ideoque hortamur ut, quantum fieri poterit, illis dominica qualibet die, fusius evolvant quas antea brevius exposuerunt veritates, et illam quam catechesim perseverantiae vocamus instituant.

Proinde, in maioribus saltem paroeciis, tres instituantur catechizandorum ordines, primus incipientium, secundus eorum qui mox ad primam synaxim sunt accessuri; tertius denique eorum qui iam ad sacrum convivium fuerunt admissi.

De aetate autem primae communionis statuimus quod, ante annum duodecimum expletum pro pueris, undecimum vero et etiam expletum pro puellis, ordinarie non admittantur.

Quantum in docendo uniformitas ad unitatem doctrinae conducat et ad aedificationem fidelium inserviat nemo nescit; proinde, vehementer optamus ut deinceps in omnibus Galliarum provinciis unus idemque sit catechismus, iuxta formam *catechismi Tridentini*.

## Caput IV.

### *De vita et moribus clericorum.*

Tridentinorum patrum vestigiis insistentes, omnes et singulos in sacris ordinibus constitutos admonemus et obsecramus ut ***exemplum sint fidelium, in verbo, in conversatione, in fide, in castitate, in charitate non ficta,*** memores verbi quod ipsis praecipue dictum est: ***„Sancti estote, quia ego sanctus sum.“*** [1] Nihil est enim quod alios magis ad pietatem ac Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum qui se divino cultui dedicarunt; in C iis namque sumunt fideles quod imitentur.

***„Quapropter sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant; levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.“*** [2]

Ut autem pietas in eorum animis perpetuo crescat, peculiari cura, orationi et meditationi quotidie vacent, divinum officium digne, attente et devote recitent, missae sacrificium quam maxima cordis munditia et devotione peragant, ad reconciliationis sacramentum frequenter accedant, neque se propter suorum munium sollicitudines, aut labores, a tam utilibus exercitiis excusatos habeant; sed iis fideliter instent, ut inde mentis acies ad coelestia contemplanda vividiores et voluntatis vires ad omne opus D bonum amplectendum et prosequendum robustiores evadant.

Nec satis est ut bene agatur; omnia secundum ordinem fiant; certa sit regula; nec ab ea, nisi necessitas imperet aut charitas urgeat, unquam recedatur.

Quo melius ecclesiastici ordinis sanctimonia retineatur seu recuperetur, provideant omnes clerici, ne spiritualium exercitiorum salutare opus, quot annis praetermittant, et, quos pastorales secessus indixerit episcopus, iis interesse sedulo curent.

Ut autem sapienter provisum omni tempore et a conciliis cautum est de habitu et vestitu clericorum, omnibus ecclesiasticis personis in sacris ordinibus constitutis iniungimus vestes proprio con- A gruentes ordini semper deferre, ut, per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant. Itaque, praeter tonsuram, quae a sacris canonibus praescribitur, clerici omnes veste talari in loco suae residentiae et in tota dioecesi, iuxta cuiusque dioecesis statuta superinduti incedant. Qui vero iter faciunt, quamvis vestem talarem retineri ab eis omnino praestet, si nequeant absque incommodo, saltem veste oblongiori utantur; nigrantis coloris modestaeque formae, unde eorum status omnibus innotescere possit. Semper autem meminerint clerici ut in suo vestitu et habitu simplicem praebeant gravitatem, tam ab omni fastu quam ab incuria alienam.

Ab ecclesiasticis viris non modo crimen, sed et omnem, ab omni parte, suspicionem abesse oportet, nimirum ut ***„is qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum dicere de nobis“.*** Omnibus ergo in sacro B ordine constitutis prohibemus ne in domo sua, sive famulitii, sive quovis alio titulo, mulieres etiam propinquitate coniunctas retineant, nisi vita probatas, fama integras, pietate commendatas et saltem quadragesimum annum assecutas. Ab illa prohibitione excipimus matrem, amitam, sororem et neptem. Caeterum, omnes instanter obtestamur ut in familia sive constituenda sive regenda valde providi sint, cauti et circumspecti; caveant etiam sollicite ne cum ancillis vel aliis personis feminei sexus unquam familiarius agant, nec quidquam patiantur unde scandali oriri possit occasio.

Et quoniam sacerdotes Domini, etsi plerumque conversentur in mundo, tamen ***„de mundo non sunt,“*** vetitum est eis a sacris canonibus in tabernas divertere, nisi sint in itinere, et urgeat necessitas; illos coetus fugiant qui sive mundanitatem sive immodestiam, sive intemperantiam redolerent; publicis spectaculis numquam intersint, nundinas non frequentent, ludos a sacris canonibus prohibitos devitent, non obliviscantur eorum quae sanxerunt canones, vel de illicita venatione vel de medicinae et chirurgiae exercitio. Deinde, quia ***„nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus“,*** caveant ne lucri causa negotientur, nec ullo modo usuras exerceant. Pro aliis fideiussores numquam se constituant; intra fines parochiae suae bona immobilia non acquirant, nisi consulto episcopo.

Quemadmodum ***„multam malitiam docuit otiositas“,*** ita et studii indefessus amor maximi erit ad bona quaeque adiutorii. Unusquisque ergo sacerdotum omni conatu ***attendat lectioni et doctrinae,*** et sciat se non ad inertiam et ignaviam, sed ad spiritualium et ecclesiasticarum disciplinarum labores vocatum esse, iuxta haec scripturare sacrae verba: ***„Labia sacerdotis custodient scientiam.“*** [1] Quapropter, adimpletis sacri ministerii muniis, si, concessa iusta relaxatione, aliquid supererit tempus, illud non in rerum saecularium colloquiis, sed in ecclesiasticae disciplinae studiis, noverint impendendum.

Horum autem studiorum zelum et amorem maxime fovebunt collationes ecclesiasticae. Neminem enim latet quaenam et quanta sit ipsarum utilitas, non solum ad mutuam inter sacerdotes fovendam charitatem, sed etiam ad ipsos fidei praecones in doctrina sacra confirmandos; ideo vehementer optamus ut clerici omnes muniis pastoralibus addicti hisce collationibus ecclesiasticis fideliter strenueque assistant et collaborent, eo modo et tempore quo ab antistite suo iam ordinatae, aut in posterum ordinandae sunt.

***„Ut secure praeesse possint sacerdotes,*** ait sanctus Bernardus, ***subesse et ipsi cui debent non dedignentur.“***

[1] Levit. XI, 44.
[2] Trid. sess. XXII, *de ref.*, cap. 1.

[1] Malach. II, 7.

Suo igitur episcopo reverentiam promissam, et debitum obsequium semper, ubique, in omnibus praestent. Quidquid vetat fugiant, quidquid praecipit prompto et alacri animo fideliter exsequantur, ita ut omnes in humili subiectione, summaque animorum cum episcopo consensione, collatis in unum studiis, *„in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi,"* vires suas unanimiter impendant.

Clericos omnes insuper obsecramus ut ad eamdem ministerii sortem vocatos caritate fraternitatis diligant. Sint inter se concordes, unanimes, *„idipsum sentientes, honore invicem praevenientes."* Infirmiores in fide et pietate relevent et sustineant, afflictos consolentur, delinquentes blande ac suaviter admoneant. De bonis propriis non negligant opportune testamentum conficere, ne unquam dubiis vel etiam discordiis dent occasionem. Infirmos consacerdotes, praesertim, aegrotantes non pigeat assidue visitare, vigilanter providentes ne, qui Christi fidelibus in hoc ipso vitae discrimine spiritualia praebuerunt auxilia, iisdem, instante mortis periculo, miserabiliter destituantur.

Tandem sanctissimi domini nostri Pii papae IX verba usurpantes, *„viros omnes ecclesiasticos huiusce provinciae monemus, hortamur et excitamus quo orationi instantes, spiritu ferventes, ac pie sancteque viventes, praebeant in omnibus se ipsos exemplum bonorum operum; et Dei gloriae et animarum salutis zelo incensi, atque arctissimo inter se caritatis vinculo obstricti, accipiant armaturam Dei et concordissimis animis, coniunctisque viribus, sub proprii antistitis ductu, in aciem prodeant et praelia Domini fortiter praelientur."* [1]

Caput V.

*De seminariis.*

Cum, Deo misericorditer providente, seminaria C et episcopalia, illa ecclesiasticarum virtutum simul et scientiarum tirocinia, sint nunquam satis fovenda et protegenda, summopere commendat synodus ut ad pietatem, orationem, humilitatem et ad caeteras egregio sacerdoti adeo necessarias dotes ante omnia accuratissime informentur a tenera aetate ecclesiae alumni; nec patiantur clericalis iuventutis moderatores fervore studiorum aut doctrinae acquirendae zelo, intepescere in corde discipulorum pietatis et solidarum virtutum amorem. Haec enim interiora sunt, quae hominem cum Deo coniungunt, et a quibus ad exteriora vim et efficaciam permanare necesse est.

Nunquam igitur sibi satisfecisse videantur ii omnes qui tam pretiosum et grande erudiendae clericalis iuventutis munus, tum in minoribus, tum in maioribus seminariis suscepere, nisi veros firmosque orandi et cum Deo colloquendi habitus, cari- D tatis, obedientiae et humilitatis sensus in animis alumnorum, quantum fieri potest, indiderint et stabiliverint.

Sed, cum studiorum et scientiae splendor plurimum etiam omni tempore auxilii et gloriae in opus ministerii ecclesiastici contulerit, Domino ita disponente, qui *„Deus scientiarum"* in scripturis sacris voluit appellari, vehementer hortamur et in visceribus Christi obsecramus eos ad quos grave illud spectat officium, ut magno et alacri animo ad hunc doctrinae in clericis amplificandae scopum vires suas omnes impendant.

*„Quemadmodum enim,"* aiebat concilium Remense, anno 1583 habitum, *„agricola, nisi serat tempestive, non potest metere, ita ecclesia Dei ex sacramentis fructus uberes per idoneos operarios afferre nequit,* A *nisi seminaria, iuventutis erudiendae et moribus informandae causa, foveat."* [1]

Et ideo eligant episcopi magistros morum integritate, doctrina, pietate et prudentia maxime commendatos, qui ut diligantur, diligant; qui discipulos ut filios carissimos foveant; gravitate venerabiles, mansuetudine amabiles; in quibus sit auctoritas, sed modesta; vigor, sed non exasperans; amor, sed non emolliens: ut segnities excitetur, levitas reprimatur, ardor laudetur et crescat. Nec de caetero ullum clericorum praeceptorem latere potest, religionem in ipsismet humanioribus docendis litteris, suas et quidem praecipuas partes retinere: studia sic quasi divino sale condiantur, ut inter profanas veterum voces, audiatur et supereminent vox unici animarum magistri et praeceptoris Christi Iesu.

Inter alumnos seriam solidamque doctrinam, B simulque disciplinae et laboris vigorem quam fidelissime promoveant cum virtutum et pietatis augmento.

Linguam vernaculam, stylum, elocutionem, imo pronuntiandi modum accurate doceant, sed et linguarum veterum honorem et usum, latinae linguae praesertim, quae est ipsius ecclesiae Romanae lingua, et scientiae catholicae instrumentum, omni conatu foveant ac tueantur; nec ullus ad philosophicas aut theologicas disciplinas admittatur qui satis plena et perfecta huiusce linguae intelligentia et usu non polleat. Ideoque, vehementer optamus in rhetoricis, semper autem aut fere semper in philosophicis ac theologicis exercitationibus, latine loquantur tum magistri, tum discipuli. Sunt enim vetera illa idiomata traditionis antiquae fontes; hic vere doctorum virorum hodiedum sermo, hic aditus ad immensos graecorum latinorumque patrum thesauros, inexhaustasque pietatis et sacrae erudi- C tionis divitias, haec, ut ait Augustinus, *Aegyptiorum vasa aurea*, quae non perire, sed in cultum Dei et in honorem sanctae ecclesiae, colligi et converti decuit.

Quae autem docenda erunt per totum litterarum humaniorum curriculum, programma certum et explicitum ab ordinario probatum indicabit, et, post absolutam quamcumque classem, ad aliam nemo ascendat nisi, post serium et maturum examen, vere se idoneum et capacem probaverit.

Scientias mathematicas et physicas, quae hodiernis temporibus adeo celebrantur, ut religioni librisque sanctis non nihil decoris et auxilii afferre queunt, tradere alumnis non praetermittant professores. Qua in re, optaret synodus ut saltem communi doctrina, quae ad liberalia munia adimplenda requiritur, pollerent quotquot ad theologicum curriculum sunt admittendi.

Nec certe in seminario minori omittendae sunt de historia tum sacra tum profana, suis temporibus sedulae praelectiones, quo melius iuvenum mentes, gestorum Dei et hominum notitia praeeunte, et auctorum sensum et religionis ipsius vim et seriem introspiciant.

Theologicis vero disciplinis ac sacrarum scripturarum studiis addantur, sicubi non vigent, de historia ecclesiastica et de iure canonico proprie dictae scholae, nec non practicae et frequentes eloquentiae sacrae exercitationes, de ritibus, caeremoniis, cantu, sacramentorum et rerum temporalium in paroeciis administratione, congrua documenta, ita ut quatuor anni integri theologicis disciplinis impendantur.

Servent autem assidue magistri, in docendis tum philosophicis tum theologicis disciplinis, formam et methodum quam scholasticam vocant; qua deficiente.

[1] Can. de seminariis, n. 1. [Mansi, Conc., XXXIV, 899 A.]

deficit recta solidaque theologi viri institutio, et tuta iudicii forma ac regula.

Denique, ne quid praetermissum videatur in hoc tanti momenti docendi opere, statuimus in qualibet philosophiae et theologiae schola habendas esse, praesente et duce magistro, unaquaque hebdomada, disputationes; solemniores vero interdum, quo magis ac magis exerceantur, acuantur, et ad meliora provocentur alumni.

In fine semestris, prioris et anni peracto, nec non ante ordines suscipiendos, seria prorsus examina habeantur, ita ut ab examinum bono vel malo exitu pendeat reipsa uniuscuiusque alumni ad sacros ordines electio.

Virtutibus doctrinisque clericorum excolendis cum debeant imprimis seminariorum rectores et professores incumbere, non ideo contemnenda aut negligenda urbanitas illa ac morum elegantia et comitas gravitate mixta, quae semper in clero gallicano enituit, quae de caritate procedit, quae gratiam et aestimationem in ecclesiae bonum parit, venerandosque simul efficit et amabiles, et nescio quid pietati et doctrinae splendoris affert et ornamenti.

## Caput VI.

### *De ordinibus religiosis et de piis congregationibus.*

Inter praecipua episcopalis officii munia, iuxta praeclara sanctitatis suae domini nostri Pii papae IX nuper effata, nihil antiquius quam religiosas familias singulari paternae charitatis affectu complecti, omnique studio prosequi et defendere, ac maiori eorum bono et splendori totis viribus consulere ac prospicere. Ipsae enim, ad maiorem Dei omnipotentis gloriam et animarum salutem promovendam a sanctis viris institutae, multiplici forma pulcherrimam illam varietatem efficiunt, qua mirifice ecclesia circumdatur et ornatur. Siquidem, omnes singulari Dei beneficio evangelicae sapientiae consilia profitentes, *omnia detrimentum esse existimant propter eminentem scientiam Christi Iesu,* et animo invicto terrestria despicientes, coelestiaque unice exspectantes, iis piis operibus et gloriosis laboribus perfunguntur, quibus de catholica ecclesia nec non de societate civili bene merentur.

Sed, ne in ecclesia Dei, sub specie maioris boni vel praesentis necessitatis, aliquid periculi vel incommodi suboriatur, ex mente Tridentini, statuimus ut nulla nova religiosa congregatio sive virorum, sive mulierum in hacce provincia absque ordinarii licentia et expresso consensu instituatur. Magis enim expedit si augeantur iam probatae congregationes quam novae constituantur, nisi, omnibus mature perpensis, propter evidentem animarum utilitatem, huiusmodi novas congregationes visum fuerit inducendas esse.

Provideat episcopus ne maior, quam par fuerit, in conventu numerus suscipiatur, ita ut vel ex reditibus propriis, vel ex consuetis oblationibus commode possint omnes sustentari. Curet etiam ut clausura monialium, si neglecta fuerit, diligenter restituatur, si custodita, omni ope servetur.

Per se vel per delegatum vota recipiat episcopus, habitum religionis induere volentes examinet, eligendis superioribus praesit, abusus tollat, reformanda reformet, disciplinam regularem observandam procuret, vel, si necesse fuerit, restaurandam.

Si instituatur nova aliqua congregatio, vel iam instituta in dioecesim admittatur, ante omnia diligenter observentur canonicae sanctiones, et praevia episcopum inter et superiorem seu fundatorem conventione, statuta et regulae episcopo tradantur. Huius enim synodi ea mens est quod nulla sit in quavis provinciae Senonensis dioecesi congregatio aut ordo, cuius regulas non pernoscat episcopus, ne quid irrepat ab instituto alienum, privato vel publico bono minus accommodatum, seu quod per excessum vel per defectum peccans, *destructionem praestet potius quam aedificationem.*

Episcoporum officium est et superiorum ab ipsis delegatorum, praeter ordinarium confessarium designandum specialiter, et approbandum, alium, bis aut ter aut pluries in anno, ex Tridentino praecepto, confessarium extraordinarium deputare, qui omnes et singulos in congregationibus degentes audire praesto sit, nulla tamen huic confessario faciendae exomologesis imposita lege, sed adeundi tantum et coram eo sistendi. Utrumque confessarium aetate maturum, quantum fieri poterit, sanctitate vitae conspicuum, moribus et doctrina praecellentem ad id munus eligat episcopus. Caeterum, ut sapienter monet Benedictus XIV, episcopi et superiores piarum familiarum erga religiosas quae, legitima de causa, alium, praeter solitum, confessarium postulant, non se praebeant difficiliores.

His autem congregationibus quae iuventutis informandae aut infirmorum sublevandorum curam susceperunt, sollicite providentes, mandamus novitias in varias domus et primariae subditas non prius immitti, nisi sufficiens probationis tempus episcopi iudicio exegerint, ne contagione saeculi aliquid detrimenti patiantur, et *mundano pulvere etiam religiosa corda sordescant.*

Quae vero iam pridem existunt instituta, si quae sint exempta, ea episcopus summi pontificis auctoritate et tanquam sedis apostolicae delegatus, iuxta Tridentinum, in casibus a iure determinatis, visitet; nec, ex eodem Tridentino, nisi consentiente episcopo, admittantur.

## Caput VII.

### *De sepultura ecclesiastica.*

Quanta sit defunctorum corporibus praestanda reverentia, et natura et religio proclamant. Ex pietate enim in iis sepeliendis exhibita et crescunt suffragiorum adiutoria mortuis et vivis solatia sperandorum. Curent igitur parochi, ut cuncta fiant iuxta ordinem a rituali praescriptum ea, qua par est, modestia et devotione, et eiusmodi ritus non ad quaestum, sed ad aedificationem instituti videantur.

Caveant ne quid etiam a divitibus pro exsequiarum stipendio exigatur, praeter id quod consuetudine ab ordinario approbata dari solet, atque pauperibus quos propriis impensis familia decenter humare nequaquam potest, gratis et honeste sepeliendis ipsi invigilent.

Sedulo videant ne praecipiti celeritate et perfunctorie peragantur officia pro defunctis; et sic, loco decentis modulationis, interturbetur cantus promiscua volubilitate.

Vetamus ne quis alienus parochus humandum suscipiat ullum cuiuslibet parochiae incolam, nisi prius corpus a pastore defuncti sibi rite traditum fuerit.

Coemeteria in quibus crux firmiter stare debet, bene septa, rite benedicta, et ab omnibus sordibus aliena sint. Distinctus assignetur locus, non benedictus, his qui sepultura ecclesiastica privandi sunt: quae quidem infidelibus deneganda est aut non baptizatis, nominatim excommunicatis (quorum sepultura coemeterium pollueretur), publice haereticis, schismaticis, apostatis a christiana fide, in conflictu duelli vel in actu evidenter criminoso pereuntibus, nisi signa poenitentiae dederint; his qui, rationis suae compotes, sibi violentas manus intulerint, aut

qui cum scandalo et coram testibus extrema sacramenta impie abnuerunt; quibus omnibus pariter deneganda sunt publica ecclesiae suffragia.

Cum autem in dubio odia sint restringenda, quoties in praefatis casibus aliquid dubii occurrerit, magis indulgentiae quam severitati consulendum est, et, quantum fieri poterit, nihil episcopo inconsulto statuendum.

## TITULUS V.

### Vota reverendissimorum patrum, decretaque pro Senonensis concilii conclusione.

#### Caput I.

*De voto circa beatissimae virginis immaculatam conceptionem emittendo.*

De beatissimae ac gloriosissimae virginis matris Mariae immaculata conceptione perantiquam existimationem ex christianae religionis incunabulis et ex intimo fidei sensu exortam, a patribus ad filios sine intermissione per saecula transmissam et traditam, ecclesiae pretiosam, Mariae ipsique Christo tantopere honorificam, per totum orbem christianum diffusam et propagatam, ex traditione efflorescentem, a tot summis pontificibus et specialiter ab Alexandro VII commendatam, institutis ad hoc festis et sacris officiis celebratam et consecratam, nunc demum a sancta sede apostolica, christiano populo accipiendam, tenendam, credendamque definire velit votis ardentissimis et ore unanimi exposcimus. Quae definitio et declaratio, tot miraculis gloriosae virginis potentiam et quasi coelestem voluntatem manifestantibus praeparata, et a Domino ad nostros dies dilata et reservata, ut singulare tot malis remedium fiat, confidimus, clarissimi pontificatus quaedam propria et peculiaris gloria, ecclesiae tutela et praesidium: ut, quae *regina cleri*, *refugium peccatorum*, *auxilium christianorum* merito nuncupatur omnipotenti apud unigenitum supplicatione, maiores gratiarum divitias effundat: unde clero virtutum et pietatis decus accrescat, peccatores convertantur, iustorum augeatur numerus et charitas multiplicetur, et sic *stella maris* e coelo effulgente, fiat tranquillitas magna et ad felicis exitus portum res animique perducantur.

#### Caput II.

*De sacratissimo cordi Iesu totius provinciae Senonensis consecratione.*

Dominus noster Iesus Christus, „*cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos*,“ et usque ad consummationem saeculi perpetua et ineffabili charitate diligit, ut omnes qui laborant et onerati sunt, pane coelesti, corpore scilicet suo et sanguine refectos, sublevet, et ad immarcescibilem coronam invictos perducat. *Memoriam* igitur *fecit mirabilium suorum*, convescendo socius, moriendo victima et pretium. Hoc in cruce, hoc in altari, hoc in eucharistiae sacramento, Christus operatur. Hunc aperuit, dum caput reponens exspiraret, inexhaustum ex corde suo amoris fontem, nec nos licet infensissimos unquam abiecit. Verum tot et tantis benignissimi salvatoris beneficiis ingrati et immemores, indifferentiam, impietatem, irrisiones rependimus. Quaesivit enim dominus Iesus *qui simul contristaretur, et non fuit*, qui afflictissimum cor et amantissimum, *consolaretur, et non invenit*. Nos igitur, episcopi regionis istius Senonensis, fide olim et pietate percelebris, et quae prima erga cor Iesu devotionis signa exhibuit, nos, inquam, deploranda nimis illa, adversus divinum in augustissimo praesertim sacramento amorem, contradictione permoti, [illegible] debitas Christo in hostiam perpetuam oblato expiationes offeramus, totam hanc provinciam nostram, incolas omnes, praecipueque iuventutem, patriae spem et religionis, pias congregationes, parochias, clerum rectoresque animarum, nosque tandem ipsos, sacratissimo cordi Iesu, necnon cordi Mariae immaculato, devovere et consecrare decrevimus, atque hoc nostro solemni decreto devovemus et in perpetuum consecramus: mandantes omnibus et singulis curam animarum habentibus, ut, die ab ordinario praefigendo, coram sanctissimo sacramento ad genua provoluti, sacratissimo cordi Iesu ipsi se et omnes suos in perpetuum consecratos pronuntient: quo ad digniores christiano nomine sensus, et ad veram fidem pietatemque revocati dioeceseon nostrarum filii, factorum poenitentes, pio gratoque animo erga benignissimum Salvatorem, debitas laudes, debita charitatis fraternae officia quae „*operit multitudinem peccatorum*“, persolvere non desistant, et sic ad montem qui Christus est, ad inexhaustum gratiae et gloriae fontem pervenire mereantur.

#### Caput III.

*De promulgatione testium synodalium.*

Nos, Mellonus Jolly, archiepiscopus Senonensis, antiquum atque probatum de testibus synodalibus institutum secuti, ad hoc officium, de consilio et consensu reverendissimorum coepiscoporum nostrorum, deligimus, instituimus atque pronuntiamus hos quorum nomina sequuntur:

Pro dioecesi Senonensi: reverendum dominum Georgium-Franciscum Collinot, canonicum necnon ecclesiae metropolitanae Sancti-Stephani archipresbyterum; reverendum dominum Florentinum-Franciscum Fortin, archipresbyterum ecclesiae cathedralis Sancti-Stephani Autissiodorensis.

Pro dioecesi Nivernensi: reverendum dominum N. N. Lavernhe, canonicum, vicarium generalem; reverendum dominum N. N. Guillaumet, archipresbyterum ecclesiae Sancti-Martini Clameciaci.

Pro dioecesi Trecensi: reverendum dominum Roizard, canonicum nec non ecclesiae cathedralis archipresbyterum; reverendum dominum Petrum-Alexim Dollat, canonicum.

Pro dioecesi Molinensi: reverendum dominum Martin, canonicum; reverendum dominum Guillaumet, parochum ecclesiae Montis-Lucii.

#### Caput IV.

*De celebratione synodi dioecesanae.*

Iuxta decretum sacri concilii Tridentini, dioecesana synodus quotannis, quantum fieri potest, celebretur.

Ad synodum quicumque in litteris convocationis indicabuntur, fideliter accedant.

#### Caput V.

*De executione decretorum concilii.*

Sic autem omnia, quae ad fidem aut ad morum reformationem statuta sunt, sancita sunto, ut unusquisque episcopus, non solum horum decretorum executionem urgeat in propria sua dioecesi, sed etiam ea de re in proximo concilio provinciali rationem reddat.

#### Caput VI.

*De indictione futuri concilii provincialis.*

„*Provincialia concilia pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris canonibus permissis*,“ salubriter instituta, iubet sancta synodus Tridentina quolibet saltem triennio renovari[1].

[1] Trid., sess. XXIV, *de ref.*, cap. 2.

Cuius mandatis obsequentes nos, Mellonus Jolly, archiepiscopus Senonensis, de consilio et consensu reverendissimorum coepiscoporum, proximum concilium provinciae Senonensis, anno millesimo octingentesimo quinquagesimo tertio, mense septembri ineunte, in urbe Nivernensi, celebrandum denuntiamus et indicimus.

## Caput VII.
*De fine concilii.*

Cum absoluta sint quae pro temporis ratione agi, gerique posse videntur, cumque cura pastoralis reverendissimos dominos episcopos, qui huic synodo interfuerunt et intersunt, ad oves sibi commissas revocet, nos, Mellonus Jolly, archiepiscopus Senonensis, consentientibus patribus, provinciae Senonensis concilio finem facimus, et iam nunc factum esse declaramus.

## Caput VIII.
*De decretorum subscriptione.*

Nos, Mellonus Jolly, archiepiscopus Senonensis, admonemus reverendissimos patres omnes qui huic synodo iure intersunt et interfuerunt, ut post nos, singuli, loco et ordine suo, ad altare accedant, et iis quae in hac synodo decreta sunt, subscribant.

Nos, Mellonus Jolly, archiepiscopus Senonensis, haec decreta a nobis definita subscripsimus:

† M. J., archiepiscopus Senonensis.
† Ego D.-Augustinus, episcopus Nivernensis.
† Ego P.-Ludovicus, episcopus Trecensis.
† Ego P.-S.-Ludovicus-Maria, episcopus Molinensis.

## LITTERAE
*reverendissimorum patrum concilii ad sanctitatem suam Pium, divina providentia papam IX.*

Beatissime pater.

Ad pedes sanctitatis vestrae provinciae Senonensis episcopi in concilio congregati, quae coram Deo et in Christo, ut sperant, confinxerunt decreta, deponere festinant; siquidem optime noverunt sibi ad hanc principalem cathedram conveniendum esse, unde Petrus in successoribus, et ipse Christus in Petro loquitur. Quapropter, constitutioni Sixti papae quinti filiali affectu obsequentes, ea recognitioni vestrae libenter submittimus, ut si quid irrepserit ecclesiae legibus non satis accommodatum, si quid patrum traditionibus minus consonum, si quid sanctae sedi ingratum, illud emendare, corrigere, auferre, pro certa et suprema scientia velitis.

Beatitudini vestrae animadvertere erit quae et quibus ex causis, de liturgia sanximus. Illam orationis publicae unitatem tantopere exoptatam, si non statim, sed in futurum, et quam primum fieri poterit, amplectendam censuimus; huic procrastinationi, quam peculiares suadent circumstantiae, animorum scilicet dispositio, qui ad hanc mutationem non sunt sufficienter parati, parochiarum paupertas et alia huiusmodi obstacula insuperabilia, sanctitatem vestram benigne confidimus indulturam.

Nobis in mente fuit ea quae sunt de beatae Mariae virginis conceptione immaculata, unanimi ore acclamantibus, antiquissimis sanctitatis vestrae respondere votis, ut quasi novis, ex hac nostra simul et omnium ecclesiarum testificatione, additis viribus, exspectatam definitionem pronuntiare annueritis, beatissimae virgini gloriosam, daemonibus terribilem et reipublicae christianae proficuam.

Absit ut sanctitatem vestram edocendam arbitremur, Molinis in hac provincia, primum in honorem sanctissimi cordis altare consecratum et primum nunc attolli templum eidem adorando cordi dedicandum.

A Nec vestram beatitudinem latere indicamus quanto studio et doctrina, praesertim venerabilis Mariae Margaretae vita luculenter enarrata, bonae memoriae Iosephus Languet, archiepiscopus Senonensis, tuendam hanc suscepit devotionem, unde nobis quasi gentilitium patrimonium merito dici possit. Decebat igitur provinciam Senonensem arctiori prae caeteris religione, sanctissimo cordi devinciri, cuius cultum et prior accepit et prior propagavit.

Decernendum ideo duximus solemne fieri votum quo tota provincia domini Iesu Christi salvatoris nostri cordi sacratissimo, inexhausto divinae et fraternae caritatis fonti, laborantium perfugio, desolatorum consolatori, peccatorum asylo, dedicaretur et consecraretur, vestram beatitudinem enixe rogantes ut hanc consecrationem et dedicationem approbare dignetur et gratam habere.

B Insuper, a sanctitate vestra impensissimis precibus expostulamus ut supradictae venerabilis Mariae Margaretae beatificationis causam promoveri assentiatur et accelerari. Quod si annuerit benignissimus pater, nihil supererit amplius, nisi ut, beatissimos pedes humillime osculati, nobis et gregibus commissis apostolicam benedictionem enixe efflagitemus.

Sanctitatis vestrae, obsequentissimi et devotissimi filii:

† Mellonus, archiepiscopus Senonensis.
† Dominicus-A., episcopus Nivernensis.
† Petrus-Lud., episcopus Trecensis.
† Petrus, episcopus Molinensis.

Senonis, die 15 mensis septembris 1850.

## PIUS PAPA IX,
*venerabilibus fratribus Mellono*[1], *archiepiscopo Senonensi, Dominico, episcopo Nivernensi, Petro-Ludovico,* C *episcopo Trecensi, et Petro, episcopo Molinensi.*

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Iucundissimae nobis fuerunt vestrae litterae die 15 proximi mensis septembris datae, atque intime singularis vestrae erga nos et hanc Petri cathedram pietatis, amoris et obsequii sensu conscriptae, quibus, venerabiles fratres, felicis recordationis Sixti V decessoris nostri constitutioni quam libentissime obsecuti, nostro et huius sanctae sedis iudicio subiicere properastis acta provincialis synodi a vobis nuper concelebratae. Quae quidem acta nostrae concilii congregationi ex more examinanda mandavimus, quae suo tempore congruum de eisdem actis dabit responsum. Interim vero vobis significamus non levi certe consolationi nobis fuisse ex ipsis vestris litteris intelligere quantopere inter D alias praecipuas curas et sollicitudines, vobis cordi fuerit statuere ut Romana liturgia in vestris dioecesibus, pro temporum et locorum opportunitate, quam primum fieri poterit admittatur. Nihil ergo[2] nobis gratius contingere poterat, quam ex eisdem litteris agnoscere quo ardenti sane studio incensi estis, venerabiles fratres, ut istius provinciae fideles ad cultum erga sacratissimum divini nostri redemptoris Christi Iesu cor magis in dies excitentur et inflammentur, ac summa quidem laetitia accepimus, Molini eidem sanctissimo cordi templum dedicandum nunc primum attolli. Neque minori gaudio excepimus vestras de immaculata virginis Mariae conceptione postulationes et vota, quae mirifice ostendunt quanta vos pietate et veneratione eamdem sanctissimam Dei genitricem omniumque no-

[1] *Editio:* Melloni.
[2] *Forte:* etiam.

strum amantissimam matrem prosequi gloriamini. Iam vero, quod attinet ad causam beatificationis venerabilis Dei servae Mariae Margaretae, de qua in ipsis litteris verba facitis, persuasum vobis sit nostram congregationem, sacris ritibus tuendis praepositam, omni studio in eamdem causam tractandam incumbere. Nos tamen, vestris desideriis obsecundantes, mandavimus eidem congregationi, ut rebus omnibus diligentissime quidem, et maiori qua fieri potest celeritate discussis, quid sentiendum existimet, nobis, nulla interposita mora, declaret. Pergite autem, venerabiles fratres, maiori usque contentione Dei eiusque sanctae ecclesiae causam strenue propugnare, omnesque vestras cogitationes et curas in id potissimum intendere, ut fideles vobis concrediti magis in dies enutriti verbis fidei, crescant in scientia Dei et cognitione domini nostri Iesu Christi, et per gratiarum charismata confirmati, alacriori usque pede incedant per semitas Domini. Nos quidem haud omittimus clementissimum bonorum omnium largitorem Deum humiliter obsecrare, ut pastoralibus vestris curis et laboribus benedicat, atque uberrima suae bonitatis dona super vos propitius semper effundat, quae in dilectas quoque oves vobis commissas copiose descendant. Atque huius superni praesidii auspicem, et praecipuae nostrae in vos benevolentiae testem apostolicam benedictionem, ex imo corde profectam, vobis ipsis, venerabiles fratres, cunctisque istarum ecclesiarum clericis laicisque fidelibus peramanter impertimur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die 5 decembris anno 1850, pontificatus nostri anno quinto.

Pius papa IX.

## LITTERAE

*eminentissimi A.*[1] *cardinalis Maii, congregationis sacri concilii Tridentini interpretationi praefecti, archiepiscopo Senonensi et coepiscopis provincialibus, super approbatione decretorum concilii provincialis Senonensis.*

Perillustris ac reverendissime domine, uti frater.

Magnam de tua ac coepiscoporum Senonensis provinciae excellenti virtute laudem apud sanctissimum dominum nostrum excitarunt litterae illae, quibus amplitudo tua de habita istic provinciali synodo diligenter referebat, atque ipsius synodi acta de more cognoscenda ac expendenda transmittebat. Vidit enim ipse quae pastoralis zeli, quae eximiae doctrinae, quae singularis pietatis observantiaeque erga apostolicam sedem, omnium ecclesiarum matrem ac magistram, in huiusmodi ecclesiasticorum coetuum reintegratione argumenta edideritis, ex quibus plurima quidem in rem catholicam commoda emanare confidit. Recitatis autem matureque perpensis in solemni patrum cardinalium concilii Tridentini interpretum conventu iis, quae a vobis in Domino congregatis acta et constituta sunt; iidem eminentissimi patres officio suo ad normam constitutionis Sixti V *Immensae*[2] fungentes, haec vobis significanda demandarunt.

Laetati in primis ipsi vehementer una mecum sunt, quod, post acerbissimam et nunquam satis deplorandam rerum omnium in Gallia conversionem, quae, labente praeterito saeculo atque hoc nostro ineunte, evenit, postque tot tantaque damna, aerumnas, persecutiones, quas nedum in vestris regionibus sed in toto qua patet orbe religio passa est, ac hodiedum patitur, cum teterrimum bellum ab iniquis et insanientibus pseudo-philosophis adversus Christum et eius sponsam ecclesiam geri videamus, vestra pietas ac solertia non sine Dei impulsu loquentis per Christi vicarium, qui vos ad tam salutare opus excitavit, opportunam nacta fuerit occasionem iamdiu interrupta provincialia concilia celebrandi. Quorum conventuum convocatione nihil profecto accommodatius, nihil utilius, nihil efficacius ad perniciosissimos turpissimosque errores hac nostra aetate gliscentes e fidelium mentibus depellendos, atque ad sanam doctrinam asserendam propagandamque excogitari unquam potuisset. Quamobrem, pro vestra exquisita prudentia ac religionis studio, quo coelesti robore suffulti, provincialem synodum congregastis, in qua saluberrima decreta sanxistis tum ad fidem fovendam, tum ad ecclesiasticam disciplinam partim instaurandam, ubi lapsa erat, partim confirmandam, ubi adhuc viget, meritas accipite laudes ab hac sacra congregatione Tridentinis decretis interpretandis tuendisque praeposita, quae vestrae vigilantiae diligentiam comprobavit, vobisque in primis gratulatur quod, maiorum instituta secuti, rem tanti momenti cum pontifice Romano communicare officii vestri esse duxistis. Equidem haud vos latuit beatissimum patrem, in sublimi culmine positum, omnibus ecclesiarum negotiis providere, capitis officio recte fungentem, cuius est caeterorum corporis membrorum sanitati atque integritati consulere. Atque huc spectat, caeteris quae ad rem faciunt omissis, quod Iustinianus imperator scribebat ad Ioannem II[1]: *„Nec enim patimur quidquam quod ad ecclesiarum statum pertinet, quamvis manifestum atque indubitatum sit, ut non vestrae innotescat sanctitati, quia caput est omnium sanctarum ecclesiarum."*

Iam vero singula vestra decreta expendentes, multa quidem a vobis apte constituta deprehendimus, sive Romani pontificis supremae, quam divinitus tenet in toto orbe, auctoritati asserendae, unde in omnes ecclesias venerandae communionis iura dimanant, sive fidei catholicae veritati undique ab errorum monstris oppugnatae vindicandae, sive liturgiae Romanae in vestras dioeceses introducendae, quemadmodum sanctissimus dominus noster eiusque decessor Gregorius XVI, ad quosdam Galliae antistites rescribentes, apertissime commendarunt, sive honestarum artium sacrarumque facultatum studiis in seminariis promovendis, unde christiana et civilis respublica lectissimos omnique ex parte excultos excipiet adolescentes, qui, accedentibus annis, divinarum litterarum atque ecclesiasticarum disciplinarum laude florentes, magno porro ecclesiae erunt ornamento et auxilio; et custodientes scientiam, sicut decet Christi sacerdotes, in aciem prodire et praelia Domini fortiter praeliari valebunt.

Periucunda quoque acciderunt eminentissimis patribus quae in ipsa synodo de librorum examine, ut si mortiferum venenum contineant, e fidelium manibus amoveantur; si utiles sint, diffundantur; de sacramentorum praestantia et administratione; de diebus festis observandis deque cultu Deo praestando; de clericorum vita et moribus, ut nil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferentes, in vocatione sancta, qua vocati sunt, semper ambulent; deque praecipuis parochorum officiis ac de catechizandis pueris rudioribusque statuistis. Quarum sanctionum si omnia capita, tum praesertim peculiari laetitia nos perfuderunt quae ad parochorum aliorumque animarum curatorum sedulitatem acuendam spectant, ut plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis pascant, puerosque

[1] Editio, male: R.
[2] Editio, male: Immensa.

[1] Epist. 3, n. 3 [Mansi, Conc., VIII, 796 E].

et rudiores homines divinae legis fideique rudimenta mature doceant, ne adulta aetate, in misera, ut saepe accidit, rerum quae ad salutem sunt necessariae, ignoratione versentur. Quid enim, hisce perditissimis temporibus, in quibus tot errores ac scandala in populum disseminantur, magis opportunum, immo necessarium, quam verbum Dei frequentius fidelibus annuntiare, sanctum Iesu Christi evangelium praedicare, pueros, tanquam infantes modo genitos in religionis et societatis spem succrescentes catechizare, eorumque teneros animos, antequam vitiorum coeno inficiantur, germanae pietatis et coelestis doctrinae lacte imbuere?

Quod provida episcopalis sollicitudo facilius ab animarum curatoribus consequetur, si vos ante eorum oculos ponatis quae concilium Tridentinum[1] et Benedictus XIV, tum in constitutione *Etsi minime*[2], tum in encyclica *Ubi primum*[3], circa huiusmodi onus omnibus animarum rectoribus impositum, praecipiunt. Ita fideles a teneris unguiculis addiscent quanta sit in vitiis deformitas, quantus in virtute splendor atque honestissimae voluptatis copia, iisque virtutibus excolendis accrescent, quae, Augustino teste, domum Dei aedificium in nobis constituunt: „*Domus Dei credendo fundatur, spe erigitur, diligendo perficitur*[1]," vosque de vestrarum ovium profectu uberes fructus percipietis, Deo vestris vigiliis ac sudoribus abunde, ut speramus, benedicente.

Hisce litteris finem facimus pauca adnotando, uti ex pagella huic adiecta colligere licebit, quae in vestrae synodi actis expendendis moderanda sunt visa sacrae huic congregationi; cuius etiam nomine amplitudini tuae, caeterisque provinciae coepiscopis fausta omnia ac salutaria adprecor a Domino.

Amplitudinis tuae, uti frater studiosissimus

A. cardinalis Maius, praefectus.

Hieronymus d'Andrea, archiepiscopus Melitanus, secretarius sacrae congregationis concilii.

Romae, 13 martii 1852.

[1] Sess. V, *de ref.*, cap. 2.
[2] Die 17 febr. 1741.
[3] Die 18 decembris 1748.

[1] S. Aug., sermo XXVII, al. XX, [opp. s. Aug., ed. Bened., V, 148 B].

## ACTA CONCILII.

*Mellonus Jolly, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae gratia archiepiscopus Senonensis, episcopus Autissiodorensis, etc., etc.,*

### SUMMO PONTIFICI PIO IX.

Beatissime pater.

Cum ad nos pervenit vestrae sanctitatis, favente Dei misericordia ac iuvante nostrae militiae virtute, ad limina apostolorum felicis faustique reditus rumor, obedientissimus ego filius vester, procul ab urbe metropolitana, munus episcopo peculiare adimplens, extremas archidioeceseos urbes et pagos perlustrabam.

Tum id mihi carum fuit ut, pro fortunato tamque ardentibus votis exoptato reditu, solemnes per totam archidioecesim Deo optimo maximo gratiarum actiones persolverentur et pro vestra sanctitate praesentius ab eo efflagitaretur auxilium ac tutamen.

At mihi, quem nunc tandem excepit urbs metropolitana, nihil magis in votis est quam ut ad pedes vestros et meas proprias et cleri mei ac fidelium congratulationes deferre festinem. Nunc vero, beatissime pater, cum post tot et tantas calamitates, non modicum hoc largiri dignatus est Deus solatium, ut imperata libertate tandem ecclesia Christi pene frueretur, mihi ac venerabilibus provinciae Senonensis suffraganeis episcopis visum est necessarium, iuxta Tridentinas praescriptiones, benigne nobis annuente vestra sanctitate, tot annis in Gallia praesertim obsoletam conciliorum provincialium seriem renectendam esse; quibus in conciliis, si quae utilia perfici, si prava corrigi, si debilitata corroborari, si desueta restitui, Deo praesente, una curabimus; ideoque nostrum concilium provinciale feria secunda quae dominicam decimam quintam post pentecosten proxime subsequetur indiximus incipiendum.

Quod quidem grande opus ut bene feliciterque peragatur, ad maiorem Dei omnipotentis gloriam, in honorem beatae et immaculatae virginis matris Mariae sanctorumque omnium, ad exaltationem sanctae ecclesiae, nostraeque provinciae peculiarem utilitatem, supplex ego deprecor ut vestram et clero et populo provinciae Senonensis apostolicam benedictionem impertiri non dedignemini.

Sanctitatis vestrae, beatissime pater, devotissimus et obsequentissimus servus et filius.

† Mellonus, archiepiscopus Senonensis.

Senonis, in octava sanctorum apostolorum Petri et Pauli, die scilicet sexta mensis iulii 1850.

### PIUS PAPA IX.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Tuas, IV idus[1] iulii datas, quam libenter accepimus litteras, in quibus illam ipsam qua erga nos et hanc sedem apostolicam adeo excellis pietatem et observantiam confirmas, et valde de nostro in hanc urbem reditu nobis ipsis gratularis. Qui sane bonis omnibus optatissimus eventus maiorem in modum animum tuum excitavit, quo solemnes Deo optimo maximo gratias cum tuo isto grege persolveres, simulque coniunctis precibus ab ipso secundissimos rerum nostrarum exitus summo studio postulares. Haec sane eiusmodi sunt, venerabilis frater, quae nobis consolationem afferant, quaeque sperare nos faciant, ut pia fidelium supplicatione placatus, Dominus velit super nos et ecclesiam universam misericordiam suam multiplicare. Quod scribis de provinciali synodo cogenda, dignum revera est tuo ac venerabilium fratrum suffraganeorum tuorum studio et sollicitudine. Magni enim interest ut difficillima hac conditione temporum mutuo consilio in concordibus animis sese invicem episcopi sustentent. Nos quae in eiusmodi conventu consilia consueritis ineunda, ex actibus intelligemus quos ad sanctam hanc sedem mittere procul dubio festinabitis. Interea, patrem misericordiarum fervidis precibus exoramus ut te aliosque ecclesiasticae istius provinciae episcopos suo spiritu ducere, suoque iugiter dignetur munire patrocinio. Et grati tibi pro officio animi nostri pignus apostolicam benedictionem, cum verae omnis prosperitatis voto coniunctam, ipsi tibi, venerabilis frater, gregique tuo peramanter impertimur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die 10 augusti anno 1850, pontificatus nostri anno V.

Pius papa IX.

[1] Fortasse: „VI die," quia litterae pridie nonas datae sunt. — Nota editor. Collect. Lacensis.

## APERTIO CONCILII.

Anno reparatae salutis millesimo octingentesimo quinquagesimo, recurrente festo sancti Lupi, Senonensis episcopi, dominica decima quinta post pentecosten, die scilicet prima septembris, pluribus elapsis saeculis ex quo conciliorum Senonis habitorum interrupta fuit series, benigne paterneque summo pontifice papa nostro Pio nono annuente, litteris supra memoratis quibus illustrissimus ac reverendissimus dominus dominus Melloaus Jolly, archiepiscopus Senonensis, concilium indixerat, quamprimum alacriterque obsequentes, in perantiquam Senonensium civitatem quicumque concilio provinciali de iure aut de consuetudine adesse tenebantur, convenerunt, nempe illustrissimus ac reverendissimus dominus dominus Dominicus-Augustinus Dufêtre, episcopus Nivernensis, illustrissimus ac reverendissimus dominus dominus Petrus-Ludovicus Cœur, B episcopus Trecensis, illustrissimus ac reverendissimus dominus dominus Petrus-Simon-Ludovicus-Maria de Dreux-Brézé, episcopus Molinensis, admodum reverendus pater Stanislaus, abbas monasterii de Trappa sancti loci de Septem fontibus, ordinis Cisterciensis, e dioecesi Molinensi, vicarius generalis antiquae reformationis abbatis de Rancé, cuiusque ecclesiae cathedralis capitulorum procuratores, et insuper theologi plures et canonistae.

Patres concilii et omnes qui una convenerant capitulorum procuratores, theologos et canonistas, tum in palatio archiepiscopali, tum in aedibus licet imparibus maioris seminarii, hospitalitatem sectans dominus dominus archiepiscopus quam honestissime excepit.

Hac eadem die, illustrissimus ac reverendissimus dominus dominus episcopus Nivernensis, domini domini archiepiscopi, cleri ac fidelium, pro sua con- C sueta benignitate, votis satisfaciens, e suggestu metropolitanae ecclesiae populum Senonensem intra vesperarum solemnia alloquens, et ex illis psalmistae: „*A Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris,*“ exordio assumpto, in concinno luculentoque sermone, et praelia et victorias dixit sanctae ecclesiae catholicae quae, supra petram posita, rabiem persecutorum in cunabulis, haereticorum calumnias in virili aetate, et hisce temporibus philosophiae, impietatis et indifferentismi aggressiones inviolata superavit.

### PRIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Die secunda septembris, id est feria secunda intra hebdomadam decimam quintam post pentecosten, hora octava cum dimidia ante meridiem, in principali aede palatii archiepiscopalis congregati sunt, praeside domino domino archiepiscopo, reve- D rendissimi episcopi patres concilii et reverendus dominus abbas, qui omnes, facta invocatione *Adsumus* ut in pontificali, hac in praeparatoria congregatione de sequentibus tractaverunt.

1. Admodum reverendus pater abbas de Trappa admittetur in congregatione privata episcoporum, cum voce consultativa, et in processionibus praecedet capitulum ecclesiae metropolitanae, post deputatos capitulorum ecclesiarum cathedralium, cum mitra tamen et baculo.

2. Nominatus et designatus fuit reverendus dominus Stephanus Chauveau, vicarius generalis domini archiepiscopi Senonensis, archidiaconus Autissiodorensis, qui in congregationibus privatis reverendissimorum episcoporum sedebit, acta congregationum sessionumque confecturus.

3. Iubentibus patribus, a [illegible] et [illegible]

A sunt lecti a capitulis missi, quorum nomina in prima congregatione generali promulgabantur.

4. Designaverunt pariter patres promotorem, vice-promotorem, secretarios, notarios, magistros caeremoniarum et adiutores magistris caeremoniarum, quorum nomina pronuntiabuntur.

5. Proponit dominus archiepiscopus decretum *de promissione secreti*, ab omnibus qui concilio interesse debent, facienda; decretum *de aperienda synodo*; decretum *de modo vivendi in concilio*; decretum *de professione fidei*, quae unanimiter a patribus admittuntur.

6. Quoad ordinem, placuit patribus quod in sessionibus et processionibus, habitu chori proprio, procuratores capitulorum, theologi, canonistae et officiarii concilii; in congregationibus vero sive privatis sive generalibus et missis synodalibus, omnes tunica talari, pallio longiori induantur cum bireto.

7. Prima sessio pro crastina die, feria scilicet III, hora octava matutina, indicitur, et in missa quae a reverendo domino archiepiscopo celebrabitur, omnes de manu illius communionem sument, patres scilicet, deputati a capitulis, theologi, canonistae et officiarii concilii.

Haec prima privata episcoporum congregatio absoluta fuit per orationem ad beatam Mariam virginem *Sub tuum praesidium*.

Tum ad valvas palatii archiepiscopalis haec affixa est tabella:

Illustrissimus ac reverendissimus dominus dominus archiepiscopus Senonensis, reverendissimi domini domini episcopi, patres concilii, universis et singulis qui concilio provinciali de iure vel consuetudine interesse debent, mandant et praecipiunt, ut, hora tertia post meridiem, die secunda mensis septembris anni 1850, in palatium archiepiscopale conveniant pro congregatione generali in sacello dicti palatii habenda; et ut procuratores et deputati procuratoria ibidem examinanda afferre non praetermittant.

De mandato illustrissimi ac reverendissimi domini domini archiepiscopi Senonensis:

E. Chauveau, secretarius.

### CONGREGATIO PRIMA GENERALIS.

Die secunda septembris, hora tertia post meridiem, in capella privata palatii archiepiscopalis, in qua, super suggestum decenter ornatum, exposita erant sancta evangelia et sacrosancti concilii Tridentini decreta, habita est prima congregatio generalis. Hic, praeside illustrissimo ac reverendissimo archiepiscopo Senonensi, consederant domini domini episcopi Nivernensis, Trecensis, Molinensis cum rocheto et mozeta, admodum reverendus dominus abbas monasterii de Trappa sancti loci de Septem fontibus, ac rite convocatis omnibus canonicis, theologis et canonistis praesentibus cum veste talari, pallio longiore et bireto.

Inchoante domino domino archiepiscopo, recitatus est ab omnibus, genibus flexis, et versa facie ad altare, hymnus *Veni creator Spiritus*, nec non deprecatio *Adsumus*.

Postquam, paucis verbis, et reverendos patres concilii et omnes deputatos theologos ac canonistas de gaudio, quo superabundabat, quod pene concessam libertatem accipere ecclesiae gallicanae tandem liceret, allocutus fuit reverendus dominus dominus archiepiscopus, plura, quae ad normam vivendi pertinebant, disseruit.

Praelectis litteris[1], quas dominus archiepiscopus ad summum pontificem Pium IX in octava sanctorum apostolorum Petri et Pauli, die sexta iulii 1850,

[1] Supra, col. [illegible]

scripserat ut sanctitatem suam pro felici reditu in urbem gratularetur, illamque faceret certiorem de proxima synodo Senonensi, lecta fuit pariter epistola, qua respondens ad dominum archiepiscopum summus pontifex multa precatur pro felici concilii eventu et suam apostolicam benedictionem patribus concilii impertitur die 10 augusti 1850.

Tum, iubente domino archiepiscopo praeside, secretarius, qui de consensu patrum concilii in praevia episcoporum congregatione nominatus fuerat, ea quae in illa congregatione stabilita fuerant sic enuntiavit:

1. Examinatis a patribus delegationibus et litteris procuratoriis capitulorum metropolitanae ecclesiae et ecclesiarum cathedralium provinciae Senonensis, tanquam procuratores capitulorum admissi sunt:

Pro capitulo metropolitano: reverendus dominus Ioannes-Baptista Bidault, canonicus poenitentiarius; reverendus dominus Ioannes-Petrus-Iustinus Lallier, canonicus; reverendus dominus Georgius-Franciscus Collinot, canonicus, necnon ecclesiae metropolitanae Sancti-Stephani archipresbyter.

Pro capitulo Nivernensi: reverendus dominus Marinus Rouchauce, canonicus decanus; reverendus dominus Petrus-Ludovicus Lejeune, canonicus praecentor ac seminarii superior.

Pro capitulo Trecensi: reverendus dominus N. Roizard, canonicus et ecclesiae cathedralis Sanctorum Petri et Pauli archipresbyter; reverendus dominus Petrus-Alexius Dollat, canonicus.

Pro capitulo Molinensi: reverendus dominus Franciscus-Nicolaus Gueullette, canonicus et ecclesiae cathedralis Beatae Mariae Virginis parochus; reverendus dominus Coelestinus Martin, canonicus.

Qui praefati omnes procedent et sedebunt in ordine consecrationis sui respectivi episcopi, praetermissa omni quaestione dignitatis uniuscuiusque ecclesiae.

2. Designantibus reverendissimis patribus, admissi sunt tanquam theologi et canonistae:

Illustrissimi ac reverendissimi domini domini archiepiscopi: reverendus dominus Stephanus Chauveau, vicarius generalis, archidiaconus Autissiodorensis; reverendus dominus Nicolaus Roger, vicarius generalis, archidiaconus Aballonensis; reverendus dominus Ioannes-Baptista Laurent, presbyter congregationis Missionis, vicarius generalis et superior maioris seminarii Senonensis; reverendus dominus Florentinus-Ioannes-Franciscus Fortin, archipresbyter ecclesiae cathedralis Sancti-Stephani Autissiodorensis; reverendus dominus Alexius Baudier, presbyter congregationis Missionis, in maiori seminario theologiae moralis professor; reverendus dominus pater Hieronymus, e monasterio de Trappa sancti loci de Septem fontibus ordinis Cisterciensis;

Illustrissimi ac reverendissimi domini domini episcopi Nivernensis: reverendus dominus Iosephus Gaume, vicarius generalis, archidiaconus; reverendus dominus Carolus-Hubertus Violette, archipresbyter, parochus Sancti-Iacobi Condatensis (Cosne);

Illustrissimi ac reverendissimi domini domini episcopi Trecensis: reverendus dominus Ioannes Roger, vicarius generalis; reverendus dominus Claudius Sébille; reverendus dominus Ioannes-Franciscus-Maria Lequeux, vicarius generalis, superior maioris seminarii Suessionensis;

Illustrissimi ac reverendissimi episcopi Molinensis: reverendus dominus Ioannes Jacquet, vicarius generalis; reverendus dominus Franciscus Gibert; reverendus pater Gustavius-Xaverius de Ravignan, e societate Iesu, presbyter; reverendus dominus Gustavius-Adrianus de Conny, officialitatis metropolitanae Parisiensis promotor.

3. Illustrissimo ac reverendissimo domino domino archiepiscopo proponente, et illustrissimis ac reverendissimis patribus concilii consentientibus, designati sunt:

Pro officio promotoris concilii: reverendus dominus Nicolaus Roger, vicarius generalis domini archiepiscopi, archidiaconus Aballonensis.

Pro officio vice-promotoris: reverendus dominus Marinus Rouchauce, canonicus, decanus capituli Nivernensis.

Pro officio secretariorum: reverendus dominus Stephanus Chauveau, vicarius generalis domini archiepiscopi, archidiaconus Autissiodorensis, et reverendus dominus Emmanuel-Iulius Ravinet, canonicus capitularis ecclesiae Parisiensis, vicarius generalis domini archiepiscopi Parisiensis, vices officialis dioeceseos Parisiensis gerens.

Pro officio notariorum secretariis adiutorum: reverendus dominus Stephanus Rollet, parochus ecclesiae Thorigniacensis; reverendus dominus Ioannes-Ioseph-Augustus Puech, ecclesiae Sancti-Saviniani in suburbio Senonensi parochus.

Pro officio magistrorum caeremoniarum: reverendus dominus Adolphus Carlier, canonicus ecclesiae metropolitanae, et reverendus dominus Ferdinandus-Gustavius-Adrianus de Conny, promotor officialitatis metropolitanae Parisiensis.

Adiutores caeremoniarum: reverendus dominus Ioannes-Baptista Laureau, in seminario minori director; reverendus dominus Ludovicus Thomas, ecclesiae Sancti-Theobaldi vicarius.

4. Quoad ordinem procedendi et sedendi in concilio, statutum fuit quod in processionibus tantum unusquisque episcopus suos vicarios generales adiutores habebit;

5. Quod in congregationibus, tum privatis, tum generalibus, omnes tunica talari et pallio longiore induti erunt cum bireto; in sessionibus vero unusquisque suo habitu chori proprio;

6. Quod a patribus et ab omnibus qui congregationibus sive privatis, sive generalibus intererunt, erit admittenda secreti promissio iuxta sequentem formulam, quae a secretario legetur et cui assentient omnes et singulatim dicentes: *Promitto;*

*Ego N. promitto me nihil aut de suffragiis vel de deliberationibus, quae in congregationibus sive privatis, sive generalibus habebuntur, revelaturum, quod possit vel caritatem erga personas laedere, vel debitam concilio reverentiam minuere.*

Tunc, omnes singulatim, elevata manu dextra, dixerunt: *Promitto.*

7. Perlecta sunt postea a secretario decreta de aperienda synodo, de modo vivendi in concilio et de professione fidei, quae iam in congregatione privata a patribus recognita fuerant et recepta.

8. Annuntiata fuit prima sessio pro crastina die, tertia septembris, in navi ecclesiae metropolitanae, hora octava matutina. In missa sine cantu, qua aperietur haec prima sessio, omnes qui concilio intererunt et etiam clerici qui ministrabunt, iuxta synodorum antiquum morem, in signum unitatis et caritatis, sacram eucharistiam sument de manu domini archiepiscopi celebrantis. Ad hanc sessionem, hora septima matutina cum tribus quadrantibus, universa synodus in capella palatii archiepiscopalis congregata una cum capitulo metropolitano, ad ecclesiam metropolitanam per viam magnam et plateam Sancti-Stephani processionaliter perget.

Huncque finem habuit, recitata oratione *Sub tuum praesidium*, prima generalis congregatio.

## PRIMA SESSIO.

Anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo, sanctissimi domini nostri Pii papae IX pontificatus anno quinto, die tertia septembris, quae erat feria III hebdomadae decimae quintae post pentecosten, habita est prima sessio concilii provinciae Senonensis, ea quae sequitur forma.

Mane, post dimidiam horam a septima, in sacello palatii archiepiscopalis, adfuere illustrissimi ac reverendissimi domini domini episcopi Nivernensis, Trecensis et Molinensis, admodum reverendus abbas monasterii de Trappa Septem-Fontium, ordinis Cisterciensis, canonici omnes metropolitanae ecclesiae et deputati cathedralium capitulorum, theologi et canonistae concilii; ibi reverendissimus dominus archiepiscopus sese ad altare pontificalibus induit, reverendissimi vero episcopi cappas rubri coloris induerunt cum mitra; canonici metropolitanae ecclesiae pariter induerunt cappas rubri coloris.

His ita ordinatis, itum est processionaliter ad metropolitanam ecclesiam eo ordine:

Armiger cum duobus apparitoribus;

Thuriferarius cum naviculario;

Duo crucigeri, cruces gerentes ecclesiae metropolitanae, duobus hinc inde stipati acolythis;

Sequebatur numerosus clerus tum ex omnibus etiam remotioribus dioeceseos Senonensis partibus, tum ex vicinis dioecesibus, sive in nigris, sive in habitu chori ordinario, clerus urbis metropolitanae vicinarumque parochiarum in habitu chori;

Theologi et canonistae, secundum antiquitatem consecrationis sui episcopi procedentes, in habitu chori proprio cum bireto;

Deputati ecclesiarum cathedralium, in habitu ordinario et capitulo proprio;

Dominus praecentor ecclesiae metropolitanae baculum cantoralem dextra tenens, cum duobus succentoribus, in cappis rubri coloris;

Reverendus dominus abbas monasterii de Trappa Septem-Fontium, in habitu regulari, cum mitra et baculo;

Canonici capitulares ecclesiae metropolitanae, in cappis rubris;

Reverendissimi domini episcopi, ordine antiquitatis consecrationis suae incedentes, cappa supra rochetum induti, mitram gestantes, pedum pastorale sinistra gerentes, praecedentibus duobus ministris, et hinc indeque assistentibus vicariis generalibus oram cappae sublevantibus;

Diaconus et subdiaconus canonici;

Crucem gerens clericus archiepiscopalem cappa indutus, medius inter duos acolythos;

Insignia deferentes domini archiepiscopi bini et bini;

Deinde, qui pedo archiepiscopali destinatur, in cappa;

Illustrissimus ac reverendissimus dominus dominus archiepiscopus pontificalibus indutus, pedum pastorale manu gestans, medius inter duos vicarios generales archidiaconos.

Per maiores gressus, palatii e capella exeuntes transierunt per hortum palatii, viam magnam, et per plateam Sancti-Stephani, circumfusa ingenti populi copia, ingressi sunt in navim ecclesiae metropolitanae, quam iam invaserat immensa fidelium turma.

Ibi videre erat cum innumerabili clero, claros viros tum civitati, tum regioni Senonensi praepositos tuendae conservandaeque magistratus, milites suis insignibus decoratos, qui huiusce augustissimae [illegible] concilii [illegible] con-

A His, ob publicam commoditatem, magno apparatu sumptuque erectum fuerat, iuxta portam chori principalem, super suppedaneum tapetibus instructum, altare decentissime ornatum. Non procul ab altari, a latere epistolae, faldistorium sub baldachino pro domino archiepiscopo, et faldistorium coram pluteo deprecatorio circumvolutis aulaeis ornato, cum tapete antrorsum posito, et pulvillus genibus cubitisque destinatus pro unoquoque episcopo.

A parte epistolae, haud longe a sede domini archiepiscopi, canonici ecclesiae metropolitanae sederunt super scammate quam ornatissimo; ad sinistrum vero altaris, sederunt deputati ac capitulorum procuratores, cum theologis et canonistis.

Suaviter modulante organo, dominus archiepiscopus, facta ante altare brevi oratione, thronum ascendit, in quo cappa mitraque depositis, et ponti- B ficalibus ornamentis assumptis cum pallio, altare petit, missam de Spiritu sancto celebraturus.

Dicto *Agnus Dei*, praecedente magistro caeremoniarum, reverendissimus episcopus Nivernensis ascendit altare, et acceptum a reverendissimo domino archiepiscopo osculum pacis, tradit successive reverendissimis episcopis Trecensi et Molinensi.

Interea, dignior capituli metropolitani eodem modo acceptum a domino archiepiscopo osculum pacis, tradit primum decano capituli ecclesiae metropolitanae, deinde admodum reverendo domino abbati et deputato capituli ecclesiae Nivernensis.

Peracta celebrantis communione, accedunt ad altare, accepta stola, reverendissimi episcopi, unus post alterum, et reliqui de clero, bini et bini, ut sacram communionem de manu domini archiepiscopi percipiant.

Finita missa, dum cantatur, alternante organo, C psalmus *Quam dilecta tabernacula*, dominus archiepiscopus in throno exuit pallium, casulam, manipulum et tunicellas, et, reassumpta cappa, sedet in faldistorio supra suppedaneum altaris posito. Interim, reverendissimi episcopi accipiunt cappam mitramque, sedent in faldistoriis in modum hemicycli dispositis, et crux metropolitana coram domino archiepiscopo prope gradum sanctuarii defertur.

Tunc recitantur preces et hymnus pro prima sessione praescriptae, et reverendus dominus archiepiscopus his verbis concilium allocutus est:

Vénérables pères et collègues bien-aimés, messieurs et chers coopérateurs.

Telle est la destinée de la sainte église sur la terre; enfantée par le sauveur des hommes, Jésus-Christ notre Seigneur, au milieu des contradictions D et des peines, des tribulations et des tortures, il faut qu'à travers les siècles qui s'écoulent, elle accomplisse sa mission, tantôt au milieu des persécutions et des orages; tantôt sous un ciel plus pur, sous un soleil plus radieux; toujours combattue, toujours victorieuse, toujours triomphante: ces trois mots renferment toute l'histoire de l'église.

Elle est divine, sa mission! C'est la continuation de l'œuvre de Jésus-Christ dans sa mystérieuse incarnation, dans sa rédemption douloureuse: réconcilier le ciel avec la terre, déchirer l'arrêt de proscription lancé contre nous; rapprocher la créature de son Dieu, l'unir intimement à lui non seulement par la foi, l'espérance et la charité, mais encore par l'union des pensées, l'identité des sentiments, la similitude des actions; établir entre tous les hommes ces liens admirables de la dilection qui doivent faire une seule famille en Jésus-Christ de [illegible] de la terre; et, lorsque le monde,

aveuglé par les passions, oublie le but de son existence, et méconnaît les moyens qui devaient l'y conduire, ramener les choses à leur état primitif, aux vues que se propose le créateur et le rédempteur, par une régénération nouvelle, ou, selon l'expression de saint Paul, par une nouvelle et sainte restauration en Jésus-Christ: *„Instaurare omnia in Christo“*: Telle est cette mission vraiment divine et par son origine et par les fins sublimes qu'elle doit atteindre.

Pourquoi donc les peuples de la terre ont-ils frémi d'indignation contre elle? Pourquoi donc les maîtres du monde se sont-ils soulevés contre le Seigneur et contre son Christ? N'en soyez pas surpris: le disciple n'est pas plus que le maître. De nombreuses persécutions attendent ceux qui veulent vivre en ce monde conformément aux principes de la foi. Pour parvenir à la gloire, il faut passer par beaucoup de tribulations; mais rassurez- B vous aussi; des promesses ont été faites à cette religion sainte; dix-huit siècles se sont écoulés depuis qu'il a été dit: les portes de l'enfer ne prévaudront pas contre elle; et depuis dix-huit siècles, seule, seule contre tous, seule attaquant toutes les erreurs, mais seule aussi l'objet des traits acérés de toutes les sectes, *manus eius contra omnes, manus omnium contra eam*, l'église catholique offre la démonstration toujours nouvelle, la preuve toujours subsistante de l'assistance de son divin fondateur, en présentant aux esprits, même les plus prévenus, la merveille renaissante d'une église toujours combattue et toujours victorieuse, d'une église toujours persécutée et toujours existante; d'un siège, centre de l'unité, toujours agité et toujours inébranlable. Païens et chrétiens, schismes et hérésies, passions et intérêts, artifices et violences, tout s'est ameuté, s'est insurgé, a pris les armes contre elle, et tout C a été vaincu par elle, et le sera toujours: *„Portae inferi non praevalebunt.“*

Qu'est-il besoin de rappeler devant cette vénérable assemblée tout ce que l'église naissante eut à souffrir de la fureur des césars, qui mirent en œuvre tous les efforts de leur puissance pour étouffer le catholicisme dans son berceau? Qui ne se souvient de ces jours si malheureux, mais en même temps si glorieux pour l'église, où ses fidèles enfants plongés dans les cachots, tourmentés sur les chevalets, exposés aux bêtes féroces, livrés aux flammes, expiraient en confessant leur foi dans celui qui avait dit: *Ayez confiance, j'ai vaincu le monde*, et scellaient, par l'effusion de leur sang, les vérités dogmatiques ou pratiques du catholicisme.

Ah! le sang de ces généreux martyrs fut une semence de nouveaux chrétiens, et déjà leur nombre remplissait une grande partie de la terre lors- D que la croix, l'arbre de la véritable liberté et de l'affranchissement de tous les peuples, vint couvrir et protéger de son ombre tutélaire le diadème des souverains et des monarques, lorsque le christianisme s'assit avec Constantin sur le premier trône du monde.

Ne vous dérobez plus aux yeux du monde, saints pontifes; assez longtemps vous avez demandé aux profondeurs de la terre un asile pour sauver vos enfants; paraissez, heureux Sylvestre, Constantin vous cherche pour vous faire recueillir des fruits qui ont coûté tant de travaux, de larmes et de sang; le maître du monde est devenu votre brebis; celui qui voit l'univers à ses pieds, ne croit pas s'abaisser en venant baiser humblement les vôtres.

Mais, hélas!, vous le savez encore, l'époque de la paix rendue à l'église fut aussi l'époque de ses plus douloureux combats, et dans cette paix, elle A trouva sa plus grande amertume: *„Ecce in pace amaritudo mea amarissima.“*

Déjà les passions fermentent, elles s'agitent et enfantent des tempêtes: l'ambition, la cupidité, l'esprit de parti, les inimitiés particulières ont porté le fer et le feu jusque dans Rome.

La croyance doit être une, comme Dieu est un: *Unus Deus, una fides*: Et les croyants se sont divisés par le schisme ou par l'hérésie; . . . et il faut, mot terrible, qu'il y ait des hérésies!

Tantôt appuyée d'un Constance ou d'un Valens, on les voit, les armes à la main, aux portes de la Ville éternelle pour extorquer du souverain pontife une confession de foi captieuse; tantôt assemblant quelques apostats, l'erreur se croit triomphante quand elle a eu l'audace de prononcer quelques blasphèmes; tantôt portant la discorde dans le sanctuaire dont elle a réussi à ébranler quelques colonnes, elle lui suscite des ennemis dans ceux qui naguères étaient ses défenseurs; tantôt, par des appels schismatiques, les Pélagiens, les Luthériens s'efforcent de suspendre, jusqu'à la tenue d'un concile incertain, et qu'ils espèrent bien ne jamais voir, des coups mortels dont ils sentent toute la force.

Mais c'est en vain que l'insidieux serpent s'ensevelit dans les ténèbres pour répandre plus facilement son venin; la lumière la plus éclatante ira déconcerter ses projets; c'est en vain qu'il cherche à dérober sa tête sous ses replis tortueux, la foudre l'écrasera. La vérité apparaîtra plus brillante et plus belle, comme le soleil apparaît plus radieux, lorsqu'il parvient à percer le nuage sombre qui le cachait à nos regards.

Que des royaumes entiers, l'Angleterre, la Suède, le Danemarck, aient le malheur de se soustraire à ses lois; Dieu fera naître, des pierres mêmes, de nouveaux enfants d'Abraham. La terre fût-elle ébranlée toute entière, le Seigneur affermira ses antiques fondements. Mais, quelle redoutable punition vient fondre sur ces nations qui méconnaissent la vérité! Hélas! un royaume qui abandonne le centre de l'unité devient nécessairement la proie de toutes les erreurs; l'irréligion n'y trouve plus de barrières, et laisse à peine le souvenir que l'on fut autrefois chrétien.

Qu'est devenue cette église célèbre qui enfanta les Athanase, les Basile, les Chrysostôme? Elle est assise dans les ombres de la mort.

L'église grecque a, dans son orgueil, arraché la haie et détruit les retranchements qui faisaient sa sûreté; elle se plonge dans la plus avilissante servitude: Dieu ne la connaît plus que pour la punir; il arme les bras de Mahomet II, comme il avait armé autrefois le bras de Nabuchodonosor, pour faire sentir à l'empire d'Orient toutes les rigueurs et la honte de son esclavage.

O Dieu! pourrait-il, un jour, en être ainsi de notre France, de cette nation autrefois si chrétienne, la fille aînée de l'église, sur laquelle vous vous êtes plu à répandre les bénédictions les plus abondantes, les faveurs les plus signalées? Ah! sans doute elle est bien coupable, mais elle paie bien chèrement des moments d'oubli et d'erreur. Que de factions déchirent le sein de cette mère commune! Que d'opinions monstrueuses la dévorent! En serions-nous venus à cette époque malheureuse de la décadence d'une nation qui, minée depuis longtemps par des principes destructeurs, croule enfin sur elle-même par l'affaissement des saines idées?

Non, mon Dieu, non, vous ne le permettrez pas. Vous vous souviendrez que maintenant, de tous les points de cet état, autrefois le premier du monde,

s'élèvent vers vous en sa faveur de ferventes prières; A vous vous rappellerez qu'aucun peuple ne présenta un plus grand nombre de vertus héroïques; vous n'oublierez pas que dans son sein, la charité est inépuisable, que son or se répand pour propager la connaissance de votre nom jusqu'aux contrées les plus reculées, et que, dernièrement, encore, vous vous êtes servi de la valeur de ses généreux enfants, pour l'exécution de vos promesses, pour ouvrir au pontife, votre vicaire exilé, les portes de la ville de vos premiers apôtres, et le faire asseoir de nouveau sur le trône et le siège de saint Pierre dont il est le successeur.

Vous entendrez les gémissements d'une nation qui, comme un malade désespéré, se débat convulsivement au milieu des angoisses d'une cruelle agonie, et qui s'écrie dans sa détresse: vous seul, Dieu tout-puissant, pouvez me sauver, venez à mon aide, et n'effacez pas mon nom de dessus la face B de la terre.

Et le Seigneur ne semble-t-il pas avoir incliné favorablement l'oreille à ces accents lamentables? Entendez-vous dans tous les siècles, car chaque siècle enfanta son erreur, entendez-vous cette église, mère désolée, sans autres armes que ses prières et ses larmes, mais confiante dans les promesses de son divin fondateur, s'élever seule contre tous les enfants dénaturés qui déchirent son sein, ou contre ces enfants non moins malheureux qui, dans leur hideuse indifférence, méconnaissent les gémissements de son cœur maternel? L'entendez-vous combattre les erreurs en proclamant la vérité, et en dictant au monde étonné de sa propre obéissance, des arrêts solennels auxquels se soumettent tous les peuples de la terre?

Tantôt dans des assemblées générales, dans les conciles œcuméniques comme les virent Nicée, Con- C stantinople, Ephèse, Chalcédoine, Lyon, Vienne, Florence, et Trente, elle défend la divinité de Jésus-Christ, la divinité du Saint-Esprit, la sublime dignité de Marie, mère de Dieu, la nécessité de la grâce, le libre arbitre de l'homme, et terrasse toutes les autres erreurs en matière de foi.

Tantôt, dans des assemblées particulières, dans des conciles nationaux ou provinciaux, comme à Rome, à Arles, à Tours, à Soissons, à Paris, à Sens, les évêques réunis en communion avec le souverain pontife, condamnent les doctrines perverses, s'occupent efficacement de la réforme des mœurs, et retracent les règles immuables et saintes pour rendre à la religion sa première beauté et son heureuse influence.

Les conciles ont parlé, et les souverains pontifes ont envoyé leurs décisions, comme Célestin à Ephèse et Léon à Chalcédoine; tous les pères y D souscrivent par acclamation: *Petrus per Leonem locutus est*: Pierre a parlé par la bouche de Léon; et encore, avec saint Augustin: la cause est terminée, plaise au ciel que l'erreur finisse aussi: „*Causa finita est; utinam finiatur error.*“

Le bras du Seigneur n'est pas raccourci: maintenant, comme toujours, forte de son appui divin, au milieu de nos dissensions, de nos perturbations, au milieu du chaos des doctrines et de la plus déplorable anarchie des intelligences, l'église catholique lève encore sa tête vénérable; sa voix puissante domine les bruits de la guerre et des révolutions, elle appelle à elle tous ses enfants et semble leur dire:

Voyez-vous votre mère? Après dix-huit siècles de combats, elle est belle encore, et toujours pure, toujours digne des regards de son divin époux: les erreurs se sont, de toutes parts, soulevées contre elle, les passions humaines ont voulu couvrir sa tête du voile de l'ignominie; mais le Seigneur s'est levé, il n'a pas pris en sa main puissante la foudre vengeresse, il a regardé seulement, il a abandonné à elles-mêmes et l'erreur et les passions turbulentes des hommes, et voilà que les digues de la société, battues par leurs flots, sont ébranlées jusque dans leur fondement.

On avait dit: l'église catholique a fait son temps dans la France; et voilà qu'elle survit aux générations qui passent, aux dynasties qui disparaissent sous le souffle de la colère des peuples; voilà que, lasses enfin d'agitations, de mouvements, d'incertitudes, les nations ont compris qu[illegible]t en vain que l'on veut lutter contre le [illegible] Le peuple français s'est retourné vers le catholicisme: c'est en lui seul qu'il espère, c'est au Dieu de ses pères qu'il veut revenir enfin. Et c'est lorsque l'impiété soulevée contre le Seigneur semblait être à son comble, lorsque déjà elle entonnait le chant du triomphe et de la victoire, que, contre toute attente, contre toutes les prévisions humaines, la liberté renaît pour l'église, afin qu'elle puisse continuer sa grande mission de sainte régénération. Et maintenant encore, comme autrefois, ses pontifes se sont réunis en présence de Dieu; ils sont venus inaugurer pour nos églises une période nouvelle qui, nous l'espérons, sera féconde en bénédictions et en fruits de salut.

Déjà la France a offert le spectacle consolant des conciles provinciaux sur une vaste étendue de son territoire; déjà la voix du prince des pasteurs y a donné son adhésion: Pierre a parlé par la bouche de Pie IX.

Antique métropole de Sens, tu ne seras pas deshéritée! Tu fus autrefois la gloire des Gaules; tu vis nombre de fois les pontifes de la province, réunis sous tes voûtes sacrées, faire entendre leurs saints enseignements, afin de fortifier nos églises en les unissant plus étroitement, afin d'affermir le règne de la foi, de resserrer les liens de la discipline, et de travailler par là plus efficacement au salut des âmes, et à la guérison des maux de la société.

Vous les voyez encore, nos très chers frères, assemblés, réunis au pied du saint autel, ces vénérables pères du concile, vos maîtres dans la foi, nos frères dans l'épiscopat. Heureux en ce jour de jouir de leur présence, vos yeux ne se lassent pas de contempler, ici, le zèle ardent et infatigable de Paul[1], dont le cœur, plus vaste que le monde, aurait voulu conquérir l'univers entier à l'amour de son divin maître; là[2], l'éloquence des Basile, des Grégoire et des Chrysostôme; ici, encore[3], un pontife, dont le nom bien connu et béni au milieu des bons ouvriers de la capitale, auxquels il avait consacré sa vie, rappelle de grands et glorieux services rendus à la patrie. Autour d'eux sont venus se grouper ces hommes de science profonde, d'étude constante, de vertu éprouvée; ces dignes enfants de saint Bernard, dont la vie pauvre, laborieuse, pénitente est un reproche vivant au sensualisme des chrétiens de nos jours: nouvel Antoine, le chef vénéré[4] de la sainte colonie a quitté le désert où, loin du commerce et des passions des hommes, il pleurait sur leurs égarements et priait pour eux, parce qu'il a vu la religion et la patrie attaquées, menacées par des doctrines perverses; et ce dis-

[1] Mgr Dufêtre, évêque de Nevers.
[2] Mgr Cœur, évêque de Troyes.
[3] Mgr de Dreux-Brézé, évêque de Moulins.
[4] Le r. p. Stanislas, abbé de la Trappe de Sept-Fonts.

ciple d'Ignace[1] qui, à l'exemple de celui qu'il A nomme son père, a renoncé aux flatteuses espérances du siècle pour chercher dans la folie de la croix *la plus grande gloire de Dieu*, et devenir l'apôtre, le conseiller, l'ami d'une jeunesse toujours avide de l'entendre, toujours heureuse de suivre ses avis; tous ces hommes de Dieu enfin, les anciens du sanctuaire, les vétérans du sacerdoce, les dépositaires de la sagesse et de l'expérience, dont la vie entière a été consacrée à faire le bonheur des peuples confiés à leurs soins. Ils sont au milieu de vous, habitants de Sens, et dans l'exercice légitime de leurs droits, de leur liberté, qui ne sauraient nulle part, entourés de vos respects et de votre vénération, être en plus grande sécurité que sous la garde de la renommée de votre antique et loyale hospitalité. Leur liberté, vous le savez, ne sera jamais la licence: la liberté de l'église ne ressemble à nulle autre; elle est marquée d'un B caractère sacré; ce n'est pas le torrent qui, franchissant toutes ses rives, porte partout la désolation et la mort, et va se perdre, sans honneur, dans les dernières terres qu'il a ravagées. L'église en possession de sa liberté, c'est (on l'a dit avant nous), le fleuve magnifique qui contient dans ses rives ses eaux puissantes et les porte à l'océan, après avoir répandu, en tous lieux, sur son passage, l'abondance et la vie. Vous applaudissez à cette liberté, et vous la protégeriez s'il en était besoin.

Magistrats, dont l'active vigilance s'exerce avec zèle dans cette cité, nous nous reposons entièrement sur vous; par vos soins, nous en sommes assurés, le calme, la paix, la tranquillité, ne cesseront d'environner le nouveau cénacle où l'Esprit-Saint, que nous venons d'invoquer, nous convie.

Et tandis que là, dans le silence de l'étude et C le recueillement de la méditation, vos pères en Jésus-Christ occupés, sous les yeux de Dieu, de vos intérêts les plus chers, s'efforcent de rendre, parmi vous, toute leur action et toute leur puissance à ces belles vertus que la religion commande, à ces ressources infinies que l'on trouve dans les vérités saintes, dans le culte du Seigneur, dans le ministère pastoral, vous, nos très chers frères, continuez à faire monter vers le ciel des vœux ardents et des prières ferventes; souvenez-vous devant le Seigneur de vos guides dans les voies du salut; ne cessez de demander pour eux ses dons de conseil, d'intelligence, de force, de science, de piété plus que jamais nécessaires dans les jours où nous vivons; afin que tous, réunis dans les mêmes sentiments, comme nous le sommes dans la même foi, et liés plus étroitement encore par une sainte affection, nous ne fassions qu'un seul troupeau sous D la houlette du souverain pasteur des pasteurs des âmes, en l'unité du Père et du Fils, et du Saint-Esprit: „*Ut sint consummati in unum.*" Amen.

Qua oratione peracta, promulgantur et a patribus sanciuntur, cum caeremoniis usitatis, decreta quae sequuntur:

1. Decretum *de aperienda synodo*.
2. Decretum *de modo vivendi in concilio*, in quo proclamantur nomina officiariorum concilii et diurnus exercitiorum ordo indicatur.

Facta fuit appellatio patrum concilii, cui responderunt omnes: *Adsum*, et tunc 3. proclamatum fuit decretum *de professione fidei*, quae quidem a patribus et a singulis membris concilii emittitur.

Indicitur postea, consentientibus patribus, secunda sessio pro dominica decima sexta post pentecosten, recurrente festo nativitatis beatae Mariae virginis, die scilicet octava septembris, nisi, pro rebus concilii bene gerendis, aliter indicaverint patres.

Demum, benedictione solemni data a domino archiepiscopo, indulgentia centum dierum a patribus concilii concessa, e suggestu proclamata, processionaliter redeunt omnes eadem via, eodemque ordine quo ventum erat, numerosiore populo affluente, mirantibus omnibus ac benedicentibus Domino.

### SECUNDA CONGREGATIO PRIVATA.

Die tertia septembris, habita iam solemniter prima sessione, hora prima cum dimidia post meridiem, congregatis in loco ordinario patribus, cum reverendo abbate et secretariis, oratione praemissa, legit secretarius acta primae congregationis generalis, et exponit dominus archiepiscopus ea quae in secunda congregatione generali erunt agenda. Statutum fuit primo, quod unusquisque reverendissimorum patrum, domino archiepiscopo excepto, et reverendus dominus abbas suam haberet congregationem privatam, sub his titulis:

Congregatio *de decretis*, cui reverendissimus episcopus Nivernensis, congregatio *de hierarchia*, cui reverendissimus episcopus Trecensis, congregatio *de disciplina*, cui reverendissimus episcopus Molinensis, congregatio *de rebus sacris*, cui reverendus abbas praesides erunt ac moderatores, suffectis tamen unicuique congregationi vice-praeside, secretario et vice-secretario. Designati sunt deinde theologi et canonistae, qui his in congregationibus erunt adunati.

Cum iam hora esset tertia in qua habenda erat secunda congregatio generalis, uti a patribus statutum fuerat, interrupta fuit ista secunda congregatio privata, quae post secundam congregationem generalem et ordinatas et dispositas ab unoquoque episcopo congregationes privatas continuatur, et rursum, congregatis patribus in aedibus archiepiscopalibus, leguntur ac discutiuntur nonnulla decreta, nempe:

Decretum *de erroribus temporis nostri, de administratione sacramentorum; de monialibus; de ecclesia; de hierarchia; de officiis episcoporum; de metropolitano; de capitulis.*

Statutum fuit a patribus quod deinceps, non ad horam sextam cum dimidia, sed ad horam septimam indicabitur refectio vespertina, ut rebus concilii gerendis et studiis longius opportuniusque tempus concederetur.

Statutum fuit etiam quod regula diurna vivendi, curante secretario, affigeretur diversis in locis, ut omnibus innotesceret illa mutatio, et dicta oratione, hora sexta, absoluta fuit secunda congregatio privata episcoporum.

### CONGREGATIO GENERALIS SECUNDA.

Feria tertia, die scilicet tertia septembris 1850, hora post meridiem tertia, in capella palatii, eodem ordine et apparatu quo heri, habita est secunda congregatio generalis, cui praesentes adfuere, excepto domino Roizard, praeter reverendissimos concilii patres et theologos, qui praecedenti congregationi aderant, reverendi domini Ravinet, secretarius alter, Lallier, Martin, Gibert, de Conny.

Recitata oratione *Adsumus*, leguntur et approbantur acta praecedentis congregationis generalis. Tum secreti promissionem emisere qui heri absentes erant, et proclamantur nomina theologorum qui diversis congregationibus ascribuntur, scilicet:

1. Pro congregatione *de decretis*.

Praeside: reverendissimo domino domino episcopo Nivernensi;

[1] Le r. p. [de] Ravignan, de la compagnie de Jésus.

Domini Gaume, vice-praeses; Gibert, secretarius; Dollat, pro-secretarius.

Roger, Trecensis; Roisard; Bidault.

2. Pro congregatione *de hierarchia.*

Praeside: reverendissimo domino domino episcopo Trecensi;

Domini Lequeux, vice-praeses; Lallier, secretarius; de Conny, pro-secretarius.

Rouchauce; Martin; Carlier.

3. Pro congregatione *de disciplina et studiis.*

Praeside: reverendissimo domino domino episcopo Molinensi;

Domini P. de Ravignan, vice-praeses; Lejeune, secretarius; Sébille, pro-secretarius.

Roger, Senonensis; pater Hieronymus; Laureau.

4. Pro congregatione *de rebus sacris.*

Reverendissimo patre abbate, praeside;

Domini Laurent, vice-praeses; Jacquet, secretarius; Violette, pro-secretarius.

Gueullette; Fortin; Baudier; Thomas.

Harum congregationum opus erit, quaestiones discutere quae illis proponuntur a patribus concilii, scilicet: congregatio *de decretis* tractabit de librorum examine, de erroribus qui hodiedum pervulgati sunt, de celebratione conciliorum provincialium; congregatio *de hierarchia:* de his omnibus quae ad sacram ecclesiae constitutionem spectant; congregatio *de disciplina et de studiis:* de seminariis, de vita, de religiosis sacrarum virginum congregationibus; congregatio *de rebus sacris:* de administratione sacramentorum, de religione docenda, de sanctificatione diei dominicae et festorum quae sunt de praecepto, et de sepultura ecclesiastica.

Discussionum suarum brevem relationem, et, ubi locus erit, decreti formulam patrum examini submittent, qui, si opus probaverint, in congregatione generali legendum curabunt ut unusquisque theologorum quid sibi sentiendum videatur cum integra libertate dicat.

Theologorum sententiae a secretariis notabuntur, qui illas patribus referent, ut ipsi pro sua prudentia statuant, et decretorum formulam definiant.

His expositis, reverendissimus dominus dominus archiepiscopus theologos admonet ut cum praelato praeside, loca petant suis congregationibus destinata. Ut autem citius et plenius opus sibi propositum aggredi possint theologi, crastina nulla erit congregatio generalis, sed et hora octava cum dimidia mane, et hora tertia post meridiem, congregationes patrum et theologorum privatae erunt.

Hora quarta, post orationem *Sub tuum praesidium*, recedunt omnes.

TERTIA CONGREGATIO PRIVATA.

Die septembris quarta, hora octava cum dimidia, praesentes adsunt omnes reverendissimi patres cum admodum reverendo abbate et secretariis.

Dicta oratione *Adsumus*, leguntur et approbantur acta congregationis privatae praecedentis et sessionis primae, quae heri in ecclesia metropolitana habita est.

Circa ordinem quo dispositi fuerant patres concilii in celebratione illius sessionis, dubium emittitur annon antiquior consecratione episcopus a parte evangelii sedere debuerit, quae quidem quaestio non solvitur.

Postea leguntur: 1. decretum *de seminariis*; 2. decretum *de praecipuis rectorum seu parochorum officiis*, quae ambo ad congregationem theologorum

A de decretis transmittuntur; 3. decretum *de docenda religione*, quod admodum reverendo abbati traditur ut illud congregationi de rebus sacris communicet; 4. *de presbyteris*.

Hora undecima cum dimidia, post orationem *Sub tuum praesidium*, discedunt patres, vespere in congregatione privata, hora secunda usque ad horam quartam, et hora quinta ad septimam sessuri.

QUARTA CONGREGATIO PRIVATA.

Die quarta septembris, hora secunda post meridiem, conveniunt omnes concilii patres cum secretariis.

Lectis et approbatis actis congregationis privatae praecedentis, leguntur decreta: 1. *de praedicatione*; 2. *de vicariis generalibus, archipresbyteris et decanis*; 3. *de foro episcopali*; 4. *de presbyteris infirmis*; 5. *de presbyteris interdictis*; 6. *de vita et*
B *moribus clericorum*; 7. *de conciliis provincialibus et dioecesanis synodis celebrandis.*

Varia haec decreta diversis theologorum congregationibus transmittuntur.

Hora quarta recedunt patres.

QUINTA CONGREGATIO PRIVATA.

Eadem die, hora quinta, conveniunt omnes concilii patres cum secretariis.

Oratione praemissa et approbatis actis praecedentis congregationis, discutiuntur aliquot decreta quae a diversis theologorum congregationibus ad patres remissa sunt: 1. *de ecclesia*; 2. *de ecclesiastica hierarchia*; 3. *de congregationibus religiosis*; 4. *de sacramentorum administratione.*

Hora septima, precibus dictis, discedunt patres.

SEXTA CONGREGATIO PRIVATA.

C Die septembris quinta, hora octava cum dimidia, adsunt omnes concilii patres cum secretariis.

Dicta oratione *Adsumus*, approbantur acta congregationis privatae praecedentis, et continuatur discussio decretorum.

Dum autem legitur hoc decretum, vices promotoris in concilio gerens in patrum coetum admissus, exponit quosdam ex theologis plurimum expetere ut inter decreta concilii aliquod de admittenda per totam provinciam Senonensem liturgia Romana promulgetur; et a patribus sciscitatur utrum, pro suo munere promotoris, aliquid a concilio circa hanc quaestionem requirere expediat. Respondit reverendissimus dominus archiepiscopus concilii officiarios non theologorum, sed patrum nomine, officio suo fungi; ac proinde minime decere ut promotor concilii ullam quaestionem in medium proferat, praeter eas quae a patribus trac-
D tandae definiuntur: theologos vero et canonistas ad id electos esse a suis episcopis, ut dubia proposita solvere et requisitum consilium, pro sua sapientia, impendere admittantur, non autem ut patribus quid tractandum, quid decretis statuendum sit indigitent; si denique a capitulorum deputatis quaestio haec moveretur, inquirendum esse ante omnia utrum aliquod speciale mandatum a suis capitulis circa hoc punctum acceperint: quod si nullum, ut verisimile est, habeant, ipsis suadendum esse ut sicut et alii qui ad concilium admissi sunt, patrum sapientiae confidant circa tractandarum quaestionum opportunitatem. Tunc, recedente promotore, continuatur lectio decreti quod iterum congregationi de decretis transmittitur.

Discutiuntur postea decreta sequentia: 1. *de fide*; 2. *de sacramentorum administratione*; 3. *de examine librorum*; 4. *de sancta sede apostolica*; 5. *de metropolitano.*

Hora undecima cum dimidia, recitatis precibus A discedunt patres.

### SEPTIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Die quinta septembris, hora secunda, adsunt omnes concilii patres cum secretariis.

Precibus recitatis et probatis actis congregationis privatae praecedentis, legitur decretum de fide, quo discusso, hora tertia, discedunt patres.

### CONGREGATIO GENERALIS TERTIA.

Die quinta septembris, hora tertia, congregatis omnibus concilii patribus, concilii officiariis, capitulorum delegatis, exceptis domino Roizard Trecensi, et domino Martin Molinensi aegrotante, theologis et canonistis in capella archiepiscopalis palatii, precibusque ad Deum effusis, leguntur acta primae sessionis et secundae congregationis generalis.

Exponit postea reverendus dominus archiepiscopus ordinem, quo procedendum erit in discussione decretorum quae in generalibus congregationibus proponenda sunt. B

Ab uno ex secretariis concilii legetur primum tota decreti series; quo facto, diversas illius partes resumet, quae singulatim theologorum examini subiicientur.

Legitur primum, iubente domino archiepiscopo, decretum *de fide* et illud quod sequitur *de praecipuis erroribus praesentis aevi*. Interrogatus quisque a domino archiepiscopo, ex ordine suam opinionem libere dixit, sive paucis, sive pluribus verbis, quae a secretariis collecta notataque, patrum congregationi transmittentur.

Leguntur postea decreta *de ecclesia, de hierarchia, de librorum examine.*

Hora sexta cum tribus quadrantibus, dicta deprecatione *Sub tuum praesidium*, recedentibus patribus et theologis, finem habuit tertia congregatio generalis. C

### OCTAVA CONGREGATIO PRIVATA.

Die sexta septembris, hora octava cum dimidia, adsunt omnes concilii patres cum secretariis.

Approbantur acta praecedentis congregationis privatae, et leguntur decreta *de sanctificatione diei dominicae et festorum quae sunt de praecepto*, et *de sepultura ecclesiastica*; quae ambo admodum reverendi abbati, congregationis *de rebus sacris* praesidi, traduntur.

Sententiae, quae heri in congregatione generali a theologis expositae sunt circa decretum de *fide et erroribus praesentis aevi*, leguntur a secretariis.

Quibus sententiis perpensis, transmittitur decretum congregationi *de decretis* cum notis patrum, D ut, emendatis quae emendanda sunt, in definitiva forma redigi possit.

Legitur postea decretum novum sub titulo *de ecclesia Romana, de summo pontifice et de hierarchia ecclesiastica.*

Quod quidem, ex his coalescens quae heri proposita fuerant, eorum tenebit locum.

Hora undecima cum dimidia, discedunt patres post orationem *Sub tuum praesidium.*

### NONA CONGREGATIO PRIVATA.

Die sexta septembris, hora secunda post meridiem, adsunt omnes concilii patres cum secretariis; dictis precibus, leguntur decreta: 1. *de fide et de erroribus recentiorum temporum*; 2. *de communitatibus religiosis*; quae modo in congregatione generali inter theologos discutienda sunt.

Hora tertia recedunt omnes.

### CONGREGATIO GENERALIS QUARTA.

Die sexta septembris, hora tertia post meridiem, congregatis cum reverendissimis patribus, omnibus concilii membris, praeter dominos Roizard et Martin, qui morbo detinentur, et recitata oratione *Adsumus*, leguntur acta praecedentis congregationis.

Quibus approbatis, dantur a reverendissimo domino archiepiscopo quaedam monita circa discussionem decretorum in congregationibus generalibus.

Postea, exquiruntur theologorum sententiae circa decreta quae sequuntur: 1. *de ecclesia*; 2. *de metropolitano*; 3. *de communitatibus religiosis*; 4. *de sacramentis.*

Hora sexta cum dimidia, dictis precibus, recedunt omnes.

### DECIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Die septima septembris, hora octava cum dimidia, adsunt omnes concilii patres cum secretariis.

Dicta oratione *Adsumus*, expenditur decretum *de fide*, et definitiva ipsius forma statuitur.

Discutiuntur postea sententiae a theologis emissae circa decretum *de ecclesia catholica* etc., quod congregationi de decretis cum notis patrum transmittitur.

Expenditur decretum *de erroribus hodiernorum temporum* et definitive admittitur.

Statuunt patres hodie, hora tertia, non habendam esse congregationem generalem, ut absolvi possint decreta quae in sessione secunda cras legenda sunt.

Hora undecima cum dimidia, recedunt patres.

### UNDECIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Die septima septembris, hora secunda, adsunt omnes concilii patres cum secretariis, et, dictis precibus, expenduntur sententiae theologorum emissae in congregatione generali hesterna circa decreta quae sequuntur: 1. *de ordinibus religiosis et de piis congregationibus*; 2. *de metropolitano*; 3. *de librorum examine.*

Hora quarta, suspenditur congregatio usque ad horam quintam.

Hora quinta, legitur decretum *de sacramentis* et patrum examini submittuntur sententiae theologorum circa hoc decretum.

Proponitur postea decretum *de praecipuis parochorum officiis.*

## SECUNDA SESSIO.

Die octava septembris, quae erat dominica decima sexta post pentecosten, recurrente festo nativitatis beatae et immaculatae semperque virginis Mariae, hora septima cum dimidia, in sacellum privatum domini domini archiepiscopi conveniunt omnes patres concilii cum deputatis capitulorum, theologis et canonistis, absentibus dominis Roizard Trecensi et Martin Molinensi. Mox, sacris ornamentis indutis, omnes ad ecclesiam metropolitanam, eodem ordine ac in prima sessione, pergunt processionaliter. A reverendo domino episcopo Nivernensi, cum cantu, ob diem dominicam, missa celebrata fuit, domino domino archiepiscopo cum dominis episcopis sedentibus in faldistoriis, admodum reverendo abbate vero in sedili, a latere evangelii.

Missa finita, precibus ut in pontificali decantatis, incepit sessio, in qua sic dixerunt promotor et vicepromotor concilii:

„Illustrissime et reverendissime domine, reverendissimi patres, cum in praesenti omnium rerum perturbatione, homines cupidi, elati, superbi, seipsos amantes, in densissimis errorum tenebris versantes,

divini et humani iuris aut contemptores aut osores, societatem omnem sive religiosam, sive politicam, sive domesticam indefessis ictibus evertere nituntur, quo facilius et liberius impia consilia perficere, et perniciosissimos errores propagare possint; pronum est ut omnes pastores et fideles ad hoc concilium, non sine quadam inscrutabili et admiranda Dei providentia congregatum, in his supremis tempestatibus oculos convertant, quatenus a patribus decreta obtineant, quibus et huius provinciae clerus, ecclesiasticae disciplinae fiat observantior, et plebs in dies magis eniteat tum integritate fidei, tum pia sacramentorum susceptione, et morum religiosa gravitate et puritate. Exierunt enim nostris diebus pseudo-prophetae pseudo-doctoresque in mundum, de quibus dixit Dominus: „*Non mittebam prophetas, et ipsi currebant, non loquebar ad eos et ipsi prophetabant,*“ ut variis doctrinis et peregrinis christianorum animas depravarent: quorum quidem impietas, omnibus satanae artibus instructa, tam longe progressa est, ut nullis fere certis finibus contineri posse videatur. Ideo, nos huius synodi promotores, ab amplitudine vestra humiliter petimus ac requirimus quatenus decreta, iam in privatis congregationibus communi patrum studio comprobata, in hac secunda synodi sessione legantur, definiantur atque solemniter edicantur.

„Haec ad sex revocantur, scilicet:

1. *de fide;*
2. *de erroribus praecipuis praesentis aevi;*
3. *de metropolitano;*
4. *de ordinibus religiosis et de piis congregationibus;*
5. *de librorum examine;*
6. *de sacramentis.*“

Tunc promulgata sunt a secretariis e suggestu, sancita a patribus, decreta *de fide, de erroribus praecipuis praesentis aevi, de metropolitano, de librorum examine, de ordinibus religiosis et piis congregationibus, et de sacramentis;* quae cum approbavissent patres dicendo: *Placet*, indicata fuit proxima sessio ad diem iovis, scilicet feriam quintam hebdomadis decimae sextae post pentecosten, quae erit duodecima mensis septembris; et, promulgata a secretario e suggestu centum dierum indulgentia a patribus concessa, eodem ordine et eadem via reditum fuit processionaliter ad capellam palatii archiepiscopalis, Saviniana et Potentiana, maioribus ecclesiae metropolitanae campanis, resonantibus.

### DUODECIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Die octava septembris, hora quinta, adsunt omnes concilii patres cum secretariis.

Recitatis precibus, et lectis et approbatis actibus undecimae congregationis privatae episcoporum et secundae sessionis, proponuntur a reverendissimo episcopo Trecensi nonnullae quaestiones circa obligationes ex iure tum ad officium publicum, tum ad residentiam pro canonicis; quaedam autem de iuribus eorum, praesertim vacante sede episcopali.

Leguntur etiam decreta *de episcoporum dignitate ac iuribus; de vicariis generalibus.*

Hora septima, recitatis precibus, patres discedunt.

### DECIMA TERTIA CONGREGATIO PRIVATA.

Die nona septembris, hora octava cum dimidia, adsunt omnes concilii patres cum secretariis.

Dicuntur preces, leguntur et approbantur acta duodecimae privatae episcoporum congregationis.

Examinantur decreta quaedam: *de vicariis generalibus, de archidiaconis, archipresbyteris et decanis; de sacramento poenitentiae; de episcoporum* [illegible] *de matrimonii sacramento; de sacramento extremae unctionis; de doctrina Christi; de catechisandis pueris; de Romano pontifice et ecclesia.*

Hora undecima cum dimidia, dictis precibus, recedunt patres.

### DECIMA QUARTA CONGREGATIO PRIVATA.

Die nona septembris, hora secunda, adstant omnes concilii patres cum secretariis.

Oratione praemissa, legitur decretum *de auditorio episcopali et de seminariis.*

Hora tertia, in congregationem generalem recedunt patres.

### CONGREGATIO GENERALIS QUINTA.

Die nona septembris, hora tertia post meridiem, congregatis, cum reverendissimis patribus, cunctis theologis et canonistis, exceptis domino Roizard Trecensi et domino Martin Molinensi, recitatur oratio *Adsumus*, et approbatis actis secundae sessionis concilii quae heri habita est, et congregationis generalis quartae, discutiuntur inter theologos decreta quae sequuntur: *de praecipuis rectorum pastorumque officiis; de episcoporum dignitate et iuribus; de doctrina christiana; de catechisandis pueris; de matrimonii sacramento.*

Notantur a secretariis dicta quae ad congregationem privatam patrum referentur. Hora sexta cum dimidia, dictis precibus, recedunt omnes.

### DECIMA QUINTA CONGREGATIO PRIVATA.

Die decima septembris, hora octava cum dimidia, adsunt omnes concilii patres cum secretariis.

Dicta oratione *Adsumus*, discutiuntur theologorum sententiae in congregatione generali emissae circa decreta quae sequuntur: *de episcoporum dignitate et iuribus; de praecipuis rectorum et pastorum officiis; de sacramento matrimonii; de ecclesia et Romano pontifice ipsius capite.*

Patribus concilii deinde communicat reverendus dominus archiepiscopus litteras a ministro a cultibus acceptas, quas ad archiepiscopos direxerat, ut ab ipsis et per eos ab ipsorum suffraganeis consilium exquireret circa facultatis theologiae canonicam institutionem in Galliis.

Hora undecima cum dimidia, recitatis precibus, discedunt patres.

### DECIMA SEXTA CONGREGATIO PRIVATA.

Hora secunda, adsunt omnes concilii patres cum secretariis.

Dictis precibus, et approbatis actis congregationis praecedentis, statuunt patres novam de decretorum revisione efformandam esse theologorum congregationem, quae, praeside reverendo domino episcopo Molinensi, complectebatur:

Dominum de Ravignan vice-praesidentem, dominum Lejeune, dominum Sébille, qui usque nunc congregationis *de disciplina* membra fuerant. Haec enim congregatio, opere absoluto, dissolvitur, et alia eius membra inter caeteras congregationes distribuuntur, scilicet, dominus Collinot et dominus Roger ad congregationem *de hierarchia*, et dominus pater Hieronymus et dominus Laureau ad congregationem *de rebus sacris.*

Leguntur decreta *de canonicorum officiis, de catechisandis pueris, de vita et moribus clericorum.*

Hora tertia, facta oratione, recedunt patres, in congregatione generali mox sessuri.

### CONGREGATIO GENERALIS SEXTA.

Die septima septembris, hora tertia, congregatis, cum reverendis concilii patribus, omnibus concilii

membris, praeter dominos Roizard et Martin, dicitur A oratio *Adsumus*, et approbantur acta praecedentis congregationis generalis.

Exponit reverendissimus dominus archiepiscopus quod modo a patribus definitum est, circa novam theologorum congregationem, quae sub titulo *de decretorum revisione* instituta fuit.

Leguntur postea et a theologis discutiuntur decreta: *de poenitentia; de extrema unctione; de ordine; de vicariis generalibus; de auditorio episcopali; de seminariis.*

Hora septima, recedunt omnes.

DECIMA SEPTIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Die undecima septembris, hora octava cum dimidia, adsunt omnes concilii patres cum secretariis.

Dictis precibus, approbantur acta congregationis privatae praecedentis, et congregationis generalis.

Patrum examini subiiciuntur sententiae theologorum, in hesterna congregatione generali expositae, circa decreta quae sequuntur: *de poenitentia; de extrema unctione; de ordine; de vicariis generalibus; de capitulis et canonicis; de auditorio episcopali*, quae congregationi *de decretorum revisione* transmittuntur.

Hodie congregatio generalis, hora quinta, habebitur. Hora secunda, omnes privatae congregationes, usque ad quintam, operi sibi commisso instabunt.

Hora undecima cum dimidia, dictis precibus, recedunt.

DECIMA OCTAVA CONGREGATIO PRIVATA.

Die undecima septembris, hora secunda post meridiem, adsunt omnes concilii patres cum secretariis.

Post preces recitatas, approbantur acta congregationis praecedentis et leguntur decreta: *de matrimonio; de episcoporum officiis; de sepultura christiana; de sanctificatione diei dominicae et festivitatum quae sunt de praecepto; de indictione futuri concilii provincialis; de parochis, vicariis et capellanis; de sacramento poenitentiae.* Quorum alia theologorum discussionibus in sequentibus congregationibus generalibus subiicientur, alia vero pro sessione quae cras erit, admissa reservantur.

Hora quinta, recitata oratione *Sub tuum praesidium*, discedunt patres, in congregatione generali sessuri.

CONGREGATIO GENERALIS SEPTIMA.

Die undecima septembris, hora quinta post meridiem, congregatis, una cum reverendissimis concilii patribus, omnibus capitulorum deputatis, theologis et canonistis, exceptis dominis Roizard Trecensi, Martin Molinensi et Carlier Senonensi, D recitatur oratio *Adsumus* de more, et approbantur acta praecedentis congregationis generalis.

Theologorum disputationibus subiiciuntur decreta: *de seminariis; de moribus et vita clericorum*, quae libere et fusius agitantur, interrogante domino archiepiscopo.

Hora sexta cum dimidia, dicitur oratio *Sub tuum praesidium*, et discedunt omnes.

DECIMA NONA CONGREGATIO PRIVATA.

Die duodecima septembris, hora secunda, adsunt omnes concilii patres cum secretariis.

Post recitatas preces, approbatis actis congregationis privatae praecedentis, et congregationis sextae generalis, statuitur a patribus ordo, qui inter decreta concilii servandus erit.

Hora tertia, dictis precibus, secedunt patres in congregatione generali sessuri.

CONGREGATIO GENERALIS OCTAVA

Die duodecima mensis septembris, hora tertia post meridiem, in loco ordinario, cum reverendissimis patribus concilii omnibus membris, praeter dominos Roizard Trecensem et Martin Molinensem, congregatis, post preces recitatas, acta congregationis generalis hesternae leguntur, et theologorum discussioni subiiciuntur decreta: *de sepulturâ christiana; de sanctificatione diei dominicae et festivitatum; de parochis, vicariis, capellanis.*

Quaedam postea quaestiones meditationibus theologorum proponit reverendissimus dominus archiepiscopus, de quibus cras sententiam ipsorum requiret, scilicet: *de sacerdotibus infirmis; de sacerdotibus interdictis; de canticis in lingua vulgari, quae alicubi publicis ecclesiae officiis intermiscentur; de abstinentia in diebus rogationum et in festo sancti Marci; de missionibus a parochis in alienis parochiis* B *faciendis; de scholis puerorum a sacerdotibus regendis; de mediis quibus facilius operarii et plebes ad implenda religionis officia adduci possint.*

Hora quinta, dictis precibus, recedunt omnes.

SESSIO TERTIA.

Die duodecima septembris, quae erat feria quinta intra hebdomadam decimam sextam post pentecosten, hora septima cum dimidia, congregantur in capella domini domini archiepiscopi omnes reverendissimi patres concilii, cum deputatis capitulorum, theologis et canonistis, exceptis dominis Roizard Trecensi et Martin Molinensi et caeteris aliis qui vel reverendissimo domino archiepiscopo vel reverendissimis dominis episcopis ministrare debent.

Eadem hora, eodemque modo ac in praecedenti- C bus sessionibus, dum cantantur gravi modulatione litaniae sanctorum, pergunt omnes ad ecclesiam metropolitanam, sed per viam breviorem, nempe per sacrarium.

Celebratur missa sine cantu a reverendissimo domino episcopo Molinensi. Decantatis precibus ut in pontificali, requirentibus promotoribus concilii, leguntur a secretariis e suggestu, definita iam et sancita a patribus quae sequuntur decreta: *de ecclesia et Romano pontifice ipsius capite; de sacramento poenitentiae; de praedicatione; de episcoporum dignitate et iuribus; de vicariis generalibus, archidiaconis et decanis ruralibus; de praecipuis rectorum et parochorum officiis; de sacramento ordinis; de sacramento matrimonii; de auditorio episcopali; de sacramento extremae unctionis.*

Quae cum approbavissent patres dicendo *Placet*, indicata fuit quarta et ultima sessio in diem dominicam proximam, quae est decima septima post pentecosten, scilicet diem decimam quintam mensis septembris, ita tamen ut ad alium diem transferri vel prorogari possit, si pro rebus concilii bene gerendis conducere videbitur.

Benedictione solemni data a metropolitano, promulgata indulgentia centum dierum a patribus concessa, solemniter revertuntur omnes ad capellam palatii archiepiscopalis.

VIGESIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Die decima tertia mensis septembris, hora octava cum dimidia, adsunt omnes concilii patres cum secretariis.

Dictis precibus, et approbatis actis praecedentis congregationis privatae, et congregationis octavae generalis, patrum examini subiiciuntur sententiae a theologis emissae circa decreta: *de moribus et vita clericorum; de seminariis; de sanctificatione*

*diei dominicae; de parochis, vicariis et capellanis; de sepultura christiana.*

Leguntur postea decreta: *de officiis episcoporum; de catechizandis pueris.*

Congregatio generalis hodie, hora quarta, habebitur.

Hora undecima cum dimidia, recedunt patres.

VIGESIMA PRIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Die decima tertia mensis septembris, hora secunda, adsunt omnes concilii patres cum secretariis.

Post preces, probatis actis congregationis privatae praecedentis, admittuntur decreta: *de capitulis et canonicis; de liturgia; de consecratione sacratissimo cordi domini nostri Iesu Christi.*

Hora tertia, precibus dictis, recedunt patres.

CONGREGATIO GENERALIS NONA.

Die decima tertia mensis septembris, hora tertia, congregatis cum reverendissimis patribus cunctis concilii membris praeter dominos Roizard Trecensem, Martin Molinensem et Gaume Nivernensem, lectis et probatis actis praecedentis congregationis generalis et sessionis tertiae, discutiuntur inter theologos decreta: *de voto circa immaculatam conceptionem beatae Mariae virginis; de liturgia.*

Requiruntur postea a reverendissimo domino archiepiscopo sententiae theologorum: *de sacerdotibus infirmis; de sacerdotibus interdictis.*

Hora quinta, recedunt omnes.

VIGESIMA SECUNDA CONGREGATIO PRIVATA.

Die decima quarta mensis septembris, hora octava cum dimidia, adsunt omnes concilii patres cum secretariis.

Dictis precibus, admittuntur decreta: *de sepultura christiana; de sanctificatione diei dominicae et festivitatum.* Emendantur postea et corriguntur nonnulla iam approbata decreta.

Hora undecima cum dimidia, recitatis precibus, recedunt patres.

CONGREGATIO GENERALIS DECIMA.

Die decima quarta mensis septembris, hora tertia post meridiem, congregantur omnes concilii patres cum deputatis, theologis et canonistis, absentibus dominis Roizard Trecensi et Martin Molinensi.

Dictis de more precibus, lectis et approbatis actis hesternae congregationis, requiruntur sententiae theologorum a reverendissimo domino archiepiscopo: *de canticis in lingua vulgari per officia liturgica; de missionibus a parochis faciendis in aliis parocciis; de schola facienda a vicariis quibusdam; de modo operarios adducendi ad praxim religionis.*

Hora quinta cum dimidia, dictis precibus, recedunt omnes.

## SESSIO QUARTA ET ULTIMA.

Anno millesimo octingentesimo quinquagesimo, die vero mensis septembris decima quinta, quae erat dominica decima septima post pentecosten, recurrente octava die nativitatis beatae Mariae virginis, habita est, ut sequitur, quarta et ultima sessio concilii provinciae Senonensis.

Hora septima cum dimidia ante meridiem, in sacello privato reverendissimi domini archiepiscopi, congregatis de more reverendissimis patribus concilii, admodum reverendo abbate, canonicis capituli ecclesiae metropolitanae, deputatis capitulorum ecclesiarum cathedralium, theologis et canonistis, ex-

A ceptis dominis Roizard Trecensi et Martin Molinensi, itum est processionaliter per eamdem viam et eodem ordine ac in prima sessione, resonantibus ecclesiae metropolitanae campanis maioribus, modulante organo, in navim ecclesiae metropolitanae, quam iam fidelium turma invaserat innumera.

Omnibus recte dispositis, celebrata missa sine cantu a domino domino archiepiscopo, decantatis psalmis, hymno *Veni creator* et orationibus ut in pontificali, requirentibus concilii promotoribus, lecta fuerunt e suggestu, a secretariis concilii, decreta quae sequuntur: *de praecipuis parochorum et rectorum officiis; de officiis episcoporum; de capitulis et canonicis; de vita et moribus clericorum; de seminariis; de parochis, vicariis, cappellanis et presbyteris sine titulo in parochiis degentibus; de sanctificatione diei dominicae et aliarum festivitatum quae*
B *sunt de praecepto; de sepultura ecclesiastica; de liturgia; de catechizandis pueris; de voto circa beatissimae Virginis immaculatam conceptionem emittendo; de sacratissimo cordi Iesu totius provinciae Senonensis consecratione; de promulgatione testium synodalium; de celebratione synodi dioecesanae; de executione decretorum concilii; de indictione futuri concilii provincialis; de fine concilii et de subscriptione.*

Tunc omnes reverendissimi domini episcopi post metropolitanum, ducente magistro caeremoniarum, assistentibusque concilii secretariis, super ipsum altare, a cornu epistolae, subscripserunt decreta, et postea illustrissimus ac reverendissimus dominus archiepiscopus plura quam eloquentissime dixit, quibus et patribus concilii, et theologis, et magistratibus et urbis antiquae Senonum incolis gratias egit; quae quidem verba ex omnium oculis lacrymas
C elicuerunt; tunc genuflexis omnibus, alta et pia voce dominus archiepiscopus, uti decretum fuerat, totam provinciam Senonensem, sed praecipue iuventutem, sacratissimo cordi Iesu devovit sub hac forma:

*Consécration de toute la province ecclésiastique de Sens et amende honorable au sacré cœur de Jésus.*

Cœur sacré de Jésus, prosternés devant vous, en ce moment solennel, nous venons offrir à votre amour outragé notre adoration, nos regrets, nos humbles réparations, tous les vœux, tous les hommages profonds de nos cœurs. C'est vous qui avez prodigué aux hommes les ineffables bienfaits de la charité divine. Pour eux, Seigneur, vous avez voulu vous abaisser vous-même, jusqu'à vous anéantir en quelque sorte, en prenant la forme de l'esclave, en vous revêtant des infirmités, des
D misères, des douleurs de notre nature pécheresse. Pour nous vous avez voulu naître, vivre et mourir dans la pauvreté, le mépris et la souffrance; pour nous sauver tous et nous racheter de la damnation éternelle vous avez enduré les travaux, les ignominies, les tourments les plus cruels; vous avez livré votre corps à la mort et à la mort de la croix, versé jusqu'à la dernière goutte de votre sang, afin de laver nos iniquités et de réparer tous nos crimes. Et pour combler encore la mesure, pour nous prouver l'excès de votre amour, vous avez, dans le sacrifice et le sacrement adorable de vos autels, perpétué vos divines expiations et l'application de vos mérites infinis. Par la miraculeuse et permanente participation à votre corps et à votre sang dans la divine communion, vous nous avez aussi comme identifiés avec vous-même, avec vos grâces, vos perfections infinies, avec votre amour, avec votre cœur.

De ce cœur sacré ouvert sur la croix, vous aviez fait jaillir la source intarissable de cette eau et de ce sang divin qui nous purifient, nous régénèrent, nous donnent, nous conservent la vie de nos âmes.

Mais nous, ô mon Dieu, qu'avons-nous fait? Qu'avons-nous rendu à votre adorable cœur pour tant de biens, pour tant d'amour?

La terre a été en proie à la désolation, parce que personne ne s'est souvenu de vous. L'indifférence, le mépris, la violation de vos lois et des préceptes de votre sainte église; l'oubli de la prière et du culte de vos autels; les sacrements profanés ou complètement abandonnés; l'égoïsme et la haine; les déchirements et les divisions; les péchés en un mot, et les crimes de tout genre; voilà, ô divin Sauveur de nos âmes, ce que nous avons offert en retour de tant de bontés, et comment nous avons reconnu vos ineffables bienfaits, payé votre amour et consolé votre cœur abreuvé d'amertumes. Pardon, Seigneur, pour tous ces excès d'ingratitude et d'impiété: ô agneau de Dieu, pardon pour les iniquités du monde. Nous voulons en ce jour nous offrir, nous dévouer à votre cœur adorable pour expier avec lui, autant qu'il est en nous, la désolante indifférence des hommes et l'incompréhensible persévérance de leurs offenses et de leurs crimes.

Réunis en votre nom, dans cette solennelle assemblée, confondus dans un même sentiment de foi et de zèle pour votre gloire, nous avons résolu, décrété avec toute l'autorité que nous tenons de vous, de nous consacrer à jamais à votre divin cœur, comme aussi au cœur immaculé de Marie, votre glorieuse mère.

Cœur sacré de Jesus, nous vous offrons donc, nous vous consacrons nos personnes, notre vie, nos pensées, nos affections, toutes les forces de notre âme. Évêques, nous vous offrons pour toujours les pasteurs et leurs troupeaux; qu'ils soient à jamais reconnaissants, généreux et dévoués à votre culte et à l'honneur de votre nom. Nous vous consacrons toutes les églises unies à cette antique métropole. Que, par la puissante efficacité de votre amour, tous, prêtres, fidèles, magistrats, peuple, que toutes les familles, que la jeunesse surtout, espoir de la religion et de la patrie, oubliant et réparant le passé, vous servent en esprit et en vérité, dans la foi, la iustice, la paix, la charité, pour arriver enfin au repos et aux joies éternelles. Ainsi soit-il.

## ACCLAMATIONES.

Qua peracta consecratione, surrexerunt omnes; tunc secretarius alta voce, clero ac fidelibus miro concentu respondentibus, acclamationes sequentes decantavit:

Summae et individuae Trinitati, uni et trino Deo, Patri omnium conditori, Filio omnium salvatori, Spiritui omnium sanctificatori, virtus, honor et benedictio in saecula saeculorum. Amen.

*Responsio:* Virtus, honor et benedictio in saecula saeculorum. Amen.

Iesu Christi, sacerdotis et victimae, sacratissimo cordi, indeficienti divinae caritatis et fraternae fonti, totius mundi peccatorum expiatori, omnium coelestium charismatum auctori, amor et dilectio et nunc et in perpetuum. Amen.

*Responsio:* Amor et dilectio et nunc et in perpetuum. Amen.

Beatissimae et sine labe conceptae virgini Mariae, Dei genitrici, angelorum dominae, ecclesiae matri, cunctarum haereseon interemptrici, cleri reginae, tutelae orbis, Galliarum patronae, gloria, iubilatio, decus et super angelorum et beatorum choros exaltatio. Amen.

*Responsio:* Gloria, iubilatio, decus, et super angelorum et beatorum choros exaltatio. Amen.

Invictis Christi martyribus Saviniano et Potentiano, huius provinciae apostolis, quorum sanguine rosso felix ager Senonensis consecratus fuit et foecundatus, supplicatio, fiducia et gratiarum actio. Amen.

*Responsio:* Supplicatio, fiducia et gratiarum actio. Amen.

Beato Bernardo, conciliorum splendori, haereticorum profligatori, disciplinae propugnatori, per filios in hac provincia redivivo, laus perpetua. Amen.

*Responsio:* Laus perpetua. Amen.

Sanctissimo patri, beatissimo domino nostro Pio papae nono, sanctae et universalis ecclesiae pontifici, in urbem feliciter reduci; anni multi, multa pax, multa prosperitas, multa consolatio. Amen.

*Responsio:* Anni multi, multa pax; multa prosperitas, multa consolatio. Amen.

Illustrissimo ac reverendissimo domino Senonensi metropolitano, omissorum in provincia conciliorum renovatori, cuius congregati munere et benignitate recreati cantavimus: *Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum*, cum multis annis, magnae gratiae. Amen.

*Responsio:* Cum multis annis, magnae gratiae. Amen.

Reverendissimis episcopis Nivernensi, Trecensi et Molinensi: qui adduxit illos Deus ipse et reducat, benedictionibus eorum benedicat Dominus, et qui benedixerit eis, benedictionibus repleatur. Amen.

*Responsio:* Qui benedixerit eis benedictionibus repleatur. Amen.

Omnibus deputatis et ordinibus, qui ad hoc concilium accesserunt, benedicat Deus, ut cum pace, gaudio et salute ad propria revertantur: et requiescere eos faciat Dominus a laboribus, et reddat eis retributionem quam retribuerunt nobis. Amen.

*Responsio:* Reddat eis retributionem quam retribuerunt nobis. Amen.

Universo provinciae clero et fidelibus, impleat Dominus benedictionem suam in illis, et abundare faciat fructum iustitiae eorum. Amen.

*Responsio:* Abundare faciat fructum iustitiae eorum. Amen.

Patriae nostrae, et omnibus populis christianis catholicae religionis zelus, iustitiae et pacis foecunditas, et contra christianae fidei hostes victoria. Amen.

*Responsio:* Zelus fidei, iustitia, pax et victoria. Amen.

Civitati Senonensi, conciliis inclytae, hospitio incolarum amabili, magistratuum tutela securae, benedicat Deus benedictionibus coeli desuper, et benedictionibus patrum praesentium benedictiones antiquae confortentur. Amen.

*Responsio:* Benedictionibus patrum praesentium benedictiones antiquae confortentur. Amen.

Haec provincialis synodus legitime convocata, in catholica fide et obedientia celebrata et absoluta, ad Dei omnipotentis gloriam, et perfectiorem morum disciplinam omnium votis cedat, et eius decreta unanimes servemus. Amen.

*Responsio:* Omnes ita credimus, omnes idipsum sentimus, omnes consentientes et amplectentes subscripsimus. Amen.

Cuius decretis inhaerentes abundemus in omnibus bonis, et gratia Dei et domini nostri Iesu Christi et communicatio sancti Spiritus, per intercessionem beatae Mariae semper virginis, et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et omnium sanctorum sit cum omnibus nobis. Amen. A

*Responsio:* Fiat, fiat, amen, amen!

Quibus peractis, reverendissimi patres concilii osculum pacis receperunt a domino archiepiscopo, seseque mutuo amplexi sunt, et post benedictionem solemnem a reverendissimo domino archiepiscopo datam, *Recedamus in pace* cantato a diacono, et *In nomine Christi* responso ab omnibus, dum cum choro, alternante organo, decantatur *Te Deum*, omnes, miro ordine, reversi sunt ad palatium archiepiscopale, ubi reverendissimus dominus episcopus Nivernensis, paucis sed facundis verbis, domino archiepiscopo gratias egit.

Peracto prandio in refectorio seminarii Senonensis, ubi sedebant cum concilii patribus et theologis, canonici omnes ecclesiae metropolitanae et omnes alii de clero qui in hac sessione tum reverendissimo domino archiepiscopo, tum reverendissimis dominis episcopis ministraverant, reverendus dominus Chauveau, vicarius generalis Senonensis, archidiaconus Autissiodorensis, concilii secretarius, e suggestu haec habuit:

„Anno ab incarnatione Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo, a fide in territorio Senonensi sanctorum Saviniani, Potentiani ac sociorum laboribus seminata et fecundata millesimo sexcentesimo quinto, ab interrupta Senonensium conciliorum serie trecentesimo vigesimo secundo, a restaurata sede metropolitana Senonensi trigesimo nono, ecclesia catholica libertate longius exspectata redditaque tandem gaudente, rebus in melius conversis, applaudentibus populis ac Deum magnificantibus, in antiqua ecclesia primatiali ac metropolitana, praesidente illustrissimo ac reverendissimo domino domino archiepiscopo Senonensi, episcopo simul Autissiodorensi, praesentibus reverendissimis episcopis Nivernensi, Trecensi et Molinensi, absolutum fuit provinciae Senonensis concilium.

„Unde, peractis primum laudibus Deo optimo maximo, qui hoc non minimum nobis largiri dignatus est solatium, solemnes grates aguntur illustrissimo ac reverendissimo domino domino archiepiscopo Senonensi, cui nihil carius fuit quam venerabiles fratres suos in tamdiu optatum concilium coadunare, ut antiquam veteris ecclesiae dignitatem ac disciplinam restitueret, et unitatem in tota provincia Senonensi redintegraret ac stabiliret.

„Vobis, venerabiles patres concilii, reverendissimi provinciae Senonensis episcopi, solemnes etiam gratiae quod corde magno et animo volenti, cum metropolitano unus spiritus effecti, ipso vocante accessistis, ut illum sapientia et consiliis in hoc grandi opere adiuvaretis.

„Nec te silere licebit, Bernardi Claraevallensis admodum reverende fili, qui, ut vastum mare transires, prudens onus exuisti; qui noxio procul a B tumultu mundi vitam degens asperam, huc advocatus ocius advenisti ut, quae in solitudine locutus est ad cor tuum Dominus, haec e cordis plenitudine effunderes.

„Huc et vos accessistis, venerabilis corona sacerdotum, pietate, scientia, prudentia, rerum ecclesiasticarum peritia et experientia adeo commendabiles, qui in hoc sacro coetu congregati ex variis dioecesibus, tam amabiles in vita vestra fuistis, ut quasi fratres in paterna domo fueritis conversati.

„Nunquam e cordibus nostris evanescet illarum memoria dierum, in quibus nobis videre et audire fuit quae patres nostri videre desideraverunt et non viderunt, scilicet gentem illam cui benedixit Dominus, regale nempe sacerdotium, unanimem in domo Dei, eadem sentientem, et ex hoc quasi coenaculo exeuntem, ut supereffluentem gratiarum C abundantiam ubique diffundat."

Vespere, inter vesperas et completorium, reverendissimus dominus episcopus Trecensis ad populum undique affluentem et mirifice quasi ab illius ore pendentem, eloquentissime dixit; et sic finem habuit illa dies quam fecit Dominus, et in qua visitavit et fecit redemptionem plebis suae.

## LETTRE

*de nosseigneurs l'archevêque métropolitain et les évêques de la province de Sens pour la publication des décrets du concile.*

Mellon Jolly, par la miséricorde divine et la grâce du saint siège apostolique, archevêque de Sens, évêque d'Auxerre, etc.;

Dominique-Augustin Dufêtre, par la miséricorde divine et la grâce du saint siège apostolique, évêque de Nevers; D

Pierre-Louis Cœur, par la miséricorde divine et la grâce du saint siège apostolique, évêque de Troyes;

Pierre-Simon-Louis-Marie de Dreux-Brézé, par la miséricorde divine et la grâce du saint siège apostolique, évêque de Moulins;

*Au clergé et aux fidèles de nos diocèses; salut et bénédiction en Notre Seigneur Jésus-Christ.*

Nos bien-aimés coopérateurs et nos très chers frères.

Il y a longtemps que nous sommes obligés de comprimer au fond de nos âmes les sentiments de joie, de bonheur et de consolation dont elles ont

## LITTERAE

*reverendissimorum dominorum nostrorum archiepiscopi metropolitae et episcoporum provinciae Senonensis, quibus concilii decreta promulgantur.* [1]

Mellonus Jolly, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae gratia archiepiscopus Senonensis, episcopus Autissiodorensis, etc.;

Dominicus-Augustinus Dufêtre, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae gratia episcopus Nivernensis;

Petrus-Ludovicus Cœur, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae gratia episcopus Trecensis;

Petrus-Simon-Ludovicus-Maria de Dreux-Brézé, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae gratia episcopus Molinensis.

*Clero et fidelibus nostrarum dioecesium, salutem et benedictionem in domino nostro Iesu Christo.*

Dilectissimi adiutores et fratres carissimi.

Iam diu cogimur sensus illos gaudii, laetitiae et consolationis intra nos continere, quibus tum perfusi sumus, cum, duobus ante annis, nos *episcopi*

été inondées, lorsque, il y a deux ans, nous, les ***évêques de vos âmes***, vos pasteurs en Jésus-Christ ***le prince de tous les pasteurs***, réunis sous les voûtes de notre antique métropole, en présence de Dieu et au pied des saints autels, nous sommes venus reprendre possession d'une liberté toujours chère à l'église, parce qu'elle est le prix du sang de son divin fondateur, et parce qu'elle lui est nécessaire pour atteindre ici-bas ses hautes destinées, l'union des esprits et des cœurs dans une même pensée, dans un même amour: „*Ut sint consummati in unum.*“[1] Qu'il était beau le spectacle qu'offrit la ville des conciles, l'antique cité de Sens, lorsque, sous un ciel toujours pur et serein, s'ouvrit cette réunion solennelle dans laquelle vos évêques entonnèrent l'hymne de la délivrance, reprirent la série des conciles si longtemps interrompue, et dans l'unité d'un même esprit, s'occupèrent de ce qu'ils ont de plus cher au monde, de vos âmes et de vos intérêts éternels! Habitants de Sens, nous n'avons point oublié, nous n'oublierons jamais votre aimable hospitalité, votre pieux respect, votre religieux empressement; c'est pour nous un besoin de vous en témoigner encore notre sincère et bien vive reconnaissance. Oui, nos très chers frères, nous aimons à répéter avec vous, après deux années écoulées, ce cri de remercîment et de gratitude qui fit retentir les échos de l'église métropolitaine: „*A toi, ville de Sens, illustre par tes conciles, aimable par l'hospitalité de tes habitants, paisible sous la garde de tes magistrats, à toi, la rosée abondante des bénédictions du ciel; que sur toi se répandent les bénédictions des pontifes que tu as reçus dans tes murs.*“[2]

Lorsque nous nous sommes séparés, nos très chers frères, nous avions à cœur de vous faire connaître le plus promptement possible le résultat de nos travaux, et, pour votre consolation comme pour la nôtre, de vous rendre participants de la grande œuvre que nous venions d'accomplir. Nous l'espérions … Mais nous avions d'abord un devoir à remplir; si „*les évêques ont été établis, par Jésus-Christ même, pour gouverner l'église de Dieu*“[3], ils sont aussi les fils soumis et respectueux de l'auguste chef de l'église universelle, de celui à qui il a été dit dans la personne de Pierre: „*Paissez mes brebis;*“[4] notre obéissance aux règles de l'église, notre filiale soumission, notre tendre dévouement au vicaire de Jésus-Christ sur la terre, nous imposait l'obligation de déposer à ses pieds et de soumettre au jugement de celui qui doit „*confirmer ses frères*“[5], les décrets du concile provincial; aussi avons-nous attendu sa réponse dans un respectueux silence. Maintenant Jésus-Christ a encore parlé par la bouche de Pierre; Rome a fait entendre sa voix; nos décrets ont obtenu la sanction pontificale; nous les publions aujourd'hui, et en les remettant entre vos mains, en les livrant à vos méditations, nous avons la confiance que vous les recevrez avec les sentiments de l'enfant bien-né auquel un père communique ses volontés. Nous nourrissons dans nos cœurs une douce et suave espérance, qui nous soutient et nous console dans les sollicitudes de notre pénible apostolat; c'est qu'après avoir travaillé pour vous dans nos saintes réunions, nous vous verrons fidèles observateurs de ce que Dieu nous a inspiré de vous recommander pour la gloire de son saint nom, pour la sanctification de vos âmes, pour votre bonheur dans cette vie et dans l'éternité.

A ***animarum vestrarum***, vestrique in Christo Iesu ***pastorum omnium principe*** pastores, in antiqua metropoli nostra ante Deum et sancta altaria congregati, rursus aliquando libertate potiri atque uti coepimus; quae quidem ecclesiae semper est carissima, cum et divini eius conditoris sanguine comparata sit, et ipsi necessaria ad altissimum suum in his terris finem consequendum, qui est mentium et animorum in uno sensu atque amore coniunctio: „*Ut sint consummati in unum.*“[1] Quam insigne spectaculum praebuit urbs *conciliis inclyta, antiqua civitas Senonensis*, cum, puro semper ac sereno coelo, initus est solemnis ille coetus, in quo episcopi vestri, laetum pro liberatione concinentes carmen, tam diu intermissam conciliorum seriem repetiverunt, et unó omnes impulsi studio, ad earum rerum, quas in mundo habent carissimas, id est vestrarum animarum atque aeternae salutis, curam B totos se contulerunt! Necdum, o Senonenses, vestrum come hospitium, vestram piam venerationem, religiosa vestra studia obliti sumus, nec obliviscemur unquam; neque enim possumus, quin vobis rursus singulares ex animo gratias agamus. Enimvero gestimus, fratres carissimi, duorum iam annorum intervallo, iterare una vobiscum illam nostram grates agentium habentiumque acclamationem, qua aedes metropolitana personuit: „*Civitati Senonensi, conciliis inclytae, hospitio incolarum amabili, magistratuum tutela securae, benedicat Deus benedictionibus coeli desuper, et benedictionibus patrum praesentium benedictiones antiquae confortentur.*“[2]

Cum autem e concilio discessimus, magnopere cupiebamus, fratres carissimi, quamprimum vos C eorum, quae egissemus, facere certiores, et, ad vestram pariter nostramque consolationem, grande a nobis perfectum opus communicare vobiscum; idque brevi sperabamus fore. Sed nimirum erat, quod prius fieri oporteret. Quemadmodum enim „*Spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei*“[3], sic ipsi obsequentes et submissi filii sunt augusti ecclesiae capitis, cui in persona Petri dictum est: „*Pasce oves meas;*“[4] et idcirco cum leges ecclesiae tum nostra erga Christi in terris vicarium pietas et singularis devotio cogebant, ut decreta concilii provincialis deferremus ad eius pedes, et iudicio subiiceremus illius, qui iussus est *confirmare fratres suos*[5]; cuius responsum pio silentio exspectavimus. Nunc, quia Christus iterum Petri ore locutus est et Roma edidit vocem suam, nostraque decreta pontificali auctoritate firmata sunt, ea proferimus in lucem; quae cum vobis habenda et D meditanda tradimus, plane confidimus fore, ut ea sic suscipiatis, quemadmodum patris sui voluntatem optimus filius debet. In eam enim iucundissimam spem adducimur, quae nos inter laboriosi apostolatus nostri molestias erigit et recreat, ut, quoniam vobis in sanctis illis congressibus operam nostram navavimus, vos ea studiose observetis, quae, Deo auctore, ad sancti eius nominis laudem, ad salutem vestrarum animarum, ad vestram cum in hac mortali vita tum in illa aeterna felicitatem, commendanda vobis esse iudicavimus.

[1] Ioan. XVII, 23.
[2] Acclamat. in hoc conc. Senon. anno 1850 habitae. Supra, col. 278 D.
[3] Act. XX, 28.
[4] Ioan. XXI, 17.
[5] Luc. XXII, 32.

Oui, nos très chers frères, nous avons travaillé, A comme nous travaillons toujours, pour vous. Nous ne sommes pas évêques pour nous-mêmes, c'est pour vous; si, prosternés *„entre le vestibule et l'autel“*[1] ou dans la solitude de la retraite, nous répandons nos prières et nos larmes en présence du prince des pasteurs, c'est pour vous; si du haut de la chaire de vérité nous annonçons les saintes paroles de l'évangile de la paix, si nous disons: *„Justes, sanctifiez-vous encore,“*[2] *„Pécheurs, rentrez dans votre cœur,“*[3] *„revenez, revenez à Dieu,“*[4] c'est pour vous; si de sérieux travaux nous préoccupent dans le silence et la méditation de l'étude, c'est pour vous; si, pour vous connaître tous comme *„le bon pasteur connaît ses brebis“*[5], si, pour ramener au bercail *„celles de la maison d'Israël, qui se sont égarées“*[6], à l'exemple du pasteur par excellence, nous parcourons les villes et les campagnes, c'est pour vous; si nous imposons les mains B aux jeunes lévites, si nous les consacrons prêtres du Seigneur, si nous les envoyons au milieu des populations, c'est pour vous; notre vie toute entière vous est consacrée, elle vous appartient, elle est vôtre; et, s'il fallait la sacrifier pour vous, *„Dieu en est témoin,“*[7] nous ne faillirions pas devant l'accomplissement de ce devoir *„du bon pasteur qui donne sa vie pour ses brebis“*[8]. C'est pour vous aussi que nous sommes venus au concile; votre pensée nous y a conduits; votre pensée nous y a accompagnés; votre pensée nous a dirigés dans nos travaux; nous avons vu les maux qui désolent la société et dans notre sollicitude nous nous sommes efforcés d'y apporter remède.

Hélas! ils sont bien grands, nos très chers frères, les maux de la société! Qui ne les connaît pas? qui n'en gémit pas tous les jours? Ne faudrait-il pas désespérer de la société, *„si Dieu* C *n'avait fait guérissables les nations de la terre?“*[9] Ne sommes-nous pas arrivés à cette époque malheureuse annoncée dans les saintes écritures, où, remplis d'eux-mêmes, ne voulant reconnaître aucune espèce d'autorité, se livrant à toutes les folles pensées d'une imagination en délire, les hommes appellent bien ce qui est mal et mal ce qui est bien; croyant tout savoir, ils négligent de s'instruire de ce qu'il leur importe le plus de connaître et consument leur vie dans l'omission des devoirs les plus essentiels et dans une effrayante sécurité? Et voilà les plaies de la société auxquelles nous avons voulu apporter un remède par les décrets de notre concile provincial.

I. On l'a dit mille fois, nos très chers frères, mille fois on en est convenu: un des malheurs de notre société moderne, c'est cette horreur qui se manifeste de toutes parts pour tout ce qui s'ap- D pelle *autorité*, cette impatience du joug de la soumission et d'une sage dépendance. Vos évêques, réunis au nom de Dieu, devaient se souvenir qu'ils étaient, malgré leur faiblesse, les successeurs de ces glorieux pontifes qui, *autrefois, construisirent la France*, et que la postérité ne leur pardonnerait pas de l'avoir laissé défaillir.

Aussi avons-nous commencé par proclamer ces principes éternels d'ordre, de soumission, de dépendance, base unique de la prospérité des institutions, en montrant aux yeux étonnés des hommes de nos jours cette admirable constitution de l'église catho-

Ita est prorsus, carissimi fratres; vobis impensus est noster labor, sicut semper impenditur; neque enim nobis episcopi sumus, sed vobis. Vestra causa, *„inter vestibulum et altare“*[1] prostrati, vel certe in solitudine ac recessu, coram principe pastorum preces nostras et lacrymas fundimus; vestra causa, ex cathedra veritatis divinum verbum et evangelium pacis annuntiamus ac dicimus: *„Qui iustus est, iustificetur adhuc,“*[2] et: *„Redite praevaricatores ad cor,“*[3] et: *„Revertere ad Dominum;“*[4] vestra causa, in secreto ac studio saepe abditi, graves meditamur et molimur labores; vestra causa, ut vos omnes, quemadmodum *„bonus pastor oves suas“*[5] cognoscamus, utque *„oves, quae perierunt, domus Israel“*[6], reducamus in ovile, summi pastoris exemplo, urbes vestras et rura lustramus; vestra causa, iunioribus levitis imponimus manus, eosque sacerdotes Domini consecramus et medios inter populos mittimus. Denique nostra omnis vita vobis dicata et addicta est ac plane vestra; quam si opus esset pro vobis profundere, *„Deus testis est,“*[7] non recusaremus profecto illud *boni pastoris* officium, qui *„animam suam dat pro ovibus suis“*[8]. Itaque etiam vestra causa in concilium convenimus; eo nos vestra deduxit cogitatio, eademque nobis et assidue ante oculos versabatur et in rebus agendis praelucebat. Vidimus enim, quibus malis laboraret societas, iisque pro nostra sollicitudine succurrere conati sumus.

Heu! quam gravia sunt, fratres carissimi, humanae societatis mala! Quis haec ignorat? Quis non quotidie queritur? An non desperandum esset de rebus humanis, nisi Deus *„sanabiles fecisset nationes orbis terrarum“*[9]? An non ad funesta illa pervenimus tempora, quae sacris litteris nuntiantur, cum homines, sui ipsorum amatores, cuiusvis auctoritatis impatientes, omnibus delirantis mentis insaniis obnoxii, id bonum quod malum est, quod bonum id malum appellent, et, omnia scire se putantes, quae maxime nosse interest, ea potissimum discere negligant, suasque aetates in summa maximorum officiorum incuria et horrenda securitate consumant? Haec igitur sunt societatis vulnera, quibus mederi concilii nostri decretis voluimus.

I. Res est iam saepe multorum sermonibus usurpata, fratres carissimi, et ab omnibus facile conceditur, unam esse maximam huius aetatis labem, quod homines vulgo, quidquid auctoritas appellatur, abhorreant, et iugum obedientiae atque obtemperandi modestiam non ferant. Episcopi vero vestri, Dei nomine congregati, non poterant non meminisse, se, quamvis per se infirmos, successores tamen esse clarissimorum illorum pontificum, qui *olim Galliam construxerunt*, neque posteritatis veniam mérituros, si eandem collabentem non sustinuissent.

Itaque nihil prius faciendum esse duximus, quam ut immortalem illam legem ordinis, obedientiae ac disciplinae, qua una constat societatum prosperitas, palam enuntiaremus, et stupentibus huius saeculi hominibus admirabilem constitutionem catholicae

[1] Ioel. II, 17.
[2] Apoc. XXII, 11.
[3] Isai. XLVI, 8.
[4] Eccli. XVII, 28.
[5] Ioan. X, 11.
[6] Matth. XV, 24.
[7] I Thessal. II, 5.
[8] Ioan. X, 11.
[9] Sap. I, 14.

lique, qui, depuis dix-huit siècles, invariable dans A son unité, perpétue le prodige toujours nouveau d'une société immense, répandue sur toute la face de la terre, toujours attaquée, toujours combattue, toujours victorieuse, même dans ses passagères épreuves, parce que, si son berceau est presque noyé dans le sang de ses enfants, si à chaque âge elle voit se ruer sur elle de nombreux ennemis acharnés à sa perte, Dieu, qui l'a fondée, qui l'a constituée, la soutient et la protège, et la soutiendra et la protégera toujours: *„Les portes de l'enfer ne prévaudront point contre elle.“* [1]

Paraissez donc, sainte église Romaine, la mère et la maîtresse de toutes les églises; c'est vers vous que nous commençons par tourner nos regards; c'est sur cette chaire vénérable, sur laquelle Pierre vit toujours dans ses légitimes successeurs, que nous nous appuyons; c'est vers elle que tous, pasteurs et fidèles, nous dirigeons nos humbles B hommages d'amour filial, de respectueuse obéissance, de soumission sans bornes.

Admirable constitution de l'église, qui fait sa beauté et sa force éternelle! Elle embrasse le monde entier dans les liens de son invincible unité. Dans les lieux où se lève le soleil, dans ceux où il se couche, partout se sont produites d'innombrables églises, qui ne flottent pas au hasard comme des astres égarés, mais qui toutes se rattachent à la même source de vie, et viennent se confondre dans la communion de Rome. Chacune a son évêque, supérieur aux prêtres par son caractère sacré et son autorité, mais soumis au souverain pontife dans l'exercice de sa juridiction. Sublime dignité de l'évêque! Nous vous l'avons rappelée, mais nous avons surtout aimé à nous rappeler à nous-mêmes les obligations et les devoirs qu'elle nous impose, et nous avons demandé et vous de- C manderez avec nous et pour nous, nos très chers frères, la grâce de les accomplir fidèlement.

Autour du trône épiscopal est placé le chapitre, aujourd'hui comme autrefois l'ornement de l'église, sénat vénérable par son âge, ses vertus, ses travaux, sa science, son expérience. Ses membres, l'élite du sacerdoce, chargés par devoir du ministère de la prière publique, réunis plusieurs fois le jour pour la sainte psalmodie, font monter vers le Seigneur l'encens de la prière, et attirent sur toute l'église, dont ils sont les députés, des grâces abondantes.

Dans chaque paroisse de nos villes et de nos campagnes, sont les pasteurs connus sous le nom de curés. Sous l'autorité et la direction de l'évêque, ils exercent le saint ministère au milieu de vous, nos très chers frères, ils vous édifient par leurs vertus, vous instruisent de vos devoirs, vous con- D solent dans vos peines, viennent s'asseoir auprès de votre lit de douleur, bénissent votre dernière heure, reçoivent votre dernier soupir et accompagnent par leurs prières votre âme jusqu'au pied du trône de Dieu.

Et si une nombreuse population, des infirmités prématurées glorieusement acquises en travaillant pour vous et au milieu de vous, si de pressants besoins nécessitent pour ces hommes qui ont bien mérité de la religion et de vos âmes, des coopérateurs et des aides, le jeune prêtre, toujours sous la dépendance du pasteur, viendra s'instruire de ses exemples et de ses conseils, en même temps qu'il consacrera au service du peuple de Dieu ses premières forces et ses talents naissants.

Ainsi le fidèle est soumis à son pasteur, le curé à son évêque, l'évêque au souverain pontife,

exhiberemus ecclesiae; quae, a duodeviginti iam saeculis in sua unitate stabilis ac constans, illud perpetuum et semper novum praebet miraculum, immensae cuiusdam societatis et per universam terram diffusae, semper vexatae, semper impugnatae, et, quamvis laborantis interdum, semper tamen victricis; quia, etsi iam eius incunabula filiorum sanguine redundant, et omni aetate numerosissimi hostes ad eius perniciem incumbunt, illam tamen, qui condidit et constituit Deus, idem tuetur ac protegit, et porro tuebitur semper ac proteget. *„Et portae inferi non praevalebunt adversus eam.“* [1]

Consurge igitur, sancta Romana ecclesia, omnium ecclesiarum mater et magistra: ad te enim primum convertimus oculos; huic venerabili cathedrae, quam Petrus semper in legitimis successoribus suis tenet, innitimur; ad hanc universi, tum pastores tum fideles, testimonia nostrae pietatis, obedientiae plenissimique obsequii humillime deferimus.

O mirabilem ecclesiae structuram, qua perennis eius decor ac firmitas continetur! Haec mundum universum indissolubilis unitatis suae nexu complectitur. Quascumque enim regiones vel oriens sol vel occidens illustrat, in iis innumerabiles exstiterunt ecclesiae, quae non huc atque illuc, more errantium siderum temere vagantur, sed omnes cum eodem vitali fonte cohaerent et inter se romana communione sociantur. Earum unicuique suus praesidet episcopus, ut sacerdotibus ordine et auctoritate praecellens, ita summo pontifici in exercenda iurisdictione subiectus. Magnum profecto episcopi nomen, magna dignitas: de qua quidem vos admonendos putavimus; de eo vero nosmetipsos multo magis, quibus illa nos officiorum vinculis obstringat; quae ut possimus fideliter explere, gratiam a Deo et petivimus ipsi et, ut vos nobiscum petatis, oramus.

Episcopalem sedem circumstat capitulum, nunc etiam, ut olim, ornamentum ecclesiae, senatusque aetate, virtutibus, meritis, doctrina, rerum usu venerabilis; qui ex omni delectus sacerdotali ordine, publicaeque administrandae precationi praepositus et quotidie saepius ad sacros psalmorum cantus conveniens, orationis Deo adolet incensum, et in totam ecclesiam, cuius vice fungitur, copiosum deducit imbrem gratiarum.

Singulis tum urbanis tum ruralibus paroeciis praesunt singuli pastores, quos parochos vocamus. Hi, episcopi auctoritate ac ductu, fratres carissimi, apud vos sacra administrant; hi virtutum suarum odorem inter vos spargunt, vos ad bene vivendum erudiunt et in rebus adversis solantur; hi vobis lectulo affixis assident, novissimam cuiusque vestrum horam fortunant extremumque excipiunt spiritum; denique migrantem animam usque ad sedem Dei suis precibus prosequuntur.

Quod si populus numerosior, aut praematuri, inter vos ac pro vobis laborando gloriose contracti morbi, aut aliae necessariae causae postulent, ut viris de religione vobisque optime meritis submittantur auxilia; tum veterano pastori iunior adiungitur sacerdos, qui, ei semper subiectus, eius exemplis et consiliis ad sacram erudiatur militiam, simulque in usum populi fidelis primas vires suas, primos ingenii fructus impendat.

Ita fit, ut fidelis subiaceat pastori suo, hic episcopo, episcopus summo pontifici, ipse denique

[1] Matth. XVI, 18.

le pape à Jésus-Christ; voilà cette hiérarchie obéissante, soumise et aimante, qui s'offre sans cesse aux hommes de notre siècle et leur révèle le secret de la beauté et de la force toujours renaissantes de l'église, et qui, contrastant sans cesse avec le désordre de l'insubordination et les malheurs qui en sont la suite nécessaire, leur fait comprendre, par des exemples journaliers, la vérité de cette parole du maître: „*Un royaume divisé sera désolé.*“ [1]

Vous ne voudrez jamais, nos très chers frères, voir cette désolation dans le sein de l'église votre mère; loin, bien loin de vous la pensée de contrister jamais le cœur de ceux qui sont chargés et „*placés par le Saint-Esprit pour vous diriger*“ [2]! Ah! nous le savons, les enfants de l'église doivent vivre au milieu du monde; dans cette région où se forment trop souvent de terribles orages, l'*homme ennemi* a semé des discordes dans le champ de l'église, et son cœur s'épanouit d'une joie détestable lorsque „*le prêtre est devenu semblable au peuple*“ [3]; et notre cœur de père s'émeut péniblement quand nous voyons des enfants que nous avons douloureusement engendrés au Seigneur, méconnaître leurs devoirs, leurs saintes promesses et nos droits sacrés: alors nous ne portons plus *avec joie* le fardeau du commandement, nous le portons *en gémissant*, et ces gémissements ne sont ni „*pour votre avantage*“ [4], ni pour notre consolation.

II. La constitution de l'église est, pour ainsi dire, la charpente de ce divin édifice élevé depuis dix-huit siècles sur Jésus-Christ et par Jésus-Christ, „*la pierre angulaire;*“ [5] le principe de sa vie est dans la foi: „*Sans la foi il est impossible de plaire à Dieu,*“ [6] dit l'apôtre; et ailleurs il nous avertit que „*c'est en repoussant la foi qu'un grand nombre ont fait un triste naufrage.*“ [7] En effet, retranchez le principe d'autorité, le principe de soumission qui, lorsqu'il s'agit de la foi surtout, doit s'élever comme une digue insurmontable pour arrêter les flots d'une orgueilleuse raison, et il faudra nécessairement que la parole sainte s'accomplisse: „*Ils se sont évanouis dans leurs propres pensées et leur cœur insensé a été obscurci.*“ [8] Or, „*pensez-vous que si le Fils de l'homme venait sur la terre, il dût trouver encore de la foi*“ [9] dans les cœurs? Quel temps fut jamais plus fertile en fausses idées, en grossières erreurs! Quelle anarchie dans les intelligences! Quel désordre dans les imaginations! Et n'avons-nous pas eu raison de vous signaler cette autre plaie de notre société? Aussi il ne suffisait pas à vos évêques placés comme des sentinelles avancées pour veiller à la conservation du précieux trésor de la foi, de vous faire connaître le mal: après avoir solennement confessé, de cœur et de bouche, la foi antique du symbole catholique, telle qu'elle fut définie par les conciles généraux, telle que la tradition la plus vénérable nous l'a conservée, les pères du concile de Sens se sont élevés avec force et autorité contre les principales erreurs répandues de nos jours; ils ont condamné, ils ont flétri tous ces malheureux produits du rationalisme moderne, qui, des hautes régions d'une science qui n'est pas selon la foi et d'une fausse et souvent bien ténébreuse philosophie, sont venus s'abattre jusque dans l'atelier de l'ouvrier, jusque dans la chaumière du pauvre, pour lui ravir avec ses pieuses croyances, ses consolations, son espérance, son bonheur. Nous les indiquons sommairement:

A pontifex Christo. Atque hic ille est ordo sacrae hierarchiae, obedientia, subiectione, amore constans, qui oculis hominum huius saeculi semper obversatur, ex quo efflorescere vident nunquam senescentem ecclesiae pulchritudinem ac vigorem; ut, cum illi ex adverso perturbatum et confusum rei publicae statum et quae hinc emergunt calamitates conspiciant, non possint quotidianis hisce exemplis non intelligere, quam vere dictum sit a magistro: „*Omne regnum divisum contra se desolabitur.*“ [1]

Quod quidem tantum malum in ecclesiam pervadere, nec vultis, fratres carissimi, nec voletis unquam; longissime enim abestis, ut, quos *Spiritus sanctus* instituit et *posuit* ad vos *regendos* [2], moerore afficiendos putetis. Non ignoramus quidem, pro dolor! eam esse filiorum ecclesiae conditionem, ut medio in saeculo vivant. Hic porro, ubi foedae nimis crebro concitantur procellae, *inimicus homo* B discordias in agro ecclesiae seminavit: idemque pessimo exultat gaudio, si quando fuerit „*sicut populus, sic sacerdos*“ [3]. Nos vero vehementer angimur, ut patres necesse est, si quando videamus filios, quos Christo cum dolore peperimus, desciscere ab officio, et promissorum suorum nostrorumque iurium sanctitatem violare. Tum profecto onus auctoritatis non plane *cum gaudio* ferimus, sed *gementes;* quod udique *non expedit vobis* [4], neque ad nostram consolationem pertinet.

II. Ecclesiae constitutio velut coagmentatio est atque compages divini aedificii, ante octodecim saecula a Christo et in Christo „*angulari lapide*“ [5] constructi; vitalis vero eius vis est fides, cum dicat apostolus: „*Sine fide impossibile est placere Deo,*“ [6] et alio loco moneat, *fidem quosdam repellentes naufragavisse.* [7] Et profecto, sublata auctoritatis C et subiectionis lege, quae, in fide maxime, tanquam insuperabilis agger superbae rationis fluctus retundat necesse est, iam nihil relinquitur omnino, nisi ut impleatur illud: „*Evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum.*“ [8] Iam vero, si veniret „*Filius hominis, putas, inveniret fidem in terra*“ [9] et in animis hominum? Quod enim tempus unquam plures opinionum pravitates, plura errorum portenta extulit? Quae ingeniorum effrenata temeritas! Quam omnia in hominum mentibus perturbata! An non merito videmur hanc alteram rerum nostrarum labem vobis denuntiare? Nec vero satis fuit episcopis vestris, pro fidei pretiosissimo thesauro excubantibus, mali vos admonere. Postquam enim antiquam fidem, a conciliis generalibus definitam et sanctissime traditam nobis ac servatam, solemni ritu ex formula catholica corde atque ore professi erant, concilii Senonensis patres praecipuos D errores nunc pervulgatos graviter ac pro auctoritate aggressi sunt; suisque sententiis notarunt et confoderunt, omnes illos infelices hodierni rationalismi partus; qui, ex sublimitate quadam profanae scientiae et cum falsae tum saepe tenebricosae philosophiae, demum eruperunt in medium, et vel ipsam operarii officinam pauperisque tugurium pervaserunt, ut miseris hominibus, una cum pietate ac fide, consolationem, spem, felicitatem suam eriperent. Qui errores hic breviter a nobis recensentur.

[1] Matth. XII, 25.
[2] Act. XX, 28.
[3] Ose. IV, 9.
[4] Hebr. XIII, 17.
[6] Hebr. XI, 6.
[7] I Tim. I, 19.
[8] Rom. I, 21.
[9] Luc. XVIII, 8.

1. La doctrine du *panthéisme*, qui affirme que A Dieu est tout et que tout est Dieu. Doctrine impie, qui ne tend à rien moins qu'à anéantir Dieu, s'il était possible, à supprimer la création, à confondre les notions de l'esprit et de la matière: doctrine également funeste à la religion et à la société.

2. La doctrine du *naturalisme* qui met Dieu en dehors de toute action sur l'homme, de toute intervention, de toute influence sur ses destinées et qui refuse à l'homme cette participation à la nature divine promise par l'apôtre saint Pierre: „*Divinae consortes naturae.*"[1]

3. La doctrine du *mythisme*, produit étranger à notre sol et récemment importé en France, qui ne voit dans les faits et sous les personnages de l'ancien et du nouveau testament que des figures ou des symboles créés par une imagination poétique et ardente: doctrine qui détruit tout principe de certitude historique et ne voit, dans nos livres saints, B que des romans plus ou moins ingénieux.

4. La doctrine de l'*indifférentisme*, qui, répétant sans cesse que toutes les formes de religion, nonobstant leurs contradictions mutuelles sur le dogme et la morale, sont également indifférentes ou également agréables à Dieu, amène nécessairement l'homme à n'admettre et à ne pratiquer aucune religion.

5. La doctrine hideuse du *matérialisme* si répandue de nos jours, qui, dépouillant l'homme de ses titres d'honneur et de gloire, ne voit plus en lui une intelligence, une âme, un cœur, mais une machine plus ou moins bien organisée, qui, sans espérance et sans avenir, ne doit avoir pour maître et pour précepteur que son intérêt, et pour règle de ses devoirs, que ses appétits grossiers.

6. La doctrine du *communisme*, qui confond les préceptes et les conseils de l'évangile, et, sous pré- C texte de poser, pour la société et les individus qui la composent, de meilleures conditions d'existence, sape les fondements de toute société, en s'attaquant à la religion, à la famille et à la propriété.

7. Enfin, la doctrine d'un *faux christianisme*, si l'on peut donner le nom de christianisme à une monstrueuse doctrine qui parle de l'évangile sans le connaître, scinde cet évangile ou le défigure; et qui, anathématisant au nom du Christ les principes sur lesquels repose l'ordre social, fait, de celui qui est venu apporter „*la paix sur la terre aux hommes de bonne volonté*"[2] un chef de parti dont la parole serait la justification de leurs rêves coupables.

Nous vous conjurons donc, nos très chers frères, de *prendre garde qu'on ne vous fasse tomber dans l'erreur au moyen d'une fausse philosophie et de ses raisonnements trompeurs*[3]. Notre paternelle affection pour vous, le désir que nous avons d'apprendre que D „*nos enfants marchent dans la vérité*",[4] ne nous portent pas seulement à vous dire: Évitez ces hommes à la langue perfide qui veulent se poser comme vos maîtres, comme si vous aviez d'autre maître que celui qui a dit: „*Je suis la voie, la vérité et la vie,*"[5] évitez-les, fuyez-les. Mais nous nous sentons pressés de vous dire encore: ayez une profonde horreur pour ces livres qu'une presse impie vomit, pour ainsi dire, tous les jours, pour servir de pâture aux esprits inquiets, pour faire circuler plus promptement le poison des pernicieuses doctrines qui les ont enfantés; fuyez ces livres dont le titre seul fait monter la rougeur au front. Pères et mères, maîtres et maîtresses, que vos maisons

1. *Pantheismus*, cui Deus est omnia, omnia sunt Deus; sacrilega doctrina, quae nihil aliud spectat, nisi ut Deus, si fieri posset, redigatur ad nihilum, creatio tollatur, spiritus et corporis notiones confundantur; qua impietate non magis religionem quam societatem everti necesse est.

2. *Naturalismus*, qui, sicut Deum ab homine plane divellit, ne quid divina vis in eo efficere aut ulla ratione eius vitam ac sortem regere credatur, ita homini detrahit illud divinae naturae consortium, quod praedicat beatus apostolus Petrus: „*Ut efficiamini divinae consortes naturae.*"[1]

3. *Mythismus*, peregrinum inventum et nuper in Galliam illatum; cuius haec sententia est, res gestas et illustres personas tum veteris tum novi testamenti meras esse figuras ac symbola, fervidis et poeticis ingeniis conficta; quo fit, ut omnis prorsus historiae fides convellatur, sacri autem libri nihil aliud esse videantur, nisi utcumque solerter excogitatae fabulae.

4. *Indifferentismus*, qui, cum omnes religionum formas, quamvis inter se in iis, quae credenda et facienda sunt, repugnantes, tamen a Deo vel aeque negligi vel aeque probari assidue iactet, id necessario efficit, ut homines nullam omnino religionem aut recipiant aut exerceant.

5. *Materialismus*, foeda nunc late pervagata doctrina, quae, hominem insita dignitate atque honore spolians, non eum mente, non anima, non pectore praeditum facit, sed ad machinae magis minusve artificiose coagmentatae conditionem abiicit; ut, omnis in posterum spei expers, unam magistram ac praeceptricem agnoscat, utilitatem suam, unam officiorum normam sequatur, abiectam cupiditatem.

6. *Communismus*, qui evangelica consilia totidem praecepta esse statuit, et per speciem melioris conditionis et societati et singulis hominibus comparandae, religionem, familiam, proprietatem impugnans, omnis societatis fundamenta subruit.

7. Denique *pseudochristianismus* quidam, si quid tamen christiani habere dici potest monstrum doctrinae, cuius sectatores, de evangelio, quod ignorant, disserentes, illud lacerant atque deformant; et, cum leges, quibus nititur socialis ordo, Christi nomine exsecrentur, illum scilicet, qui *pacem* in terram attulit „*hominibus bonae voluntatis*"[2], factionis ducem esse volunt, cuius auctoritate scelerata sua somnia confirment.

*Videte* igitur, obsecramus vos, fratres carissimi, „*ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam*"[3]. Nam, quia vos diligimus ut patres, et *maiorem gratiam non habemus, quam ut audiamus filios nostros in veritate ambulare*[4], non solum hortamur, ut vitetis ac fugiatis fallaces homines, qui se vobis magistros obtrudunt, quasi non unum habeatis magistrum eum, qui dixit: „*Ego sum via et veritas et vita*:"[5] verum illud etiam vos monere compellimur, ut longe abhorreatis ab iis libris, quos ima pietas paene quotidie typis spargit in publicum, ut his inquieta pabcantur ingenia et celerius exitialium doctrinarum, quae eosdem pepererunt, venena grassentur. Fugite huiusmodi libros, quorum ne tituli quidem sine rubore legi possunt. Videte, patres matresque familias, vosque heri et herae, ne his unquam vestrae domus pateant. His legendis libris fidem, quae in vobis vigebat, vacillare sensistis, ac tum primum aversari coepistis

[1] II Petr. I, 4.
[2] Luc. II, 14.
[3] Coloss. II, 8.
[4] III Ioan., 4.
[5] Ioan. XIV, 6.

ne leur servent jamais d'asile. C'est après avoir lu A ces livres que vous avez senti naître des doutes sur la foi qui vivait dans vos âmes, et ces préjugés, jusqu'alors inconnus, pour des pratiques de religion dont vous vous faisiez gloire dans les jours de votre piété. C'est en se livrant à la lecture de ces livres que vos enfants perdraient avec l'innocence, l'amour et le respect qu'ils doivent aux auteurs de leurs jours; que vos serviteurs apprendraient à méconnaître ce qu'ils doivent à Dieu leur premier maître, et, par une conséquence obligée, ce qu'ils vous doivent à vous-mêmes; c'est par ces lectures que se propagent ces doctrines désolantes qui ont porté partout le désordre et la corruption, le libertinage dans les esprits et dans les cœurs.

III. Par une suite nécessaire des erreurs qui désolent les esprits, et surtout de cette indifférence systématique, fléau de notre société actuelle, résulte un autre mal qui fait d'affreux ravages, *l'indifférence pratique*. B Nous sommes parvenus à une époque où il n'est plus de bon ton d'être irréligieux à la façon du dernier siècle; chez les hommes qui se respectent, comme ils disent, l'urbanité, la politesse, les convenances ne permettent plus les fades plaisanteries, les grossiers et ridicules sarcasmes contre la religion et ses pieuses pratiques. On respecte le prêtre, parce que l'on commence à comprendre qu'il est le représentant et le défenseur-né des principes et de l'ordre qui en est la conséquence; on va même quelquefois jusqu'à demander de bonne foi son concours; on proclame avec emphase et en style pompeux que sa mission est grande et belle; on l'entoure même d'une certaine considération que l'on croit lui être nécessaire; on s'extasie sur la sublimité de nos livres saints, sur la beauté de la morale évangélique, sur l'architecture grandiose et mystérieuse de nos temples anciens, sur la magni- C ficence des pompes de la religion; on y paraît même volontiers quelquefois; mais on s'arrête là: on croit en avoir fait assez; et il semble que pour un grand nombre de chrétiens de nos jours, Dieu notre créateur, Jésus-Christ notre rédempteur, la sainte église catholique dont le baptême nous a fait les enfants, n'ont pas droit d'exiger davantage de nous. On oublie que le catholicisme ne consiste pas dans des théories, dans des spéculations, dans des exaltations d'une brillante imagination, dans de nobles pensées, dans de beaux et affectueux sentiments du cœur; mais qu'il consiste essentiellement dans la pratique de certains devoirs qu'il impose; on oublie que *la foi sans les œuvres est une foi morte*[1] qui ne peut opérer le salut; que *ce n'est pas celui qui dit: Seigneur, Seigneur, qui entrera dans le royaume du ciel, mais celui qui fait la volonté du Père céleste*;[2] on oublie, ou du moins on vit comme D si on avait oublié, que, de même qu'il y a pour le catholique *qui veut parvenir à la vie éternelle* une obligation d'admettre un symbole et *de garder les commandements*[3], il y a aussi une obligation pour lui de recourir aux sacrements, qui, institués par Jésus-Christ dans son église, sont *„les sources d'eaux vives qui rejaillissent jusqu'à la vie éternelle"*.[4]

De là cette coupable et mortelle négligence qui nous porte à nous éloigner des sacrements établis pour nous et pour chacun de nous; de là le peu de dispositions dans ceux qui s'en approchent et qui n'en retirent pas le profit spirituel que s'était proposé le Sauveur. Ah! qu'il est déplorable de voir ainsi rendues inutiles ces sources de grâces que le Sauveur avait ouvertes pour le bonheur de ses enfants.

illas religionis exercitationes, quas olim, quamdiu mansit pietas, honori ducere solebatis. Iisdem porro legendis tum liberi vestri innocentiam pariter ac parentum caritatem reverentiamque exuerent, tum famuli ea primum, quae Deo supremo domino, mox, quod consequens est, quae vobis ipsis debent, dediscerent. Denique horum librorum lectione serpunt ac manant illae doctrinarum pestes, ex quibus tanta ubique perturbatio et morum labes, tanta ingeniorum animorumque licentia emersit.

III. Errores, quibus mentes pervertuntur, atque imprimis illa, de qua dictum, est, *indifferentismi* doctrina, qua una maxime laborat nunc societas, aliud perniciosissimum malum, sicuti erat necesse, invexerunt, religionis in ipsa vita usuque neglectum. Ea sunt quidem haec tempora, ut iam non elegans vulgo habeatur genus illud impietatis superiore saeculo in morem receptum; eos enim, qui suae, ut ipsi aiunt, dignitati consulunt, prohibet nunc urbanitas quaedam et decori ratio, ne religionem ac pietatem insulsis illis salibus atque e trivio arreptis facetiis aspergant. Videlicet sacerdotem reverentur; iam enim intelligunt, eius esse proprium ac velut innatum officium, ordinem et principia, ex quibus is oritur, tueri; quin videas interdum, qui eius operam bona fide expetant. Efferunt amplissimisque verbis praedicant grande illius praeclarumque munus; quare etiam illum honore aliquo, quem ipsi necessarium putant, prosequuntur. Iidem dilaudare satis non possunt sanctorum librorum excellentiam, moralium evangelii praeceptorum pulchritudinem, antiquorum templorum plenam admirabilitatis mysteriorumque structuram, denique divini cultus et sacrorum rituum maiestatem; quibus interdum etiam adsunt non inviti. Neque vero progrediuntur longius: sic enim satis se fecisse existimant; ac videntur multi nunc christiani ita sibi persuasisse, nihil esse ultra, quod conditor noster Deus, Christus Iesus redemptor, sancta catholica ecclesia, nostra per baptismum parens, iure a nobis requirant. Nimirum obliviscuntur illi, catholicam religionem non nudis et a vita seiunctis doctrinis, non fervore quodam excitati ingenii aut quamvis egregiis cogitationibus, non denique praeclaris quibusdam commoti animi sensibus contineri, sed in certis officiis, quae praescribit, explendis proprie consistere; non recordantur *fidem sine operibus mortuam esse*,[1] nec salutem operari posse *neque omnem, qui dicit Domine, Domine, intraturum esse in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem Patris* caelestis[2]; non cogitant, vel certe ita vivunt, quasi non cogitent, quemadmodum catholicus, *si velit ad vitam* aeternam *ingredi*, debet fidei formulam amplecti et *servare mandata*[3], ita eum obstringi ad suscipienda sacramenta, quae, a Christo in ecclesia instituta, fontes sunt *„aquae* vivae *salientis in vitam aeternam"*[4].

Atque hinc mala illa et mortifera socordia, qua a sacramentis, nostra omnium causa institutis, arcemur; hinc vel in iis, qui ea percipiunt, ut minus, quam oportet, comparatus animus, ita minor fructus, quam propositus fuit Salvatori. O rem deplorandam, quod sic frustra exuberent fontes gratiarum, quos ille ad salutem suorum aperuit!

[1] Iac. II, 17.
[2] [illegible]
[3] Matth. XIX, 17.
[4] Ioan. IV, 14.

Les pères du concile de Sens ont été vivement A préoccupés de ce malheur. Ils ont cru que leur tendre affection pour vous, nos très chers frères, leur faisait un devoir tout particulier d'y remédier. Aussi, après avoir rappelé à vos pasteurs les soins, le zèle qu'ils doivent apporter dans l'administration des sacrements et les règles de conduite qui leur sont prescrites, ils ont voulu vous faciliter, autant qu'il a été en eux, la fréquentation des sacrements. Ils ont cru devoir déroger à certaines règles anciennes d'une discipline respectable, mais qui, par le malheur des temps, pouvaient tourner au détriment des âmes; ils ont cru sage et prudent de ne plus vous astreindre à certaines formalités dont les bons et fervents chrétiens ne s'abstiennent pas ordinairement, mais qui, dans des circonstances où *la charité de plusieurs s'est refroidie*[1], deviennent trop souvent une pierre d'achoppement contre laquelle vient se briser une volonté peu ferme, quand B il s'agit de l'accomplissement d'un devoir qui distingue essentiellement et a distingué dans tous les temps le vrai catholique du chrétien infidèle.

Pouvions-nous passer sous silence, nos très chers frères, la grande prévarication de nos jours, la violation de la double loi du repos et de la sanctification du dimanche? Cette loi, faite dans l'intérêt de la famille, dans l'intérêt de la société; cette loi aussi ancienne que le monde, renouvelée sur le mont Sinaï, consacrée par l'autorité de l'église, sanctionnée par les lois civiles; cette loi qui donne à l'ouvrier laborieux le repos qui lui est indispensable pour reprendre, avec joie et courage, le travail et la peine de chaque semaine, le temps nécessaire pour essuyer la sueur de son front et reposer ses bras fatigués, pour relever un peu vers le ciel, sa patrie, ses yeux et son cœur trop souvent fixés sur la terre; cette loi qui le rend aux C douceurs de la famille, aux devoirs du chrétien; cette loi qui l'amène dans le temple saint pour adorer son Dieu et recevoir de la bouche d'un père et d'un ami les leçons de la divine sagesse, qui lui apprendront à être un fils soumis et respectueux, un vertueux père de famille, un bon et honnête citoyen; cette loi, peut-elle avoir d'autres ennemis que ceux qui cherchent à matérialiser l'homme doué d'une âme immortelle, qui ont sans cesse à la bouche les mots de liberté et d'affranchissement et qui exercent une insupportable tyrannie, qui enfin pratiquent sans cesse, dans leurs rapports avec ceux qui vivent sous leur dépendance, ce contre quoi ils n'ont jamais assez de réclamations, d'invectives et de clameurs, ce qu'ils appellent *l'exploitation de l'homme par l'homme?*

Aussi, nos très chers frères, nous, vos évêques et vos pères, nous vous rappelons avec force parce D que nous sommes vos véritables amis, avec confiance parce que nous savons que vous écouterez notre voix qui vous est connue, nous vous rappelons ce précepte de la sanctification du dimanche par la cessation d'un travail défendu et par l'assistance aux saints offices. Nous vous disons:

Maîtres de maisons, chefs d'ateliers, nous vous en conjurons; si vous avez à cœur le bien moral, le bien intellectuel, le bien physique de vos serviteurs et de vos ouvriers qui vous doivent leur temps, mais non pas leurs âmes qu'ils ont reçues de Dieu, si vous comprenez vos véritables intérêts, observez, faites observer la loi du dimanche.

Magistrats, dépositaires d'une partie des pouvoirs du chef de l'état, qui veillez au maintien de l'ordre et des bonnes mœurs dans nos villes et nos

Quod quidem malum patres concilii Senonensis vehementer sollicitos habuit; eique ut mederentur, fratres carissimi, qui eorum est in vos amor, omnino sibi faciendum esse duxerunt. Itaque, postquam pastores vestros admonuerunt, qua diligentia, quo studio in sacramentis administrandis uti eos oporteret, quaeque eis hac de re sint praescriptae leges vobis ad eadem, quantum in ipsis erat, facilem aditum patere voluerunt. Derogandum igitur censuerunt quibusdam legibus veteris disciplinae, quae, quamvis per se bonae, videbantur tamen, propter iniquitatem temporum, in animarum detrimentum posse vertere; id quoque rati prudenter se facturos, si vobis remitterent quaedam, quae, licet a bonis et ferventibus christianis fere non omittantur, hoc tamen tempore, cum iam *refrixit caritas multorum*[1], nimium saepe absterrent infirmae voluntatis homines, ne id officium praestent, quod verum catholicum ab infideli christiano potissimum discernit semperque discrevit.

Illud quoque insigne huius aetatis nefas, quo diei dominicae tum legitima quies tum sanctitas violantur, num licebat nobis, fratres carissimi, tacitis praeterire? Utrumne lex illa, familiae aeque ac societatis gratia condita, mundo antiquitate par, in monte Sina renovata, ecclesiae auctoritate sancita civilibusque legibus confirmata, cuius beneficio impiger operarius necessaria requie sese ad hebdomadae cuiusque laborem reficit ac recreat, nec solum vultu abstergere sudorem et relaxare manus ab operis contentione potest, sed etiam oculos animumque, in terram nimis saepe deiectos, ad caelum ac patriam paulisper erigere; atque ita, domesticae iucunditati et christianis officiis redditus, in sacram aedem venit, auditque a patre et amico, divinae sapientiae interprete, quibus rebus pius et obsequens filius, egregius pater familias, bonus et honestus civis effici possit: utrum igitur talis lex ullos alios habeat inimicos, nisi eos potissimum, qui hominem immortali anima praeditum rebus corporeis mergere cupiunt; qui, cum nihil nisi libertatem omnisque iugi depulsionem loquantur, intolerandam exercent tyrannidem, et, quod magnis clamoribus detestari non desinunt, *hominem ab homine vectigalem haberi*, illud ipsum scilicet in iis, quos sibi habent obnoxios, semper usurpant?

Nos ergo, fratres carissimi, episcopi vestri ac patres, admonemus vos cum graviter, ut vere amici, tum fidenter, ut vobis noti nec de vestro obsequio dubii, ut diem Deo sacram vetiti laboris intermissione et divinorum officiorum frequentatione religiose colatis.

Vos igitur, heri et officinarum magistri, obtestamur, si curae vobis sunt animi, mores, corpora famulorum operariorumque vestrorum, qui suum tempus vobis, non animas a Deo acceptas, debent, atque adeo, si vestris rationibus consulere vultis, legem diei dominicae servate servandamque curate.

Vos quoque, magistratus, quibus credita est pars publicae potestatis, quique per urbes et rura tutelam geritis ordinis atque morum, si vultis auctoritatem

[1] Matth. XXIV, 12.

campagnes; si vous voulez que votre autorité soit respectée, que l'ordre règne, que les mœurs s'améliorent, donnez les premiers l'exemple; observez, faites observer la loi du dimanche.

Notre sollicitude ne pouvait t'oublier, brave armée, la gloire de notre France; toi que l'on retrouve partout et toujours la même, toujours loyale, toujours fidèle, toujours vaillante, toujours victorieuse sous le beau ciel de l'Italie comme sur le sol brûlant de l'Algérie; nous savons le zèle que montrent tes enfants pour la religion qui bénit leurs drapeaux et demande pour eux la victoire *au Dieu des armées*[1]; nous savons quelles consolations ils donnent aux hommes apostoliques qui se sont dévoués plus particulièrement au salut de leurs âmes. Chefs des différents corps de notre généreuse milice, les évêques de la province de Sens ont foi dans votre sagesse: ils savent que vous voulez des soldats fidèles à la religion comme à l'honneur, à Dieu comme à la patrie, qui n'oublient pas les nécessités du salut et les nobles devoirs du chrétien; vous redoublerez de zèle pour concilier le service *du roi de rois*[2] avec les exigences du service militaire et la sévérité de la discipline; facilitez à vos soldats le moyen de sanctifier le dimanche, et ils deviendront encore plus intrépides dans le danger, plus fidèles à leurs drapeaux, plus soumis à la loi, *sans peur et sans reproche*.

Chrétiens, nos très chers frères, venez chaque dimanche vous réunir autour des saints autels dans *la maison de la prière*[3], dans votre église, dans votre paroisse, la patrie du chrétien. Ah! que de touchants souvenirs, que de douces émotions se rattachent à l'église de la paroisse! Enfants, vous y avez reçu la naissance spirituelle; jeunes, vous y avez été réconciliés avec votre Dieu, on vous y a distribué le lait de la doctrine et le pain des forts; c'est là que priait votre tendre et pieuse mère dont le nom fait encore palpiter votre cœur; c'est là que la religion bénit et consacra des liens indissolubles; c'est là que vos bien aimés enfants viendront un jour prier pour vous quand vous ne serez plus; c'est là que se forment et se resserrent entre les enfants de Dieu les liens de la véritable fraternité. Réunis par les mêmes pensées, par les mêmes affections, la même prière nous unira encore avec l'église romaine, avec l'église catholique; et si la *„prière du juste peut beaucoup"*[4] sur le cœur de Dieu, *si Jésus-Christ se trouve au milieu de ceux qui sont réunis en son nom*,[5] quelle ne sera pas la force de notre prière?

IV. Enfin, nos très chers frères, une autre plaie de la société non moins affreuse et non moins générale a attiré l'attention des pères du concile de Sens: c'est l'ignorance. Il semblerait au premier abord que ce mal est imaginaire. En effet, jamais peut-être l'instruction n'a été portée à un plus haut point. Ce siècle ne s'appelle-t-il pas le siècle des lumières? L'instruction n'est-elle pas généralement répandue? Dans toutes les localités ne fait-on pas d'énormes sacrifices pour faciliter à tous le moyen de s'instruire? Des maîtres habiles n'imaginent-ils pas mille méthodes ingénieuses pour inoculer l'instruction aux intelligences, même les plus rebelles? Que de progrès n'a point fait la science, et ses résultats prodigieux ne se présentent-ils pas tous les jours à nos yeux étonnés? Nous aimons à le reconnaître, et nous donnons de justes éloges aux administrateurs éclairés qui com-

vestram sanctam haberi, si disciplinam vigere, si mores reflorescere, praeite caeteris exemplo, servate diei dominicae religionem, curate servandam.

Nec vero te praetermitti a nobis fas erat, fortissime exercitus, Galliae decus et ornamentum, cuius omni tempore et loco similis sibi reperitur honestas, constans fides, par virtus, idem vincendi impetus, sive in luce Italiae, sive inter aestus Algeriae bellum geris. Scimus quo studio milites tui ferantur in religionem, quae eorum signa dedicat ipsisque victoriam a *Deo exercituum*[1] precatur; scimus, quibus gaudiis afficiant apostolicos viros, qui eorum se saluti devoverunt. Vos, generosae huius iuventutis ductores, appellant episcopi provinciae Senonensis: vestrae enim prudentiae plane confidunt, neque ignorant, vos milites quaerere religionis pariter et honoris tenaces, nec minus Deo fideles quam patriae, qui, quid salus, quid summa christianorum officia postulent, non obliviscantur: incumbite, ut facitis, in eam curam, ut militiam *regis regum*[2] cum saecularis militiae muniis et disciplinae severitate societis; date militibus vestris colendae diei dominicae facultatem: sic enim fient ad pericula fortiores, vexillis suis fideliores, legi parentiores, denique *absque metu et probro*.

Ergo agite, carissimi nobis in Christo fratres, convenite singulis dominicis ante sancta altaria, in *domum orationis*[3], in vestram paroeciam, quae patria est christiani. Quam multarum rerum quam dulcem memoriam animis effundit paroecialis ecclesia; hic vix nati meliorem hausistis vitam; hic adolescentes cum Deo estis reconciliati, doctrinae lacte et robore panis nutriti; hic precabatur pia et dulcis parens, cuius nomine etiam nunc animus vester iucundissime commovetur; hic inviolabile foedus sacravit et sanxit religio; hic carissimi filii pro vobis aliquando, cum hinc migraveritis, preces fundent; hic inter filios Dei nectuntur et confirmantur verae fraternitatis vincula; hic nos, eadem mente ac voluntate coniunctos, eadem quoque oratio cum Romana et catholica consociabit ecclesia. Quod si *„multum valet* apud Deum *deprecatio iusti"*[4], si Christus, *ubi sunt duo vel tres congregati in nomine eius, ibi est in medio eorum*,[5] quid tandem nostra non efficiet oratio?

IV. Aliud denique nihilominus foedum ac pervulgatum societatis malum patres Senonenses commovit: ignorantia. Quod quidem prima specie auditu incredibile videri potest; nullo enim fortasse tempore diligentius exculta sunt ingenia. Nonne hoc saeculum a doctrinae luce nomen invenit? Non vulgo agitantur studia? Non ingentes ubique sumptus fiunt, ut omnibus praebeatur discendi facultas? Non sexcenta solerter excogitant periti magistri, ut vel tardissimis ingeniis doctrinam inserant? Quo non progressa est scientia? Quae nequam incredibilia effecerit, quotidie miramur; neque enim id non ultro fatemur, aut non merita laude impertimus prudentes rerum administratores, qui quantum sit in doctrina boni, perspiciunt. Cur iidem tam saepe ingemiscere cogimur, quod praecipua illa disciplina, quae hominem meliorem efficit docetque, quae sit eius origo, qui finis, quae iura

[1] Isai. I, 24.
[2] I Tim. VI, 15.
[3] [illegible]
[4] Iacob. V, 16.
[5] Matth. XVIII, 20.

prennent le bien de l'instruction. Mais pourquoi faut-il que nous ayons si souvent à gémir de ce que la science par excellence, celle qui rend l'homme meilleur en lui apprenant son origine et sa fin, ses droits et ses devoirs, ce qu'il est et ce qu'il doit être, la science de la religion soit trop négligée? Oh! qu'il est douloureux pour notre cœur de trouver dans nos campagnes et bien souvent jusqu'au milieu de nos villes des enfants qui ont dépassé de plusieurs années l'âge de raison, et qui n'ont jamais entendu parler de Dieu, qui ne connaissent pas même les premiers éléments de la foi et de la morale chrétienne, et qui n'ont pas encore appris à former sur leurs fronts le signe auguste de notre rédemption! Quelle peine, quelle amertume, quelle douleur pour un pasteur, lorsqu'il voit de malheureux parents, peu soucieux des devoirs les plus sacrés de la paternité, laisser croupir de pauvres enfants dans une épouvantable ignorance! Et puis, lorsque ces pauvres petits êtres commencent à prendre de la force, venir les jeter entre les bras de la religion pour précipiter le grand acte, qui doit les initier à la vie pratique de chrétien par la participation aux divins mystères, la première communion! Et si un pasteur consciencieux veut, comme il le doit et comme le lui prescrivent les saintes règles de la discipline, prendre du temps pour défricher cette terre jusqu'alors inculte, arracher les mauvaises herbes qui y croissent en abondance, y répandre la fécondité par la rosée salutaire de l'instruction chrétienne et y voir germer les principes de la vie surnaturelle, que de plaintes alors contre ces sages délais; que de murmures sur ce qu'on appelle exigences, intolérance, injustice; que de menaces quelquefois!

Le pasteur, dont le cœur est toujours celui d'un père, n'a épargné ni ses peines, ni ses fatigues, ni ses prières; il a cru remarquer dans ces jeunes cœurs de la bonne volonté, des efforts, les dispositions essentielles; il a espéré leur persévérance; il a eu égard à leur position sociale; il leur a ouvert la porte du sanctuaire; il les a admis au banquet divin pour la première fois! Et bientôt, son cœur est douloureusement brisé, lorsqu'il voit ces enfants pour lesquels, comme l'apôtre, il *ressentit les douleurs de l'enfantement* spirituel,[1] oublier peu à peu ce qu'ils ont appris, ce qu'ils ont promis, fuir l'ami de leur enfance et les autels du *Dieu qui avait réjoui leur jeunesse*[2]. Pasteurs, nos bien aimés coopérateurs, dites-le, n'est-ce pas là la plus grande affliction de votre laborieux ministère? N'est-ce pas là ce qui abreuve vos âmes d'une indicible amertume? N'est-ce pas là ce qui a bien souvent arraché de vos cœurs oppressés ce cri d'une grande détresse: Mon Dieu! mon Dieu! auriez-vous frappé de stérilité le ministère sacré auquel vous m'avez appelé?

Est-il surprenant, nos très chers frères, qu'une affreuse ignorance de ses devoirs envers Dieu, envers le prochain, envers soi-même soit le résultat obligé de cet abandon de l'instruction religieuse? Et ne comprend-t-on pas qu'à sa suite vienne se placer le hideux cortège de tous les vices?

Nous avons rappelé aux pasteurs les obligations qu'ils connaissent, et (nous leur devons ce témoignage qui est selon notre conscience) qu'ils remplissent avec ardeur. Nous leur avons retracé les règles de prudence qui doivent diriger leur zèle; nous leur avons répété, avec l'apôtre, *„d'annoncer sans cesse la parole sainte, de prêcher l'évangile de Jésus-Christ.“*[3] Nous leur avons recommandé d'une

A et officia, qui sit et qualis esse debeat, id est disciplina religionis, nimium negligatur? Quanto cum nostro dolore, tum ruri tum saepe in ipsis urbibus, pueros iam a pluribus annis usum rationis adeptos reperimus, qui nihil unquam de Deo audierunt, nihil de primis fidei et vitae christianae elementis, ac ne augustum quidem redemptionis signum frontibus imprimere didicerunt! Quomodo angitur et cruciatur pastor, cum videt indignos parentes adeo paterni nominis sanctissimorumque officiorum oblitos, ut infelices filios in horrenda ignorantia marcescere sinant; qui, postquam miselli illi iam adolescere coeperunt, tum demum eos in religionis manus abiiciunt, ut in iis festinetur scilicet magnum illud sacramentum, quo christianae vitae initiantur prima communio! Quod si diligens pastor, sicuti debet et disciplinae leges sancte iubent, spatium sumere velit ad rudem hunc agrum excolendum, ad vim B nocentium herbarum evellendam, ad instillandam christianae doctrinae salubritatem et fovenda caelestis vitae semina: quae tum querelae adversus prudentes eius moras; qui fremitus importunitatem, intolerantiam, iniuriam accusantium; quae interdum minae!

Sed ille, sicut est caritate pater, non operae, C non labori, non orationi pepercit; et cum videretur sibi in his adolescentulis bonam voluntatem, conatus et, quantum necesse est, paratum animum deprehendere, et in posterum perseveraturos speraret, conditionis eorum rationem habendam esse ratus, ad sanctum altare admissos divino convivio primum excepit. Verum, non multo post, incredibili afficitur vulnere, cum cernit eos, quos, sicut apostolus, spiritu *iterum parturivit*[1], quae didicerunt, quae spoponderunt, paulatim oblivisci, ac deserere amicum pueritiae suae et altaria Dei, qui *laetificavit eorum iuventutem*[2]. Ex vobis ipsis quaerimus, pastores, dilecti adiutores nostri, num in laborioso vestro ministerio quidquam hac acerbitate acerbius? Nonne hoc illud est, quod vobis graviorem, quam dici potest, inurit dolorem, ac saepenumero moerentibus plenam illam angoris vocem expressit: Deus meus, Deus meus, utrumne forsitan sanctum ministerium, D ad quod me vocasti, sterilitate damnaveris?

Mirumne cuiquam videatur, fratres carissimi, sic deserta religionis disciplina, si exsistat officiorum erga Deum, erga proximos, erga seipsum, tam turpis ignorantia; aut si hanc rursus sequatur foedissima omnium vitiorum colluvies?

Ac nos quidem animarum pastores admonuimus officiorum suorum; quanquam ea et iam norunt et, id quod non possumus non ex animo testari, strenue exsequuntur. Redegimus eis in memoriam salubria praecepta, quibus se in munere administrando regere debent; inculcavimus illud apostoli: *„Praedica verbum, insta opportune, importune;“*[3] diligentissime commendavimus, ut iuventutem christiana

[1] Gal. IV, 19.
[2] Psalm. XLII, 4.

[3] II Tim. IV, 2.

manière tout particulière l'instruction religieuse de A la jeunesse, depuis la première enfance jusque bien après la première communion. Nous connaissons vos pasteurs; et nous savons avec quel religieux scrupule ils exécuteront les prescriptions du concile. Mais les efforts de leur zèle et de leur piété seront infructueux si les parents ne les secondent pas. Le petit enfant recevra donc sur les genoux de sa mère cette première instruction qui ne s'effacera pas plus que l'amour de son père. La jeunesse trouvera au sein de la famille des encouragements pour s'instruire encore; longtemps elle fréquentera les instructions familières; chaque dimanche, assidue autour de la chaire de vérité, elle viendra se fortifier dans la connaissance et dans l'amour de ses devoirs, et présentera ainsi à la société le spectacle d'une *„génération bénie par le Seigneur"* [1].

Nous nous sommes encore occupés, nos très chers frères, dans notre concile provincial, de nos B séminaires destinés à perpétuer le sacerdoce au milieu des peuples, et de ces communautés de vierges chrétiennes qui, répandues au milieu des populations, prient pour vous, élèvent et instruisent vos enfants, visitent et soignent vos malades et vous donnent l'exemple de la charité, de la régularité, de l'humilité, du dévouement et de la patience.

Enfin, pleins de confiance dans *le père des miséricordes et le Dieu de toute consolation* [2], nous n'avons pas voulu nous séparer sans mettre nos travaux sous la tout-puissante protection de Notre Seigneur Jésus-Christ. Nous les avions commencés sous ses divins auspices, nous les avons terminés en son nom: à lui seul d'en assurer le succès. Nous avons invoqué le cœur sacré de Jésus, cet asile dans les peines, ce refuge dans les malheurs, ce rafraîchissement dans les travaux. Nous, vos C évêques, nous avons consacré à ce divin cœur nos personnes et nos diocèses, nos âmes et les vôtres; nous lui avons consacré toutes les familles de cette province, mais particulièrement cette jeunesse qui sera toujours l'objet de notre plus vive sollicitude et de notre plus sincère affection. Marie, dont le cœur immaculé est la plus parfaite image du cœur de Jésus; Marie, que nous avons invoquée dans nos saintes réunions; Marie, dont nous avons, avec une ferme persuasion, proclamé la conception toute pure et sans tache en exprimant le désir de la voir définie, comme enseignement de l'église catholique, par le saint siège apostolique qui a favorablement *accueilli nos vœux* [3]; Marie, que vous invoquerez avec confiance, que vous aimerez avec ardeur, que vous imiterez avec générosité, sera la protectrice de nos diocèses et notre puissante avocate auprès de Jésus-Christ Notre Seigneur *„à qui soit la gloire* D *dans tous les siècles des siècles"* [4].

Sera la présente lettre synodale lue au prône, en tout ou en partie, dans toutes les églises et chapelles de nos diocèses.

Donné en la fête de la Nativité de la très-sainte Vierge, le 8e jour du mois de septembre de l'an de grâce 1852.

† Mellon, archevêque de Sens.
† Dominique-Augustin, évêque de Nevers.
† Pierre-Louis, évêque de Troyes.
† Pierre-Simon, évêque de Moulins.

Par mandement de nosseigneurs l'archevêque métropolitain et les évêques de la province de Sens:

E. Chauveau, vicaire général de Sens, secrétaire du concile.

doctrina iam a tenera aetate ac porro diu post primam communionem erudirent. Novimus pastores vestros, et, quanta religione concilii praescripta executuri sint, scimus. Verum frustra illi omnes industriae suae ac pietatis nervos contendent, nisi parentes suam cum iis operam coniungant. Itaque, parvulus iam in materno gremio prima illa imbuatur disciplina, quae tam non delebitur aetate, quam patris caritas. Adolescentia domi inveniat, quae eam ad discendi studium porro excitent, diuque ad familiarem sacrae doctrinae institutionem ventitet; nec deinceps ullam intermittat diem dominicam, quin, evangelico suggesto circumfusa, ad maiorem officiorum cognitionem amoremque proficiat. Atque ita demum hominibus spectandum offeretur *„semen cui benedixit Dominus"* [1].

Praeterea, curae etiam concilio fuerunt, fratres carissimi, tum nostra seminaria, quibus sacerdotium inter populos propagatur, tum illae christianarum virginum familiae, quae, passim diffusae, vos precibus suis iuvant, liberos vestros educant atque erudiunt, aegrotos visitant curantque, et caritatis, disciplinae, humilitatis, oblivionis sui, patientiae vobis exempla demonstrant.

Ad extremum, spem nostram omnem in *patre misericordiarum et Deo totius consolationis* [2] collocantes, non discedendum e concilio esse duximus, nisi prius laboribus nostris domini nostri Iesu Christi omnipotens exoraremus praesidium; quo auctore ac duce illos, uti coepimus, ita absolvimus: cuius etiam in manu est eorumdem prosper eventus. Invocavimus igitur sanctissimum cor Iesu, illud in angustiis solatium, in rebus adversis perfugium, in laboribus levamentum. Cui divino cordi nos et nostras dioeceses, nostras vestrasque animas, omnes totius provinciae familias, imprimis vero iuventutem, semper nobis longe commendatissimam carissimamque, nos, episcopi vestri, devovimus et consecravimus. Maria vero, cuius immaculatum cor simillima est cordis Iesu imago; Maria, quam in sanctis congressibus nostris precari solebamus; cuius conceptionem purissimam omnisque labis immunem firma persuasione pronuntiavimus, supplicantes, ut ea tanquam catholicae ecclesiae doctrina a sancta sede apostolica definiretur (cui quidem haec vota acceptissima fuerunt [3]); Maria, quam ut fidenter invocetis, ardenter diligatis, generose imitari studeatis hortamur: ipsa dioecesium nostrarum tutrix et potentissima omnium nostrum patrona erit apud Iesum Christum dominum nostrum, cui *„gloria in saecula saeculorum"* [4].

Atque hae litterae synodicae ex toto vel partim pro concione legantur in omnibus ecclesiis et sacellis nostrarum dioecesium.

Datum in festo Nativitatis sanctissimae Virginis, die 8 mensis septembris anni Christi 1852.

† Mellonus, archiepiscopus Senonensis.
† Dominicus-Augustinus, episcopus Nivernensis.
† Petrus-Ludovicus, episcopus Trecensis.
† Petrus-Simon, episcopus Molinensis.

De mandato dominorum nostrorum archiepiscopi metropolitae et episcoporum provinciae Senonensis:

E. Chauveau, vicarius generalis Senonensis, concilio a secretis.

[1] Isai. LXI, 14.
[2] II Cor. I, 3.
[3] Litt. apostol.
[4] I Petr. V, 11.

# CONCILIUM PROVINCIALE AQUENSE
## 1850 septembris 8-23.

Concilium provinciale Aquense in Gallia, celebratum a die 8 ad diem 23 septembris 1850, sub Petro-Maria-Iosepho Darcimoles, archiepiscopo Aquensi. A

### Bibliographia.

1) Mandement de monseigneur l'évêque d'Alger, qui prescrit des prières à l'occasion du concile provincial d'Aix. Alger, imprimerie du gouvernement, 1850.

In-4°, 11 p. — Lyon Fourvière.

Sub data 14 iulii 1850.

2) Discours prononcé par monseigneur l'évêque de Marseille, dans l'église métropolitaine d'Aix, à la session de clôture de concile provincial, le 23 septembre 1850. *[Insigne.]* Marseille, Marius Olive, imprimeur de Mgr l'évêque, Mazade, 28, 1850.

In-4°, 16 p. — Paris, Bibl. nat. B 18362.

Oratio habita ab episcopo Massiliensi.

3) Concilium provinciae Aquensis, in urbe metropolitána celebratum anno Domini MDCCCL, pontificatus Pii pp. IX quinto, a sancta sede approbatum. Aquis-Sextiis, typis Vitalis, archiepiscopatus typographi, MDCCCLII.

In-8°, 173 p. — Aix, séminaire; Autun, séminaire; Grenoble, séminaire; Lyon, abbé Martin; Lyon, séminaire; Paris, Bibl. nat. B 6806; Paris, Saint-Sulpice; Sens, séminaire.

4) Acta et decreta sanctorum conciliorum recentiorum, collectio Lacensis, auctoribus presbyteris s. J., e domo b. v. M. sine labe conceptae ad Lacum; tomus quartus ... Friburgi Brisgoviae, sumtibus Herder, MDCCCLXXIII, col. 955-1026.

### PUBLICATIO CONCILII.

*Petrus-Maria-Iosephus Darcimoles, Dei et sedis apostolicae gratia archiepiscopus Aquensis, Arelatensis et Ebredunensis, universis provinciae nostrae fidelibus, salutem in Domino.*

Concilii nostri provincialis decreta, quod in hac civitate anno pene ultimo habuimus, summi pontificis auctoritate recognita et corroborata nunc edimus et solemniter publicamus, ut a quibus eius celebratio tanta exultatione excepta est, vobis ex eius publicatione uberes fructus salutis proveniant. „*Omnia* enim *carissimi, propter aedificationem vestram*[1]; hocque *ministerii nostri opus*, ut occurratis *omnes in unitatem fidei et agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis* C *Christi.*"[2] Quo adimplendo operi, cum venerabilibus nostris comprovincialibus episcopis, unanimi mente, sicut et communi labore in concilio congregati, ea declaravimus et statuimus quae sive ad fidem tuendam, sive ad disciplinam accuratius instaurandam, ad caritatis pietatisve opera fovenda, ad iuventutem optimis doctrinis et virtutibus imbuendam et instituendam, salubriora temporumque nostrorum necessitatibus magis accommodata, in Domino visa sunt.

Haec quidem potissimum in eorum gratiam sunt comparata, qui in sortem Domini vocati, sacris altaribus et ecclesiasticis muneribus deputantur; ast ad omnes etiam spectant quae in omnium utilitatem constituta sunt; quorumque servandorum unicuique fidelium, pro gradu et conditione sua, onus incumbit.

„*Scientes* itaque, *fratres dilecti a Deo, fidem* D *vestram quae est in Christo Iesu,*"[3] iis ipsis verbis quibus venerabilis memoriae praedecessor noster Alexander Canigianus in publicatione concilii sui usus est, omni cum fiducia hortamur vos et alloquimur: „Suscipite ... haec caritatis monumenta, haec sollicitudinis nostrae pignora, eo animo et studio, quod bonos atque obedientes filios decet. Pro eo quanti divini nominis gloriam, et animarum vestrarum salutem facitis, accipite haec synodi nostrae decreta, haec publicorum incommodorum remedia, ea animorum alacritate, quam quidem speramus atque confidimus vos allaturos esse ad ea servanda atque exhaurienda: *abundantes*, ut apostolus ait, *in omni opere Domini semper*[4], *redimentes* B *tempus, quoniam dies mali sunt*[1]. *Remissas manus, et soluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris, contemplantes ne quis desit gratiae Dei*[2]. *Deus autem pacis ... aptet vos in omni bono ut faciatis eius voluntatem: faciens in vobis quod placeat coram se per Iesum Christum: cui est gloria in saecula saeculorum. Amen.*"[3]

Datum Aquis-Sextiis, sub signo sigilloque nostris ac secretarii archiepiscopatus nostri subscriptione, anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo secundo, mensis iunii die vigesima nona, in festo sanctorum apostolorum Petri et Pauli.

† Petrus-Maria-Iosephus, archiepiscopus Aquensis, Arelatensis et Ebredunensis.

De mandato illustrissimi et reverendissimi domini domini archiepiscopi:

Contestable, canonicus secretarius.

### LITTERAE AD CONCILIUM ATTINENTES.

I. — *Edictum de concilio provinciali Aquensi.*

Nos Petrus-Maria-Iosephus Darcimoles, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae gratia archiepiscopus Aquensis, Arelatensis et Ebredunensis.

Synodorum provincialium celebrationem omni aevo ab ecclesia reputatam, ut institutum quo nihil ad doctrinae disciplinaeve ecclesiasticae fructum conducibilius, multoties tum a summis pontificibus, tum a conciliis etiam generalibus et praesertim a sacrosancta Tridentina synodo, Spiritu sancto inspirante, commendatam et praeceptam, a duobus fere saeculis in Gallia revera interruptam, reclamantibus licet summo consensu et incessanter venerabilibus episcopis praedecessoribus nostris; cum, divina favente providentia, instaurandi nobis tandem plene libera sit facultas, hancque instaurationem in votis habeat in Christo pater et dominus Pius papa IX;

Volentes, quantum in nobis est, et mandatis et votis praedictis debitum praestare obsequium, concilium provinciale in ecclesia nostra metropolitana Aquensi, ad proximam festivitatem nativitatis beatae Mariae semper virginis, quae incidit sexto idus septembris, celebrandum indicimus et decernimus. Quocirca, ad id illustrissimos et reverendissimos episcopos comprovinciales nostros Massiliensem, Adiacensem, Vapincensem, Foroiuliensem, Algeriensem

[1] II Cor. XII, 19.
[2] Eph. IV, 12.
[3] I Thess. I, 4; Coloss. I, 4.
[4] I Cor. XV, 58.

[1] Eph. V, 16.
[2] Hebr. XII, 12, 13, 15.
[3] Hebr. XIII, 20, 21.

et Diniensem convocamus, et universis et singulis, qui de iure vel consuetudine conciliis provincialibus interesse tenentur, mandamus et praecipimus ut, sub poenis in iure latis, ad condictum diem adesse curent. Pios quoque totius nostrae provinciae fideles, per viscera Iesu Christi domini nostri, hortamur ut assiduis precibus reliquisque christianae pietatis officiis, a Deo misericordiarum et patre luminum, nobis negotium tam salutare tractantibus, quaecumque necessaria et utilia implorent et obtineant.

Ac ne quis inscius a concilio abeit et deficiat, neve ignorantiae excusationem praetendere possit, praesens edictum confici, sigillo nostro muniri iussimus, idque in sacristia capitulari tum metropolitanae nostrae, tum singularum cathedralium huiusce provinciae, praesente capitulo legi, ibique per quindecim dies affixum remanere voluimus.

Datum Aquis-Sextiis, die vigesima nona mensis iunii, anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo.

† P.-M.-Iosephus, archiepiscopus Aquensis, Arelatensis et Ebredunensis.

De mandato illustrissimi ac reverendissimi domini domini archiepiscopi:

Contestable, canonicus secretarius.

II. — *Ad sanctissimum dominum nostrum Pium papam IX.*

Beatissime pater.

Synodum provincialem quam, voce vestra movente, indixeramus, summa cleri populique laetitia habuimus atque absolvimus.

Quae in ea confecimus decreta, sanctitatis vestrae recognitioni, iuxta antiquae traditionis exempla et constitutionis Sixti papae V placitum, submittere satagimus.

Velit sanctitas vestra sapientia sua meliora facere, atque apostolica auctoritate confirmare et munire quae quantum mente orthodoxa tantum erga omnium christianorum patrem et doctorem reverenti et amanti animo decrevimus.

Deum interea deprecamur ut ecclesiae suae beatitudinem vestram diu praestet salvam et incolumem, et paternam vestram benedictionem nobis gregique nobis commisso humiliter postulamus. Beatissime pater, sanctitatis vestrae obsequentissimus et devotissimus filius:

† P.-M.-Iosephus, archiepiscopus Aquensis, Arelatensis et Ebredunensis.

Aquis-Sextiis, die 26 ianuarii 1851.

III. — *Pii papae IX litterae super actis concilii provincialis Aquensis.*

Pius papa IX.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Gratae nobis admodum fuerunt tuae litterae VII kalendas huius mensis datae, atque a venerabili fratre Carolo-Iosepho-Eugenio, episcopo Massiliensi nobis traditae, quibus nostro et huius apostolicae sedis iudicio subiicere properasti acta provincialis synodi, quae a te aliisque venerabilibus fratribus istius ecclesiasticae provinciae antistitibus nuper fuit concelebrata. Atque eadem acta nostrae concilii congregationi examinanda commisimus, quae rebus omnibus ex more mature perpensis, congruum, maiori qua fieri poterit celeritate, dabit responsum. Interim vero non mediocri certe iucunditate ex iisdem tuis litteris accepimus synodum laetitia esse habitam et absolutam. Dum autem tibi atque iisdem venerabilibus fratribus tuis coepiscopis de hac re summopere gratulamur, pro certo habemus tibi, atque ipsis venerabilibus fratribus, nihil unquam potius, nihil antiquius futurum, quam maiori usque cura et studio vigilare, excubare, allaborare ut sanctissima nostra religio in istis regionibus magis in dies vigeat et floreat, et fideles crescant in scientia Dei et cognitione domini nostri Iesu Christi, atque incedant per semitas Domini et instent viam quae ducit ad vitam. Denique, hac occasione libentissime utimur, ut praecipuam nostram in te benevolentiam denuo testemur et confirmemus. Cuius quoque pignus sit apostolica benedictio, quam toto cordis affectu tibi atque iisdem venerabilibus fratribus tuis coepiscopis, cunctisque istarum ecclesiarum clericis, laicisque fidelibus peramanter impertimur.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, die 13 februarii anni 1851, pontificatus nostri anno quinto.

*Signatum:* Pius papa IX.

IV. — *Eminentissimi cardinalis Maii litterae super approbatione decretorum concilii provinciae Aquensis.*

Perillustris ac reverendissime domine uti frater.

Acta synodi provincialis Aquensis, ab amplitudine tua una cum caeteris comprovincialibus episcopis anno superiore celebratae, expendit et recognovit haec sacra congregatio Tridentini concilii interpres ac vindex, cui, ex praescripto constitutionis Sixti V incipientis *Immensa*, pro eximio vestro in apostolicam sedem obsequio ac veneratione transmittenda curastis. Hac itaque sui muneris parte dum rite una mecum fungerentur eminentissimi patres, haud levem accepimus voluptatem non solum quia in tristissima hac temporum conditione, in qua omnia iura divina et humana in discrimen adducuntur, revocata per vos veteri consuetudine, praestitutum ex more, maiorum et sacrorum canonum praescripto simul consilia conferendi remedium aptissime adhibuistis, sed etiam quia in examinandis articulatim synodi decretis, plurima nacti sumus argumenta laudandae pastoralis vestrae sollicitudinis, qua exundanti malorum eluvioni, aliorum Galliae episcoporum laudabilia exempla aemulati, repagula opponere in vestra quoque provincia studuistis.

Ut enim summatim nonnulla percurram, optimo consilio quae ad doctrinam fidei ac morum, quae ad potestatis ecclesiasticae auctoritatem et praesertim ad supremam Romani pontificis iurisdictionem pertinent, veluti fundamenta concilii praeiacere voluistis. Subinde, de civili societate concordiaque sacerdotii cum imperio sermonem habuistis, atque opportunissime monstruosa errorum capita quae ubique a vaferrimis hominibus disseminantur, religionemque ac societatem turbant ac miscent, damnastis atque reprobastis. Rei sacrae negotia dein penitus aggressi, de disciplina ecclesiastica, de personis Deo mancipatis, de sacramentorum administratione, de verbi Dei praedicatione, de charitatis et pietatis operibus, de reverentia in cultus divini celebratione, de pueris catechizandis, de librorum bonorum propagatione, ac de bibliothecis parochialibus, deque sacra liturgia, iuxta Romanae ecclesiae rubricas, in omnes istius ecclesiasticae provinciae dioeceses introducenda saluberrima decreta edidistis. Gratum vero fuit quam quod gratissimum edoceri tum quae de concilio provinciali stato tempore renovando et synodis ab unoquoque epi-

culiare vestrum studium quo solidae clericorum institutioni in minoribus et maioribus seminariis degentium ad qualibet virtutes et disciplinas addiscendas prospexistis. Equidem optandum esset ut ea fluerent tempora quae apostolicae sedi sinerent vestris votis obsecundare, ad veterem formam ac splendorem revocando scholas quibus clericis ad studia superiorum facultatum perficienda atque ad gradus academicos sibi comparandos via pateret. At, quoniam huiusmodi negotium grave quidem et salebrosum in praesenti visum est, ita ut cum sacra haec congregatio rescriberet ad litteras patrum synodi Remensis opportuniori tempori illud reservaverit, vobis exemplum patrum synodi Burdigalensis, quod et ipsi sacrae congregationi placuit, sectari licebit, qui interea selectos iuvenes ad aliquam ex approbatis ecclesiasticis universitatibus mittere sibi proposuerunt.

Quandoquidem vero divina miseratione contigit novis ac salutiferis plantationibus dominicas vineas culturae vestrae concreditas locupletare, nihil aliud restat nisi ut omni contentione satagatis, in maius ecclesiasticae rei incrementum et decus, uberrimam bonorum spiritualium segetem curare et urgere. Gnavo seduloque patrifamilias satis non est agro

A semina committere, sed omni assiduitate ac industria sata excolit usque dum sui laboris fructum aliquando consequatur. At vero alacres curae quibus synodica comitia redintegrastis certa nobis spei pignora praebent, fore ut vos una cum clero quae prudenter sancita sunt nullo non tempore observanda efficaciter enitamini; omnium bonorum largitore Deo in agrum vestro sudore irrigatum coelestis roris abundantiam effundente.

Quas caeterum animadversiones eminentissimi patres, post accuratum synodi examen, ex auctoritate sanctissimi domini nostri perfunctum, e re esse censuerunt, eas folio heic adnexo adnotatas reperietis, neque dubitant quin, pro vestra in apostolicam sedem reverentia, easdem executioni mandetis antequam concilii acta promulgentur.

Quod reliquum est, ego peculiariter omne meum studium et propensissimam voluntatem profiteor B amplitudini tuae atque egregiis episcopis, vobisque omnibus fausta omnia ac prospera precor a Domino.

Amplitudinis tuae, uti frater studiosissimus.

A. cardinalis Maius, praefectus.

Hieronymus d'Andrea, archiepiscopus Melitenus, secretarius.

Romae, 30 septembris 1851.

## DECRETA CONCILII.

### TITULUS I.

*Decretum de aperienda synodo.*

In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Nos Petrus-Maria-Iosephus Darcimoles, ecclesiae metropolitanae Aquensis archiepiscopus, ad laudem et gloriam Dei omnipotentis, ad honorem beatissimae immaculatae semperque virginis Mariae Dei genitricis, cuius hodie gloriosa nativitas celebratur, ad ecclesiae decorem, decernimus, de consilio et consensu reverendissimorum episcoporum nostrorum comprovincialium, hac ipsa die mensis septembris octava, initium fieri atque ideo factum esse concilii provincialis, quod nostra metropolitana auctoritate indiximus, denuntiavimus et promulgavimus.

*Decretum de modo vivendi in concilio.*

Cum, docente beato Iacobo apostolo, „*omne datum optimum et omne donum perfectum desursum sit, descendens a patre luminum,*“[1] qui iis qui postulant a se sapientiam, „*dat omnibus affluenter,*“[2] universos et singulos in concilio isto degentes, pro pastorali nostra sollicitudine hortamur ac monemus, ut toto concilii tempore ad eum confugiant, unde venit „*spiritus scientiae et fortitudinis*“[3]; sapientem enim qui „*cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, et in conspectu altissimi deprecabitur, spiritu intelligentiae replebit* Deus, *et diriget consilium eius et disciplinam, et in absconditis suis consiliabitur*“[4].

Praeterea, civitatis Aquensis incolas, quorum et totius provinciae gratia, salutaria decreta concilium meditatur, paterno animo admonemus atque hortamur, ut pietatis officiis se dedant impensius, poenitentiae sacramento contractas sordes eluant, auctori gratiae sacra synaxi sese coniungant, et sobrie, caste, iuste et pie, ut decet sanctos, vivere satagant; obtestamur demum in Domino „*obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones*“[5] fieri pro sanctissimo domino nostro papa, ac pro episcopis et presbyteris in hoc concilio congregatis, ut omnes in charitate radicati pacem foveant, sectentur iustitiam, et quae sunt Christi sapiant et quaerant unanimes.

Iam vero, ut omnis praecludatur altercationi locus, circa sedem quam quisque tenere debet in concilio, hortamur ut in spiritu humilitatis accedant omnes, „*nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem* C *arbitrantes, non quae sua sunt singuli considerantes, sed ea quae aliorum.*“[1] Quod ut felicius assequamur, in qualicumque ordine quisque compareat et consedeat, salva illius iura decernimus.

Praecavendum deinde, ne quis sacrum hunc consessum tumultus interturbet. Omnes ideo modestiam induentes, in spiritu lenitatis suam sententiam, prout Spiritus sanctus dabit eloqui illis, servato tamen suo ordine, proferant in congregationibus, sive privatae illae sint, sive publicae, ac potissimum in sessionibus; „*non* enim *in commotione Dominus.*“[2]

Denique, sub poenis a iure statutis inhibemus, ne quis eorum, qui ad istud concilium nostrum vocati huc accesserunt, ex hac civitate Aquensi, ante dimissam synodum discedere praesumat, nisi discessus causa a concilii patribus cognita et approbata.

D *Decretum de professione fidei.*

Cum inter omnes pastoralis officii sollicitudines, illa potissimum prima esse debeat, ut fides catholica quam sancta Romana ecclesia colit ac tenet, incorrupta in hac provincia sinceraque permaneat, et omnes in eius puritate immobiles inviolatique persistant, nos, in hac nostra synodo provinciali, hinc praecipue exordiendum esse duximus, ut quae ex eodem spiritu est fides, eamdem una oris confessione profiteamur. Quocirca, sacri concilii Tridentini decretis inhaerentes, professionem fidei Pii IV pontificis maximi constitutione acceptam, a nobis et a reverendissimis coepiscopis, caeterisque in hoc concilio insidentibus, palam et publice emittendam decrevimus.

Ego N . . . firma fide credo et profiteor etc. [*Vide supra, col.* 36 A - 38 A.]

[1] Iac. I, 17.
[2] Iac. I, 5.
[3] Is. XI, 2.
[4] Eccli. XXXIX, 6, 8, 10.
[5] I Tim. II, 1.

[1] Phil. II, 3, 4.
[2] III Reg. XIX, 11.

## TITULUS II.

### De spectantibus ad doctrinam fidei et morum.

#### Caput I.

Cum sancta catholica et apostolica fides, quam inviolatam tenet Romana ecclesia, „*humanae salutis initium*“ et christiani totius aedificii sit fundamentum, et cum praecipuum munus episcoporum sit, huius fidei depositum custodire et contra errores omnes defendere: nobis summa Dei benignitate in concilium canonice congregatis, ante omnia opportunum visum fuit, quasdam veritates ad doctrinam fidei et morum pertinentes, a nonnullis vel aperte oppugnatas, vel in dubium hodie revocatas, declarare et profiteri, errores grassantes condemnare, regulasque tradere quibus fides ab omni labe immunis servetur.

#### Caput II.

*De professione fidei.*

Quoniam, ut ait Apostolus, „*unus est Dominus et una fides,*“[1] et „*corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*“[2], ut qui Deo militant, eodem, quem habent, spiritu fidei loquantur omnes, nos, sacrosancti Tridentini concilii decreto inhaerentes, mandamus ut professio fidei sub forma iuramenti, a felicis recordationis Pio papa IV praescripta, et a nobis huiusce synodi initio publice praestita, suo loco et tempore emittatur ab omnibus infra designandis.

Hanc ergo professionem in provincia Aquensi emittent:

1. Novi vicarii generales, aut canonicatum obtinentes ante adeptam possessionem, in manibus episcopi, vel, eo impedito, coram vicario generali, ad hoc specialiter deputato, praesente capitulo;

2. Omnes curam animarum habentes, sub quocumque titulo, scilicet: parochi, rectores et etiam capellani, in manibus episcopi, aut coram presbytero ad hoc specialiter deputato, sive ante, sive post adeptam possessionem, sed infra bimestre;

3. Superiores etiam tum maiorum, tum minorum seminariorum, et quicumque collegiis aliisve institutionibus ab ordinario praeficiuntur, in manibus episcopi aut coram eius vicario generali, intra duos menses;

4. Qui clero ascriptus, theologiam vel philosophiam quovis nomine docuerit, et etiam laicus, qui in institutione auctoritatis ecclesiasticae regimini subiecta, philosophiam docendi munus susceperit;

5. Tandem novi concionatores, etiam regulares, qui, prima vice, ad stationem solemnem quadragesimae aut adventus, vel ad alia spiritualia exercitia deputantur, nisi constet episcopo illos iam professionem fidei emisisse.

#### Caput III.

*De ecclesiae constitutione divina et immutabili.*

Quod Christus ecclesiam suam, ut societatem in suo genere perfectam, externam semperque visibilem, in qua alii praeessent, subessent alii, instituerit, dogma catholicum, simul et factum, omni ex parte certissimum et clarissimum est. Ex discipulis quos primum sibi devinxerat, duodecim elegit, quibus ecclesiam suam in universo orbe propagandi et gubernandi curam demandavit. Id tota evangeliorum librorumque apostolicorum series narrat et demonstrat. Ne autem tanto muneri implendo impares essent apostoli, ipsam potestatem, quam a Patre acceperat, eis contulit, ut in eius A nomine et virtute docerent, sacra mysteria dispensarent, leges ferrent, fideles iudicarent, controversias dirimerent, eaque tandem auctoritate ecclesiam regerent, ut qui eos audierint, Christum audierint, qui eos spreverint, Christum spreverint, et qui eis non obedierint, tanquam ethnici et publicani habendi sint. Cum ipsis tandem docentibus et ministrantibus se adfuturum promisit, non ad tempus, non disruptis intervallis, sed „*omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*“[1].

Postquam vero Christus ad Patrem reversus, promissum Spiritum sanctum in apostolos effudit, hi praescripto operi toti incumbunt. Quaecumque a Christo sibi mandata sunt exsequuntur: docent scilicet et baptizant, ecclesiasque instituunt quibus certas, tum de cultu divino, tum de disciplina, leges imponunt, necnon delinquentes redarguunt et iudicant. Viros tandem rite ordinatos, distinctis B dignitatum et officiorum gradibus insignitos, diversaque pollentes auctoritate, in ecclesiis constituunt, quos scriptura sacra totaque traditio episcopos, presbyteros et ministros, suo quosque nomine, nuncupant. Sicut igitur olim, Deo dictante, in ecclesia iudaica, sic nunc, Christo iubente, in ecclesia christiana, „*summo sacerdoti sua munia tributa sunt, et sacerdotibus locus proprius assignatus est, et levitis sua ministeria incumbunt; laicus autem homo, institutis laicis constringitur.*“[2]

Hanc ecclesiasticae constitutionis formam, non ab hominibus, non ex serie temporum, non ex mera necessitate rerum, non progressu quodam humano, sed ab ipsomet Christo immediate institutam et determinatam, immutabilem esse credimus et profitemur. Quod enim Dei ipsius sapientia et auctoritate ordinatum, fundatum atque sancitum fuit, ab humana sapientia et potestate nec perfici, C nec mutari unquam potest.

#### Caput IV.

*Quod potestas ecclesiastica neque a populo, neque a principibus sit mutuata.*

Regiminis ecclesiastici auctoritatem, non aliis quam pastoribus, quos ecclesiae suae praefecit, Christum commisisse, non minus tota evangelicae historiae series, quam omnia traditionis divinae et ecclesiasticae monumenta, proclamant. Nulla quippe fidelium multitudini, ne minima quidem, huius auctoritatis pars a Christo concessa fuisse legitur. Non eis verbum traditum, non huius praedicandi cura demandata; non ipsis claves datae; non alligandi et solvendi, non remittendi retinendive peccata, concredita potestas.

Haec quidem auctoritas propter fideles, non D autem ab eis nec per eos exercenda, constituta fuit a Christo ac tradita. Vana igitur est, et verbo Dei contraria illa, a quibusdam neotericis excogitata, distinctio inter potestatem ipsam ecclesiasticam et eius exercitium. Nam Christus iis solis suam commisit potestatem, a quibus voluit eam exerceri, nec Petro solum usum clavium, sed ipsas regni coelorum claves dedit.

Idcirco, doctrinae felicis recordationis Pii papae VI firmiter obsequentes, cum ipso damnamus ut haereticam, propositionem synodi Pistoriensis, qua affirmatur: „Potestatem a Deo datam esse ecclesiae, ut communicaretur pastoribus, eo sensu intellectam quod ecclesiastici ministerii et regiminis potestas a communitate fidelium in pastores derivetur.“[3]

[1] Ephes. IV, 5.
[2] Rom. X, 10.

[1] Matth. XXVIII, 20.
[2] Clem. Rom., Ep. I. cap. 40, (opp., ed. Migne, I. 290 A.)
[3] Ex bulla *Auctorem fidei*, prop. 2.

Fide etiam catholica certum est, ipsis principibus saecularibus nullatenus competere potestatem ecclesiasticam, nec eius exercitium. Eorum iura in rebus quidem humanis Christus agnovit; nullum vero in rebus divinis, nullumque in ecclesiam suam imperium ipsis concessit. Hinc quoties principes et magistratus saeculares iura ecclesiasticae potestatis propria invadere attentarunt, toties ecclesia illis fortiter obstitit, hisce Hosii verbis illos redarguens: *„Ne te rebus misceas ecclesiasticis, neu nobis his de rebus praecepta mandes, sed a nobis potius haec ediscas. Tibi Deus imperium tradidit; nobis ecclesiastica concredidit; ac quemadmodum qui tibi imperium subripit, Deo ordinanti repugnat, ita metue ne si ad te ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias.“* [1]

## Caput V.

### *De independentia potestatis ecclesiasticae.*

Cum, ex dictis, ecclesia divinitus condita fuerit tanquam societas perfecta, prorsusque ad finem suum assequendum sibi sufficiens, nullamque in eam principes saeculares habeant potestatem:

1. Solius est ecclesiae dogmata fidei definire et fidelibus doctrinam Christi credendam ita proponere, ut ii teneantur internum seu cordis et mentis obsequium et assensum decretis eius illico praestare. Unde, et iure sibi soli proprio valet illa errores christianae et catholicae fidei adversos denuntiare ac damnare; voces determinare quae a doctoribus scriptoribus et concionatoribus debeant in exponendis et propugnandis dogmatibus usurpari; declarationes exigere quas ad tuendum fidei depositum necessarias duxerit vel utiles.

Nulli ergo hominum, nullique humanae potestati, sub quocumque praetextu, licere declaramus et profitemur decretorum ecclesiae suspendere effectum, et prohibere ne sermo Dei *„currat et clarificetur“* [2]. Non enim fas est ecclesiae doctrinam haberi ut *„verbum hominum,* sed praedicanda est et suscipienda, *sicut vere* est tanquam *verbum Dei“* [3], cum pastores illius in apostolis et per apostolos gratiam et apostolatum acceperint ad *„obediendum fidei in omnibus gentibus“* [4].

2. Ecclesiae ius est proprium leges condere, sancire, promulgare, quibus omnes fideles cuiuscumque sint conditionis, stricte obligentur: ad ipsam proinde solam pertinet leges suas authentice interpretari, mutare, abrogare, ab eis dispensare et pro ratione locorum et temporum iudicare an earum integra observatio relaxari et non urgeri debeat.

3. Pastoribus ecclesiae non tantummodo in foro poenitentiae vera inest iudicandi potestas, sed et alia ipsis competit, nempe regiminis externi, quam, nemo, absque gravis piaculi reatu, impedire aut suspendere potest: et vi cuius in reos tum propria confessione; tum aliorum testimonio criminibus convictos verum exercetur iudicium, eisque licet invitis, poenae etiam externae decernuntur et infliguntur. Id enim muneris, quo Christi nomine functus est apostolus, ecclesiam, dum saevirent etiam persecutiones, in conventu fidelium exercuisse testis est Tertullianus cum ait: *„Ibidem,* id est in ecclesia, *exhortationes, castigationes et censura divina; nam et iudicatur cum magno pondere ut apud certos de Dei conspectu.“* [5] Quantum ista visa fuerint Augustino formidanda ipse perhibet dicens: *„Alligatur homo amarius et infelicius ecclesiae clavibus, quam quibuslibet gravissimis et durissimis ferreis vel adamantinis nexibus.“* [1]

4. Ecclesia plenam item potestatem habet in eligendis pastoribus et instituendis; ut *„fures* quippe *et latrones habendos esse“* [2] pastores ab ecclesia non vocatos aut institutos docet concilium Tridentinum. Ipsa insuper summo iure statuit regulas iuxta quas missio et iurisdictio conferri debeat et exerceri. Cum igitur dioeceseon et provinciarum ecclesiasticarum institutio, circumscriptio, divisio, plurium ad unam reductio fieri nequeat, quin praesulum amplietur auctoritas aut contrahatur, manifestum est haec omnia ad solam ecclesiae pertinere potestatem. Quod si eos qui ad munus pastorale provehendi sunt, designandi seu nominandi aut praesentandi privilegio gaudeant aliquando principes saeculares, id unice ex libera et sapienti ecclesiae indulgentia fieri nos docet concilium generale octavum statuens: *„Neminem laicorum principum vel potentum* posse *semet inserere electioni aut promotioni patriarchae vel metropolitae vel cuiuslibet episcopi.“* [3]

## Caput VI

### *In quibus resideat ecclesiatica potestas.*

Ad Romanum pontificem et episcopos exclusive, iure proprio, ecclesiastica pertinet potestas. Ad Romanum quidem pontificem, Christi vicarium, cui in persona beati Petri totius gregis pascendi et regendi cura demandata est; ad episcopos vero de quibus *proprie* [4], teste Coelestino papa, ait apostolus, *„posuit Spiritus sanctus episcopos regere ecclesiam Dei.“* [5] Ad eos insuper, eodem sancto pontifice declarante et concilio generali tertio assentiente, *„in commune mandatae praedicationis cura pervenit; haereditario in hanc sollicitudinem iure* constringuntur; dum apostolis dicitur: *ite, docete omnes gentes,* [6] acceperunt generale mandatum, et necesse est ut subeant eorum labores quibus omnes successerunt in honore.“ [7]

Aliis vero, etiam presbyteris, ecclesiam iure proprio docendi et regendi munus nullatenus concreditum est. Episcopi enim summo pontifici, velut capiti membra, inhaerentes, utpote, non Petri quidem, sed apostolorum caeterorum in potestate ordinaria successores, horum vices, locum, gradum, in ecclesia Dei iure tenent haereditario; presbyteros autem in septuaginta discipulis designatos invenire est. Illi summi sacerdotes, qui regendis populis praefecti sunt; hi vero episcopalis cooperatores ordinis et adiutores electi. Illis principalis honos sacerdotii, pontificalis apex, cathedra episcopalis, iudicandi et interpretandi potestas est data; his autem secunda dignitas et in minore ordine sacerdotium. In hierarchia quidem computantur presbyteri; at episcopi *„ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinent“* [8]. Et ab initio *„per temporum et successionum vices, episcoporum ordinatio et ecclesiae ratio decurrit, ut ecclesia super episcopos constituatur et omnis actus ecclesiae per eosdem praepositos gubernetur“* [9].

[1] Hosius, *Ep. ad Const. imp.*, apud sanctum Athanasium, *Hist. arian. ad monachos*, n. 44. [opp. sancti Athanasii, ed. Migne, I, 748 D].

[2] II Thess. III, 1.

[3] I Thess. II, 13.

[4] Rom. I, 5.

[5] *Apologet.* 39, [opp., ed. Migne, I, 469 A].

[1] *Contra advers. legis et prophet.* lib. I, n. 36, [opp., ed. Bened., VIII, 587 E].

[2] Trid., sess. XXIII, *de sacram. ord.*, cap. 4.

[3] Can. 22. [Mansi, *Concil.*, XVI, 175 A].

[4] *Epist.* XVIII, n. 4, *ad conc. Ephes.* [Mansi, *Concil.*, IV, 1286 D].

[5] Act. XX, 28.

[6] Matth. XXVIII, 19.

[7] *Epist.* XVIII, n. 2, [Mansi, *Concil.*, IV, 1283 E].

[8] Trid., sess. XXIII, cap. 4.

[9] S. Cyprian., *Epist.* 27, [opp. s. Cypr., ed. Baluzii, p. 37].

His ergo summorum pontificum et sanctorum patrum documentis instructi, et praesertim Pii papae VI[1] definitioni parentes, declaramus presbyteris nullam de rebus fidei iudicandi auctoritatem *proprio iure* competere, nec ipsos in consortium gubernationis ecclesiae *eodem iure* esse vocatos.

## Caput VII.

### *De suprema Romani pontificis auctoritate.*

Inter apostolos quos Dei Filius duces et magistros ecclesiae suae dedit, unum prae ceteris elegit, quem primum, caput et principem eorum constituit, quem Cepham sive Petrum a se vocatum, in praemium emissae ab ipso confessionis, fundamentum ecclesiae suae posuit: cui *claves ceteris communicandas* soli commisit[2]; pro quo singulariter rogavit ut non deficeret fides eius, et quem fratres confirmandi auctoritate insignivit; cui tandem totius gregis pascendi curam ita *absolute et indiscrete*[3] demandavit, ut, *quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus*[4].

Hic primatus Petri pro statuenda, fovenda, illaesaque servanda ecclesiae unitate institutus, non minus quam unitas ipsa, perpetuus esse debuit; perpetui enim aedificii perpetuum esse fundamentum, perpetuae societatis perpetuum esse ducem oportet. Ideoque Petro Romae, ubi suam sedem fixerat, defuncto, in Romanos pontifices eius successores, haereditario divinoque iure, suprema haec potestas transiit. Hinc, ab incunabulis ecclesiae perpetuo et ubique dictum et creditum fuit, Romanum pontificem esse Petri successorem; hinc illa Romanorum pontificum series, nunquam interrupta, toties contra haereticos et schismaticos invocata; hinc Romana cathedra semper et ubique vocata cathedra Petri et sedes propria in qua *„Petrus in suis successoribus vivit et iudicium exercet“*.[5]

Haec est illa sedes unanimi plausu a patribus conclamata: *„cathedra unica, prima de dotibus*[6], *unde unitas sacerdotalis exorta est*[7] *et in qua una, unitas ab omnibus“* servanda[8]. Haec ecclesia *„omnium ecclesiarum mater et magistra*[9], *in qua semper apostolicae cathedrae viguit principatus*[10], *et ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam*[11]. Haec *felix ecclesia cui totam doctrinam apostoli cum sanguine profuderunt*[12]; *ubi fides non potest sentire defectum*[13]; et in qua *immaculata est semper servata religio et sancta celebrata doctrina“*[14]. Haec tandem petra *„super quam ecclesia est* Domini voce *aedificata*[15], et *in qua est integra et vera christianae religionis soliditas“*[16].

Hanc ergo patrum, conciliorum et summorum A pontificum doctrinam toto animo amplexantes profitemur et declaramus: *„apostolicam sedem Romanumque pontificem in universum orbem tenere primatum,“* et centrum esse totius communionis ecclesiasticae necessarium; *„ipsumque Romanum pontificem verum Christi vicarium totiusque ecclesiae caput et omnium christianorum patrem et doctorem existere: ipsique in beato Petro pascendi et regendi et gubernandi universalem ecclesiam a domino nostro Iesu Christo plenam potestatem esse traditam.“*[1]

Haec autem docendi, pascendi et regendi potestas, cum sit suprema, plena, numerisque omnibus absoluta[2], vera est hoc ipso, non solum dirigendi, sed iubendi, leges ferendi et sanciendi, iudicandi et poenas decernendi auctoritas, cui omnes obedire tenentur, et veri nominis iurisdictio cui populi populorumque pastores subiacent; adeo ut in iure ecclesiastico summus pontifex nihil non possit ubi B id exposcit necessitas aut iusta ecclesiae utilitas. Praeterea, cum divina sit et ecclesiae omnino necessaria auctoritas illa et iurisdictio, nemini fas est illius exercitium suspendere aut restringere. Qui autem liberam inter Romanum pontificem et fideles, praesertim episcopos, qualicumque modo, communionem interrumperet, hoc ipso divinam ecclesiae constitutionem evertere et ipsius unitatem dirimere attentaret.

## Caput VIII.

### *De episcoporum auctoritate.*

Episcopi *„per terminos terrae definiti ex Iesu Christi sententia*[3], *et pro patribus apostolis ecclesiae nati, constitutique principes super terram“*[4] in dioecesibus sibi creditis, immediatam tum in clerum tum in plebem auctoritatem habent.

Ad eos attinet regere, docere, de moribus et C doctrina[5] iudicare, leges et statuta condere, sacramentum confirmationis administrare, ordines conferre, paroecias instituere, clericis iurisdictionem quam et qualem exercere possunt, dare, restringere vel etiam auferre; *„ad* episcoporum enim *officium*, teste Innocentio III, *tam institutio quam destitutio sacerdotum noscitur pertinere.“*[6]

Haec autem episcoporum potestas non arbitraria, sed ad normam aut mentem canonum exercenda: *canonum enim statuta ab omnibus custodienda sunt, potissimum autem ab episcopis qui sunt custodes sacrarum regularum*[7].

Tantum autem munus illud et officium non absque consiliariis exercendum, quos eligunt episcopi, sed quorum neque inhaerere iudiciis, neque assentire consiliis adstringuntur[8]; non omisso consilio capituli in casibus a iure praescriptis.

Praeeminentem hanc, nullatenusque a clero de- D pendentem auctoritatem in episcopis semper agnovit ecclesia; sancti enim patres una voce proclamant *„episcopum esse in ecclesia et ecclesiam in episcopo*[9]; *ecclesiae salutem in summi sacerdotis dignitate pendere, cui si non exsors quaedam et ab omnibus eminens detur potestas, tot in ecclesiis efficientur schismata quot sacerdotes“*[10].

[1] Bulla *Auctorem fidei*, prop. 10.
[2] S. Optat., *De schismate Donatist.*, l. VII, c. 3. [*Patr. lat.*, ed. Migne, XI, 1087 A.]
[3] S. Bern., *De consid.*, l. II, c. 8 [opp., ed. Migne, I, 751 D].
[4] S. Leo, *Serm. III de assumpt. sua*, c. 2 [al. serm. IV, opp. S. Leon., ed. Baller., I, 16.]
[5] Philippus presbyter, in conc. Ephes., act. III [Mansi, *Concil.*, IV, 1295 C.]
[6] S. Opt., l. II, cap. 2. [*Patr. lat.*, ed. Migne, XI, 948 A.]
[7] S. Cypr., *Ep.* 55 [opp., ed. Baluzii, p. 86].
[8] S. Opt., ibidem.
[9] Trid., sess. VII, *de bapt.*, can. 3.
[10] S. Aug., *Ep.* 43, n. 7 [opp. S. Aug., ed. Bened., II, 91 E].
[11] S. Iren., *Adv. haer.*, l. III, c. 3.
[12] Tertull., *De praescr.*, c. 36 [opp. Tert., ed. Migne, II, 49 B].
[13] S. Bern., *Ep. CXC ad Innoc. II* [opp. S. Bern., ed. Migne, II, 1053 D].
[14] Formula Hormisdae. [Mansi, *Concil.*, VIII, 407 D.]
[15] S. Epiph., *In Anchor.*, n. 9 [opp., ed. Migne, III, 33 A]. S. Hier., *Epist.* XV ad Damasum, n. 2, [opp. S. Hier., ed. Migne, I, 355].
[16] Form. Hormisdae. [Mansi, *Concil.*, VIII, 408 A.]

[1] Conc. Florent. [Mansi, *Concil.*, XXXI, 1031 E.]
[2] Pius VI, *Resp. super nunciat. apost.*, c. 8.
[3] S. Ign., *Ep. ad Eph.*, c. 3. [*Patr. gr.*, ed. Migne, V, 647 A.]
[4] S. Aug., *In ps.* XLIV, n. 32 [opp., ed. Bened., IV, 397 F, etc.].
[5] Ex brevi Pii VI *Quod aliquantum*, die 10 martii 1791.
[6] Cap. *Cum ex iniuncto*, 12, *de haeret.* (V, 7.)
[7] Bened. XIV, *De syn. dioec.*, XII, 1.
[8] Ex brevi Pii VI *Quod aliquantum*, die 10 martii 1791.
[9] S. Cypr., *Ep.* 69 [opp., ed. Baluz., p. 113].
[10] S. Hieron., *Dial. adv. Lucif.* [n. 9, opp. S. Hier., ed. Migne, II, 165 A].

## TITULUS III.

### De societate tum domestica, tum civili et de sacerdotii cum imperio concordia.

#### Caput I.

*De societate domestica.*

Cum Deus sacrum viri et mulieris foedus ab initio constituerit, humanam non tantum voluit propagari sobolem, sed multo magis innumeros ad sanctitatem et beatitudinem electos praeparari. Finem igitur matrimonii duplicem, alterum quidem naturalem, alterum vero supernaturalem, a conditore, mira sapientia, intentum esse profitemur. Porro societas domestica, seu familia, iuxta naturae finem, ad filios mundo procreandos civilemque informandam societatem destinatur. Quatenus vero ad superiorem dirigitur finem, est veluti societatis christianae elementum: eo enim spectat ut filios ecclesiae regnoque coelesti indesinenter parturiat.

In principio enim cum creasset Deus *„hominem ad imaginem suam“*[1], ut praeesset universae terrae, dixit: *„Non est bonum hominem esse solum:“*[2] dedit ergo ei *„adiutorium simile sibi“* mulierem, ex eius latere divinitus sumptam, quae *„os ex ossibus et caro de carne“*[3] eius merito diceretur et esset. Cui parens Adamus, ita firmo atque inviolabili connubio a Deo copulatus est, ut ipse vinculi matrimonialis unitatem et indissolubilitatem statim posteris, divino afflante spiritu, sic praenunciaverit: *„quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.“*[4]

*„Matrimonium*, ut ait Innocentius III, *fuit ante peccatum, in paradiso a Domino constitutum, propter propagationis humani generis fructum*[5]. *Propterea benedixit illis, et ait: Crescite et multiplicamini et replete terram.“*[6]

Trino igitur personarum ordine, tota essentialiter constat et completur domestica societas, quarum inter se relationes sic a Deo stabilitae et sancitae sunt, ut non aequalitas, sed subordinatio ex iis oriatur. Potestas familiae in viro praecipue residet: *„vir enim caput est mulieris; mulier autem ex viro et propter virum,“*[7] ideoque ipsi subdita est, ita tamen, ut non tanquam serva, sed socia ab ipso habeatur, et in partem veniat eius potestatis in communi domus ministerio. Sicut enim mulier ex viro, ita et vir per mulierem, quam Deus fecit adiutorium simile viro. Liberi autem, cum ab utroque parente originem ducant, genitoribus tum naturali, tum divino iure subiiciuntur.

Ex hac divina societatis domesticae constitutione dimanant obligationes variae, quibus eius varia membra obligantur. Si enim mulieri vir praeeminet ac praeest, *„tenetur eam diligere ut corpus suum,“*[8] absque zelotypia, ac proinde honore et mansuetudine prosequi, protegere atque defendere. Si mulier est sub potestate viri, id statutum est ob illius bonum, ut *„ambulans ad manum viri non cadat“*. Saepe saepius etiam mutuus et religiosus amor viro fuit aeternae principium salutis, exemplis praeeunte coniuge pia necnon precibus.

Si tandem utrique iura competunt in natos, utrique vicissim inviolata incumbunt officia erga eos implenda: adeo ut, dum ipsos habere debent

A tanquam benedictionem divinitus acceptam et sacrum depositum a Deo sibi commissum, sese obligatos sciant et intelligant ipsis de omnibus providendum, quae bono animae ac corporis necessaria sunt: eos speciatim ad pietatem et honestatem informando, ipsisque, pro posse, quaecumque ad praesentis et futurae vitae felicitatem conducere queant, subministrando.

Matrimonium et quae in ipso fundatur domestica societas, quantum post peccatum ab eo statu deciderint in quo primum fuerant a Deo constituta, satis probant totius antiquitatis monumenta. Huius infausti lapsus nec ipse populus hebraeus detrimenta non sensit, ex dispositione divina, qua, ob rationes speciales et prae imperfecta temporum illorum conditione, dominium iusve viri in mulierem auctum fuit et ampliatum, ius autem mulieris in virum restrictum et diminutum. Verum, pro eximia

B sua sapientia et bonitate, divinus humani generis reparator societatem coniugalem et domesticam, non solum ad pristinam revocavit dignitatem, cum dixit: *„quod Deus coniunxit, homo non separet;“*[1] sed ad gradum altiorem longeque perfectiorem sublimavit, ubi et matrimonio sacramenti virtutem efficaciamque simul indidit, et ipsos sponsos eodem voluit charitatis vinculo inviolabiliter uniri, quo ipse suae, quam sponsavit, ecclesiae perenniter adunatur.

Hinc nata sunt, sub evangelica lege, pro singulis societatis domesticae membris, nova illa praeclaraque officia ab apostolo in suis epistolis passim enumerata, quae si fideliter ab omnibus observentur, mox unaquaeque christiana domus, ad normam ecclesiae feliciter instituta, non humana, sed angelica, non terrena, sed coelestis societas verissime dici et haberi posset.

C Quantum vero nostris diebus, *spiritus*, ut aiunt, *familiae* exciderit, non satis dolendum est. Vita ergo parentum ad domus interiora redeat, ut labores et sollicitudines, sic preces ac gaudia, in conspectu Domini, communia sint et intima. Pater sudori non parcat, ut filiorum, pro conditione, felicitati consulat. Mater, saeculi deliciis et vanitatibus abrenuntians, natos foveat, enutriat, doceat atque ad bonos mores informet. Unus et altera filiis virtutum exempla praebeant. Filii autem *„patrem et matrem* honorent *ut* sint *longaevi super terram“*[2]; fratresque et sorores dilectione fraterna se invicem prosequantur.

#### Caput II.

*De societate civili.*

Non solum societas domestica a Deo condita fuit, sed etiam ab illo ut auctore naturae causam

D et originem habet societas civilis, quae ordinatur ad hunc finem, ut homines *„quietam et tranquillam vitam* agant *in omni pietate et castitate“*[3].

Ex istius originis oblivione innumera profluxere mala, ex quibus *„conturbatae sunt gentes, et inclinata sunt regna“*[4].

Nec populis ulla fiet pax, ullave prosperitas, nisi sciant et recogitent Deum solum esse a quo et per quem constare potest et finem suum assequi civilis quaelibet consociatio.

Qualiscumque sit gubernationis forma, societas civilis necessario constat, ut per se manifestum est, ex uno pluribusve hominibus auctoritatem gerentibus et exercentibus, et subditis obedientibus.

Noverint ergo principes et magistratus se „*Dei*

[1] Gen. I, 26.
[2] Gen. II, 18.
[3] Gen. II, 23.
[4] Gen. II, 24.
[5] *Epist.* l. III. ep. 219 (?).
[6] Gen. I, 28.
[7] I Cor. XI, 3, 8, 9.
[8] Ephes. V, 28.

[1] Matth. XIX, 6.
[2] Eph. VI, 2, 3.
[3] I Tim. II, 2.
[4] Ps. XLV, 7.

*ministros esse suis subditis in bonum*[1], eosque se- A
cundum iustitiam regere debere, memores verborum scripturae: *„regnantibus impiis, ruinae hominum.“*[2] Noverint pariter populi se *Dei ordinationi resistere si potestati resistant*, sibique horrendas parare calamitates, et tandem *damnationem acquirere*[3]. Si vero populorum duces aliquid contra legem divinam praecipiant, tunc certe *„obedire oportet Deo magis quam hominibus“*[4].

### Caput III.

*De sacerdotii et imperii concordia.*

*„Duo sunt,* inquit sanctus Gelasius papa, *quibus principaliter mundus hic regitur: auctoritas sacra pontificum et regalis potestas.“*[5]

Quantumvis autem differat utraque potestas tum obiecto tum fine, attamen, cum utriusque Deus sit auctor, dantur inter eas multae relationes quas infringere non licet. Etenim, sicut tenetur ecclesia B
divinam potestatis civilis originem docere, obedientiam magistratibus praestandam promovere, animis inculcare praecepta iustitiae et charitatis, quibus bonum etiam temporale societatis maxime constat; ita vicissim tenetur potestas civilis ecclesiae prosperitati pro viribus favere, ipsius auctoritatem ac libertatem contra impugnatores defendere.

Unde, Tridentinum concilium: *„saeculares principes Deus sanctae fidei ecclesiaeque protectores esse voluit.“* Deinde admonet eos sacrosancta synodus ut officii sui memores sint[6], et Gregorius XVI, ut *pluris sibi suadeant fidei causam esse quam regni*[7].

Quapropter, licet ecclesia semper nec minus valide staret etsi infensam sibi terrenam potestatem haberet, certum est tamen illum rerum statum noxium fore tum maiori bono ecclesiae, tum praesertim ipsimet reipublicae. „*Nam,* inquit Ivo Car- C
nutensis, *cum regnum et sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret et fructificat ecclesia. Cum vero inter se discordant, non solum parvae res non crescunt, sed etiam magnae res miserabiliter dilabuntur.“*[8] Quod contra neotericorum quorumdam figmenta his verbis declarabat Gregorius XVI:

*„Nec (nisi infausta) et religioni et principatui ominari possemus ex eorum votis qui ecclesiam a regno separari, mutuamque imperii cum sacerdotio concordiam abrumpi discupiunt. Constat quippe pertimesci ab impudentissimae libertatis fautoribus concordiam illam quae semper rei et sacrae et civili fausta extitit et salutaris.“*[9]

Hinc, quidquid ad optatissimam illam ecclesiae et regni concordiam et pacem stabiliendam confirmandamque confert, qualia sunt concordata, est certe legitimum ac saluberrimum; sicque sentiendum ac pronuntiandum esse de concordato anni 1801 declaramus.

Concordata autem, utpote quae vim habent conventionis, inter duas potestates supremas initae, eo usque civilem potestatem obligant, ut huic non liceat, sub praetextu cuiuslibet supervenientis mutationis in forma regiminis politici, contra ipsa quidquam statuere, eaque interpretari, ecclesia non consentiente vel non approbante.

[1] Rom. XIII, 4.
[2] Prov. XXVIII, 12.
[3] Rom. XIII, 2.
[4] Act. V, 29.
[5] *Epist. ad Anast.* [Mansi, *Concil.*, VIII, 31 A.]
[6] Trid., sess. XXV, *de ref.*, cap. 20.
[7] Litt. encycl. *Mirari*, die 15 augusti 1832.
[8] *Ep.* 238 [opp. s. Ivonis, ed. Migne, II, 246 B].
[9] Litt. encycl. *Mirari*.

## TITULUS IV.

### De quibusdam erroribus damnandis.

### Caput IV.

*Variorum errorum condemnatio, rationalismi nempe, indifferentismi, mythismi, pantheismi, socialismi et communismi, hominumque impiorum qui sacris scripturis et exemplis Christi abutuntur.*

Ut fidei depositum, episcopis divina benignitate concreditum, integrum servetur, satis eis non est ut veritatem catholicam doceant et declarent: sed ipsis est quoque studendum ut errores detegantur et condemnentur; quod luctuosis hisce temporibus maxime necessarium, ubi libertas erroris, quam *„peiorem animae mortem“* Augustinus[1] vocabat, quasi pleno iure regnat. Huic officio, quantum in nobis est, satisfacere volentes, praecipuos errores apud nos grassantes, fidelibus denuntiandos et reprobandos, iudicavimus.

#### § 1.

**De rationalismo.**

Primum damnanda occurrit illorum doctrina, qui humanam rationem ut *lumen omnium luminum, auctoritatem omnium auctoritatum* immerito proclamantes, eius supremum ius et independens imperium profitentur, nullumque alium ducem aut iudicem, nullam aliam regulam in materia religionis agnoscunt, omniaque divina ad sui intellectus captum metiuntur. Haec quippe doctrina, tum Dei loquentis et revelantis auctoritatem, obligationemque credendi, tum ecclesiae, quae est *„columna et firmamentum veritatis“*[2], magisterium explodit, sicque totum ordinem supernaturalem funditus evertit; cunctis erroribus circa fidem et mores viam pandit, cunctaque mentis humanae deliramenta consecrat, hominesque ad amorem sui caecum et effrenatum impellit.

Hanc ergo doctrinam synodus reprobat, reiicit et damnat.

Cum autem ad erroribus suis patrocinandum, fucumque faciendum, aevi nostri scriptores quidam rationalistae, quamsaepissime vocibus utantur catholicis, revelationis, mediatoris, Trinitatis, incarnationis, etc. nomen usurpantes, synodus, *ne circumveniantur fideles in astutia erroris,*[3] ipsos admonitos vult, a supradictis scriptoribus, etsi voces usurpent catholicas, his tamen vocibus sensum affigi a catholica veritate prorsus alienum.

#### § 2.

**De quadam doctrina progressus in materia religionis.**

Non desunt hisce temporibus philosophi qui doceant quascumque humanitatis vicissitudines et transformationes legi necessitatis absolutae invin- D
cibilisque subiacere; christianismum autem esse naturalem necessariumque mentis humanae evolutionis foetum; ipsum innumera olim mirandaque beneficia populis contulisse; nunc vero aetatis nostrae necessitatibus votisque explendis imparem existere; indeque, pro rationis humanae progressu, pro scientiarum ac politicarum institutionum statu, novum dogma, cultum novum temporum hominumque necessitatibus magis accommodatum postulari; novamque illam religionem a philosophia esse depromendam.

Porro, huiusmodi commenta providentiam divinam, hominis libertatem, omne inter bonum et malum, iustum et iniustum, virtutem et vitium, discrimen tollunt; supernaturalem religionis christianae

[1] *Ep.* CV, n. 10, [opp. s. Aug., ed. Bened., II, 300 D].
[2] I Tim. III, 15.
[3] Eph. IV, 14.

originem institutionemque evertunt; doctrinae Christi A utpote quam perfectissimae, omni ex parte divinae, et veritates omnes felicitati tum privatorum tum societatis necessarias complectenti, summam inferunt iniuriam, sicut et Christo ipsi, qui est *„lux mundi, via, veritas et vita"*[1]. Praedicta ergo delirantis impietatis commenta synodus reprobat, reiicit et damnat.

### § 3.

### De mythismo.

Mythistarum doctrina haec est: nullum in bibliis sacris contineri factum supernaturale, facta vero quae in illis narrantur, et a christianis ut supernaturalia habentur, nihil aliud esse, ut plurimum, nisi ideas quasdam forma historica expositas, et etiam actiones mere naturales, poeticis imaginibus adumbratas, quae lapsu temporum, bona fide, ut facta historica et supernaturalia habitae sunt. Istius- B modi systema, non solum doctrinae ecclesiae catholicae plane infensum est, quae multa sacrorum librorum facta, ut totidem fidei articulos profitetur, sed ipsam christianam religionem, totam prophetiis et miraculis innixam, funditus destruit, historicae certitudinis fundamenta concutit et convellit, Deumque ipsum tanquam erroris auctorem arguit. Exitiale illud et erroneum systema synodus reprobat, reiicit et damnat.

### § 4.

### De indifferentismo.

Pari reprobatione dignum declarat synodus impium illud systema, indifferentismi nomine designatum, quo videlicet, vesane asseritur omnes religiones aeque veras et Deo gratas, aut aeque falsas, proindeque aequaliter aut colendas, aut nihili faciendas esse; religionum dogmata, ac diversa divini C cultus officia, utpote vanas et inanes religionis naturalis formas, ab uniuscuiusque conscientia, aut locorum et temporum circumstantiis, aut nativitatis sorte, aut legibus institutisve politicis gentis cuiusque pendere. Portentosa haec doctrina, omne veri ac falsi discrimen in religione tollens funditus ac delens, aequa iura, eademque veritati et errori commoda tribuens, Deum verum ac sanctum blasphemat, divitias bonitatis eius contemnit, fidei christianae veritatem ac necessitatem perimit, et hominem ad veritatem natum, in re omnium gravissima ac maxime necessaria, errori miserrime tradit.

Nefando autem lugendoque systemati, quod tam late hodiernis temporibus in animarum perniciem grassatur, omne effugium praecludit Christus dicens: *„Haec est vita aeterna ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Iesum Christum,"*[2] et alibi: *„Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui* D *vero non crediderit, condemnabitur."*[3] Pariter princeps apostolorum, cum ait: *„Et non est in alio aliquo salus: nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri;"*[4] et divus Paulus affirmans unum esse Dominum, unam fidem, unum baptisma:[5] *„quam fidem nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in aeternum peribit."*[6]

### § 5.

### De pantheismo.

Unicam in mundo existere substantiam, nempe Deum, cuius alia entia merae essent modificationes,

[1] Ioan. VIII, 12; XIV, 6.
[2] Ioan. XVII, 3.
[3] Marc. XVI, 16.
[4] Act. IV, 12.
[5] Eph. IV, 5.
[6] Symb. Athanas.

non minus impie quam absurde asserunt hodierni pantheistae. Iuxta ipsos, omnis creatura, natura universa, ipsaque humanitas non discrepant, nec secerni possunt a Deo qui mundum, non libere sed necessario, non in tempore sed ab aeterno, non ex nihilo sed ex seipso, seu ex sua substantia se ipsam naturaliter evolvente, produxit, ita ut Deus sit substantialiter omnia, et omnia substantialiter Deus.

Quae doctrina, ex impio Amalrico renovata, licet novis coloribus aucta, non solum divina laedit attributa, sed et naturam ipsam Dei perimit, unde in purum putidumque atheismum recidit.

Itaque, vestigiis magni concilii Lateranensis IV, sub Innocentio III, insistentes, perversissimum illud systema reprobamus, etiam et damnamus. Pater enim mendacii, auctorum istius doctrinae mentem sic excaecavit, ut, *„non tam haeretica censenda sit, quam insana."*[1]

### § 6.

### De socialismo.

Socialismi summa haec est, hodiernae societatis tum domesticae, tum civilis constitutionem basesque iniquas esse, hominis felicitati ac iuribus contrarias, ideoque prorsus immutandas, aut radicitus evellendas novaeque societatis formas instituendas esse. Ex iis vero qui commenta ista protulerunt, multi eo devenere ut asserant finem hominis ultimum in sola huius vitae felicitate constitui, omnes naturales hominis appetitus legitimos esse, proindeque ipsis indulgere sine modo esse licitum. Hancce doctrinam documentis fidei circa finem hominis supernaturalem et originale peccatum, necnon praeceptis evangelicis de sui abnegatione, de crucifigenda carne, plane repugnantem, omnium cupiditatum incentivam, legem naturalem omnemque moralem sensum subvertentem, familiae tandem societatique evertendae natam, synodus reprobat, reiicit et damnat: sed paterno moerens affectu insuper fideles adiurat ut, *„confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram,"*[2] carnis renuntiantes operibus, felicitatem inaniter in hac lacrymarum valle non anhelent, sed corda sursum habeant, memores horum apostoli verborum: *„non habemus hic manentem civitatem sed futuram inquirimus;*[3] sicque *per patientiam* currant *ad propositum certamen,"*[4] ut seminantes hic in lacrymis, in exultatione metant in coelis.

### § 7.

### De communismo.

E socialismi principiis sponte fluit eorum doctrina qui privati dominii iura, necnon receptas societatis domesticae leges abolendas esse asserunt. Hi, veterum gnosticorum errorem renovantes, cum ipsis inclamant: *leges hominum peculiares summae legis communionem abrasisse;* meum et tuum per eas subiisse; sicque iam amplius non licere iis quae natura communia sunt, terra, possessionibus ipsoque matrimonio uti.[5]

Haec autem opinionum monstra, quae variis sub formis temporum decursu apparuere, semper detestata est et reprobavit ecclesia. Praeceptis etiam divinis quibus nedum ab alienarum occupatione rerum, sed ab ipso quoque earum desiderio prohibemur, maxime adversantur; universaque tum religionis, tum etiam doctrinae moralis principia subvertunt.[6]

[1] Cap. II. [Mansi, *Concil.*, XXII, 986 D.]
[2] Hebr. XI, 13.
[3] Hebr. XIII, 14.
[4] Hebr. XII, 1.
[5] Ap. Clem. Alexandr., *Strom.*, lib. 3, cap. 2, [opp., ed. Migne, I, 1107 E].
[6] Encycl. Pii IX *Nostis et nobiscum.*

Quos omnes errores adeo cuique societati infensos, cum summo pontifice feliciter regnante, damnamus et omnino reprobamus.

## § 8.

**Damnatio eorum nefariae temeritatis qui scripturis, exemplisque Christi ac sanctorum ad stabiliendam socialismi communismive doctrinam abutuntur.**

Inter tot nefanda quae ab haereticis decursu saeculorum, in religionis animarumque ruinam attentata sunt, temeritatem illam semper summeque detestata est ecclesia, qua in suorum errorum fulcimentum, pravis perversisque interpretationibus, scripturam sacram depravare ausi sunt „*ad suam ipsorum perditionem*“[1].

Ast perditorum hominum hodie adeo excrevit audacia, ut impiis dogmatibus socialismi et communismi commentis ex doctrina exemplisque Christi, apostolorum, primorumve christianorum, auctoritatem favoremque apud populos conciliare aggrediantur. Quem ut finem tam pravum assequantur, modis viisque omnibus, libris, diariis, picturis, sermonibus colloquiisque privatis utuntur.

Idcirco, decreto concilii Tridentini innixi, quo ii damnantur qui scripturam sacram „*ad suos sensus* contorquent, *contra eum sensum quem tenuit ac tenet sancta mater ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione scripturarum sanctarum*“[2]; item iudicio lato a feliciter regnante Pio papa IX contra socialismi et communismi errores, in encyclica quae incipit *Nostis et nobiscum*, pleno consensu adhaerentes: detestandam nefariamque impietatem qua, iustitiam cum iniquitate, Christum cum Belial sociantes, scriptura sacra, exemplis Christi primorumque christianorum ad firmanda propagandaque socialismi ac communismi commenta perversi homines abutuntur, omnino damnamus, et immanem hunc abusum ab omnibus reprobandum esse ducimus.

## Caput II.

### *De iustitiae et caritatis officiis.*

Damnatis socialismi et communismi erroribus, opportunum duxerunt synodi Aquensis patres doctrinam de iustitiae caritatisque obligationibus declarare. Itaque, iustitia prohibentur homines ne proximi bona furentur, detineant, aut ipsius iura alio quocumque modo violare audeant; caritate vero iubentur proximi necessitatibus ex suis subvenire. Quae diversi generis officia semper agnovit et docuit sancta mater ecclesia. Qui igitur contrarium asserit, furtum consecrat, ordinem a providentia institutum subvertit, evangelio et apostoli verbis contradicit, laborem iusta mercede frustratur ac totam omnino pessumdat societatem.

## Caput III.

### *Monita ad scriptores qui res, sive theologicas, sive philosophicas tractant.*

His omnibus sive declarationibus, sive condemnationibus, quaedam adiungere monita ad scriptores qui de rebus, tum ecclesiasticis, tum philosophicis aut etiam politicis disserunt, opportunum nobis visum est. Non equidem ea mente, ut sive scribendi studium comprimatur, sive praecidatur, aut restringatur legitima opinionum libertas, verum ut exinde scriptoribus via securior pateat et ex eorum scriptis uberiores ecclesia fructus percipiat.

I. Illos ergo qui doctrinam fidei et morum tractant, paterno affectu et episcopalis sollicitudinis iure monendos censemus: ne super his scribant, priusquam optime instituti, *operarii inconfusibiles*[1] esse possint, ut fides ipsa ex eorum operibus illustretur, non labefactetur; et nullus detur retractationibus locus, quae, pro nativa mentis humanae superbia, semper sunt asperae et scriptori eas edituro saepius periculosae. Accurate discernant fidem a ratione, opinionem a dogmate; mensuram fidei ita servent, ut non subtrahatur fidei quod est de fide, nec attribuatur fidei quod sub fide non est. Regulis tandem fidei ita attenti sint, ut non solum sacrorum dogmatum calleant mentem, sed etiam *formam sanorum verborum*[2] habeant.

Caveant praesertim ne ita praeconceptis opinionibus, aut systematibus confidant, ut ab his fidei catholicae certitudinem omnino pendentem exhibeant. Concussis enim his humanae mentis opinionibus, concuti etiam videretur fides catholica; et, cum in rebus dubiis quamdam emittunt opinionem, ne innitantur proprio iudicio, sed ad obediendum ecclesiae iudiciis paratos se semper ostendant.

Sin vero scribant de rebus ad disciplinam, vel ad agendi rationem episcoporum erga potestates civiles spectantibus, attendant summopere ne de summi pontificis vel ecclesiae antistitum sensu temere praeiudicent; multo magis, ne iis agendi rationem praescribere, aut eos quae sint sui muneris partes docere quodammodo videantur. Non enim anteire, sed subsequi; non dirigere, sed obsecundare eorum est.

II. Scriptores vero qui de rebus philosophicis disserunt, ne in alterutrum horum scopulorum incidant, ut, sub fidei magnificandae specie, nihil rationi permittant, nihilve ipsi certum esse iactent, eiusque omnem, tum in illustranda et vindicanda fide, tum in motivis credibilitatis exponendis, usum adimant; aut, ita rationis vires et iura extollant, ut divina revelatio iam minus necessaria videatur, eiusque dogmata ac leges ad normam et modulum humani intellectus exploranda et definienda sint. Quod certe non aliud foret quam coelestia terrenis, fidem rationi, Deum tandem homini subiicere.

Meminerint ergo rationem non esse fidei adversam, nec fidem rationi; veram philosophiam veramque religionem non esse aemulas sed concordes, sibique invicem in indagatione et demonstratione veri naturalis opem ferre, lucem praestare, apprime consociari. At, ubi ad divina et ab ecclesia definita vel probata ventum est, ita ratio partes agat suas, ut divinas non occupet, ut sequatur non praeeat, ut ancilletur non regnet. Ipsi enim in iis sola obsequii gloria relicta est.

III. Qui rebus politicis studia sua impendunt, civilis et politicae potestatis primariam originem, quae ab ipso societatis auctore est, cum variarum regiminis politici formarum origine non confundant. At vero, ex eo quod hae formae a Deo determinatae non sint, ne eas, quae legitime sunt institutae, pro arbitrio mutandas esse existiment. Nec etiam ita formae politicae, cui sunt addicti, religionem annectant, ut huius sors et virtus ab illa omnino pendere videatur.

IV. Omnes tandem qui res, sive divinas, sive humanas mente vere christiana, scriptis tractare volunt, caritatem in omnibus sectentur; non quidem pavidam illam falsamque caritatem, quae, ne hominibus displiceat, fovet errores, veritatem erubescit, sed eam quae, *veritatem simul et pacem diligens*, omnia pro veritate, omniaque pro fratrum salute tolerare et libenter subire novit; quae etiam, *sine*

[1] II Petr. III, 16.
[2] Trid., sess. IV, de edit. et usu libror.

[1] II Tim. II, 15.
[2] II Tim. I, 13.

*superbia de veritate* praesumens, *sine saevitia pro veritate*[1] certans, errantes *sanari* potius vult quam *oppugnari*[2]; quae tandem, quantum *fieri potest, cum omnibus hominibus pacem*[3] habet; quod ut assequatur, ex sancto Augustino, „*de incertis non iudicat, incognita non confirmat, proclivior est ad bene credendum de homine quam ad male suspicandum; non se multum dolet errare cum bene credit etiam de malo, perniciose autem cum male sentit forte de bono.*[4]“

Hisce vero monitis praesidium, quantum fert temporis necessitas, praebere volentes, patres huius concilii, clericis, cuiuscunque sint ordinis, inhibent, ne libros libellosve in rebus quae ad fidem et mores spectant, typis dent, antequam ab ordinario vel ab apostolica sede licentiam obtinuerint. Licentia autem detur gratis, quamcitius et in prodromo uniuscuiusque libri excudatur.

Hortatur insuper haec synodus clericos, ne inconsulto episcopo, de rebus sacris, aliisve gravis momenti in diariis scribere facile praesumant.

## Caput IV.

*De duello et iis qui sibi necem inferunt.*

„*Detestabilem, ac divina naturalique lege damnatum duellorum usum, fabricante diabolo introductum, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur,*[5]“ necnon caecum furorem quo vitae pertaesi, vel desperatione acti aut „*illius carendi carendive mali causa*“[6], perditi homines, cuiuscumque conditionis et sexus, etiam debilioris, sibi necem inferunt, exterminare summis in votis habens synodus Aquensis, omnes huiusce provinciae fideles monitos vult, ab his flagitiis nos prohiberi divino praecepto quo dicitur: „*Non occides;*“[7] nec solum per haec summam societati praesertimque familiae iniuriam inferri, sed etiam supremum ius Dei in vitam et mortem usurpari, cum scriptum sit: „*Ego occidam, et ego vivere faciam.*“[8]

Si qui autem, falsi honoris umbra delusi, aut etiam magnitudinis animi ostentandae causa, ad alterutrum horum facinorum animo sint comparati, haec perpendant sancti Augustini verba, quae, licet ad eos solum qui sibi necem inferunt dicantur, non minus ad eos qui in duello pugnam committunt spectant: „*Magis mens infirma deprehenditur, quae ferre non potest vel duram sui corporis servitutem, vel stultam vulgi opinionem: maiorque animus merito dicendus est, qui vitam aerumnosam magis potest ferre quam fugere; et humanum iudicium, maximeque vulgare, quod plerumque caligine erroris involvitur, prae conscientiae luce ac puritate contemnere.*[9]“

## TITULUS V.

### De his quae ad disciplinam spectant, maxime de personis ecclesiasticis.

Regimen ecclesiasticum duobus constat, docenda scilicet fide et statuenda disciplina. Cumque de rebus ad fidem sive docendam, sive indicandam, in praecedentibus actum fuerit, nunc ea stabilienda veniunt, quae ad disciplinam confirmandam et perficiendam pertinent.

## Caput I.

*De episcoporum officiis.*

Quanta sit dignitas eorum quos Spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei, ex superius dictis satis apparet. Eorum auctoritati nunquam derogari passa est sancta sedes; nam, siebat sanctus Gregorius Magnus, „*si sua unicuique episcopo iurisdictio non servatur, quid aliud agitur, nisi ut per nos, per quos ecclesiasticus custodiri debuit ordo, confundatur?*[1]“

I. Episcopalem ergo dignitatem colere studeant sacerdotes, et summa reverentia episcopos, non solum prosequantur, sed etiam illis arctiori obedientia, devinctos se meminerint, illa sancti Ignatii martyris verba saepe recolentes: „*Omnes episcopum sequimini ut Iesus Christus Patrem . . . Sine episcopo nemo quidquam faciat eorum quae ad ecclesiam spectant . . . Nam memorabile vestrum presbyterium, dignum Deo, ita coaptatum est episcopo, ut chordae citharae;*“[2] necnon constitutionum apostolicarum dicta pensantes: „*Episcopus vobis praesideat, ut dignitate Dei cohonestatus, qua clerum sub potestate sua tenet, et toti populo praeest.*[3]“

II. At episcopi, sicut auctoritate ceteris eminent, ita virtutibus in ecclesia praelucere debent. Satagant igitur ita suos mores componere, ut clerici ab iis pietatis, „*modestiae, ac quae nos tantopere commendat Deo, sanctae humilitatis exempla petere possint.*“ Nihil in eis appareat „*quod a sancto eorum instituto sit alienum, quodque non simplicitatem ac vanitatum contemptum prae se ferat . . .*[4]“

III. Divinae scripturae ac sacrae theologiae lectioni pie attendant, scripta patrum et ecclesiastica documenta sedulo pervolvant, ut populum „*in doctrina sana*“ exhortari (quod est praecipuum eorum munus), et „*eos qui contradicunt arguere*“, potentes sint[5].

IV. Officii praeterea sui esse putent, eos omnes excipere atque audire, qui ipsos vel tanquam iudices, vel tanquam patres, vel consultores adiutoresve adeunt, iisque sese faciles benignosque praebere.

V. Meminerint, iuxta Tridentini concilii verba: ita „*praeesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominentur, sed illos tanquam filios et fratres diligant; elaborentque ut hortando et monendo ab illicitis deterreant, ne, ubi deliquerint, debitis eos poenis coercere cogantur. Quos tamen, si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa apostoli est ab eis servanda praeceptio ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia . . . Sin autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum bonitate severitas adhibenda est*[6]“.

VI. Resideant in dioecesi sua, gregi invigilantes, quasi rationem pro animabus reddituri; et cum inter episcopalis officii munera, praecipuum teneat locum visitatio, utpote ad salutem animarum maxime necessaria, propriam dioecesim assidue visitent; et muneri satisfecisse minime existiment, nisi in visitandis paroeciis canonum praescriptiones servaverint, tum de spirituali animarum cura, tum de temporali ecclesiarum statu. Interea, prohibet haec synodus,

[1] S. August., c. *litt. Petil.*, l. I, c. 29, [opp., ed. Bened., IX, 218 A B].

[2] S. Aug., *de moribus eccl. cath.*, l. I, n. 2, [opp. I, 688 A].

[3] Rom. XII, 18.

[4] *In Ps.* CXLVII, n. 16, [opp. S. Aug., ed. Bened., IV, 1660 D].

[5] Bened., XIV, const. *Detestabilem*, [die 10 novembris 1752]. Trid., sess. XXV, *de ref.*, cap. 19.

[6] S. Aug., *de civit. Dei*, l. I, c. 20, [opp., s. Aug., ed. Bened., VII, 20 B.]

[7] Exod. XX, 13.

[8] Deut. XXXII, 39.

[9] S. Aug., *de civit. Dei*, lib. I, c. 22; *V. et de pat.*, n. 10, [opp. s. Aug., VII, 21 E, VI, 537 g, 538].

[1] S. Greg., l. II, c. 37, [vel potius *Epist.*, l. XI, ep. 37, opp., ed. Migne, III, 1150 A].

[2] *Ad Smyrn.*, c. 8; *ad Eph.*, c. 4 [*Patr. gr.*, ed. Migne, V, 714 B, 647 A].

[3] *Const. ap.*, l. II, c. 26 [*Patr. gr.*, ed. Migne, I, 667 A],

[4] Trid., sess. XXV, *de ref.*, cap. I.

[5] Tit. I, 9.

[6] Trid., sess. XIII, *de ref.*, cap. 1.

ne parochi inutilibus sumptibus, hanc visitationem A sibi gravem et onerosam reddant.

VII. Cum ecclesiis ceterisque muneribus, ad animarum curam spectantibus, providendi ius et officium episcopis incumbat, ipsis magnopere commandamus, ut iuxta mentem concilii Tridentini, non assumant nisi quos aetate, moribus, doctrina, prudentia et aliis dotibus, ad haec munera obeunda magis idoneos iudicaverint.

VIII. Episcopi comprovinciales in communione orationum, operumque sint. Graviter aegrotante aliquo ex episcopis, accurrat vicinior maxime metropolitanus, si possibile sit, qui confratrem in Domino soletur et adiuvet. Mortuo autem episcopo, solemnioribus eius exsequiis intersit. Omnes comprovinciales pro ipsius animae refrigerio tres missas privatim dicent, missamque solemnem celebrandam curabunt. Episcopus autem qui mortuo successerit, pro ipsius anima, singulis annis, in die obitus anniversario, sacrum funebre faciet.

## Caput II.

### *De capitulis cathedralibus.*

Cathedralia capitula, antiquitate, eximiis muneribus, necnon praerogativis, maxime commendantur. In prima dioeceseos ecclesia, orationis publicae munus adimplent canonici, divinae maiestati quotidie hymnis et canticis laudes offerunt, et hi sunt *qui multum* orant *pro populo et universa civitate*[1]. Synodis intersunt, ad concilia provincialia advocantur, ibique per delegatos repraesentantur. Consultores sunt episcopi, in casibus a iure et consuetudine determinatis; et primum, post episcopum, necnon vicarios eius generales, tenent locum.

Sede vacante, omnis ad capitulum transit ordinaria iurisdictio episcopalis, et iurisdictionem istam exercet per officialem, seu vicarium quem, vacatione C cognita, infra octo dies constituere tenetur[2].

Plures eligere valet vicarios, sed non eo numero, ut iurisdictionem suam collective videatur exercere, et ita menti ecclesiae adversari.

1. Canonici, cum sint dignitate praestantiores, virtute, pietate et doctrina, eaque morum integritate polleant, ut fratribus sint exemplum, et merito ecclesiae senatus dici possint.

2. Pristinos igitur, sanctosque de residentia canones, sedulo servent: nullus, nisi legitima et probata causa, abesse praesumat, praeter tempus vacationis nuncupatum et a statutis praefinitum. Assidua sit officio capitulari praesentia, nec a choro quis exeat, etiam ad alia munera ecclesiastica obeunda, nisi urgeat necessitas.

3. Horas canonicas, tempore competenti, et loco debito digne, attente, distincte ac devote persolvant canonici, cantantes quae a choro cantantur, quae D psalluntur psallentes; provideant Dominum in conspectu suo semper, et ita sint toto corporis habitu compositi, ut *modestia* illorum *nota sit omnibus hominibus*[3].

4. Missam conventualem pro benefactoribus quotidie offerendam noverint, nisi a legitima auctoritate dispensationem impetraverint.

5. Renovetur, iuxta veterem ecclesiae consuetudinem, modus ille vulgo *punctatura* dictus, quo constabat de canonicorum in officio praesentia; mulcta autem ab episcopo instituatur ex quota civilium pensionum ad formam, seu saltem iuxta mentem Tridentini concilii[4].

6. Episcopo adunati, sicut membra capiti, eum singulari reverentia filialique obsequio prosequantur, eius praescripta sincero corde servantes.

7. Concordiam, pacem et mutuam dilectionem habeant, „*unanimes, idipsum invicem sentientes.*"[1] Meminerint enim, quod in eadem domo regularem et communem vitam, primaeva institutione, degere consueverant. Si vero non adest eadem vivendi forma, adsit tamen idem spiritus.

8. Statuta sua reverenti ac diligenti custodiant pietate, nullusque canonicus admittatur, qui solemniter et sincere se illa servaturum promiserit.

Synodus Aquensis in memoriam revocat responsa data a sancta sede, ut nimirum nova statuta, si episcopis opportuna visa fuerint, per capitulum conficiantur, et ab iisdem episcopis approbentur.

9. Quoniam ex ecclesiis metropolitana vel cathedralibus, aliae cuiuslibet dioeceseos ecclesiae, exemplum sumendum habent, in sacris ritibus et caeremoniis observandis, canonicis curae sit diligenter ea discere quae ad cultus celebrationem pertinent, ne haesitantes, sed rectis certisque modis, sacras caeremonias expleant.

10. In capitulares conventus, in casibus a iure praevisis, in casibus vero a iure non praevisis, episcopo vocante, vel annuente, diligenter accurrant canonici; horum enim conventuum observantia, tum ad mores clericorum, et aliorum choro inservientium, componendos, tum ad legitimos usus servandos, necnon ad abusus in choro, in cantibus, in caeremoniis praeveniendos aut corrigendos, perutilis esse noscitur. Quae vero ibi dicta et tractata fuerint, alto teneantur silentio.

11. Mortuo episcopo, tres primi de capitulo vicinum episcopum (si forte iam non accesserit) vel eo impedito, alium invitent, et, si fieri potest, maxime metropolitanum, qui statim veniat, et mortuum una cum saeculari et regulari clero, solemni more, ad sepulchrum prosequatur. Eidem capitulo hoc munus iniungimus, ut primo quoque tempore, provinciales episcopos omnes de episcopi morte faciat certiores, qui in ecclesiis cathedralibus missam, solemni caeremonia, pro eius anima celebrandam curabunt[2].

12. Sede vacante, non debet aliquid innovari, omnia autem servanda fideliter, usque dum accedat novus episcopus, cui administrationis ratio reddetur. Eidem quoque episcopo, teneatur capitulum scripturas, si quae pervenerunt, caeteraque omnia ad ecclesiam pertinentia, restituere[3].

## Caput III.

### *De parochis et eorum residentia.*

Parochi, in certa gregis Christi parte regenda, episcoporum quodam modo vicem gerentes et coram supremo iudice de omnibus et singulis fidelibus sibi creditis rationem reddituri, semper meminerint gravis illius praecepti quo mandatum est „*omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini praedicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam gerere, et in cetera munia pastoralia incumbere*"[4].

Cum vero haec omnia nequaquam ab iis praestari et impleri possint, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed eum mercenariorum more deserunt, cum sacrosancta synodo Tridentina admonemus et hortamur rectores paroeciarum ut di-

[1] II Machab. XV, 14.
[2] Trid., sess. XXIV, *de ref.*, cap. 16.
[3] Philip. IV, 5.
[4] Sess. XXIV, *de ref.*, c. 3 [vel potius sess. XXI, *de ref.*, c. 3, et, sess. XXII, *de ref.*, c. 3].

[1] Rom. XII, 16.
[2] Conc. Aquense, anno 1585, *tit. de episc.* Mansi, *Concil.*, XXXIV, 972 D.
[3] Trid., sess. XXIV, *de ref.*, cap. 12-6.
[4] Trid., sess. XXIII, *de ref.*, cap. 1.

vinorum praeceptorum memores, factique forma gregis, in iudicio et veritate pascant et regant[1]. A

Et declaramus eos obligari „*ad personalem in territorio residentiam ubi iniuncto sibi officio defungi teneantur*“[2].

Nec ullo etiam vitae periculo terreantur: quinimo Christi vestigiis inhaerentes quem secuti sunt quotquot fuerunt, etiam nostris temporibus, veri nominis pastores, pro ovibus parati sint animam suam ponere.

Quod si rationabili de causa iter aggredi conveniat, non discedat parochus nisi ad paucos dies, et si dominica inciderit, nonnisi permittente episcopo, aut saltem, urgente abeundi necessitate, ante discessum praemonito.

Statuimus insuper residentiae officio non satisfacere parochum qui saepe saepius abest, etiam ad tempus breve: et ab eo, in quolibet absentiae casu, paroeciae sollicite providendum esse.

§ 1.

**De verbi Dei praedicatione.**

„*Quicumque parochiales vel alias curam animarum habentes ecclesias obtinent, diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas, pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis; docendo quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia quae declinare et virtutes quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadere et coelestem gloriam consequi valeant.*“[3]

Memores sint *sublimitatis* verbi divini, ne illud imparati praedicent; *prudentiae* et *caritatis*, ne quis incautis verbis offendatur; *ordinis*, quo gradatim audientium mentes ad doctrinam et vitam christianam informentur; *fervoris*, quo omnium corda ad Dei amorem accendantur; et etiam quando vulgari et C plebeio idiomate utendi necessitas est, necnon in collationibus publicis, dignitatem in sermone servent, quae omnem facetiam excludit, et vocem, motusque corporis omnes moderatur.

Si quando in ministerio verbi adiutores sunt accersendi, ii pietate sint ac scientia conspicui, diligenti sacrarum litterarum studio exculti, non sui, sed gloriae Dei unice amatores, animarum salutem, et non *turpe lucrum* sectantes, verbum Dei fucato sermone inanive philosophia aut mundana politicorum systematum admixtione non *adulterantes*, sed veritatem ab ecclesia traditam fideliter, cum auctoritate et gravi argumentorum pondere pro populi captu asserentes et confirmantes.

Sacerdotem ab episcopo non approbatum minime ad concionandum admittat parochus nisi forte apprime notum, nec tunc etiam nisi semel aut iterum.

Quadragesimalis autem vel Adventus stationis D et etiam exercitiorum spiritualium concionatorem advocare non praesumat, nec illum quidem praemoneat, nisi prius consenserit episcopus.

Magni ieiunii tempore, viris et quidem solis, peculiares, si res utilis et opportuna ducatur, conciones habeantur et duobus saltem diebus, praeter dominicam, fideles cuncti ad ecclesiam vocentur, de vitae christianae mandatis ac praecipue de annuae confessionis et communionis paschalis praepraecepto instruendi.

§ 2.

**De catechizandis pueris.**

Cura docendi pueros fidei rudimenta inter praecipua parochorum munera locum tenet: non enim huius officii pretium et excellentia sunt humano sensu diiudicanda atque pensanda; et si ad praesens humile illud videatur, causa tamen laetandi in posterum erit pro fructuum qui ex eo percipientur saluberrimorum ubertate. Neminem quippe fugit quasi sub pastoris sui manu omnino esse pueros, adeo ut expeditius, pro tenerae aetatis docilitate, sanis instruantur doctrinis et ad religionem virtutemque informentur.

Parochus eximio atque perutili de catechizandis pueris operi incumbens, prae oculis habeat aeterni Patris sapientiam quae in terris conversans pueros ad se venire iubebat, nec unquam taedio vincatur si labor fit arduus, sed illos tanquam parvulus *in medio* eorum, et velut *nutrix* fovens *filios suos*[1], lacte verbi pascere gaudeat.

Vicariis huiusce muneris partem accipientibus, non exoneratur parochus ab obligatione quae ei B potissimum incumbit. Ut enim catechizandi munus congrue, digne atque fructuose impleatur, exquisita opus est prudentia et experientia.

Quanta sint catechismorum de *perseverantia* dictorum commoda, nemo animarum curae addictus non intelligit. Ideo valde exoptat synodus Aquensis ut, quantum fieri potest, in omnibus parochiis instituantur.

Caput IV.

*De scholarum cura.*

Vigilanti animo provideat parochus ut in scholis et sana doctrina tradatur et boni foveantur mores.

Si deprehenderit parochus, in scholis irrepere, in animarum detrimentum, abusus quibus facile mederi non possit, ad scholastrum ab episcopo constitutum recurret eiusque consiliis fideliter obsequetur.

Caput V.

*De aegrotantium cura.*

Magnopere curabunt parochi ne quis in paroeciae suae territorio e vivis decedat sacramentis ecclesiae non munitus. Ideo nihil praetermittent quo de statu aegrotantium certiores fiant. Ubi primo resciverint aliquem gravi morbo laborare, ad domum illius quantocius accedant, licet non fuerint vocati. Aegrotum in spiritu mansuetudinis verbis et agendi modo sic allicere conentur ut vel obstinatum in malo proposito, Deo lucrentur. Saepe illum visitent, egentem eleemosynis iuvent, anxietatibus vel doloribus vexatum paterno solentur affectu, in discrimine salutis positum ferventi prece necnon missae sacrificio ad saniora consilia reducere nitantur.

Caveant autem ne procrastinent in beneficio absolutionis impertiendo, praesertim cum periculum mortis aderit probabile; sed, in quantum sinent temporis angustiae, confessum et aliunde efficaciter dispositum absolvant; quamprimum etiam sacro viatico et extrema unctione ipsum communiant.

Ingravescente morbo et urgente ultimo agone aegrotum licet sacramentis refectum non deserant, sed per se aut vicarios omni ope et precibus necnon iterata absolutione ei subveniant.

Caput VI.

*De succursalium ecclesiarum rectoribus.*

Licet minorum ecclesiarum rectores immutabili apud nos titulo non gaudeant, sed ad episcopi nutum sint revocabiles, vere tamen parochi nominantur et sunt; ipsis ergo iura parochorum omnia necnon et officia competunt.

[1] Trid., ibidem.
[2] Trid., sess. XXIII, *de ref.*, cap. 1.
[3] Trid., sess. V, *de ref.*, cap. 2.

[1] I Thess. II, 7.

Cum gravissimam de horum statu quaestionem sibi reservaverit sancta sedes[1], in praesenti synodo, ea de re nihil decernendum occurrit.

### Caput VII.

*De secundariis presbyteris, seu de parochorum vicariis.*

Vicarii ab episcopo eliguntur. Parochis in quorum auxilium missi sunt, in his quae ad paroeciae regimen pertinent, fideliter obediant, salvo tamen in rebus gravioris momenti recursu ad ordinarium, qui dubia solvet. Consilia vero et monita quae nonnisi benigne dari debent arbitrisque semotis, humili animo ac reverenti suscipiant.

Ad omne opus bonum, in parochorum obsequium et solatium se paratos semper et expeditos exhibeant.

Parochos hortamur in Domino ut paterno effectu sui muneris adiutores prosequantur; eos ad varias pastoralis officii partes prudenter informent; de eorum scientia et virtute, laboribus et successu episcopum certiorem faciant.

Memores sint tum rectores, tum vicarii, sermonis qui scriptus est: *„alter alterius onera portate,*[2]“ ut commune iugum, onus animarum, suavius fiat et levius per mutuam caritatem.

Maxime commendat synodus exoptatque ut in eadem domo maneant et ad eamdem mensam consedeant parochus et vicarii, sicque securius et efficacius unanimes sint, pacem in paroecia foveant et servent, mores habitusque ecclesiasticos retineant.

### Caput VIII.

*De capellanis et adiunctis presbyteris.*

1. Capellani curam animarum habentes, moniales aliosve sibi commissos fideles, ad legis normam et consuetudinis, secundum concessas ab episcopo facultates verbo pascant et sacramentis, salvis, si quae sint, parochorum iuribus, salvo item recursu, in dubiis, ad ordinarium, a quo consilium accipiatur aut etiam auxilium.

2. Presbyteri adiuncti qui alicui muneri in parochiis exercendo assignantur, parochorum subiaceant regimini et divinis intersint officiis. Quos autem aut aetas provecta, aut adversa valetudo aliave causa ab animarum cura removet, hortamur ut sacerdotibus caeteris adunati, per pietatis opera et devotam in choro assistentiam aedificationi consulant.

### Caput IX.

*De vita et honestate clericorum.*

1. Veterem et ubique vigentem innovantes disciplinam, omnibus clericis in sacris ordinibus constitutis, sub poena suspensionis prohibemus ne in domicilio suo aut famulatu detineant mulieres quae annum aetatis non expleverint quadragesimum; tantummodo exceptas volumus, secundum patrum Nicaenorum decreta, matrem, sororem, amitam et neptem; hanc autem non inconsulto episcopo.

2. Ne quis militans Deo implicet se negotiis saecularibus, aut nimia sed incauta cordis facilitate impulsus variis se obiiciat molestiis, prohibetur sacerdotibus, ne absque episcopi licentia pro quocumque spondeant.

Iidem non contrahant debita per quae invadendi corpus ius datur; medicae arti aut chirurgicae operam non impendant; venationem cum armorum strepitu non exerceant; nec nundinis intersint.

3. Ad omnem avaritiae suspicionem amovendam, et dignitatem ministerio pastorali servandam, nullus
A presbyter, episcopo inconsulto, domum vel agrum, ubi curam habet animarum, sibi audeat acquirere.

4. Ut digne Deo conversari et merito ad tremenda valeant accedere mysteria, sacerdotes portas sensuum accurate custodire, necnon frequenti ac diligenti confessione conscientiam mundare adnitantur, et, ut in vocatione sancta sanctos se exhibere queant, ordinem quotidie servandum sibi praefiniant a quo quam minime recedant.

5. Sic denique *„decet clericos vitam moresque componere ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant“*[1]. Exinde corona clericali omnes sint insigniti, veste ecclesiastica semper induti cernantur, nec nisi femoralibus, iuxta formam antiquam, brevioribus. Conversatio cum saecularibus nec nimia nec incauta; visitationes inutiles, colloquia cum mulieribus superflua aut prolixa resecanda
B existiment.

Comessationes lususque publicos aversari convenit, nec licebit nuptiarum conviviis interesse aut baptismatum, nisi gravi de causa ab episcopo probata. Perversorum quoque hominum in societatis et ecclesiae perniciem coniuratorum laqueis irretiri non se sinant presbyteri; armis vero iustitiae, fide et scientia decertantes, victoriam reportabunt, Christi bonus odor per eos diffundetur, et ita se ipsos et qui eos audierint salvos facient.

## TITULUS VI.

**De monialibus ac piis sodalitatibus.**

### Caput I.

*De monialibus.*

Quoniam ex monasteriis pie institutis et rite administratis in ecclesia Dei multum utilitatis at-
C que splendoris oritur, iis paterna et assidua sollicitudine invigilabunt episcopi.

I. Nullum in provincia Aquensi instituatur monasterium monialium absque ordinarii licentia, praecognitis ab eo regulis atque statutis, opportunitate temporis et locorum comperta, perpensisque facultatibus an sustentandae domui sufficiant.

II. Nulla puella in monasterio habitum regularem suscipiat, nec professionem emittat quin prius diligenter *exploraverit episcopus*, aut *eius vicarius* generalis, *aut aliquis .., ab eis deputatus, virginis voluntatem, .. an sciat quid agat*, an sit plane libera, an habeat *conditiones requisitas iuxta illius ordinis regulam*. Ne vero, episcopo inscio, puella habitum religiosum sumat vel professionem emittat, tenetur *praefecta monasterio eum* de die praefixa *ante mensem certiorem facere*[2].

III. Quaelibet domus superiorem habeat vica-
D rium generalem aut alium ab episcopo designatum, nisi sibimet curam istam reservaverit episcopus. Ille autem non sit confessarius ordinarius monialium qui et superior.

IV. Meminerint sanctimoniales vocationis suae, pretiosaque illius charismata serio meditantes, ad perfectionis apicem pro viribus nitantur. Haec sancti Bernardi verba grato et laetanti animo secum revolvant: *„in religione homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quiescit securius, moritur fiducius, purgatur citius, praemiatur copiosius.*[3]“

V. Ad suae igitur regulae praescripta vitam instituant et componant, atque imprimis sancta

[1] Greg. XVI, *breve ad episc. Leod.*
[2] Galat. VI, 2.

[1] Trid., sess. XXII, *de ref.*, cap. 1.
[2] Trid., sess. XXV, *de regular.*, cap. 17; Bened. XIV, const. *Pastoralis*, die 30 martii 1741.
[3] Ex *homil. in Matth.* XIII, 45, [opp. S. Bern., ed. Migne, III, 1181 B].

paupertatis, castitatis et obedientiae vota, vel si quae alia sint peculiaria, fideliter observent.

VI. Nulli autem monialium liceat post professionem exire e monasterio clausurae subiecto, etiam ad breve tempus, nisi legitima de causa ab ordinario approbata et de eius licentia scripto data.

VII. Nemini etiam cuiuscumque sexus, aut conditionis et aetatis fuerit, intra septa monasterii ingredi concedatur nisi ex episcopi vel superioris permissu.

VIII. Tenentur episcopi vel alii superiores bis aut ter singulis annis confessarii extraordinarii sanctimonialibus copiam praebere, *qui omnium confessiones audire debeat* [1].

Eodem modo provideant episcopi aliarum quarumcumque puellarum in communitate degentium coetibus.

IX. Quoniam ex bonorum temporalium usu inutili aut illegitimo disciplinae regularis imo et ipsorum quandoque monasteriorum ruina oritur, episcopo aut eius delegato, secundum cuiusque ordinis regulas, reddatur ratio ab iis quibus commissa est bonorum temporalium monasterii administratio.

## Caput II.

### *De poenitentium confraternitatibus ac aliis piis sodalitatibus virorum ac mulierum.*

Confraternitates poenitentium, necnon aliae piae sodalitates, per communia precum exemplorumque adminicula, sodalibus valde prosunt et in parochiis aedificationem cultusque decorem promovere valent.

Quem ut tam pium tamque optabilem finem attingant, concilium haec statuit et decernit:

1. Nulla erigatur confraternitas aut sodalitas in provincia Aquensi absque ordinarii licentia.

2. In admittendis sodalibus, maior de integritate vitae quam de numero ratio habeatur,

3. Quaelibet confraternitas statuta habeat ab episcopo approbata quae, ut facilius a singulis nosci et observari queant, quotannis saltem, in conventu generali legantur.

4. Confraternitatum superior sit ecclesiae parochus, nisi ad hoc munus sacerdos alter ab episcopo deputetur.

5. Nulla in poenitentium sacellis absque legitima facultate celebrentur exercitia, nec unquam missae parochialis hora vel officii vespertini.

6. Prohibemus ne, occasione festi cuiuslibet, comessationes et convivia praesertim aere sodalitio in posterum fiant: quem pessimum, quibusdam in locis abusum introductum omnino damnamus.

7. Sodalitates puellarum et mulierum parochi foveant, ut sexus debilior e profanis coetibus evocatus securius in innocentia servetur et in via pietatis non deficiat.

Sed et plurimum incumbant instituendis fovendisque sodalitatibus virorum ac adolescentium, praesertim cum nihil illos aeque moveat, nihil alliciat ad officia religionis adimplenda quam ipsorummet sodalium exempla.

# TITULUS VII.

## De sacramentis in genere.

Ut sacramenta quae Christus Dominus pro immensa sua caritate ad hominum sanctificationem et salutem instituit, qua par est reverentia tractentur, et qua decet veneratione a fidelibus suscipiantur, nonnullas salutares regulas referendas aut etiam stabiliendas duximus.

[1] Trid., sess. XXV, *de regular.*, cap. 10.

## Caput I.

### *De ministrorum obligationibus.*

1. Meminerint parochi omnesque alii ad quos cuiusvis sacramenti spectat administratio, *sancta* nonnisi *sancte* tractanda, ideoque convenienti reverentia et praesertim cum conscientia pura tractent, ne *„lethalis peccati labe infecti, dum aliorum saluti student sibi aeternae sint damnationis ministri"* [1].

2. Quacunque diei ac noctis hora ad sacramenta ministranda vocati, nullam in officio suo praestando moram interponant, praesertim si necessitas urgeat, et ita promptos facilesque se exhibeant, ut omnibus manifestum sit, se nullius laboris aut incommodi habere rationem.

3. In ipsa sacramentorum administratione, ritus omnes ab ecclesia praescriptos religiose servent, verbis rebusque ad essentiam sacramenti pertinentibus attentos se plurimum praebeant, actualemque, quantum fieri poterit, intentionem efforment id faciendi quod facit ecclesia.

4. Cum sacramenta eo uberiores animabus gratias conferant quo maiori pietate ac religione suscipiuntur, parochi frequenter eorum vim, maxime dum ea administrant, explicare curent, et ad illa pie reverenterque suscipienda, fideles adhortentur.

## Caput II.

### *De baptismo.*

1. Parochi, verba Salvatoris: *„nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei"* [2] prae oculis habentes, summopere caveant, ne sua incuria quispiam hoc sacramento non recepto e vivis excedat. Denuntient parentibus obligationem ipsis incumbentem filios suos quantocius baptizandos offerendi, ne male consulta procrastinatione, periclitetur illorum salus aeterna.

Sedulo invigilent, ut omnes, praesertim obstetrices, de baptismo rite conficiendo edoceantur.

2. Infantes expositi, quique domi a laico in necessitate baptizati sunt, sub conditione iterum baptizentur, nisi testimonio omni fide digno, constet baptismum fuisse rite collatum.

Qui ex haereticis ad ecclesiam veniunt, ne, inconsulto episcopo, rebaptizentur.

3. Priusquam ad aliquem baptizandum accedant parochi, sciant, quantum fieri poterit, quot et quales susceptores a parentibus electi fuerint, ne forte indigni, inepti admittantur, vel publice repellantur, quod aegre ferent.

4. Ab hoc arceantur officio infideles, haeretici, schismatici, nominatim excommunicati et interdicti, notorii concubinarii et ii etiam qui civile contraxerunt matrimonium, nec illud in facie ecclesiae inire curant; infames, hi qui sana mente non sunt, et muti quos sufficienter de religione edoctos non constat.

5. Praeterea unus tantum sive vir, sive mulier, iuxta sanctorum canonum instituta, vel ad summum unus et una baptizatum de baptismo suscipiant [3]. Eos autem patrinos saltem in aetate pubertatis ac sacramento confirmationis consignatos esse maxime convenit [4], eorumque nomina rite describantur in regesto, iuxta idem rituale.

6. Doceant parochi patrinos quam cognationem et affinitatem contraxerit et ad quid obligentur, *ne ignorantiam in suo munere praetendant* [5].

[1] Ex conc. Aquensi anno 1585, tit. *de sacramentis*. Mansi, *Concil.*, XXXIV, 942 C.

[2] Ioan. III, 5.

[3] Trid., sess. XXIV, *de ref. matr.*, cap. 2.

[4] Rit. Rom., *de sacr. bapt.*, *de patrin.*

[5] Ex conc. Aquensi anno 1585, tit. *de bapt. sacr.* Mansi, *Concil.*, XXXIV, 946 A.

7. A ritibus et caeremoniis baptisma non dis- A
iungatur absque licentia episcopi; licentia autem accepta, baptisma in ecclesia conferatur, nisi aliter concessum fuerit.

8. Acta in quibus baptismi, matrimonia et sepulturae inscripta sint, sedulo serventur.

Insuper, in codice scribantur qui primo ad sacram mensam accesserunt, aut confirmationis sacramentum susceperunt.

Horumce actorum duo erunt codices, quorum unus in officio episcopali, alter vero in archivis parochialibus deponetur.

## Caput III.

### *De confirmatione.*

1. Sacramenti confirmationis, in quo Spiritum sanctum accipiunt fideles, et milites Christi efficiuntur, naturam ac effectus populos sibi commissos doceant parochi. B

2. Sedulo disponant eos omnes qui congruentem aetatem et rationem habent, ut digne sacro chrismate signari valeant, ne quis maiori aetate provectus, tanto defraudetur auxilio, scientes culpabilis sane negligentiae reatu teneri fideles, si cum possint ad confirmationem accedere, illam renuunt aut omittunt.

3. Praemissis spiritualibus exercitiis confirmandos praeparent, ac ita res omnes disponant, ut cum aderit episcopus, omnia secundum ordinem fiant.

## Caput IV.

### *De eucharistia.*

#### § 1.

#### De missae sacrificio.

Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum missae sacrificium omni religionis cultu ac venera- C
tione celebretur, quivis facile existimare poterit, si consideret *„nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse“* quam hoc tremendum mysterium [1].

Quocirca, omnes et singulos sacerdotes hortamur et obsecramus in Domino, ut frequenti ad sacramentum poenitentiae recursu, cordis munditiam foveant vel reparent. Enixe commendamus, ut nullus ad illud sacrosanctum missae sacrificium celebrandum accedat, nisi prius per aliquod temporis spatium in ipsa ecclesia, si fieri possit, meditationi vacaverit. Volumus insuper caeremonias ac ritus quos sancta mater ecclesia in missa servari statuit, accurate a sacerdotibus custodiri; nec certe habendi sunt a peccato immunes ii qui irreverenti praecipitatione (etsi ab onerosa prolixitate cavendum est), aut inconvenienti corporis situ vel gestu adstantium pietatem contristant. Curent igitur ut prae- D
sertim dum ad altare accedunt sacerdotes, nihil nisi grave, moderatum, religione et modestia plenum in sui ac populorum aedificationem prae se ferant.

Cum pro parochianis offeratur missa parochialis dicta, ibique verbum divinum praedicetur, ieiunia, abstinentiae, festa denuntientur, monitaque specialia dentur fidelibus, et omnes tanquam cor unum et anima una sint in conspectu Dei, super Christi altare oblati: hortentur parochi plebes sibi commissas ut, quantum fieri potest, hanc missam audiant, licet vi praecepti ecclesiastici non teneantur; animis insuper eorum qui praecipuas veritates ad salutem necessarias ignorant, huic missae interesse propter verbum divinum ibi praedicatum inculcent, illosque ad veritates istas addiscendas, iure naturali et divino astrictos esse, monere non negligant.

[1] Trid., sess. XXII, *de observ. et vitand. in celebr. Miss.*

#### § 2.

#### De cultu erga sanctissimum eucharistiae sacramentum.

Cum ad divini amoris ignem in cordibus fidelium accendendum nihil efficacius sit quam intimus devotionis affectus erga sanctissimam eucharistiam, omnes ac singulos animarum pastores obsecramus per viscera misericordiae Dei nostri, ut cultum ac debitum honorem tam eximio sacramento, verbis, actibus omnique zelo promovere conentur.

Quapropter, in suis parochiis pias sodalitates instituendas curent, vel institutas foveant, quae finem peculiarem habeant sanctissimum sacramentum colere, illud statutis horis adorare, et cum defertur, religiose comitari, fidelesque sibi commissos instantissime etiam adhortentur ut venerabile sacramentum in ecclesiis frequenter visitent, quibus ipsi exemplo praeire studeant.

#### § 3.

#### De sacra communione.

Quoniam vero per pium atque frequentem sacrae communionis usum, a Christi fidelibus eucharistiae perfectissimus exhibetur cultus, ad sacrum convivium saepe saepius eos invitent et uberrimos gratiarum thesauros in tam praeclaro sacramento absconditos explicent. Illos tamen praemoneant pro frequentiore communione fervidiores requiri dispositiones.

#### § 4.

#### De communione paschali.

Caeterum, cum tot christiani non alliciantur eucharistiae amore, imoque super cibo isto caelesti nauseent, ad ipsum desiderandum et sumendum urgeantur praecepti ecclesiae denuntiatione. Ideoque, bis in quadragesima, id est, dominica prima, itemque palmarum, a parochis populo christiano summatim promulgetur quartae synodi Lateranensis decretum, *Omnis utriusque sexus, etc.*, et unusquisque fidelis admoneatur se saltem semel in anno, et in paschate, in sua parochia communicare teneri, nisi de licentia ordinarii, vel parochi, sive a iure aut consuetudine facultas adsit alibi communicandi.

#### § 5.

#### De prima communione puerorum.

Provideant parochi ut pueri prima vice ad sacram synaxim admittendi, ad tam praecellens opus rite disponantur. Sint igitur maxime solliciti de pueris istis docendis et informandis, ut optime probati ac sane corpus dominicum diiudicantes, de pane illo edant in rectam christianae vitae compositionem.

Prima communio in propria parochia fieri debet, nisi, ut alibi fiat, legitima obtineatur dispensatio.

#### § 6.

#### De sanctissimo viatico et ultima communione.

Memores sint etiam parochi omnes christianos in periculo mortis constitutos ac discretionis annos adeptos, praecepto divino ad communicandum teneri; ideo diligentissime consulant ut aegrotantes parochiani sacro viatico muniantur, imoque, si perduret morbus, pluries angelorum pane reficiantur. Nec pueri viatico illo coelesti, dum ad mortem infirmantur, priventur, propterea quod annos ad primam communionem praefixos non attigerint; sed eos parochi eximia cura praeparatos ac scientes cibum illum discernere, ad praeceptum divinum implendum adducant.

Iis qui extremo supplicio sunt plectendi, sacra communio non denegetur, hoc vero efficaci muniti auxilio, contra terrores ultimos opportune roborentur.

**Infirmis autem ad pascha et pluries in anno, pro A ipsorum pietate ac dispositionibus, sacra communio deferatur, ut fiat in illorum anima roboris augmentum, dum corpus tabescit vel morbo dissolvitur.**

## Caput V.

### *De poenitentiae sacramento.*

Dives in misericordia Deus, magnum infirmitati humanae contulit remedium, poenitentiae videlicet sacramentum, quo lapsis post baptismum mortis Christi beneficium applicatur.

Ante omnia igitur ad hoc divinum opus accessurus sacerdos, munus suum, suasque partes apprime cognoscat ac recogitet, ut peccator, cum ad illud misericordiae tribunal gratiaeque fontem confugerit, liberari, sanari et Dei pace ditari possit.

Nec tamen idem sacramentum solummodo valet ad remissionem peccatorum, sed ad gratiae virtutumque incrementum et ad animarum in sanctitate B profectum.

Ad Deum autem, a quo descendit *omne donum perfectum* [1], recurrat sacerdos, ut, ad illud divinum officium exercendum, medici scientiam, iudicis aequitatem, pastoris affectum ad se per orationem de coelis attrahat.

Alacri animo et in multa patientia suscipiat poenitentes, praesertim viros, qui ad sacrum tribunal summo studio omnique caritatis industria alliciendi sunt. Ne vero cuius spiritus sit obliviscatur, et non solum iustitiae, sed misericordiarum Dei ministrum se esse meminerit. Itaque, erga omnes et omni tempore se gerat ut ad illum quasi ad patrem, quantumvis a Deo hactenus remoti vixerint, peccatores recurrant [2].

Attendat tamen, ne indulgentius cum poenitentibus agens, eisque indiscriminatim reconciliationis beneficium impertiens, peccatis conniveat; non enim C animas curaret, sed illas et seipsum in ruinam aeternam daret praecipites. Nec tamen severius erga peccatores agat, ne eos desperatos remittat; sed illos benigne adhortetur ut quamprimum dispositos absolvat.

### De puerorum confessione.

Accurate et studiose puerorum confessiones audiat parochus, utque ipsum tam praecellentis operis nunquam taedeat, illud Spiritus sancti effatum mente recogitet: „*adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea*;“ [3] quo perspicuo oraculo christianae societatis bonum e puerorum institutione pendere demonstratur. Et quidem, dum parvulos peccata confitentes audit pastor animarum, pietatis et sancti amoris semen inserit, sanctimoniae formam imprimit, nascentem suffocat malitiam, vitiorum radices evellit. Sic populus sanctorum praeparatur et perficitur. Pueros igitur rite dispositos, ne in D peccatis languescant, etiam ante tempus primae communionis absolvant confessarii.

## Caput VI.

### *De extrema unctione.*

Clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in sacramentis aliis praeparavit, quibus christiani conservare se integros dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint; ita extremae unctionis sacramento finem vitae, tanquam firmissimo quodam praesidio, munivit. [4]

[1] Iac. I, 17.
[2] Trid., sess. XIV, cap. 8.
[3] Prov. XXII, 6.
[4] Trid., sess. XIV, *de extr. unct.*

**1. Ecclesiarum rectores parochianos gravi morbo laborantes adhortationibus iteratis, si opus est, alliciant et inducant ad mature devoteque suscipiendum hoc ultimum misericordiae Christi sacramentum, quo alleviatur et purgatur anima, peccata quandoque remittuntur, et, si ad salutem aeternam expedierit, sanitas restituitur.**

2. Curent etiam crebris monitionibus imperitum vulgus ab illa inani et impia opinione abducere, qua plerique de virtute huiusce sacramenti inepta sentiunt, perinde ac si mortem aegris acceleret [1].

3. Omnem operam adhibeant animarum pastores ut divinae eucharistiae et extremae unctionis subsidia infirmis simul, iuxta ritualis Romani praescripta, conferantur. Attamen pro opportunitate temporum et aegrotantium commoditate agatur.

## Caput VII.

### *De sacris ordinationibus.*

1. Omni tempore meminerint episcopi nemini cito manus imponendas; ac ideo nonnisi per notabile tempus probatos ad sacram ordinationem admittant.

2. Iubeant parochos testimonium in scriptis dare de vita et agendi ratione clericorum qui in suis parochiis, quavis de causa, per mensem integrum vel diutius remansere.

3. Noverint autem parochi se gravis peccati reatum effugere non posse, si quolibet praetextu, ea scienter retinuerint quae vel indignos vel attentius probandos expressa demonstrarent.

## Caput VIII.

### *De matrimonio.*

Quoniam hisce luctuosis temporibus non pauci sunt qui verbis, vel scriptis, multa moribus et doctrinae evangelicae contraria asserant, veritatem catholicam circa hoc sacramentum strenue vindicent parochi, populosque accurate doceant:

1. Matrimonium in se spectatum ex primaria institutione esse quid sanctum et a Deo ipso institutum; cum vero ad dignitatem sacramenti a Christo domino evectum fuerit, coniugium christianorum veteribus connubiis sanctitate sicut et *gratia* praestare [2]; ideoque maxime *esse honorabile in omnibus* [3].

2. Fide catholica certum esse ecclesiam „*semper potuisse ac posse in christianorum matrimoniis iure proprio impedimenta constituere, quae matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum*“ [4]; ideoque cum decretum concilii Tridentini irritos nullosque statuens contractus connubiales, non initos coram proprio alterutrius contrahentium parocho et tribus vel duobus testibus, in Galliis promulgatum fuerit, matrimonia catholicorum apud nos inita coram civili tantum magistratu, neque in ratione sacramenti, neque in ratione vinculi sustineri aut ullo pacto valida reputari posse.

3. Matrimonium ex primaeva sua institutione, et speciatim ob rationem sacramenti ipsi a Christo collatam, ita esse indissolubile, cum ratum simul et consummatum fuerit, ut nec a coniugibus ipsis, nec ab ulla potestate humana dissolvi possit.

4. Cum plura exstent impedimenta canonica quibus irrita vel illicita reddantur christianorum matrimonia, de his, quantum prudentia permiserit, doceant populum sibi commissum parochi; et ubi de matrimonio in sua cuique parochia contrahendo agitur, sedulo attendant ut omnia ad normam canonum informentur.

[1] Ex conc. Burdigalensi anni 1583, c. XIII. Mansi, Conc., XXXIV, 750 C.
[2] Trid., sess. XXIV, *de sacram. matr.*
[3] Hebr. XIII, 4.
[4] Bulla *Auctorem fidei*, propos. 59.

5. Curent speciatim ne ullum matrimonium absque sacerdotali benedictione contrahatur. Curent pariter ut ea serventur quae a potestate saeculari praescripta sunt, ne matrimonium effectibus civilibus careat.

## TITULUS VIII.

### De quibusdam institutionibus ecclesiasticis.

#### Caput I.

*De cogendo concilio provinciali Aquensi.*

Antiquam de conciliis provincialibus cogendis disciplinam, iam a trecentis prope annis desuetam, nunc vero, Deo favente, apud nos redivivam, eo magis sibi gratulatur haec nostra metropolitana Aquensis ecclesia, quod, praeter Arelatensem ac Ebredunensem tam antiquitus perillustres, transmarinas insuper ecclesias, Corsicae scilicet, imo et percelebris Africae, post tot saecula resurgentis, ad se de longinquo venire gaudeat, atque miretur.

Itaque Christi salvatoris nostri promissis inhaerentes, quibus se congregatis in suo nomine adfuturum promisit, constanti veterum patrum usui obsequentes, conciliorumque decretis parentes, confidentes etiam non ultra nobis defuturam eam libertatem, qua, Deo benigne providente, recens fruimur, statuimus iuxta Tridentinum concilium[1] *pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis*, et pro erroribus, qui hisce nostris temporibus, undique debacchantur, condemnandis, pro tuenda disciplina, necnon arctius inter se devinciendis episcopis, presbyteris et fidelibus, elapso post approbata decreta triennio, nisi obstet rationabilis causa, provinciae Aquensis cogendum esse concilium.

#### Caput II.

*De synodo celebranda.*

Consuetudo salutaris invaluerat in ecclesia, ut episcopus quisque sacerdotes suae dioeceseos interdum solemniter convocaret, cum quibus de rebus ecclesiasticis colloqueretur, et pastorum simul et ovium necessitatibus, docendo, monendo, vel etiam arguendo, provideret.

Totam quidem potestatem et vim synodi obtinet episcopus, qui propria auctoritate et absque cleri consensu, statuta condere et promulgare, et, si opportunius duxerit, condita mutare vel etiam abolere potest; sed non ideo synodi nulla utilitas. In illa enim res multae elucidantur, abusus facilius tolluntur, sacerdotes cum episcopo, necnon inter se arctiori vinculo religantur, legesque coram omnibus propositae, examinatae et proclamatae propensius obtinent obsequium.

Quamobrem synodus dioecesana, proximo anno, post recognita atque approbata a summo pontifice concilii decreta, celebrabitur, et annis subsequentibus, pro temporum et locorum opportunitate, in exercitiorum spiritualium decursu.

#### Caput III.

*De annuis spiritualibus sacerdotum exercitiis.*

Sancta est, nec satis laudanda consuetudo, in plerisque Galliae dioecesibus obfirmata, sacerdotes invitandi ad exercitia spiritualia simul peragenda. Nihil quippe saluti, tum pastorum, tum ovium procurandae, accommodatius invenire est, quam ut sacerdotes per orationem, lectionem, colloquia mutua, piamque recollectionem in Domino pusillum requiescant.

Quotannis igitur ad exercitia spiritualia vocentur, in quantum fieri poterit. Qui autem conventui publico assistere non poterunt, privatim hisce exercitiis, in seminario, aut in alia domo pia, aliquot saltem diebus, vacare non negligant.

Qui vero, absque legitima causa, ultra biennium exercitiis publicis adesse neglexerint, ab episcopo arguantur.

## TITULUS IX.

### De studiis ecclesiasticis.

Monita praevia ad parentes et ludimagistros.

De cura et educatione puerorum.

Quanto dulcissimus Salvator noster amore parvulos amplexus fuerit, ex evangelio liquet. Per tantum igitur amorem Christi, parentes et praecipue matres obsecramus ut parvulos suos Dei nomen et timorem, quod initium est sapientiae, amoremque, vel ab ipsis infantiae exordiis, edoceant; quaecumque scandala ab eorum oculis longius avertant et amoveant, eorumque tam pretiosam coram Deo et hominibus innocentiam quam maxima sollicitudine tueantur ac reverentia: „*Talium enim erit regnum caelorum.*"

Magister vero cui sua parentes munia cum filiis commiserunt, paterno erga discipulos animo sit; patientia vigilantiaque praefulgeat simul ac doctrina; tenellas puerorum mentes ad fidem et pietatem tum verbis tum exemplis informet; regulariter eos ad officia divina et ad catecheses ipse ducat, consulatque ut tempore opportuno, peccata sua pie confiteantur.

#### Caput I.

*De clericis educandis.*

Seminaria persapienter a Tridentina synodo praescripta, quanto studio instituerit ecclesia gallicana, quantosque tum in cleri decus, tum in aedificationem plebis christianae, fructus inde perceperit, nemo est qui nesciat. Pueros enim ab humanarum litterarum rudimentis ad divinam usque scientiam gradatim erigere, per pietatis, religionis atque virtutum omnium christianorum habitus, ad virtutes ecclesiasticas veluti sensim allicere et a teneris informare maxime necesse est; atque in his reponitur matris ecclesiae firmissimum robur spesque dulcissimă.

Quibus attendens, synodus Aquensis clericorum magistros omnes et singulos hortatur in Christo et obsecrat ut muneri suo, prudentia maturi zeloque indefessi semper incumbant.

1. Ex virtutibus eas enixius alumnos suos edoceant quas, temporibus hisce nostris, in oblivionem, ne in despectum dicamus, incidisse valde dolendum est. In primis igitur obedientiam debitamque superioribus reverentiam commendatas volumus. Disruptis enim iam usquequaque vinculis quibus olim ima summis, miro mutuorum officiorum ordine, religabantur, omnis fere evanuit auctoritas.

Propriae libertatis immoderatus amor inconsultos multorum animos, in sui necnon societatis perniciem, sollicitare et quasi infatuare videtur. Quibus ab illecebris alumni nostri caveant omnimodo decet. Praepositis suis, cuiuscumque gradus sint aut tituli, sese verecundos praebeant et plane subditos, non verbo tantum et opere, sed et intellectus obsequio ac mentis affectu, „*non ad oculum servientes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo.*"[1]

Episcopum ut primum animarum pastorem et parentem religiose venerentur pioque amore prosequantur.

Sacerdotes honorent sicut Dei ministros, maximeque senes, quorum canitiem pro meritorum corona reverenter habeant.

[1] Trid., sess. XXIV, *de ref.*, c. 2.

[1] Ephes. VI, 6.

Magistros suos, vel iuniores quorum probata vita senectus sit, non minus venerentur quam diligant, bonaque eorum officia, per totius vitae suae curriculum pie reminiscantur.

Ut autem hisce reverentiae simul et obedientiae sensibus imbuantur et habitibus informentur alumni, eos magistri doceant non sibi multum confidere, seniorum consilio lubenter uti, festinatamque sibi maturitatem, non per stultam praesumptionem, sed per humilitatem suique diffidentiam comparare.

Doceantur etiam alumni non suis commodis aut ingenio mollius indulgere, sed victu simplici severoque regimine laetari, ne forte posthac, in vitae luctamine, virili constantia, ut saepius evenit, simul et abnegatione sacerdotali deficiant.

Dum autem virtutes illas, quibus in aevo nostro viventibus maxime opus est, alumnorum animis altius defigere curabunt, ceteras quoque illis inculcare meminerint praeceptores; *pietatem* scilicet *quae promissionem habet vitae quae nunc est et futurae*; divitiarum contemptum, levitis adeo necessarium ut Domino firmius inhaereant: zelum animarum, *ignem hunc perpetuum qui nunquam deficere* debet *in altari*; castitatem demum cordisque munditiam sine qua nemo *Deum videbit*, quae fragilis in iuvenibus et tenella, non modo sollicitam, sed et prudentem nimis vigilantiam a magistris exspectat, quamque per timorem Dei et pios affectus potius insinuare est, quam monitis aut praeceptis docere.

2. Supersunt adhuc externa quaedam in educandis clericis non modo non negligenda, sed et magni facienda, quae paucis indicare satis erit.

Cultus vestium et corporis mundus sit, sed et simplex. Quaecumque penes se sunt, assuescat alumnus iuxta debitum ordinem rite componere.

Habitus et actus probatorum usuum peritiam cum modestia redoleant.

Sermo sit emendatus, facilis et excultus.

Lectio distincta et suave modulata.

Scriptura lectu facilis et accurata, regulisque saltem grammaticis apprime consentanea.

Utinam hisce cum internis tum externis adornata virtutibus, iuventus nostra proficiat sapientia et gratia apud Deum et homines!

Quae omnia clericorum animis et moribus eo facilius et altius illabentur quod viva horum exemplaria in magistris contemplanda reperient et imitanda.

Magistri igitur, in seminariis tum maioribus tum minoribus, ab oculis alumnorum, si liceat, non magis recedant quam a corde: cum illis divinis officiis intersint, et sive in colloquiis, sive etiam in ludis aut solitis deambulationibus, salva semper dignitate, illis se comites libenter praebeant.

## Caput II.

### *De scholis clericalibus.*

Scholas clericales, quae florescunt in parochiis, ad fidelium aedificationem, per solemnitatem cultus divini et cantus melodiam, multum prodesse fausta nos docet experientia. Accedit etiam quod pueri in innocentia, modestia et pietate nutriuntur et adolescunt, eorumque parentes ad benevolentiam erga religionem et sacerdotes, imo, si opus sit, ad ecclesiae frequentationem usumque sacramentorum sensim et leniter adducuntur.

Illud autem in primis huiusmodi scholas commendat, quod sint quasi fontes sacerdotum indeficientes et seminaria. Pueruli enim in presbyterio, ut ita dicamus, in domo Dei, degentes et instituti, divinam simul ac humanam doctrinam haurientes, iugo Christi, ritibus ecclesiae clericorumque moribus assuescunt ab infantia, et gradatim ad maiores scholas ecclesiasticas ascendunt.

Idcirco, concilium Aquense parochos vehementer adhortatur ut, in sua quisque parochia, scholas huiusmodi quamprimum instituere curent, aut institutas, si iam sunt, amanter foveant, pro certo habentes de ecclesia se esse optime merituros.

## Caput III.

### *De clericorum studiis.*

Saepe saepius audire est, licet immerito dictum, seminaria nostra scholis externis, ratione studiorum, esse imparia. Quidquid vero sit, ad meliora perpetuo tendamus oportet; ideoque tria requiramus, nempe magistros in dies magis idoneos, discipulos ad discendum alacriores et regimen studiorum forte perfectius.

1. Eo magis idonei, procul dubio, magistri fient quo stabiliores. Iam ergo frequentioribus non subiaceant mutationibus; et saltem humanas litteras, rhetoricam, philosophiam, historiam, matheses, scientias naturales aut physicas et praesertim theologicas ex professo docendas accipient non qui magisterium quasi pertranseant, sed ii tantum qui, zelo discendi et docendi piaque in alumnos caritate permoti, eximio huic officio tempus et vires, ad Dei gloriam, lubenter impendere sint parati.

Ne autem vel praesentis conditionis taedium vel de futura iusta quaedam anxietas illos a sancto proposito deterreat, episcopus, per honorem eis delatum, curabit sapienter ut omnibus innotescat magisterii dignitas, et rei eorum temporali sive ad praesens sive in posterum, ita paterno providebit affectu ut coaetaneis et aeque meritis unde invideant generaliter habere non possint.

Professores vero muneri suo sic amanter inhaereant ut ne zeli quidem opera, quibus ab illo distrahi possent, extra seminarium aggrediantur.

2. Ad conferendam discipulorum in studiis alacritatem, artes omnes adhibeantur iamdudum in scholis adhiberi solitae; nec eos incitare desinant magistri motivis supernaturalibus, utpote quibus inest maior in mentes christianas vis et efficacia; nec tamen negligantur alia incitamenta, nempe 1. examina coram consessu, de quo infra dicetur, subeunda; 2. graduum sive in litteris sive in theologia impetrandorum spes; 3. demum solemniora quaedam praemia quae, tum inter scholas eiusdem dioecesis, tum intra diversa totius provinciae seminaria per concursum, iuxta regulas ab episcopis determinatas, referenda proponentur.

3. Studiorum regimen, ut confidimus, in melius evadet instituto *consessu* qui *de studiis* vocabitur. Iste vero consessus ad mentem concilii Tridentini[1] constituendus, paucis, gravioribus et idoneis viris constet. Hi autem eligentur ab episcopo, qui eis vel per se vel per vicarium generalem ad hoc specialiter deputatum, praesidebit. Istud vero erit eorum officium: gradum scientiae in unoquoque studiorum cursu attingendum, definient; *visitando* prout opus erit, et examinando *operam dabunt* ut iam statuta *semper observentur, et alia ad rem opportuna vel necessaria statuent; omniaque impedimenta auferentes, quaecumque ad augendum tam pium et sanctum*, nempe scholarum ecclesiasticarum *institutum*, pertinere videbuntur, nomine episcopi diligenter curabunt[2].

Vicarius autem generalis, huiusce consessus, pro episcopo, praeses, *magni scholastri* nomine erit insignitus, atque ex hoc titulo iis omnibus specia-

[1] Sess. XXIII, *de ref.*, cap. 18.
[2] Conc. Trid., loco citato.

liter invigilabit quae ad scholarum regimen aut A inspectionem ab ecclesiasticis exercendam pertinent, et cum parochis ea de re sedulo conferet.

## Caput IV.

### *De seminariis minoribus.*

1. Seminaria minora, pro locorum opportunitate, pleno, ut aiunt, fruantur exercitio omnibusque discipulis pateant etiam externis, dummodo ab internis, sedulo separentur et debitae his detrimento sint, sedulo separentur et debitae vigilantiae, etiam extra seminarium, subiacere possint. Quo enim plures ad nos venerint alumni, eo pluribus fidei virtutumque documenta haurienda praebebuntur, eoque plures, foventibus magistris, quorum hoc munus est, sacerdotes exibunt qui deinceps a laicis, cum quibus adoleverint, non pro ignotis et alienis, ut saepe evenit, habebuntur.

2. Praecipua igitur magistrorum opera sit ut B alumnos, pro eorum aetate, religionem edoceant. Pueruli catechismi rudimentis velut lacte nutriantur; adolescentiores vero gradatim sic ediscant ipsa fidei fundamenta ut ea argumentis confirmare, necnon errores adversos refellere sciant.

3. Cum primum episcopo opportunum visum fuerit, instituetur in seminario minori philosophiae cursus, qui sufficienter alumnos praeparet tum ad gradus in litteris suscipiendos, tum ad seminarium maius adeundum.

Professor autem, omni conatu et cura discipulos eo adducat ut, ex confutatis philosophorum erroribus, fidei veritatem necessitatemque firmis animis concludant.

4. Quoniam historia nonnisi ut mendacio foveat iam pridem ab impiis auctoribus usurpatur, suus sit unicuique seminario professor qui, per certum annorum numerum, alumnis studio et aetate maioribus historiam fusius et doctius demonstret scriptorumque commenta detegat et diluat.

5. Linguam gallicam, tum miscendis colloquiis tum concionibus ad plebem habendis necessariam, C ad amussim perspectam habeant clerici. Graecam, praesertimque latinam accuratius ediscant, per quas verbum Dei sanctaque traditio ad nos usque devenerunt et oratio nostra quotidiana ad Deum ascendit.

In librorum vero delectu, solitis auctoribus adiungantur saltem exquisita quaedam a sanctis patribus aut scriptoribus catholicis, in triplici idiomate, quae vel interpretentur alumni vel memoriter teneant. Si enim, ob insignem formae venustatem, profanis delectantur, ecclesiasticis, ob praeclaram rerum veritatem ac celsitudinem, insistere non pigeat.

6. Mathesi et scientiis tum naturalibus tum physicis suus non desit locus. Iis enim intelligentia perficitur, eas ignorare probrum esset, et ad gradus partim saltem requiruntur.

7. Ne pueri latinae grammatices elementis, defectu aetatis aut intellectus, diutius immorentur, ad ea admittendi non sunt quin linguam gallicam ita noverint ut exinde latinae rudimentis facilius imbuantur.

Unde, submotis classibus octava et septima, forsan a sexta tantum latinis elementis initiari possent.

8. Ut autem ad quam plurimos extendatur educationis christianae beneficium, pro sapientia sua dispicient episcopi utrum, praeter seminarium, scholam primariam gradus superioris instituere non expediret in qua, praeter caeteras, linguas recentiorum docerentur alumni, etiamque, pro temporibus et locis, varias artium aut industriarum disci-

Hoc de studiis systema, nonnisi pro temporum et locorum commodis et ad nutum uniuscuiusque episcopi, quoad ea quae in illo cernuntur nova, executioni mandetur.

## Caput V.

### *De seminariis maioribus.*

1. Qui seminarium maius ingredi voluerint, examen, coram studiorum consessu, iuxta programma ab ipso consessu determinatum, subeant, duosque sermones oratorios, unum e latino, e graeco alterum, in gallicum vertere teneantur, unde illos satis apte rhetoricae cursum absolvisse constet.

Exoptat insuper synodus, ut in seminario maiori cursum theologiae proprie dictum antecedat annus quasi praeparatorius, in quo alumni ad argumentationem scholasticam informentur, et prolegomena scripturae sacrae locaque theologica aut alios ab episcopo designatos tractatus ediscant.

2. Theologicarum institutionum cursus, tribus annis, praeter praeparatorium, absolvatur. Alumnos autem scripturam sacram, theologiam tum dogmaticam tum moralem, historiam ecclesiasticam, praedicationis artem, ius canonicum, diaconalia, ut vocant, et parochiarum administrationem edoceri volumus.

Quae omnia sic ex ordine et gradatim alumnis ediscenda proponentur, ut scientiae fructus quam uberrimos exinde percipiant. Praevium materiae in qualibet lectione tractandae studium et lectionis auditae compendium, quantum opus fuerit, ab illis exigantur, et de omnibus praedictis, in solitis examinibus, habeant aeque respondendum.

3. Latino sermone accuratius uti consuescant et ad argumentationem theologicam, per theses etiam publice proponendas et tuendas, frequenter exerceantur.

4. Tractatibus de vera religione et de ecclesia, propter temporum necessitatem fusius quidem insistere licet, et quaestionibus quibusdam velut emortuis levius immorari; attamen meminerint professores praecipuos de dogmate tractatus quasi summum esse theologiae, ex iis praesertim attente perlectis, hauriendum esse sensum quem vocamus theologicum, iisque argumenta contineri quibus errores hodie grassantes plerique refelluntur utpote ex antiquis haereticis, ut plurimum, renovati.

Quaestionibus quoque de morali serio attendendum decernimus, iisque praesertim quae ad praxim attinent et ad casus quotidianos. Ex earum enim quaestionum recta vel devia intelligentia, magna ex parte, pendent ministerii sacerdotalis fructus aut sterilitas, virtutum aut vitiorum cultus, praeceptorum observantia aut neglectus, animarum D tandem salus aut infausta perditio.

## Caput VI.

### *De studiis superioribus.*

Domos institui, in quibus clericis nostris liceat studia sua aemulo ardore perficere, valde optatum nobis est. Sic enim ad canonicos gradus, iuxta veterem formam, ut fieri posset, restitutos, et exinde ad munia ecclesiastica via facilior et legitima pateret; episcopi vero curam animarum sacerdotibus suis non committerent nisi acceptis sanae doctrinae pignoribus, clerusque noster, ad maiorem Dei gloriam, doctrinae simul ac pietatis laude insignior appareret.

Quapropter, provinciae Aquensis episcopi, supremae summi pontificis sapientiae omnino confidentes, beatitudinem suam humiliter exorant ut, haec eorum vota approbans eisque favens, huiusmodi institutorum apud nos erectionem properare dignetur.

### Caput VII.

*De collationibus ecclesiasticis.*

Ideo institutae sunt collationes ecclesiasticae ut sacerdotes, communi opera laborantes, maiore studendi zelo ferveant, et quasi facibus collectis, praeclarior cuique, de rebus divinis, lux effulgeat; atque etiam ut episcopis occasio nascatur opportuna presbyteros suos, de quibusdam difficilioribus, varias solvendo quaestiones, edocendi, et uniuscuiusque meritum aut facultates, perlectis singulorum operibus, rectius cognoscendi.

Harum igitur collationum tam utile institutum synodus Aquensis laudat atque confirmat, episcopisque suadet ut, in sua quisque dioecesi, huiusmodi collationes instituant aut perficiant, regulas praescribendo quae in iis, ut fructus crescat uberior, accuratissime observandae sint.

Sacerdotes etiam singulos hortatur ut, iis assi- B duam operam dantes, in sancta doctrina proficere satagant.

### Caput VIII.

*De examinibus a iunioribus presbyteris subeundis.*

Iuniores presbyteros, a studioso seminarii regimine. ad vitam in mundo non adeo strictam transeuntes, contra negligentiae pericula munire intendens synodus, iubet ut, per quinquennium ab elapso primo presbyteratus anno, quotannis examen subeant, coram theologis quos episcopus delegaverit et iuxta programma ab illo determinatum.

Totidem etiam annorum decursu, concionem unam sub forma familiari et de materia praefinita, quotannis conficere, et episcopo, vel eius delegato, examinandam subiicere teneantur.

De praedictis autem examine et concione in tabellis specialibus iusta inscribatur nota, quae epi- C scopo, tempore opportuno, exhibenda erit.

## TITULUS X.

**De zelo, de pietatis atque caritatis operibus.**

Quicumque, Dei misericordia segregati a populo, in ministerium sacerdotale assumpti sunt, mente saepissime recogitent se a vocatione sua sancta deficere, ni, in dilectione Dei scilicet et proximi fundati, salutem animarum summis in votis ac cura praecipua habeant; scientes fidem operibus demonstrandam esse, atque coronam iustitiae apostolicis viris non esse reponendam, nisi, zelo succensi, multiplicibus pietatis necnon et caritatis actibus opus consummaverint. Contendant igitur indefesso labore dilatatoque corde ministerium suum adimplere, nihil eorum praetermittentes quae sibi praesto sunt ad salutem quamplurimorum pro- D curandam.

### Caput I.

*De missionibus et exercitiis spiritualibus.*

Quoniam, experientia teste, missiones ac spiritualia exercitia, praeter solitum indicta, non parum cedunt in bonum fidelium, quibus et aliquando sunt necessaria, populos sibi commissos non sinant parochi diuturno temporis intervallo iis defraudari. Talibus enim auxiliis, vel sopita fides multorum suscitatur, vel eorum voluntas peccatis aut male consultae verecundiae vinculis constricta liberatur, vel plurimorum fervor tepefactus ac remissus iterum accenditur. Nec silendum pastores animarum multimode iuvari in sui sicut et ovium profectum a fratribus evangelizantibus pacem. Hortatur ergo synodus Aquensis omnes ac singulos parochos et ecclesiarum rectores ut, quasi periodico sex aut A ad summum decem annorum decursu, missionarios plures advocent qui, solemnioribus ac diuturnis exercitiis, agri dominici partem sibi commissam totam quasi de novo effodiant.

Hortatur etiam ut saepius aliquos praedicatores aut missionarios adsciscant, quorum ope, ministerii pastoralis fructus brevioribus exercitiis ad perfectum deducatur. Parochi missionarios fraterna benevolentia excipiant; missionarii parochos honore praeveniant; eos eorumque ministerium debita observantia extollant; et fidelium in illos amorem atque fiduciam omnimodo conciliare aut etiam augere nitantur.

Ut autem liberius fideles peccata confiteantur, in missionum aut exercitiorum spiritualium decursu, parochi, vicarii aut alii confessarii ordinarii, sapienter a suis poenitentibus audiendis abstinebunt.

### Caput II.

*De catechizandis pueris villicorum.*

Invigilent parochi et speciali zelo obtineant ut pueri villicorum doctrinam christianam edoceantur; sunt enim filii Dei, Christi sanguine redempti, et eo attentiori cura prosequendi, quo plura obstant, ne ecclesiam parochialem adeant.

Quapropter, pium opus de pueris villicorum catechizandis, quale in urbe metropolitana laudabiliter existit, instituendum curent in suis paroeciis. Si autem pro locorum circumstantiis institui non possit, adhibeant media, ad subveniendum huiuscemodi puerorum spiritualibus necessitatibus accommodata et efficacia.

### Caput III.

*De pia societate pro reparatione blasphemiarum ac diei dominicae sanctificatione.*

Inter praecipua et lugenda nimium quae partem gregis dominici nobis commissam infestant mala, illa equidem denuntianda est effrenata consuetudo in Deum sanctum blasphemias proferendi, labente ultimo saeculo introducta; necnon caeca illa rerum terrenarum cupiditas, quae legis divinae de sanctificatione diei dominicae oblivionem et transgressionem parit. Ad extinguendum duplicem illum nefariumque peccatorum atque calamitatum fomitem, hortamur ut in omnibus provinciae nostrae Aquensis parochiis vel civitatibus, pia societas canonice instituenda procuretur, ad instar illius quae in dioecesi Lingonensi, auctoritate reverendissimi episcopi instituta, a sanctissimo domino nostro Pio papa IX spiritualibus favoribus ac indulgentiis est aucta, et in eminentem confraternitatis gradum evecta. Huic autem praecipuae societati in participationem uberiorum gratiarum impetranda erit aggregatio.

### Caput IV.

*De consociatione Propagandae fidei.*

Cum nihil Deo aeque placeat ac salus animarum, ad quam multum iuvant eleemosynae unde tot viri apostolici sustentantur, non praetermittendam iudicavimus hortationem ad sanctissimam et saluberrimam pro fidei propagatione institutionem commendandam atque donis uberioribus augendam.

Quamobrem, obsecramus in Domino omnes parochos et singulos ecclesiarum rectores, ut consociationem de fide propaganda frequenti sermone collaudent. Illos etiam hortamur ut numerum sociorum iam descriptum sollicite conservent, ac omni zelo, in profectum operis, multiplicare nitantur, cum creverint impensae prae multitudine infidelium quibus evangelium hodie praedicatur.

### Caput V.

*De librorum bonorum propagatione et de bibliothecis parochialibus.* A

Libros autem pietatem et divinam doctrinam redolentes cum semper utile fuerit diffundere, videtur nunc maxime necessarium, tum ad praeveniendam et impediendam malorum lectionem librorum, qui bonos mores simul et fidem corrumpunt et ex quibus venena scaturiunt infinita, tum ad arma fidelibus praebenda, praesertim iunioribus, contra errores undique grassantes, necnon ad fidem servandam, defendendam et propagandam.

Concilium ergo probat, imo et laudat qualecumque genus piarum bibliothecarum quae ab episcopis instituerentur sive in civitate episcopali, sive in paroeciis pagorum primariis, aut etiam in quibuslibet vicis; hortaturque fideles et hortandos vult ut impensas ad libros comparándos necessarias, B quantum in ipsis est, suppeditent.

### Caput VI.

*De operibus caritatis.*

Ecclesiam catholicam in suis etiam aerumnis et angustiis materna sollicitudine pauperibus sublevandis semper providisse nemo, nisi iustitiae et veritatis immemor, inficiari potest. Non enim nescit ecclesia pauperes a Christo paupere primos in regnum Dei vocatos fuisse et eminenti dignitate prae caeteris insignitos. Pauperes quippe, ecclesiae thesauri sunt, illosque expansis alis amanter tegit ac refovet. Unde iis omnibus benedicit quicumque pauperibus aliquatenus opitulati sunt, hospitia et omnimoda caritatis instituta creanda voluit; pauperem ipsum, qui latet et effugit, quaerendum iubet, et mirabili quodam caritatis ingenio, omnes quotidie excogitat et adhibet artes, quibus dolores aut C infortunia paupertatem consequentia subsidium accipiant et solamen.

Deo igitur misericordiarum patri gratias agentes, quod, hisce miserrimis temporibus, in nostris Galliis, dignatus sit, multiplicato caritatis ardore, ecclesiae filios adiuvare in afflictae matris solatium, pia instituta regulariter existentia sub variis denominationibus: *Societates videlicet caritatis, sancti Vincentii a Paulo, sancti Francisci Regis, Boni pastoris, Patrociniorum diversi generis a piis mulieribus assumptorum, Providentiarum in pauperes, in vinctos,* etc. iudicamus affectu paterno fovenda, atque sic utiliter distribuenda et moderanda, ut firmiter stabilita subsistant in solamen pauperum et in aedificationem animarum.

## TITULUS XI.

**De cultu divino.**

### Caput I.

*De reverentia servanda in cultus divini celebratione.*

*Paveant ad sanctuarium*[1] sacerdotes, ut videns eos populus paveat et ipse. „*Custodiant praecepta et caeremonias quas Deus mandavit ut faciant.*“[2]

Nihil unquam in sacris caeremoniis vel addatur, vel adimatur, vel immutetur: musicam minus gravem quae profanas resonaret cantilenas, a choro arceant parochi; nec aliud quidquam latina aut vernacula lingua in ecclesiis decantetur, nisi prius ab ordinario approbatum: ne quid forte contra fidem aut divini cultus decorem, vel per ignorantiam, vel per inconsideratam mentem irrepserit.

[1] Levit. XXVI, 2.
[2] Deuteron. VII, 11.

### Caput II.

*De sacra liturgia.*

Cum *legem credendi statuat lex supplicandi*[1], proindeque libri liturgici non minus doctrinae fontes sint quam pietatis, summopere optandum est, ut, quemadmodum per fidei unitatem miro splendore lucet ecclesia, ita per ritus et precum uniformitatem omnium oculis effulgeat. Ideoque, eamdem ac ecclesia Romana, omnium ecclesiarum magistra materque, fidem habentes, eamdem disciplinam et eumdem officii divini modum habeamus.

Renovantes igitur synodi Aquensis, anni millesimi quingentesimi octogesimi quinti decretum, quo, iuxta mentem concilii Tridentini et sancti Pii V constitutionem, praescripta fuere in tota provincia breviarium missaleque Romanum, haec statuenda iudicavimus:

Curent episcopi provinciae nostrae ut, pro opportunitate et sapientia sua, ritum Romanum in sua dioecesi, si forte alicubi non vigeat, introducant, illumque ab omni clero, sive in privatis, sive in publicis officiis servari iubeant, salvis tamen a sancta sede concessis vel concedendis.

### Caput III.

*De sacellis ruralibus.*

Nulla in vicis aut agris erigantur sacella, absque licentia episcopi. Quae autem iam erecta sunt, omnibus ad missae sacrificium decenter celebrandum requisitis instruantur. Parochi, inconsulto episcopo, sacramenta in sacellis administrare non praesumant, invigilentque ne desint ea quae ad congruentem eorum munditiem atque decentem ornatum pertinent.

### Caput IV.

*De sanctarum reliquiarum cultu.*

Sanctorum una cum Christo regnantium reliquiis cultum semper exhibuit ecclesia, et quidem a primaevis religionis christianae temporibus. Ideoque ut sacris hisce pignoribus debitus honor habeatur, iubet haec synodus, ut in theca decenti semper deponantur, nec unquam fidelium venerationi exponantur, neve in processionibus deferantur reliquiae quarum authenticitas episcopali approbatione non constiterit.

### Caput V.

*De pietate catholica erga defunctos.*

In mortuos producere lacrymas et quasi dira passos plorare, et non despicere sepulturam illorum nobis suadet scriptura divina[2], vultque ut iis „*qui cum pietate dormitionem*“ acceperunt opem feramus, dicens: „*Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis* D *exorare, ut a peccatis solvantur.*“[3]

Firma ergo fide tenentes quod „*catholica ecclesia, Spiritu sancto edocta, in sacris litteris et antiqua patrum traditione*“[4] docet, nempe: „*purgatorium esse; animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio iuvari,*“[5] fideles hortamur et enixe obsecramus, ut frequenter subveniant defunctis in Christo, nondum plene purgatis, per „*missarum sacrificia, orationes, eleemosynas*“, indulgentiarum applicationem[6], „*et per alia pietatis opera,*“[7] quae divina benignitas simul et

[1] S. Coelestinus, *Auctoritates de gratia*, n. 8. [Mansi, *Concil.*, IV, 461 D.]
[2] Eccli. XXXVIII, 16.
[3] II Machab. XII, 45, 46.
[4] Trid., sess. XXV, *de purgat.*
[5] Trid., ibidem.
[6] Ex bulla *Auctorem fidei*, prop. 42.
[7] Trid., ibidem; conc. Later. IV.

mortuorum refrigeria et dulcia voluit esse vivorum A solatia.

Et si, pro ordine caritatis vel iustitiae, propinquorum, benefactorum et amicorum animabus sublevandis impensius studendum, non tamen dilectas solummodo animas Deo commendent recordantium et precantium affectus, sed pro sanctorum communionis iure et officio, omnes in christiana et catholica societate defuncti, precibus aliisque piis operibus iuventur; quod, sancto Augustino monente, „*etiam tacitis nominibus eorum, sub generali commemoratione suscipit ecclesia, ut quibus ad ista desunt, parentes, aut filii, aut quicunque cognati vel amici, ab una eis exhibeatur pia matre communi.*"[1]

Curent etiam episcopi „*ut quae pro fidelibus defunctis ex testatorum fundationibus*, vel oblationibus fidelium, *debentur, non perfunctorie, sed a sacerdotibus et ecclesiae ministris et aliis qui hoc praestare tenentur, diligenter et accurate persolvantur*"[2]. B

## Caput VI.

*De exuviis*[3] *et coemeteriorum cura.*

### § 1.

**De sepultura ecclesiastica.**

Pia mater ecclesia fidelium defunctorum exuvias ministerio sacerdotum sepulturae mandari curat. Sollicite igitur ii serventur ritus quos ipsa instituit.

In parentum solamen eas funerum pompas adhibeant, vel adhibitas non repellant, quae religiosum honorem defunctis praestant, nec sacris interdicuntur canonibus.

Feretris laicorum qui aliqua dignitate civili aut militari honestati fuerunt, eiusdem dignitatis insignia apponi possunt. Signa vero cuiuslibet societatis aut sodalitatis et praesertim ab ecclesia damnatae, ne ulli superponantur feretro omnino vetamus.

Meminerint parochi misericordia in pauperes C redimi peccata; et ideo quos parentes, propriis impensis, decenter humare non possunt, ipsi gratis ac honeste sepeliendos curent.

### § 2.

**Quibus deneganda est sepultura ecclesiastica.**

Denegetur sepultura ecclesiastica infidelibus et nominatim excommunicatis.

Denegetur etiam publicis haereticis, schismaticis, apostatis a fide; iis qui, ex professo, fidem catholicam, sive scriptis, sive publicis disceptationibus impugnant; concubinariis manifestis, nisi dederint signa poenitentiae; iis qui, in conflictu duelli, vel in actu evidenter criminoso periere; his qui, rationis compotes, sibimet mortem intulerunt; iis tandem qui, impie et coram testibus, extrema ecclesiae sacramenta repulerunt, non falsa praesumptione sanationis, sed fidei contemptu.

Quamvis ecclesiastica sepultura infantibus mortuis absque baptismo non sit concedenda, obtinere satagant parochi, ut non promiscui sepeliantur cum haereticis, vel manifeste criminosis, cum ipsi sint filii catholicorum, ac nonnisi negative infideles.

### § 3.

**De coemeteriorum cura.**

„*Curet episcopus diligenter, ut coemeteria ita* muro ianuisque muniantur, *ut ingressus bestiis occludatur, neque per illa accessus et transitus sit ad profanas res.*"[4] Custodiantur a sordibus et vepribus, crucemque in medio habeant firmiter erectam.

[1] *De cura pro mortuis,* c. 4 [opp. s. Aug., ed Bened., VI, 519 F].

[2] Trid., ibidem.

[3] De exequiis *Coll. Lacensis.*

[4] Conc. Aquense anno 1585. [Mansi, *Concil.*, XXXIV, 994 A.]

## TITULUS XII.

## Caput I.

*Super temporali Romani pontificis ditione, votum et declaratio.*

Procellarum autem non immemores quae in sanctam Petri sedem, ex perditorum hominum malitia et impietate, nuper irruerunt; omni vero laetitia nunc exsultantes quod catholicarum gentium ope, maximeque Francorum armis, summi pontificis tanta cum laude regnantis restituta fuerit ditio temporalis; illos non possumus debito stigmate non notare, totisque viribus reprobare et condemnare qui potestatem hanc, divino nutu, tam legitime acquisitam, per tot secula possessam atque servatam, omnium gentium praesertim catholicarum diuturna veneratione consecratam, tamque demum ad universae societatis christianae bonum omni ex B parte conducibilem, et imprimis ad tutum, liberum et expeditum muneris apostolici exercitium nedum utilem, sed et pro temporum et circumstantiarum ratione necessariam[1], verbis, scriptis, aliisve magis etiam infandis artibus, attentarunt aut unquam posthac attentare praesumerent.

Declaramus igitur sacrum illud sanctae sedis dominium temporale non posse sine detestando sacrilegio „*invadi, rapi, ad saecularia revocari*"[2], et ab iis qui id nefarie molirentur, incurrendas esse poenas iure decretas ac determinatas.

Immota igitur stet desideranda illa summorum pontificum potestas, et labentibus usque seculis illaesa semper praefulgeat quae, Domino providente, olim a patribus nostris adaucta et defensa, hodiernis etiam victoriis mirabiliter instaurata cernitur, et quam divinitus confirmatam obsignatamque laetamur.

Haec nobis maxime sunt in votis; haec a Deo C optimo maximo, unanimi corde instantes, petimus et imploramus; haecque per Christum in ecclesiae tutamen et decus perpetuum impetranda summopere confidimus.

## Caput II.

*Votum de immaculata conceptione definienda.*

Cum dignitas beatissimae Virginis matris, in laudem et gloriam Filii sui omnipotentis Dei proxime redundet, dubium non est quin Virginis cultum maiori devotione foventibus, uberiora potioraque dona conferat ille, qui ab aeterno genitus, eam sibi, caro factus, in habitationem elegit, matremque consecravit. Orbis christiani pietas, a multis iam seculis, celeberrimam habet conceptionis Virginis sanctissimae diem. Omnes nunc, unanimi ore, conclamant Mariam ab originali labe fuisse praeservatam, Deumque, praeveniente et operante gratia singulari, sublimiori sanctificationis privilegio, illam D redemisse. Unde, uberrimos salutis fructus sibi sperant obventuros, si tam excelsum et mirabile privilegium, speciali sententia, ab apostolica auctoritate definiatur. Nos igitur, circumstantiis mature perpensis, cum olim agitata iamdiu corruerint dissidia, cumque doctrinam hanc nutriendae augendaeque pietati plurimum profuturam censeamus, ad gloriam omnipotentis Dei, ad maiorem beatae Mariae virginis laudem, ad fidelium aedificationem, totiusque christianae reipublicae felicitatem et pacem, humiliter a summo pontifice nostro Pio exposcimus, ut pro suo erga beatissimam Virginem devoto affectu, illam ab omni peccato originali prorsus immunem, sanctamque et immaculatam semper fuisse, solemniter declaret et definiat.[1]

Quod autem iam antea unusquisque sua in dioecesi episcopus provinciae nostrae votum ex-

[1] Pius IX.

[2] Idem.

presserat, atque litteris ad sanctam sedem detulerat, A solemnius nunc atque una voce, de novo exprimendum censuit Aquensis haec synodus.

### Caput III.

*Consecratio totius Aquensis provinciae cordi sacratissimo semperque adorando domini nostri Iesu Christi; nec non cordi beatissimo semperque immaculato Dei genitricis Mariae.*

Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, ut ostenderet abundantes gratiae suae divitias, cor dilectissimi Filii sui salvatoris nostri Iesu Christi in nos peramanter inclinavit, ex quo immensae caritatis fluenta in sitientes animas nostras dimanarent.

Cor igitur illud, in quo sibi Pater bene complacuit, cor angelorum delicias et tamen in terris attritum propter scelera nostra, laudamus, benedicimus, adoramus et omni gloria et honore di- B gnissimum proclamamus.

Cor vero nostri sic amantissimum, et in nos tum in cruce, tum in sancta eucharistia tam abunde profusum omni amore redamantes, necnon, pro tot et tantis iniuriis, quibus lacessitur, satisfacere cupientes:

Nos, Petrus-Maria-Iosephus Darcimoles, archiepiscopus Aquensis, Arelatensis et Ebredunensis, de consilio et assensu illustrissimorum ac reverendissimorum dominorum in Christo fratrum et comprovincialium nostrorum episcoporum,

Caroli-Iosephi-Eugenii de Mazenod, Massiliensis,
Xaverii-Tussani-Raphaelis Casanelli de Istria, Adiacensis,
Ioannis-Irenaei Depery, Vapincensis,
Casimiri-Alexii-Iosephi Wicart, Foroiuliensis,
Ludovici-Antonii-Augustini Pavy, Algeriensis,
Mariae-Iuliani Meirieu, Diniensis, C

Huic sacratissimo cordi nos ipsos dioecesesque nostrarum clerum atque fideles dicamus, devovemus et in perpetuum consecramus; humiliter exorantes ut nos et nostra contra adversa omnia tueri dignetur, ut dubios confirmet, debiles reficiat, devios ad se reducat, dolentes consoletur, morientes abscondat in se, et regni coelestis efficiat participes in aeternum.

Cum vero ad cor Iesu non tutior pateat aditus quam cor Mariae immaculatum, per matrem ad filium confugimus, ut meritis sanctissimi cordis genitricis Dei, quae et mater nostra est, in intima cordis filii penetralia feliciter perducamur.

Ideoque nos omnes totamque provinciam beatissimo cordi Mariae affectu filiali etiam in perpetuum consecra[illegible].

*Decretum de indictione futuri concilii provincialis.*

Nos, Petrus-Maria-Iosephus Darcimoles, archiepiscopus Aquensis, Arelatensis et Ebredunensis, de consilio et consensu reverendissimorum dominorum episcoporum comprovincialium, proximum concilium provinciae Aquensis in ipsa nostra ecclesia metropolitana, elapso post approbata a summo pontifice huius concilii decreta triennio, celebrandum iam denuntiamus et indicimus omnibus qui praesentes adesse debent.

*Decretum de fine concilii.*

Cum absoluta sint quae, pro temporis ratione, agi gerique posse videbantur, cumque pastoralis cura reverendissimos dominos episcopos qui huic synodo interfuerunt et intersunt, ad ecclesiarum suarum pastorales vigilias revocet, propterea huic concilio finem imponendum censuimus et imponimus.

### TESTES SYNODALES.

Pro Aquensi archidioecesi: dominus Antonius-Natalis Reynaud, canonicus theologus.

Pro dioecesi Massiliensi: dominus Marcus Cailhol, canonicus.

Pro dioecesi Adiacensi: dominus Modestus Ronziconi, canonicus.

Pro dioecesi Vapincensi: dominus Claudius-Iulius-Iacobus-Achilles Joubert, canonicus.

Pro dioecesi Foroiuliensi: dominus Ioannes-Franciscus Isnard, canonicus.

Pro dioecesi Algeriensi: dominus Ioannes Plasse, canonicus.

Pro dioecesi Diniensi: dominus Hieronymus Bondil, canonicus theologus.

### SUBSCRIPTIONES EPISCOPORUM.

Nos, Petrus-Maria-Iosephus Darcimoles, archiepiscopus Aquensis, Arelatensis et Ebredunensis, de consensu et assensu coepiscoporum nostrorum haec decreta a nobis definita subscripsimus.

† P.-M.-Josephus, archiepiscopus Aquensis, Arelatensis et Ebredunensis.

† C.-I.-Eugenius, episcopus Massiliensis, subscripsi.

† X.-T.-Raphael, episcopus Adiacensis, subscripsi.

† I.-Irenaeus, episcopus Vapincensis, subscripsi.

† Casimirus-Alexius-Iosephus, episcopus Foroiuliensis, subscripsi.

† Ludovicus-Antonius-Augustinus, episcopus Algeriensis, subscripsi.

† Maria-Iulianus, episcopus Diniensis, subscripsi.

## ACTA CONCILII.

In nomine Domini nostri Iesu Christi. Amen. D

Anno a nativitate Domini 1850, die vero septembris septima, iam in Aquensem civitatem convenerant quicumque per litteras diei 24 iunii ab illustrissimo ac reverendissimo domino P.-M.-Iosepho Darcimoles, Aquensi archiepiscopo, ad celebrandum concilium provinciale indictum ad diem septembris octavam, festum nativitatis beatae Mariae virginis, convocati fuerant.

Aderant itaque:

Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus Petrus-Maria-Iosephus Darcimoles, Aquensis archiepiscopus, cum dominis Raynaud et Rondon canonicis, Aquensis capituli legatis, et dominis Ginoulhiac, Pasquier et Mille, vicariis generalibus, atque dominis Reynaud, archipresbytero, et Thaneron, facultatis theologiae decano, archiepiscopi theologis;

Illustrissimus dominus dominus Carolus-Iosephus-Eugenius de Mazenod, Massiliensis episcopus, quem comitabantur domini Jeancard, vicarius generalis, et Guien, canonicus, legati capituli, atque domini Tempier, vicarius generalis, et Bicheron, canonicus, theologi;

Illustrissimus dominus dominus Xaverius-Tussanus-Raphael Casanelli de Istria, Adiacensis episcopus, quem secuti erant dominus Ronziconi, canonicus, legatus capituli, et domini Sarrabayrouze, Magnan, Chevalier, vicarii generales, theologi;

Illustrissimus dominus dominus Ioannes-Irenaeus Depery, Vapincensis episcopus, cum canonicis dominis Julien et Lépine, legatis capituli, atque theologis Chabrand, vicario generali, Blanchard, canonico, Joubert, seminarii professore;

Illustrissimus dominus dominus Casimirus-Alexius-Iosephus Wicart, Foroiuliensis episcopus, cum

canonicis dominis Isnard et Muraire, legatis capituli, atque theologis dominis Pons, vicario generali, et Infernet, seminarii moderatore;

Illustrissimus dominus dominus Ludovicus-Antonius-Augustus Pavy, episcopus Algeriensis, cum canonicis Pelletan et Plasse, legatis capituli, atque theologis dominis Girard, canonico, maioris seminarii moderatore, Compte-Calix, minoris seminarii superiore, et reverendo patre Jordan, praeposito Iesuitis Algeriensibus;

Illustrissimus dominus dominus Maria-Iulianus Meirieu, Diniensis episcopus, cum domino Bondil, canonico, capituli legato, et theologis dominis Jordany, canonico, et Denis, seminarii moderatore;

Reverendus pater Regis, abbas monasterii Trapistarum Stahueli in Algeria.

Praeterea, e domibus religiosis: dominus Malègue, seminarii praefectus; pater Martinus, e societate Iesu; pater Courtès, missionariorum superior; pater Laurent, Capucinorum provincialis.

Invitati tandem aderant illustrissimi ac reverendissimi domini domini Ioannes-Maria-Mathias Debelay, archiepiscopus Avenionensis; Franciscus Cart, episcopus Nemausensis; illustrissimus dominus dominus Ioannes Guigue, Bytonensis apud Canadienses episcopus.

### CONGREGATIO GENERALIS PRIMA.

*7 septembris.*

Eadem ipsa die, septembris septima, circa secundam post meridiem horam, omnibus praedictis reverendissimis dominis dominis episcopis et venerabilibus viris in aedibus maioris seminarii congregatis, palam ab illustrissimo et reverendissimo domino domino archiepiscopo denuntiatus et recitatus est ordo singulorum quotidie concilii tempore agendorum, communi episcoporum sententia definitus atque statutus, prout hic legitur:

Hora quinta matutina, surgent omnes.

Hora quinta et semis, una et simul in sacello meditationi vacabunt in habitu chori.

Hora sexta, horas ibidem recitabunt.

Hora sexta et semis, sancto missae sacrificio intererunt, eodem in habitu.

Hora septima et semis, privatae congregationes cogentur.

Hora decima et semis, incipiet prandium post quod sanctum sacramentum adorabitur.

Hora duodecima et semis, vesperae recitabuntur.

Hora prima post meridiem, privatae congregationes.

Hora tertia, generales congregationes cogentur.

Hora sexta et semis, coena incipiet, quam sequetur sancti sacramenti adoratio.

Hora octava et semis, vespertina oratio recitabitur.

Hora nona, ibunt omnes cubitum.

Deinde, concilii patres septem privatas congregationes constituerunt, nimirum:

*1. Episcoporum,*

Praesidente archiepiscopo, secretariis dominis Jeancard et Infernet;

*2. De personis ecclesiasticis,*

constantem: illustrissimo reverendissimo domino domino de Mazenod, Massiliensi episcopo, praeside; domino Tempier, praesidis vicario; atque dominis Mille, Jeancard, Iulien, Infernet et Chevalier;

*3. De fide,*

constantem: illustrissimo ac reverendissimo domino domino Casanelli de Istria, Adiacensi episcopo, praeside; domino Sarrabayrouze, praesidis vicario; atque dominis Muraire, Reynaud, theologis, Blanchard, Lépine et P. Pierre;

*4. De erroribus,*

constantem: illustrissimo ac reverendissimo domino domino Depery, Vapincensi episcopo, praeside; domino Chabrand, praesidis vicario; atque dominis Reynaud, archipresbytero, Jordany, Isnard, Rondon et Joubert;

*5. De sacramentis, et pietatis caritatisque operibus,*

constantem: illustrissimo ac reverendissimo domino domino Wicart, Foroiuliensi episcopo, praeside; domino Pons, praesidis vicario; atque dominis Thaneron, Pelletan, Plasse, Denis, Guien et patre Laurent;

*6. De studiis,*

constantem: illustrissimo ac reverendissimo domino domino Pavy, episcopo Algeriensi, praeside; domino Girard, praesidis vicario; atque dominis Pasquier, Malègue, patre Jordan, Richeron, Compte-Calix et Ronziconi;

*7. De decretis,*

constantem: illustrissimo ac reverendissimo domino domino Meirieu, Diniensi episcopo, praeside; reverendo patre Regis, abbate Trappistarum, et reverendo patre Martin, praesidis vicariis; atque dominis Ginoulhiac, patre Lagier, patre Magnan et Bondil.

Officiales vero concilii designati sunt: promotor, dominus Ginoulhiac; promotoris vicem gerens: dominus Sarrabayrouze; secretarii concilii: domini Lépine et Compte-Calix; notarius concilii: dominus Bondil; magistri caeremoniarum: domini Jordany et Dessuches.

Tunc, silentio circa quae praefatis in congregationibus quisque dixerit vel opinatus fuerit omnibus iniuncto et ab omnibus recepto, statuitur ut venerabiles canonici et concilii theologi privatis quidem congregationibus veste talari et pallio induti, generalibus vero et sessionibus, ut solent in choro, intersint.

Postea, iam tunc declaratur quod si forte contigerit aliquos debito in loco non sedere, tum in congregationibus, tum in publicis sessionibus et caeremoniis, nulli propterea generetur praeiudicium, nullique novum ius acquiratur[1].

Tandem confirmatur indictio primae sessionis ad diem sequentem, septembris octavam.

Huic ut faveat Deus, pridianum non praetermittitur ieiunium.

### SESSIO PRIMA.

*8 septembris.*

Die septembris octava, dominica autem post pentecosten sexta decima, festo nativitatis gloriosissimae semperque virginis Mariae, iam a primo mane universa commovebatur et exsultabat Aquensis civitas, quo ex agris et pagis viciniisque imo longinquis urbibus ingens et religiosa multitudo confluxerat. Ne autem impedimento tanta populi frequentia foret, via ab archiepiscopi domo ad ecclesiam denso militum ordine erat circumsepta; armatique equites quatuor accersiti fuerant ad iter per civitatem pandendum. His ita compositis, et omnium animis exspectatione suspensis, incedere incipiunt equites, comitante non modica tubicinum et aeneatorum manu. Hos subsequuntur: praeter hastatum, ianitorem et ecclesiae ministros, magister caeremoniarum eiusque adiutor, thuriferarii, subdiaconus crucem parochialis ecclesiae Sanctissimi-

[1] Trid., sess. II. in fine.

Salvatoris ferens, acolytis, accensis lampadibus, comitatus, et pueri choro addicti. Tunc, longo duplicique ordine, progrediuntur clerici, provinciae sacerdotes, parochorum vicarii, ecclesiarumque rectores, superpelliceis induti, et ecclesiae metropolitanae cantores. Protinus, hora ferme octava, de archiepiscopali palatio, quo convenerant, solemniter procedunt: primo, episcoporum theologi et capitulorum legati, tunicellis lineis et epomidibus induti, secundum ordinem episcoporum suorum incedentes; deinde reverendus monachorum Africanorum archimandrita, mitra lanea et acupicta, pedo ligneo, et cruce pectorali itidem ex ligno spectabilis, cui socius monachus ampla laneaque veste amictus; postea reverendus Capucinorum provincialis. At Aquensi capitulo crux archiepiscopalis antefertur; ipsam sequuntur canonici titulares, quibus illud constat, rubris pluvialibus decorati. His succedunt, in habitu chori, invitati praesules, nempe Avenionensis archiepiscopus cui latera cingunt episcopus Nemausensis et episcopus Bytonensis. Tandem apparato splendidoque cultu progrediuntur illustrissimi et reverendissimi patres: episcopus Diniensis, episcopus Algeriensis, episcopus Foroiuliensis, episcopus Vapincensis, episcopus Adiacensis et episcopus Massiliensis, secundum ordinem consecrationis incedentes, mitris chlamydibusque aureis corusci et pedo innitentes pontificio. Singulis praeeunt duo clerici portantes insignia; itemque duo cuique assistunt de suis theologis vel capitulorum legatis. Postremo, sex clericis insignia praeferentibus, duobus subdiaconis duobusque diaconis praecedentibus, medius inter duos archipresbyteros pluvialibus indutos, religiosum agmen claudit illustrissimus et reverendissimus Aquensis archiepiscopus, vestimentis pontificalibus amictus, fulgente chlamyde, mitraque pretiosa insignis, et pedum pastorale sinistra tenens, pone quem aliquot ministri.

Non autem via breviore pergunt in ecclesiam, sed, tum ad favendum piis plurium desideriis, tum ad augendam solemnitatem, longo habitu [1] circumflectentes, per vias Adansonis, seminarii et trium Ulmorum, et per plateam beatae Magdalenes, descendunt infra curiam, inde reversuri per vias Sancti-Spiritus, Officialis et Aurificum, per forum Olitorium, turrim et viam maioris Horologii et plateam Universitatis. Interea, sanctorum litaniae decantantur, identidem succinente militarium musicorum choro. Quacumque transeunt denso concursu circumfunduntur: in plateis autem et biviis ingeminant multitudinis undae. Avide quippe exquirunt et religiose contemplantur universorum oculi selectum totius provinciae clerum, at illos in primis episcopos, quantum dignitate eminentes, tantum meritis praestantes, tot antiquarum et insignium ecclesiarum onera portantes, tot populorum saluti invigilantes, tot homines, moribus et lingua, studiis et cultu diversos, ultra citraque mare, ab Alpium verticibus ad Atlantem, ab algidis Druentiae fontibus usque ad sitientes Numidiae plagas, caritate et sollicitudine complectentes, et in quibus cernitur Hippo regius cum urbe Sextii religione devinctus, Africa denuo cum Gallia arcta piaque societate coniuncta: dignum cui de coelo Augustinus et Caesarius arrideant spectaculum.

Accedentibus ad ecclesiam episcopis, cohortis milites in laevam arma sustollunt, et classica bellica festive clangunt. Ex quo vero ecclesiae limen crux transmiserat, grandiore voce insonabant organa, immenso reboante templo. Iam illuc spectabiliores civitatis aliorumque locorum homines concurrerant, inter quos cernere erat praefectum regionis Rhodani ostiis adiacentis, ipsius vicem fungentes Aquis et Arelate, magistratum urbi praepositum cum sociis, consiliarios municipales, multos maiores praesidii duces, duos e legatis ad nationis comitia a populo missis. Hi sedes congruas occupabant; reliqua autem ecclesia innumero concursu replebatur, excepta chori parte ad concilium reservata.

Illic pridie, ex utroque latere, sedium ordines, ab altari ad populum porrecti, parati fuerant, quorum in primo seu interiore, cathedrae, cum pluteis de more ornatis, instructae fuerant, ut sedere et orare commode possent episcopi. Ad has accedunt venerabiles praesules easque occupant, ita ut digniores altari sint viciniores. Iuxta illos, at aliquanto post, sedent qui ipsis assistunt; ante autem stant insignia portantes, intermedio inter utrumque ordinem interiorem spatio vacante ut pateat ad altare aditus. In eodem ordine, at populo propiores sedent metropolitani canonici; in aliis autem, itidem pro dignitatis ratione, capitulorum legati et episcoporum theologi. Tribus invitatis antistitibus locus decens in angulo sinistro paratus fuerat. Coetum synodalem a laicis sacerdotes et clerici dividunt.

Omnibus ita locum suum occupantibus, simul atque reverendus archiepiscopus ad gradus altaris advenit, sanctorum litaniae per cantum *Agnus Dei* concluduntur.

Tunc ad thronum accedit pontifex; et pluviali deposito, sumptisque tunicellis, casula et pallio, ritu solemni missam de Spiritu sancto incipit. Post evangelium, liber osculandus ad episcopos et ad archimandritam a subdiacono defertur, qui subinde a diacono thure honorantur. Ad offertorium autem hic honor illis a duobus assistentibus exhibetur. Dum elevatur et adoratur sacra victima, *O salutaris hostia* modis musicis a pueris cantatur, concinentibus organis, chori cantoribus et ophicleide. Post *Agnus Dei* episcopus antiquior, a magistro caeremoniarum ductus, osculum pacis a celebrante accipit et ad collegas suos defert. Eodem modo pacem, quam a celebrante accepit, decanus canonicorum metropolitanorum caeteris affert. Sumptis a pontifice corpore et sanguine Christi, ad coeleste epulum ordine accedunt episcopi; tum, recitato per diaconum *Confiteor*, altaris ministri et omnes ad concilium vocati.

Missa peracta, in medio super thronum evangeliorum liber ponitur, et crux archiepiscopo obversa erigitur.

Interea pontifex exuit pallium, casulam, manipulum et tunicellas, indutusque pluviali et mitra pretiosa baculumque pastoralem manu ferens, accedit coram altari, ipsum associantibus ministris et archipresbyteris, indutis ut prius.

Tunc, mitris depositis, concilii patres cum omni consessu genua flectunt. Diacono vero inclamante *Orate*, aliquantum orant. Inde archiepiscopus incipit, schola prosequente, antiphonam *Exaudi nos Domine*, etc., quam excipit psalmus LXVIII *Salvum me fac, Deus*. Quoad cantatur, episcopi sedent mitra tecti.

Finito psalmo et recantata antiphona, episcopi, deposita mitra, surgunt; et archiepiscopus, ad altare versus, dicit: *Adsumus, Domine, sancte Spiritus* et reliqua ut in pontificali; responsoque *Amen* ab omnibus, recitat orationem *Omnipotens sempiterne Deus* et reliqua ut ibidem. Qua finita, episcopi, mitris acceptis, genua submittunt, caeteris pariter genuflectentibus: et litaniae cantantur. Post haec verba *Ut omnibus fidelibus defunctis* etc., archiepiscopus surgit, et baculum pastoralem sinistra

[1] Fortasse *ambitu*.

tenens, versus ad synodum dicit: *Ut hanc praesentem synodum visitare, disponere et benedicere digneris*, simulque dextra signum crucis super omnes producit. Quo facto, iterum procumbit, cantoribus litanias perficientibus.

Litaniis expletis, surgunt omnes; episcopi mitras deponunt, et praeses ad altare se vertit, ad dicendum orationem *Da, quaesumus*, etc. Qua recitata, rursus sedent omnes; et, incenso a praeside in thuribulum de more immisso, cantatur a diacono, ritu solemni, evangelium secundum Lucam, c. IX: *In illo tempore, convocatis Iesus duodecim apostolis*, etc. Quo finito, liber a subdiacono primum praesidi, deinde episcopis et archimandritae osculandus offertur, quos postmodum thure honorat diaconus. Tum patres et omnis consessus genua flectunt: praeses vero incipit hymnum *Veni creator*, etc. Finito primo versu, surgunt omnes et stant conversi ad altare. Expleto hymno, patres, mitra accepta, aliique omnes sedent, quos praeses sic statim alloquitur:

*Venerabiles consacerdotes et patres carissimi*, et reliqua ut in pontificali.

Postea, illustrissimus archiepiscopus, comitantibus duobus archipresbyteris, accedit ad ingressum chori, et, de suggestu ibi parato, concionem habet, in qua, actis Deo gratiis de libertate ecclesiae reddita ad celebranda concilia, tam diu potestatum invidia intermissa, luculenter ostendit hoc esse proprium et inhaerens ius ecclesiae, ut, quoties expedit, illius pontifices congregentur, quo de re christiana agant inter se. Duo nempe esse, iuxta sanam avitamque doctrinam, quibus mundus hic regitur: auctoritatem sacram pontificum et civilem potestatem, quarum utraque suprema et suos intra limites independens. Ad conciliorum utilitates postea deveniens, illa remis aequiparat quibus procellosum mare sulcans ecclesiae navicula, scopulos transmittit, freta aestuantia traiicit, et ad portum voluntatis eius illaesa tandem appellit. Trifariam autem ecclesiae prodesse concilia demonstrat: primum arctioribus vinculis episcopos et sacerdotes devinciendo, cum inter se, tum praesertim cum Petri successore et vicario Christi, Romano pontifice; deinde pastorum zelum fovendo et accendendo, ut gregis bono modis omnibus consulant, adversus universa mala remedia parent, atque cunctis calamitatibus refugium, cunctisque infirmitatibus auxilium praebeant; tandem zizaniam de patrisfamilias agro eradicando, errores repullulantes eruendo et profligando. Quae cuncta, de quibus rebus agendo, quantum in se erit, Deo favente et opitulante, praestare intendat Aquense provinciale concilium, illustrissimus pontifex facunde perstringit.

Absoluta concione, reversoque praeside et in plano altaris sedente, promotor, qui cum vicario suo sedebat iuxta infimum altaris gradum ab evangelii latere, surgens, instat et requirit ut illustrissimus et reverendissimus dominus archipraesul, reverendissimique concilii patres declarent concilium hac ipsa die incipere et iam inceptum esse. Tunc decretum promulgandum *de aperienda synodo*, de manu praesidis acceptum, legit secretarius; rogatoque archipraesulis et reverendissimorum episcoporum consensu, decernit praeses initium concilii provincialis fieri et iam factum esse.

Inde, praeses incipit hymnum *Te Deum;* quo expleto, promulgatur decretum *de modo vivendi in concilio;* quod excipit lectio decreti *de nominandis episcopis*. His peractis, eodem modo quo supra, promulgatur decretum *de professione fidei*. Deinde, lecta forma professionis fidei a Pio IV edita, archipraesul, reverendissimi episcopi, dextra libro evangeliorum superposita, iurant, itemque ex ordine, canonici ecclesiae metropolitanae, capitulorum legati, et episcoporum theologi. Post iuramentum, indicitur sessio secunda, archiepiscopus solemniter benedicit, et indulgentia quadraginta dierum publicatur.

Tunc patres concilii, quo ordine ad metropolitanam ecclesiam accesserant, eodem, per archiepiscopale palatium, revertuntur, stipati militibus immensaque turba, et, transacto iam meridie, in sacellum seminarii ingrediuntur, ante ianuam tubis et aeneis instrumentis sonantibus.

*9 septembris.*

Post diem septembris 8, quotidie, dominicis diebus exceptis, missam synodalem ex episcopis uno celebrante, caeteri patres et ad concilium vocati sacram eucharistiam percipiunt.

Nona die septembris, missa synodali a domino de Mazenod celebrata, incipiunt, horis ab initio praefixis, privatae congregationes, de personis ecclesiasticis, de fide, de erroribus, de sacramentis et piis operibus, de studiis, ut supra dictum est constitutae, quibus praesunt singulatim episcopi, tunica linea, epomide et stola induti. In his, tractandae quaestiones perpendi et agitari incipiunt: ibique digeruntur decreta quae ad reverendissimos episcopos deferantur, ab ipsis examinanda et perficienda.

*10 septembris.*

Die septembris decima, missa synodalis a domino Casanelli de Istria celebratur. Privatae congregationes, ut pridie, habentur. Praeterea, incipit congregatio episcoporum, in qua primo retractantur decreta in aliis elaborata: item congregatio de decretis, in qua expenduntur decreta iam ab episcopis excussa, et unde ad illos referuntur recognoscenda, antequam in congregatione generali legantur.

*11 septembris.*

Die undecima, missam synodalem dominus Depery celebrat. Ante et post meridiem, privatae congregationes omnes habentur; deinde vero, congregatio generalis secunda cogitur.

CONGREGATIO GENERALIS SECUNDA.

In hoc generali conventu et sequentibus, decreta, iam iterum ab episcopis recognita, expendenda sunt et excutienda, ut ad episcopos remittantur, et ab illis tertium recognita definiantur.

Hora ergo tertia, omnibus in aula seminarii praecipua congregatis, recitataque ab illustrissimo Aquensi archiepiscopo oratione *Adsumus, Domine, sancte Spiritus, adsumus*, etc., principe in loco, cruce coram erecta, sedet reverendissimus praeses, tunica linea, epomide et stola indutus, in hemicyclium ipsi assidentibus: a dextris quidem reverendissimis Massiliae, Vapinci et Algeriae episcopis, similiter indutis, necnon reverendo Stahuelitarum monachorum archimandrita; a sinistris autem, reverendissimis Adiacii, Foroiulii et Diniae episcopis. Deinde, iuxta reverendissimum archimandritam, sedent promotor et eius vicem fungens; tum notarius ad unam mensam, e regione vero duo concilii secretarii ad alteram; tandem, circa reliquam aulam, canonici et theologi.

Tunc surgit promotor, et, more solito, instat ut legatur propositum decretum *de professione fidei* in posterum exigenda. Quo perlecto, monet astantes reverendissimus archiepiscopus omnibus iam esse et in futuris generalibus congregationibus similiter fore copiam loquendi, interrogandi, disquirendi et disputandi circa decreta, sua quaque privata congregatione per quos elegerit explanante vel propugnante. Protinus, disquiritur quinam censendi sint *novi concionatores*, qui ex decreto ad professionem

fidei adigendi sunt; et utrum excipiendi sint sacerdotes religiosi, qui quotannis istam professionem in manibus superiorum suorum renovant.

Deinde, eodem modo ac supra, rogante promotore, leguntur decreta in quibus declaratur: 1. ecclesiae constitutionem divinam esse et immutabilem, utpote ab ipso Christo immediate institutam et determinatam; 2. nec a populo christiano, nec a principibus potestatem ecclesiasticam esse mutuatam. Sequitur, ut superius, disquisitio.

Tandem legitur decretum de episcoporum auctoritate, quod item subsequitur disquisitio.

*12 septembris.*

Die septembris duodecima, missam synodalem celebrat dominus Wicart. Hora ante et post meridiem statа, habentur privatae congregationes, deinde congregatio generalis.

CONGREGATIO GENERALIS TERTIA.

Hora post meridiem tertia, congregatis, ut pridie, patribus, et oratione *Adsumus*, etc. recitata, refert illustrissimus archiepiscopus concilii Aquensis anni 1585 decretum, quo a regularibus omnibus professio fidei indiscriminatim, cum in dioecesim praedicaturi veniunt, exigitur. Haec sunt concilii verba: „Neminem etiam regularem, ne in sui quidem ordinis ecclesia concionari permittat episcopus, antequam sibi aut eius vicario, ille quicumque concionaturus est, fidei professionem praestiterit. Ubi vero semel praestitit, non erit opus iterum ob eam causam eidem episcopo praestare; sed satis sit professionis ei eo nomine praestitae testimonium scriptum, atque obsignatum scriptum afferre et exhibere, quod illi gratis concedatur. Hoc idem intelligatur de confessariis.“ [1]

Deinde, more solito, leguntur decreta *de independentia potestatis ecclesiasticae, de subiecto huiusce potestatis*, et *de capitulis cathedralibus*.

Tunc quaeritur: 1. Nilne possint capitula intra dies octo ante vicarii nominationem?

Respondetur nihil posse; et ideo quam primum nominandum vicarium.

Deinde, disquiritur num ad capitula pertineant episcoporum vicarii generales, quamdiu suam tenent auctoritatem. Postquam ea de re aliquamdiu concertatum est, istud constare videtur: quosdam, ex peculiaribus statutis, canonicorum privilegiis donari, licet, iure communi, ad capitula non pertineant; insuper illis in Gallia, usu praesenti, primum post episcopos locum concedi.

*13 septembris.*

Die septembris tertia decima, missa synodali a domino Pavy celebrata, privatae congregationes ante et post meridiem habentur.

*14 septembris.*

Die septembris quarta decima, missa synodalis a domino Meirieu celebratur. Mane, hora septima et semis, incipiunt privatae congregationes, et ultra horam decimam protrahuntur. Post meridiem vero, simul omnes congregantur.

CONGREGATIO GENERALIS QUARTA.

*Pars prior.*

Hora post meridiem prima, congregatis patribus in aula maiore seminarii, recitata oratione synodali *Adsumus*, sedentibusque omnibus, ut supra, dominus archiepiscopus declarat voces *consultores sunt episcopi*, quae non legebantur in proposito decreto de canonicis, huic decreto insertum iri.

Postea, legit secundo secretarius decretum *de capitulis cathedralibus*. Super quo quaeritur utrum canonicis per substitutos officium suum interdum implere liceat necne. Censent patres concilii sufficiendo sibi canonicum titularem aut saltem honorarium, quibusdam in casibus, licere. Tunc integratur disputatio, in praecedente congregatione incepta, de capitulorum iuribus.

Absoluta disputatione, leguntur decretum propositum, *de suprema Romani pontificis in ecclesia auctoritate*, et *super ipsius temporali ditione declaratio*.

Deinde, promotor requirit ut legatur propositum decretum *de foro episcopali*. Annuit archiepiscopus. Legitque secretarius decretum, ex quo statuenda in unaquaque dioecesi officialitas constans officiali, duobus assessoribus (ad consilium tantum) et actuario. Illud vero decretum, aegre et invite ab iis quibus demandatum fuerat inceptum, et urgentibus episcopis excusum, simul atque lectum est impugnatur. Non admittendum officialitatis tribunal contendunt quidam, tum propter sacerdotum famam, quae, etsi non semper contaminaretur, non posset quin saltem obscuraretur, non solum per testium relationes et iudicium, sed per solam in iudicium vocationem; tum, propter forenses tricas et argutias, ad quas confugere solemne habent rei et quarum ope fucum faciunt damnationemque devitant; tum propter testimoniorum consequendorum difficultatem, cum testes nonnisi volentes advocari, nunquam autem cogi possint; nec aliunde nonnisi sub sigillo confessionis ad testificandum adducantur; hoc ipse iam est expertus. Tres enim tantum, officialis iure, sententias protulisse asserit, e quibus duae per appellationem infirmatae sunt.

Alius, quia honestorum laicorum iudicio, pariendo scandalo aptissimum, imo unice aptum videtur.

Alii plures, quia satius est sacerdotibus, episcopis suam causam committere, qui patres sunt et quibus paterne statuere atque indulgere licet, quam iudici, qui ex officio tenetur ad normam iuris immisericorditer decernere et penes quem non est legis rigorem inflectere.

Propter haec, ab omnibus singulatim interrogatis repellitur officialitas, uno excepto, cui officialitas, pluribus iudicibus constans, quibusdam in casibus profutura videtur, praesertim in amovendis, quando opus est, parochis, quibus ad episcopi nutum munus suum adimi non potest.

Hora cum sit quarta et quadrans, prorogatur congregatio in horam quintam.

*Pars altera.*

Repetitur congregatio generalis hora quinta. Recitata synodali oratione, surgit promotor et more solito requirit ab illustrissimi ac reverendissimi archiepiscopi et reverendissimorum patrum amplitudine ut legantur proposita monita ad scriptores qui res sive theologicas sive philosophicas tractant.

Annuente archiepiscopo, legit secretarius monita illa, instituiturque disputatio circa approbationem librorum poenasque in lecto decreto propositas. Ad licentiam vero ab ordinario petendam, contendit unus e theologis non esse constringendos quoslibet quoties typis aliquid mandant; praesertim quia saepe responsione prompta opus est, tum ad refutandos libellos diurnos, tum ad facta quaedam restituenda; praeterquam quod multos non iuvat agnosci. Respondet archiepiscopus agi tantum de illis qui se conscribendis diariis mancipant; aliunde licentiam semel tantum exigi, scilicet cum se huic scriptioni dare incipiunt.

Hora sexta et semis, solvitur congregatio.

[1] Aquense concilium anno 1585, *de concionibus*. [Mansi, *Concil.*, XXXIV, 979 E.]

*15 septembris.*

Die septembris quinta decima, dominica vero post pentecosten septima decima, missa synodalis nulla celebratur; abeunt enim concilii sacerdotes alii alio, per civitatem, ut sacra quique faciant.

CONGREGATIO GENERALIS QUINTA.

Eadem die, hora post meridiem tertia, incipit congregatio generalis quinta. Oratione *Adsumus* recitata, more solito, legitur propositum decretum *de episcoporum officiis.* Legitur etiam decretum *de quibusdam erroribus damnandis,* rationalismi nempe, etc., quod excipiunt graves doctaeque considerationes super proprio horumce errorum caractere.

Deinde, legitur decretum *de parochis et eorum residentia,* nec non *de verbi Dei praedicatione.*

Hora quarta et semis, discedit coetus in seminarii sacellum; ubi, posito super altare sanctissimo sacramento, et cantato hymno *Pange lingua* integro, solemniter episcopalique ritu reverendus archimandrita Stahueli astantibus benedicit. Hora quinta, in suum quisque conclavium se recipit.

SESSIO SECUNDA.

*16 septembris.*

Die septembris sexta decima, post meditationem et horas canonicas, omnes in aulam seminarii maiorem se conferunt. Ibi reverendissimi praesules et reverendus archimandrita pluvialia induunt, mitras et baculos pastorales accipiunt, et inde, praecedentibus acolytis cum lampadibus, clericis quibus mitras et baculos portare incumbit, theologis et canonicis ordinatim, suis quique capellanis stipati, in sacellum revertuntur. Ultimus vero, duos inter archipresbyteros pluvialibus indutos, incedit et intrat reverendissimus archiepiscopus, quem crucem et insignia portantes antecedunt.

In choro medio, ab altari ad cancellos, hinc atque hinc, ordine sedent illustrissimi antistites, digniores videlicet altari viciniores. Paulo post episcopos, sedent qui illis assistunt. Canonici vero et theologi chori sedilia occupant. Clericis autem mitram et baculos portantibus scamma ad cancellos parata sunt.

Mox missam sine cantu reverendus archiepiscopus incipit, ipsi archipresbyteris assistentibus. Lecto evangelio, missale ab altero archipresbyterorum reverendissimis episcopis et archimandritae deosculandum offertur. Ad *Agnus Dei,* singuli episcopi et archimandrita, osculum pacis ab archiepiscopo accepturi, ad altare ordine accedunt. Tunc praesules sacrum Christi corpus accipiunt; deinde, recitato *Confiteor,* caeteri.

Missa peracta, absque benedictione, cantatur antiphona „*Propitius esto*“, etc., praecinente archiepiscopo; deinde psalmus LXXVIII: „*Deus venerunt gentes,* etc.; post orationes *Nostrorum tibi, Domine,* etc.; *Mentibus nostris,* etc.; *Deus qui nos iustitiam loqui,*“ etc., ritu solemni a diacono cantatur evangelium secundum Lucam: „*Designavit Dominus et alios septuaginta duos,*“ etc.[1] Quo finito, liber osculandus singulis episcopis a subdiacono defertur, quos subinde thuribulo fumante honorat diaconus.

Tunc, omnibus genua submittentibus, illustrissimus praeses incipit hymnum *Veni creator Spiritus,* quem caeteri prosequuntur. Finito primo versu, surgunt omnes et stant ad altare conversi. Expleto A autem hymno cunctisque sedentibus, praeses allocutionem de libro legit. Qua perlecta, promotor ad reverendissimum praesidem et ad reverendissimos patres conversus, ait: „Illustrissime et reverendissime domine, reverendissimi patres, decreta in proximis congregationibus sancita et communi omnium patrum assensu comprobata in hac secunda synodi provincialis sessione edici ac promulgari, omni debita reverentia instantes requirimus.“

Respondet archiepiscopus: *legantur.*

Continuo, speciatim rogat promotor ut legatur decretum *de spectantibus ad doctrinam fidei,* et primo quidem quod circa professionem fidei in posterum exigendam statutum fuit. Idcirco, alter secretariorum, a magistro caeremoniarum ad praesidem ductus, decretum de manibus eius accipit, in suggestum ascendit, ibique, praemisso prooemio „*cum sancta catholica et apostolica fides,*“ etc., legit B caput „*Quoniam, ut ait apostolus, unus est Dominus*“ et reliqua.

His perlectis, et obtento de more patrum consensu, eodem modo a secretario leguntur quae de ecclesiae constitutione divina et immutabili, de potestate ecclesiastica, eaque potientibus, deque Romani pontificis et episcoporum auctoritate sancita sunt.

Quae postquam sibi placere declaratum est a patribus, leguntur etiam, ante singula rogante promotore, decreta contra hodiernos errores, rationalismum nempe, mythismum, etc., de iustitiae et caritatis officiis, monita ad scriptores qui res sive theologicas, sive philosophicas tractant, decretum de capitulis cathedralibus et decretum de episcoporum officiis.

His singulis assensu patrum, ut solet rogatorum, comprobatis, proponitur a secretario decretum de habenda sessione tertia, die vigesima prima mensis C septembris. Quo comprobato et publicato, requirit promotor ut omnibus in sessione praesenti peractis, secretarii unum plurave conficiant instrumenta. Quod se facturos spondent secretarii.

Sessionem concludit reverendus archiepiscopus astantibus benedicendo. Secretarius autem quadraginta dierum indulgentiam, omnibus qui secundae huic sessioni affuerunt a metropolitano concessam, denuntiat. Hora iam nona et semis, coetus in aulam seminarii maiorem ordinatim revertitur, ibique pluvialia exuunt reverendissimi episcopi.

Eadem die, post meridiem, ab hora prima ad quintam, privatae congregationes opus suum persequuntur.

*17 septembris.*

Die septembris septima decima, missa synodalis a domino Casanelli de Istria celebratur. Mane, ab D hora septima et semis post decimam usque; post meridiem autem, ab hora prima ad tertiam, privatae congregationes habentur; has congregatio generalis subsequitur.

CONGREGATIO GENERALIS SEXTA.

Hora post meridiem tertia, incipit, ut solet, congregatio.

Et primo quidem, rogante promotore, legitur decretum de societate tum domestica tum civili. Quo perlecto, animadvertit unus ex sacerdotibus concilii viri potestatem in uxorem non esse *plenam.* Plenam esse illam potestatem contendit alter, eamque regiae et pontificali auctoritati aequiparat. At parilitatem negat interesse qui sententia praeiverat: nam 1. certum est parem esse utriusque coniugis in alterius corpus potestatem; 2. mulier, etsi viro subdita, non tamen *serva* nec ministra illius habetur, sed *socia.* Vir autem, etsi caput sit mulieris,

[1] Luc. X, 1-9.

non tamen rex. Praecipua itaque pollet auctoritate, non vero tota, quia illius particeps est mulier.

Deinde, eodem modo rogante promotore, legitur decretum *de sacerdotii et imperii concordia*. In hoc plures censent definienda principum officia; illis nimirum religionem penes non habere nefas esse; verum ad illam, quantum ferunt tempora, fovendam et protegendam illos teneri; secum tamen hoc reputantes: principem externum episcopum esse, cuius est proinde canones defendere non autem condere; ad fores templi, districto gladio, stare, non autem sanctuarium, ad interni episcopi partes praeoccupandas, invadere [1].

Post haec legitur decretum *de cogendo concilio provinciali Aquensi, de synodo celebranda, de annuis spiritualibus sacerdotum exercitiis*; item votum *de immaculata conceptione definienda*; tandem decretum *de monialibus et de poenitentium confraternitatibus ac aliis piis sodalitatibus virorum ac mulierum*, necnon decretum *de sacellis ruralibus*.

Post horam quintam, abscedit coetus.

*18 septembris.*

Die septembris duodevicesima, missa synodalis a domino Depery celebratur. Ante et post meridiem, privatae congregationes habentur, aliquot exceptis quibus iam pensum peractum. Cum sit feria quarta quatuor temporum, prandium incipit hora undecima et semis. Post prandium, hora tertia et semis, incipit congregatio generalis.

CONGREGATIO GENERALIS SEPTIMA.

In hac congregatione, postulante modo solito promotore, relegitur decretum *de verbi Dei praedicatione*; postea leguntur decreta *de catechizandis pueris, de scholarum cura, de succursalium ecclesiarum rectoribus, de secundariis presbyteris, seu de parochorum vicariis*. Quibus auditis, auctor est unus e theologis concilii ut in proposito decreto *de verbi Dei praedicatione* moneantur sacerdotes ne illud imparati praedicent, alii autem ut arguantur qui „*turpe lucrum sectantur*".

Deinde, leguntur decreta *de sacramentis in genere*, tum *de baptismo, de confirmatione et de eucharistia*.

Hora quinta et semis, solvitur congregatio.

*19 septembris.*

Die septembris undevigesima, missa synodalis a domino Wicart celebratur; nonnullae privatae congregationes habentur; has excipit coetus generalis.

CONGREGATIO GENERALIS OCTAVA.

Hora post meridiem tertia, in aulam maiorem patres conveniunt.

Tunc, recitata de more oratione, rogat promotor ut legantur decreta *de poenitentiae sacramento, de extrema unctione, et de matrimonio*.

Quibus a secretario perlectis, assurgens dominus *** petit ut sibi liceat circa ea quae in praecedente congregatione expensa sunt unum adiicere. Advertit ergo, quod de missa parochiali dictum est, ad illam scilicet frequentandam „*non teneri fideles praecepto ecclesiastico*", non videri adeo necessarium, cum pastores illa monitione non indigeant, fideles vero concilii decreta non sint lecturi sed a pastoribus edocendi. Respondet archiepiscopus hoc non ob fideles tantum, sed ob pastores etiam dictum, quorum nonnulli monendi ne rigidius obligationem urgeant. Responso assentitur unus e theologis, monendosque censet et laicos, quia metuendum

A ne multi, ea de re, falsa laborent conscientia, et ita peccata multiplicentur. At alius reponit: a se, quantumvis doctum piumque theologum admiretur et revereatur, propius, ut sibi videtur, quae in parochiis aguntur conspici; iam nimio plus a laicis missam parochialem negligi; illos autem multo minus frequenter affuturos, si moneantur se, vi praecepti ecclesiastici, non teneri. Respondet patrum nomine reverendus archiepiscopus: missae parochialis utilitates populo diligenter exponendas, et fideles omnes ad illam enixe cohortandos esse. Ad hanc quidem, vi praecepti ecclesiastici neminem adigi; verum quamplures, Deo et natura iubente, compelli, illos nempe (quorum tantus numerus) qui religionis sunt inscii, nec alio pacto in hac erudiri valent.

Deinde dispicitur primo: utrum extrema unctio coniunctim cum eucharistia, an interiecto temporis B spatio, gravi morbo laborantibus sit ministranda; deinde utrum expediat [illam] priorem ab infirmis accipi. Aquis, Massiliae et Foroiulii, sive quia parochis ad aegrotos saepe difficilis est aditus, et longe difficilior futurus esset si disiungerentur sacramenta, praesertim si serius extrema unctio ministraretur, sive ad sacri viatici reverentiam, ambo simul ministrantur; et quidem extrema unctio prior. Diniae idem fit, sciente nec repugnante episcopo, quamvis aliud per statuta suadeatur. Attamen, quantumvis profuturum sit, attentis locorum et temporum difficultatibus, haec sacramenta praedicto ordine conferri, existimat dominus *** nihil ea de re a concilio praecipiendum, cum Romae contrarius usus vigeat.

Iuxta eumdem, statuendum esset semestre domicilium in parochia, quamvis alterius dioeceseos, sufficere, ut ibi celebranda matrimonia proclamentur. Quod ad ius spectat impedimenta statuendi C quae matrimonium dirimant, illud soli ecclesiae dominus *** vindicat, atque expresse vindicandum censet. At reponit alter theologus quidquid de illa quaestione sentiatur, cum adeo nubila sint tempora, seduloque praecavenda quaecumque procellas ciere possent, intempestivum fore decretum quo ius impedimenta matrimonium dirimentia statuendi civili potestati abiudicaretur. Insuper, in praesenti rerum conditione, perinde agendum ac si ius illud indubitatum esset; si enim, stantibus impedimentis civilibus, matrimonium in facie ecclesiae celebraretur, filii inde nascituri spurii a magistratu haberentur et iure filiorum frustrarentur.

His expositis, promotoris rogatu, leguntur decreta: *de pietate catholica erga defunctos; de exsequiis et coemeteriorum cura; de sanctorum reliquiarum cultu; de sede deque pietatis et caritatis operibus*, in quo speciatim *de missionibus et exercitiis spiritualibus* D *; de catechizandis pueris villicorum; de pia societate pro reparatione blasphemiarum et diei dominicae sanctificatione, deque consociatione Propagandae fidei* agitur.

Cum autem ex decreti verbis ab excipiendis confessionibus, missionum tempore, videantur penitus excludi parochi et consueti sacramenti poenitentiae administri, declarant patres hanc veram mentem esse suam, ut illi tunc ab audiendis poenitentibus qui solent illos frequentius adire sibi temperent.

Ad reparandas blasphemias, credit dominus *** novis consociationibus opus non esse, dummodo in his quae iam constitutae sunt orationes eo animo fiant. At alii autumant quamplurimos viros esse consociandos, qui sacramento se obligent ut a blasphemiis abstineant diesque dominicos rite colant.

Tandem, leguntur decreta *de capellanis et adiunctis presbyteris et de vita et honestate clericorum*. Venationem autem generatim vetitam audiens

unus ex sacerdotibus concilii, quaerit num venatio- A
nem quamlibet prohibere patres in animo habuerint. Respondetur: Eam tantum interdictum iri quae cum armorum strepitu fit. Dehinc quaeritur vetitane sit etiam piscatio. Respondetur: Minime.

Post horam quintam, discedit congregatio.

*20 septembris.*

Die septembris vigesima, feria sexta quatuor temporum, missa synodalis a domino Meirieu celebratur. Hora autem antemeridiana decima, congregatio generalis exorditur.

CONGREGATIO GENERALIS NONA.

*Pars prior.*

Recitata consueta oratione *Adsumus*, etc. dominus*** ad concilium sacerdotes in universum defert qui in concionando, metaphysica, philosophica, politica, quin etiam democratica evangelicis documentis B
intexunt; illosque congrua admonitione, decreto *de verbi Dei praedicatione*, iam antea congregationi generali proposito, inserenda, ad officium suum revocandos esse opinatur.

His dictis, roganteque promotore, leguntur a secretario decreta *de clericis educandis, de clericorum studiis, de seminariis minoribus* et *de seminariis maioribus*.

Hinc, unus e theologis haec Leonis X constitutionis in concilii Lateranensis V sessione octava promulgatae, verba laudat: „Insuper omnibus et singulis philosophis in universitatibus studiorum generalium, et alibi publice legentibus, districte praecipiendo mandamus, ut, cum philosophorum principia aut conclusiones, in quibus a recta fide deviare noscuntur, auditoribus suis legerint aut explanaverint (quale hoc est de animae mortalitate aut unitate et mundi aeternitate, ac alia huiusmodi), C
teneantur eisdem veritatem religionis christianae manifestam facere, et persuadendo pro posse docere: ac omni studio huiusmodi philosophorum argumenta, cum omnia solubilia existant, pro viribus excludere atque solvere:" capitque ad illorum normam, in decreto *de seminariis minoribus*, definiri officia quae philosophiae professoribus incumbunt imponendaque sunt.

Paulo ante meridiem, congregatio in coenaculum, ad corpora prandio recreanda, discedit.

*Pars altera.*

Hora quinta pomeridiana, in aulam congregatio generalis revertitur, ut circa decreta, mane iam proposita, inceptam disputationem persequatur. Nunc itaque agitur de anno studiis theologicis addendo, per quem, in ipso maiore seminario, adolescentes logicae peculiariter incumbant, argumentatione D
scholastica exerceantur, locos theologicos et scripturae sacrae prolegomena praelibent, tractatum de Deo et quosdam alios ediscant, et sic ad cursum theologicum ingrediendum se accingant. Super quo decreto, docta simul et accurata instituitur disceptatio.

Qua expleta, rogat promotor ut legatur decretum de studiis superioribus. Quo lecto, prosequitur secretarius, legitque decretum de scholis clericalibus et monita ad parentes et ludimagistros.

Recitantur etiam decreta *de collationibus ecclesiasticis, de examinibus a iunioribus sacerdotibus subeundis, de librorum bonorum propagatione et de bibliothecis parochialibus, de sacris ordinationibus, de reverentia servanda in cultus divini celebratione, de duello et iis qui sibi necem inferunt.*

Circa examen a iunioribus sacerdotibus subeundum, exposcit dominus*** ut serio, nec privatim sed coram pluribus theologis, quos episcopus elegerit, fiat; eique suffragantur alii. De libris autem variant sententiae: alii censent illos gratis esse dandos: alii, commodandos.

Post horam septimam, ad caenulam discedit congregatio.

SESSIO TERTIA.

*21 septembris.*

Die septembris vigesima prima, sabbato quatuor temporum, post meditationem, horae communiter non recitantur, sed absque mora ad aulam seminarii maiorem, universo comitante coetu, accedunt reverendissimi episcopi; indeque pretiosis vestibus induti, in sacellum, ut in die sexta decima, revertuntur, ubi, eodem ritu ac praefata die, re sacra per reverendum archiepiscopum peracta, ab omnibusque sanctissimo Christi corpore percepto, decantato postmodum psalmo LXXVIII cum orationibus: „*Ad te Domine*, etc.; *Omnipotens sempiterne Deus*, etc.; *Deus qui populis tuis*," etc., necnon evangelio secundum Matthaeum, „*Si peccaverit in te frater tuus*," etc.[1], et hymno *Veni creator*, etc.; postulat promotor, ut decreta, in proximis congregationibus sancita, in hac sessione promulgentur, cui petitioni annuit reverendus praeses.

Cum autem plura sint decreta quam ut ab uno recitentur; e suggestu, per partes, servatis quaecumque praescripta sunt, roganteque ante partes singulas promotore, a secretariis alternantibus leguntur:

Primo, decretum *de societate domestica et civili*, et *de sacerdotii cum imperio concordia*, super temporali Romani pontificis ditione votum et declaratio: decretum *de cogendo concilio provinciali Aquensi, de synodo celebranda et de annuis spiritualibus sacerdotum exercitiis;*

Secundo, decreta *de parochis et eorum residentia et de verbi Dei praedicatione, de succursalium ecclesiarum rectoribus, de secundariis presbyteris seu de parochorum vicariis, de capellanis et adiunctis presbyteris, de vita et honestate clericorum, de monialibus, de poenitentium confraternitatibus ac aliis piis virorum ac mulierum sodalitatibus;*

Tertio, decreta *de zelo, de missionibus et exercitiis spiritualibus, de catechizandis filiis villicorum, de pia societate pro reparatione blasphemiarum et diei dominicae sanctificatione, de librorum bonorum propagatione et de bibliothecis parochialibus, de operibus caritatis, de reverentia servanda in cultus divini celebratione, de sacellis ruralibus, de sanctorum reliquiarum cultu, de exsequiis et de coemeteriorum cura, de duello et iis qui sibi necem inferunt;*

Quarto, decreta *de eorum qui sacramenta ministrant obligationibus, de baptismo*, et *de confirmatione;* decretum *de eucharistia, quod circa missae sacrificium, eucharistiae cultum, communionem primam, paschalem et ultimam versatur;* et decreta *de poenitentia, de extrema unctione, de sacris ordinationibus, de matrimonio;*

Quinto, monita ad parentes et ludimagistros, et decreta *de clericis educandis, de scholis clericalibus, de clericorum studiis, de seminariis maioribus, de studiis superioribus, de collationibus ecclesiasticis*, et *de examinibus a iunioribus sacerdotibus subeundis.*

Perlectis autem singulis partibus, patres, ut solet, rogantur consensum, placereque sibi decreta denuntiant.

Postremo, modo solemni, per decretum a patribus comprobatum, indicitur sessio quarta in feriam

[1] Matth. XVIII, 15-22.

secundam, quae erit die 23 mensis septembris; caetera vero ut in fine secundae sessionis fiunt.

Paulo ante horam decimam, recedit coetus.

(In sacellum autem brevi cum suis reversus dominus de Masenod sacris operatur, et ad sacerdotium quidem Massilienses quinque et Aquenses sex promovet, ad diaconatum vero et subdiaconatum alios aliquot, inter quos nonnulli Minimi, quorum conventus Massiliae recens est restitutus.)

Post meridiem, congregatio episcoporum tantum ab hora quinta ad septimam habetur.

*22 septembris.*

Die septembris vigesima secunda, dominica post pentecosten octava decima, post orationem discedunt alio alii ad sacra facienda. Post meridiem, ab hora prima ad secundam, episcoporum habetur congregatio, quam sequitur congregatio generalis.

CONGREGATIO GENERALIS DECIMA.

Hora secunda pomeridiana, incipit congregatio. In hac legitur a secretario decretum de pietate catholica erga defunctos; et ab ipso promotore, catalogus quorumdam casuum, posthac in tota provincia Aquensi reservandorum et consecratio totius provinciae cordi sacratissimo Iesu et cordi immaculato Mariae. Dehinc reverendus archiepiscopus, praenuntiatis quae postero die sunt agenda, omnium qui concilio provinciali interfuerunt, studium, modestiam, pietatem patrum nomine laudibus effert. Transacta iam hora tertia, discedit coetus in sacellum, ubi, cantato hymno *Pange lingua* integro, ut dominica praecedente, reverendus Stahueli archimandrita omnibus solemniter altoque tono benedicit.

## SESSIO QUARTA.

*23 septembris.*

Die septembris vigesima tertia, meditatione et precibus expletis, paulo post horam septimam, reverendissimi patres cum universo comitatu, praecedentibus amplius ducentis presbyteris qui aliunde convenerant, de seminarii sacello egrediuntur; eodemque apparatu et ordine ac die mensis octava procedentes, eadem via nec minore celebritate, decantato interim hymno *Veni creator*, pergunt in basilicam Sancti Salvatoris, ubi per reverendissimum archiepiscopum res sacra de Spiritu sancto ritu solemni, ut in sessione prima, peragitur, cunctaeque synodo sacrosanctum Christi corpus praebetur.

Postquam autem diaconus inclamavit *Orate* et non nihil oraverunt omnes, cantatur psalmus LXXVIII *Deus venerunt gentes*, etc. cum antiphona *Propitius* et orationibus; deinde evangelium secundum Lucam *Designavit Dominus*, etc., eodem ritu ac in praecedentibus sessionibus; tandem hymnus *Veni creator*.

Quo finito lectaque de libro a reverendo archiepiscopo allocutione latina, rogat promotor ut nondum promulgata decreta legantur. Respondet reverendus archiepiscopus: *Legantur*.

Itaque, alter secretariorum, a primo caeremoniarum magistro ductus, a reverendo praeside accipit decreta, in suggestum ascendit, indeque legit decreta: *de catechizandis pueris, de scholarum cura, de aegrotantium cura, de consociatione Propagandae fidei, de sacra liturgia, de pietate catholica erga defunctos*, et votum *de immaculata conceptione definienda*.

His autem lectis, secretarius alius, a secundo caeremoniarum magistro ductus, patres modo solito consensum rogat, quo ad reverendissimum praesidem relato et ab ipso cum gratiarum actione excepto, omnes uno ore gratias Deo persolvunt. Tunc reverendus Massiliensis episcopus, mitra et pluviali indutus, in suggestum ascendit orationemque habet in qua conciliorum utilitatem (licet provinciales synodos non aeque ac olim necessarias ipse arbitretur) summam esse astruit; quantumque in moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, imo et populis e barbarie educendis et ad humaniorem cultum adducendis profuerint, commemorat, illustribusque confirmat exemplis. Hortatusque ut fiant obsecrationes, orationes et postulationes pro episcoporum patre et episcopo, Romano pontifice, pro venerando metropolitano et caeteris concilii patribus; ipse, synodi nomine, divina precatur beneficia eximiis sacerdotibus qui praesulum adiutores fuerunt in concilio; Aquensi civitati, patriae suae, cuius studia, cultum, urbanitatem et in primis religionem peramanter laudibus ornat; tum carae Massiliae suae; et Corsicae insulae et nobilissimae Africanae ecclesiae, et totius provinciae dioecesibus.

Orationem hanc excipit provinciae consecratio sacratissimo cordi Iesu et Mariae.

Continuo, promotor instat et requirit ut legantur decreta de eligendis testibus synodalibus et de nominatim vocandis reverendissimis episcopis. Itaque secretarius legit hoc decretum:

„Nos N... antiquum atque probatum de testibus synodalibus institutum secuti, ad hoc officium, de consilio et consensu reverendissimorum coepiscoporum nostrorum, deligimus, instituimus atque pronuntiamus hos quorum nomina sequuntur."

Pro Aquensi archidioecesi: dominus Antonius-Natalis Reynaud, canonicus theologus.

Pro dioecesi Massiliensi: dominus Marcus Cailhol, canonicus.

Pro Adiacensi dioecesi: dominus Modestus Ronziconi, canonicus.

Pro Vapincensi dioecesi: dominus Claudius-Iulius-Iacobus-Achilles Joubert, canonicus.

Pro Foroiuliensi dioecesi: dominus Ioannes-Franciscus Isnard, canonicus.

Pro Algeriensi dioecesi: dominus Ioannes Plasse, canonicus.

Pro Diniensi dioecesi: dominus Ludovicus-Hieronymus Bondil, canonicus theologus.

Tandem ecclesiasticae disciplinae legibus innixi, volumus ut reverendissimorum episcoporum et aliorum qui, de iure aut consuetudine huius provinciae, synodo interesse tenentur, vocentur nomina et contra absentes, qui legitime non comparuerunt, agatur et procedatur.

Quo decreto perlecto, nominatim vocantur episcopi singuli et archimandrita qui respondent: *Adsum*. Omittuntur vero alii. Statim ait promotor: Illustrissime et reverendissime domine, reverendissimi patres, cum haec synodalis actio ad finem iam perveniat, instamus et petimus, sicut sacris canonibus sancitum est, omnes episcopos ad hoc concilium vocatos, non prius discedere, quam omnia eius decreta sua manu subscripserint.

Secretarius autem de suggestu legit quod sequitur decretum:

„Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus Petrus-Maria-Iosephus Darcimoles, archiepiscopus Aquensis, Arelatensis et Ebredunensis, admonet reverendissimos patres omnes qui huic synodo iure intersunt et interfuerunt, ut post se, singuli, loco et ordine suo, ad altare accedant, et iis, quae in hac synodo decreta sunt, subscribant."

Quod cum de more rogati patres approbarunt, praeses, salutatis patribus, supra altare decretis subscribit. Sedente praeside, accedunt singulatim cum

sibi assistentibus episcopi, et salutato praeside sub- A scribunt.

Sedentibus omnibus, requirit promotor ut legatur decretum *de indictione futuri concilii provincialis.* Quo decreto lecto et a patribus, modo solito rogatis, comprobato; promotor ait: „Cum ea quae ad restitutionem et conservationem christianae disciplinae in ista provincia, pro huius temporis ratione, agenda videbantur, Deo auctore et adiutore confecta sint, et pastoralis cura reverendissimos episcopos qui huic synodo interfuerunt et intersunt, ad ecclesiarum suarum pastorales vigilias revocet: propterea, nos, huius concilii promotores, instamus atque petimus ut huic finem imponere et iam imponi decernatis."

Tunc alter secretariorum legit decretum *de fine concilii:* „Cum absoluta sint quae pro temporis ratione agi gerique posse videbantur, cumque pastoralis cura reverendissimos dominos episcopos qui huic B synodo interfuerunt et intersunt, ad ecclesiarum suarum pastorales vigilias revocet, propterea huic concilio finem imponendum censuimus et imponimus."

Postquam autem patres, ab alio secretario rogati, responderunt: *Placet;* praeses ait: *Decretum placuit patribus; itaque nos provinciali Aquensi concilio finem facimus et iam nunc factum esse decernimus.*

Protinus, archiepiscopus hymnum inchoat *Te Deum,* quem prosequuntur caeteri. Hymno finito, ab eodem recitatur oratio: *Nulla est, Domine, humanae conscientiae virtus,* etc. ut in pontificali libro.

Tunc firma resonaque voce de suggestu praecinente, vice secretarii, promotore, succinenteque miro concentu universo concilio, sequentes fiunt acclamationes:

*Secretarius:* Deo optimo maximo, in substantia uni, in personis trino, coeli et terrae creatori, honor C et gloria in saecula saeculorum.

*Respondetur:* Dignus es, domine Deus noster, accipere gloriam et honorem, quia cuncta, Pater, tua providentia gubernat.

*Secretarius:* Domino nostro Iesu Christo, Deo vivo et vero, hominum salvatori, regnum, gloria et benedictio.

*Respondetur:* Gentes accipiant haereditatem eius, reges Arabum et Saba dona adducant, dominetur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.

*Secretarius:* Sacratissimo et amantissimo cordi Iesu, vulnerato propter iniquitates nostras, attrito propter scelera nostra, fonti amoris et gratiarum inexhausto; laudemus illud in saecula.

*Respondetur:* Hauriant omnes sitientes aquas de fontibus Salvatoris, et dicant: Notas fecit Dominus adinventiones suas; cantemus Domino, quo- D niam magnifice fecit; laudemus et exultemus in eo.

*Secretarius:* Beatissimae virgini Mariae, sine labe originali conceptae; illibatae deiparae, vitae, spei, dulcedini nostrae; beatam dicant omnes generationes.

*Respondetur:* Dominare, o Maria, et loquere regi pro nobis et libera nos de morte.

*Secretarius:* Sanctis Lazaro, Marthae et Mariae Magdalenae, amicis et hospitibus Domini, provinciaeque patronis, laus sempiterna.

*Respondetur:* Qui habet amicum regem glorificabitur.

*Secretarius:* Sanctis Maximino, Trophimo, Marcellino, Victori, Euphrasio, Demetrio, Arnulpho, Leontio, Augustino, Domnino et Vincentio, patronis omnium provinciae dioeceseon; sit memoria eorum in benedictione.

*Respondetur:* Laudemus viros gloriosos et parentes nostros, qui in generatione gentis suae gloriam adepti sunt; filii eorum propter illos in aeternum maneant; semen eorum et gloria eorum non derelinquetur.

*Secretarius:* Memoriae tot sanctorum qui fidem vel plantaverunt, vel illustrarunt, scriptis, operibus aut fuso sanguine, tum in antiqua Provincia aut Delphinatus ditione, tum in insula Lirinensi, tum in insula Corsica, tum in ecclesia Africana, laus perpetua.

*Respondetur:* Nos tantam habentes impositam nobis nubem testium, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen; hi, testimonio fidei splendeant quasi stellae, in perpetuas aeternitates.

*Secretarius:* Beatissimo domino nostro Pio papae nono, vero Christi vicario, christianorum omnium patri et doctori, anni multi, obsequium universorum: pax urbi et orbi, et ecclesiae libertas.

*Respondetur:* Tribuat ei Dominus secundum cor eius et omne consilium eius confirmet; notam faciat filiis hominum magnificentiam regni sui.

*Secretarius:* Illustrissimo ac reverendissimo archiepiscopo Aquensi, Arelatensi et Ebredunensi, huius provincialis concilii praesidi, cum annis multis magnae gratiae.

*Respondetur:* Anni multi, magnae gratiae: Dominus retribuat, multiplicet fructum operum eius, eumque ecclesiae suae conservet.

*Secretarius:* Illustrissimis ac reverendissimis huius provinciae episcopis longa vita et felix ad ecclesias suas reditus.

*Respondetur:* Angelus Domini illos comitetur in via, et cum pace, salute et gaudio, ad sua suosque redeant: omnesque post triennium incolumes ad synodum reducat.

*Secretarius:* Omnibus deputatis et ordinibus qui ad concilium accesserunt, in Deo felicitas.

*Respondetur:* Prosperum iter faciat eis Deus salutarium nostrorum, et cum gratiarum actione petitiones eorum innotescant apud Deum.

*Secretarius:* Francorum populo qui Romanam ecclesiam, ut matrem filius, semper adamavit, protexit atque defendit, salus a Deo, honor et gratiarum actio.

*Respondetur:* Dominus diligat eum et protegat eum; mittat ei auxilium de sancto, et de Sion tueatur eum.

*Secretarius:* Clero et fidelibus provinciae Aquensis et universae christianae plebi, pax Christi aeterna.

*Respondetur:* Deducat eos Dominus per vias rectas; ostendat eis regnum suum et det illis gloriam sempiternam.

*Secretarius:* Urbi Aquensi, pacis et litterarum inclytae civitati, antiquae provinciae capiti et nostrae ecclesiasticae provinciae metropoli, prosperitas in Christo.

*Respondetur:* Caritas, beneficentia, zelus et incolumitas in dies apud eam crescant, et benedicat Dominus omnibus habitantibus in ea.

*Secretarius:* Haec provincialis synodus ad gloriam Dei omnipotentis, ad tutelam fidei et morum perfectionem, ad integritatem disciplinae celebrata, votis omnium succedat et eius decreta serventur.

*Respondetur:* Ita credimus, ita sentimus, ita speramus, ita volumus.

*Secretarius:* His ergo inhaerentes, crescamus in gratia, in cognitione et amore domini nostri Iesu Christi, intercedentibus immaculata virgine Maria et omnibus sanctis, ut immarcescibilem percipiamus omnes gloriae coronam.

*Respondetur:* Fiat, fiat. Amen, Amen.

His alto succedente silentio, episcopi singuli mitra operti, comitantibus qui sibi assistunt, ad archiepiscopum accedunt; osculoque pacis accepto

et reddito, ad subsellia revertuntur; et alii alios osculantur.

Iam plene feliciterque peracto concilio, reverendus archiepiscopus effuse gratias agit: primo episcopis qui tanto studio operam suam ad concilii celebrationem contulere; tum piis coenobitis quorum orationes sicut incensum suavissimum ad Dominum ascenderunt; et gnavis sacerdotibus qui patrum assidui indefessique fuerunt auxiliatores. „Caeterum nulla, inquit, apud nos oblivione delebitur memoranda illa congregatio, cum, officialitatum restauratione proposita, omnes, quasi vir unus consurgentes, nullos sibi iudices praeter patres suos, id est episcopos, opus esse testati sunt. Spontanea significatio haec multo nobis solatio fuit, laetitia nos affecit, altaque permanebit mente reposta."

Tandem, omnibus et singulis faustum felicemque precatus reditum, solemniter benedicit. Denuntiata vero a secretario indulgentia, diaconus clamat: *Recedamus in pace,* cui respondent omnes: *In nomine Christi.*

Tunc discedit coetus, et per archiepiscopi palatium, ut die septembris octava, in seminarii sacellum revertitur; quo, iam transacto meridie, intrat.

# CONCILIUM PROVINCIALE TOLOSANUM

## 1850 septembris 10-9.

Concilium provinciale Tolosanum in Gallia, celebratum a die 10 ad diem 19 septembris 1850, sub Paulo-Theresia-David d'Astros, archiepiscopo Tolosano.

### Bibliographia.

1) Concilium provinciae Tolosanae, in urbe Tolosa habitum, anno Domini MDCCCL, pontificatus Pii papae IX quinto, a sancta sede approbatum. Tolosae, typis Matthaei Douladoure, typographi et bibliopolae, MDCCCLI.

In-8°, 149 p. — Autun, séminaire; Avignon, séminaire; Chambéry, séminaire; Lucca, grande Chartreuse; Lyon, abbé Martin; Lyon, séminaire; Paris, Bibl. nat. B 6814; Paris, Saint-Sulpice; Sens, séminaire; Toulouse, ville.

2) Acta et decreta sanctorum conciliorum recentiorum, collectio Lacensis, auctoribus presbyteris s. J., e domo b. v. M. sine labe conceptae ad Lacum. Tomus quartus . . . Friburgi Brisgoviae, sumtibus Herder, MDCCCLXXIII, col. 1027-82.

### LITTERAE AD CONCILIUM ATTINENTES.

#### *Edictum de concilii publicatione.*

Nos, Paulus-Theresia-David d'Astros, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae gratia, sanctae Romanae ecclesiae presbyter cardinalis, archiepiscopus Tolosanus et Narbonensis, Galliarum primas: universo clero, et omnibus provinciae nostrae fidelibus, salutem in Domino.

Provinciale concilium, quod coepiscoporum nostrorum consilio et assensu hac in urbe superiori anno habuimus, iam a sancta sede approbatum, in lucem publicam prodiisse, more institutoque maiorum[1] vobis significamus. Hoc igitur accipite, atque ea animi pietate prosequamini, quam tantopere commendat veneranda unde dimanat auctoritas. Neque enim dubitandum quin Dominus noster, qui in nomine suo congregatis sese medium assistere profitetur[2] in haec sacra comitia libenter illapsus, vestros praepositos Spiritu sancto afflaverit; ut quae vestrae omnium saluti potiora sunt, probarent ac sancirent. Accedit et praestantia rerum quae inibi decernuntur, quaeque ad summi Dei cultum, ecclesiae constitutionem, fidem ac doctrinam, verbi divini praedicationem, sacramentorum administrationem, morum reformationem et ecclesiasticam disciplinam restaurandam, tuendam aut conservandam pertinent. Non nova sane, nec nostro ingenio vel arte excogitata reperietis; sed quae ex altissimis purissimisque fontibus, ex divinis scilicet litteris, summorum pontificum constitutionibus, conciliorum decretis, sanctorum patrum scriptis hausimus atque descripsimus; ita ut sacrae antiquitatis oracula in nostra hac synodo veluti congregata, vos alloqui, et suam doctrinam, suas sententias, suasque voces auribus vestris adhuc insonare videantur.

Rogamus ergo vos, filii carissimi, et per viscera misericordiae Christi domini obsecramus, ut has constitutiones quanto maximo potestis amore amplectamini, totosque vos ad eorum normam accommodare studeatis. Tanto siquidem maior est commendatio eorum qui colunt, quam qui tulerunt leges, quanto est obedientia praeceptione praestantior[1].

At vos prae caeteris, qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri[2], vos sanctae ecclesiae ministros hortamur et obtestamur, ut in iis quae in vestram potissimum gratiam in concilio sunt edicta, eam conferatis industriam quam ipsa vestri muneris ratio deposcit. Nihil levis momenti in his arbitremini; ut enim parvi sumptus, si frequentiores sint, magnas opes exhauriunt; sic modicae transgressiones statuta firmiora dissolvunt, dum occulte serpit ac sensim grassatur legum violandarum prava consuetudo. Hinc quippe accidit, inquit sanctae memoriae Innocentius papa I, ut *„improba usurpatione . . . fiat de consuetudine regula, quae non venit ab ipsa quae litteris mandata est disciplina"*[3].

Seniores praesertim, qui in vobis sunt, obsecro, consenior[4] et ego. Pascite qui in vobis est gregem Dei[5], iuxta regulas a vestris episcopis sapienter constitutas: quas si accurate moribus expresseritis, forma facti gregis ex animo[6], iuniores Christi ministros ad eas servandas provocabitis et adducetis; et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam[7].

Datum Tolosae, pridie idus septembris, anni ab incarnatione Domini millesimi octingentesimi quinquagesimi primi.

† P.-T.-D. cardinalis d'Astros, archiepiscopus Tolosanus.

De mandato domini domini eminentissimi cardinalis, archiepiscopi Tolosani:

Caujolle, canonicus honorarius, secretarius generalis.

¹ Vide concilia Mediolanensia I, II, III, IV, V, [Mansi, *Concil.*, XXXIV, 1, etc.]; Rothomagense anno 1581, [ibid., col. 617]; Remense anno 1583, [ibid., 686]; Burdigalense anno 1583, [ibid., 745]; Bituricense anno 1584, [ibid., 978]; Aquense anno 1585, [ibid., 957]; Tolosanum anno 1590, [ibid., 1289]; Narbonense anno 1609, [ibid., 1477].

² Mansi, XVIII, [illegible]

¹ S. Carol. Borrom. *Edictum publicationis concilii provincialis I.* [Mansi, *Concil.*, XXXIV, 100 E.]

² Ps. CXXXIII, 2.

³ Epist. s. Innocent. I, episcopis Toletan. synod., n. 5, apud Constant, *Epistol. Roman. pontif.*, col. 767.

⁴ I Petr. V, 1.

⁵ I Petr. V, 2.

⁶ Ibid. 3.

⁷ Ibid. 4.

## LITTERAE

*quibus synodi decreta summi pontificis recognitioni subiiciuntur.*

AD SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM PAPAM PIUM IX.

Beatissime pater.

Dulce ac pretiosum valde fuit animae nostrae solatium, in his potissimum temporibus, tamdiu interruptam provincialium conciliorum seriem resumere. Nec mediocre quidem zeli incentivum ad ea amplectenda ex eo percepimus, quod salutare hoc antiquitatis institutum a sanctitate vestra nuper commendatum noverimus.

Itaque, unanimi voluntatum affectu inchoatum opus in Tolosana provincia, auxiliante Deo, nunc absolutum est, non tam nostris quam venerabilium suffraganeorum antistitum laboribus, praesertim vero dilectissimi nobis in pastorali munere coadiutoris, cuius pietate, doctrina aliisque eximiis dotibus B plurimum recreata senectus nostra ultra spem aliquatenus convaluit.

Unum adhuc superest, beatissime pater, sicuti certo iure debitum, ita et devotissimis sanctae sedis filiis omnino iucundum: scilicet ut, iuxta constitutionem felicis recordationis Xysti papae V, quaecumque circa fidem, reformationem morum, strictiorem ecclesiasticae disciplinae observantiam statuenda duximus, ea omnia apostolicae auctoritati subiiciamus.

Dignetur sanctitas vestra nostrum illud obsequii et amoris munusculum benigne intueri. Velit quoque supplicantibus nobis, nec non gregibus sollicitudini nostrae commissis, paternam elargiri benedictionem, quam veluti omnimodae donorum coelestium ubertatis felicissimum pignus grato animo accipiemus.

Et hoc sibi praecipue vestris iam beneficiis cumulatus confidenter efflagitat, beatissime pater, sanctitatis vestrae, obsequentissimus et addictissimus C filius et creatura,

† P.-T.-D. cardinalis d'Astros, archiepiscopus Tolosanus.

18 kalendas ianuarii 1850.

## SUMMI PONTIFICIS PII PAPAE IX

*litterae super actis synodi.*

PIUS PAPA IX.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Gratae nobis admodum fuerunt obsequentissimae tuae litterae, 13 kalendas huius mensis datae, ac tuo aliorumque venerabilium fratrum istius ecclesiasticae Tolosanae provinciae antistitum nomine scriptae, quibus nostro et huius apostolicae sedis iudicio acta provincialis synodi a te, atque ab illis nuper habitae subiicere properasti. Quae quidem acta nostrae concilii congregationi recognoscenda D commisimus, cuius adiutricem operam in eiusmodi expediendis negotiis adhibere solemus, veluti probe noscis. Hinc, eadem congregatio, rebus omnibus accurate ex more perpensis, congruum de actis ipsis maiore, qua fieri poterit, celeritate dabit responsum. Dum autem tibi atque iisdem venerabilibus fratribus vehementer gratulamur, quod eiusmodi provincialis synodus post longum temporis spatium fuerit concelebrata, plane non dubitamus, quin tuae omnes atque eorumdem venerabilium fratrum curae, studia, cogitationes alacriori usque contentione in id potissimum conferantur, ut sanctissima nostra religio in istis dioecesibus magis in dies vigeat, floreat, utque fideles, tuae atque eorumdem antistitum vigilantiae commissi, insidiantium hominum fallacias, fraudes, errores, agnoscant ac sedulo devitent, et quotidie magis enutriti verbis fidei, crescant in scientia Dei et cognitione domini nostri Iesu Christi, A ac per gratiarum charismata confirmati declinent a malo, et faciant bonum, et alacriori usque pede incedant per semitas Domini. Interim vero haud omittimus in humilitate cordis nostri clementissimum misericordiarum patrem orare et obsecrare, ut uberrima suae bonitatis dona super te tuosque coepiscopos propitius semper effundat ac tuis et illorum pastoralibus laboribus benedicat. Ac superni huius praesidii auspicem, nostraeque praecipuae benevolentiae testem apostolicam benedictionem toto cordis affectu, tibi ipsi, dilecte fili noster, atque eisdem venerabilibus fratribus, omnibusque istarum ecclesiarum clericis, laicisque fidelibus peramanter impertimur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die 30 ianuarii, anno 1851, pontificatus nostri anno quinto.

Pius papa IX.

*Eminentissimi cardinalis Maii litterae eminentissimo cardinali d'Astros, archiepiscopo Tolosano, super approbatione decretorum concilii.*

Eminentissime et reverendissime domine observandissime.

Acta synodi provincialis, superiore anno isthic habitae, de more recognoscenda accepit haec sacra congregatio Tridentini iuris interpres ac vindex. Laetata profecto est dum ea perlegit decreta, ita concinnata ut et elegantia locutionis et dignitas docentis ecclesiae servata fuerit. Placuerunt ingenui amoris, reverentiae et obsequii sensus erga apostolicam sedem summumque pontificem. Vel maxime etiam probata fuerunt saluberrima decreta, quibus portentosa deismi, naturalismi, indifferentismi, communismi et socialismi aliorumque errorum monstra, queis undique ecclesia impetitur, oppugnantur ac profligantur. Praeclare quoque recensitae fuerunt tum episcoporum curae, ut forma gregis facti, C derelicta visitent, dispersa quaerant, contrita sanent, et quod stat nutriant; tum parochorum aliorumque secundi ordinis ecclesiasticorum, ut ipsi quoque recte dominicum gregem pascant, quod infirmum est consolident, quod aegrotum sanent, cunctique digne ambulent in vocatione qua vocati sunt, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, solliciti servare unitatem.

Si multas hinc eminentiae vestrae caeterisque provinciae istius episcopis laudes tribuendas esse censuit sacra congregatio ob ea tam recte constituta, quae catholicam fidem personasque respiciunt, non minores imo maximas attribuendas esse iudicavit ob ea tam prudenter sapienterque, in tanta temporum calamitate, edicta quae res ecclesiae respiciunt. Ad haec referuntur opportunissima decreta quae prohibent piarum fundationum neglectum, pravorum librorum lectionem vel retentionem, D cantus profanos in ecclesia; et vicissim promovent bonorum librorum diffusionem, rectam iuventutis institutionem, cantum ecclesiae proprium, festorum observantiam, conventum cleri singulis annis spiritualis secessus gratia. Huc quoque spectant monita canonicis cathedralium data, ut vere episcopi senatus dici possint, ac parochis et concionatoribus, ut cum scientia simul et simplicitate sermonis divinae doctrinae pabulo christianas plebes reficiant, rectaque methodo et iuxta normam catechismi Romani fideles instruant; nec non ut sancte et rite sacramenta administrentur. De his omnibus summopere gratulatur sacra congregatio, ac sibi amplissimos in provincia ista fructus pollicetur, ita ut convellantur errores, iuniores clerici, sicut olivae frugiferae, crescant plantatae in domo Domini, singuli ecclesiastici viri strenui ministri Christi sint; ac fideles cuncti, reiectis erroribus et impietatibus, aemulentur quotidie charismata meliora.

Si quid aliquantisper in decretis synodi moderandum deprehenderunt eminentissimi patres, id in folio reperitur heic annexo.

Haec erant nomine sacrae congregationis rescribenda. Ego vero ad omnia in commodum et utilitatem totius provinciae episcoporum atque eminentiae vestrae, paratissimum me profiteor, cuius manus humillime deosculor.

Eminentiae vestrae humillimus et addictissimus famulus,

A. cardinalis Maius, praefectus.
A. Tomassetti, secretarius.

Romae, 28 iulii 1851.

## DECRETA

### *de indicenda et aperienda synodo, de modo vivendi in concilio, de non praeiudicando, de non discedendo, et de professione fidei.*

#### DECRETUM INDICTIONIS.

Nos, Paulus-Theresia-David d'Astros, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae gratia archiepiscopus Tolosanus et Narbonensis, Galliarum primas, comes Romanus, solio pontificio assistens.

Reverendissimus fratribus episcopis, nec non venerabilibus capitulis metropolitano et cathedralibus nostrae Tolosanae provinciae, salutem in Domino.

Ab ipsis ecclesiae incunabulis, maximi momenti habitus fuit frequens conciliorum provincialium usus, cum ad propagandam fidem et excessus corrigendos, tum ad concordiam et mutuam charitatem fovendam, et ad ea demum omnia ordinanda quae cunctis fidelibus, et praesertim clericis, facienda vel fugienda sunt.

Neque ullus sane est, quantumvis levi antiquitatis notitia imbutus, qui ex iis purissimis fontibus quot scientiae et pietatis fluenta in christianam segetem dimanaverint non videat, non miretur; nullus religionis studio vel paululum captus, qui sacros horumce fontium rivos ad nos remeare non exoptet, non efflagitet.

Desinant aliquando suspiria et vota quiescant, fratres reverendissimi. Refloreseit enim tamdiu collapsum sanctum illud institutum, quod proxime intueri imo et amplecti vobis erit laborum dulcis refectio, nobis autem qui iam laborando, sed non certe amando, impares sumus, haud mediocre solatium senectutis. „*A Domino factum est istud*, cum psalmista exclamare iuvat, *et est mirabile in oculis nostris*." [1] „*Regi* ergo *seculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria.*" [2] Huic gratias, et quidem amplissimas, unanimes, uno ore referamus, qui perillustrem Gallorum ecclesiam et gentem eximie dilectam „*de tantis periculis eripuit et eruit; in quem speramus quoniam*, si opus sit, *et adhuc eripiet*" [3].

Ne idcirco nos divinae providentiae et canonicis praescriptionibus deesse videamur, gloriosissimi atque amantissimi in Christo patris, summi pontificis Pii IX, hortamenta [4] toto cordis ac mentis affectu excipientes, provinciae nostrae episcopos congregandos duximus, ut eorum ope simul et consilio, quae in rei christianae utilitatem vertant definire ac statuere valeamus. Quid enim nobis, quotquot sumus fidei antistites, felicius contingeret, quam hisce temporibus, quibus seculi vitio sacerdotalis auctoritas est imminuta, et antiquata morum austeritas, ecclesiasticum splendorem innovare, et, prout Spiritus sanctus suggesserit, fidelium integritatem et pristinum fervorem restituere?

Itaque, propitiante Deo, auspice Deipara, et suffragantibus praecipue omnibus sanctis, quorum patrocinio gloriantur ecclesiae nostrae, consultisque reverendissimis episcopis comprovincialibus, concilium nostrum provinciale, Tolosae, in seminario dioecesano, quarto idus septembris anni decurrentis, videlicet feria tertia infra octavam nativitatis beatae Mariae virginis, decrevimus habendum et inchoandum, ac per praesentes litteras indicimus et convocamus.

Omnes et singulos fratres coepiscopos Montalbanensem, Appamiensem, Carcassonensem, nostra auctoritate archiepiscopali monemus, hortamur et requirimus ut ad dictum provinciale concilium, per se aut per procuratores legitime delegatos, die ac loco praestitutis, conveniant.

Noverint venerabile capitulum metropolitanum, aliaque cathedralium capitula, se quoque per decretum nostrum speciatim convocari ad provincialem synodum, ita ut, iuxta apostolicas et canonicas sanctiones, eorum respective nuntii seu deputati, ad tractatum in synodo admittantur, maxime super illis quae ipsa capitula contingere dignoscuntur.[1]

Atque, ut conspirantibus nostrum omnium studiis coelestis gratiae favor aspiret, illuc convertendi sunt oculi unde procul dubio nobis auxilium veniet. Et cum universorum saluti serio diligenterque sit providendum, indictis opportuno tempore precibus et supplicationibus per suam quisque dioecesim, uberrima divini Spiritus dona enixe imploremus. Sic probatio nostrae fidei invenietur in laudem et gloriam et honorem in revelatione Iesu Christi, quo, protegente, quo duce, forma facti gregis ex animo, exultabimus laetitia inenarrabili et glorificata, reportantes finem fidei nostrae, salutem animarum.

Datum Tolosae, quarto idus iunii, anni ab incarnatione Domini millesimi octingentesimi quinquagesimi.

† P.-T.-D., archiepiscopus Tolosanus.

De mandato illustrissimi ac reverendissimi domini domini archiepiscopi Tolosani:

Caùjolle, canonicus honorarius, secretarius generalis.

## DECRETUM

### *de aperienda synodo.*

In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

Nos, Paulus-Theresia-David d'Astros, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae gratia archiepiscopus Tolosanus et Narbonensis, Galliarum primas, comes Romanus, solio pontificio assistens.

Ad laudem et gloriam Dei omnipotentis, ad honorem beatissimae, immaculatae semperque virginis Mariae, Dei genitricis, ad ecclesiae catholicae decorem, decernimus, de consilio et consensu reverendissimorum coepiscoporum nostrorum, hac ipsa die mensis septembris decima initium fieri atque adeo factum esse concilii provincialis quod, nostra metropolitana auctoritate, indiximus, denuntiavimus et promulgavimus.

## DECRETUM

### *de modo vivendi in concilio, de non praeiudicando, et de non discedendo.*

Nos, Paulus-Theresia-David d'Astros, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae gratia archiepiscopus Tolosanus et Narbonensis, Galliarum primas, comes Romanus, solio pontificio assistens.

Reverendissimos episcopos, [etc., *vide decretum simile concilii Parisiensis*, t. XLIII, 470 B, *quocum decretum Tolosanum plane congruit, nisi quod pro*

[1] Ps. CXVII, 23.
[2] I Tim. I, 17.
[3] II Cor. I, 10.
[4] Litt. ad Galliae episc., datas Cajetae, 17 maii 1849. [Mansi, [illegible]

[1] C. [illegible] de his quae fiunt a praelatis (III, 10).

civitate Parisiensi *ponitur* civitas Tolosana, *et pro verbis:* in hac caritate radicati *legitur:* in caritate radicati]. *Denique, in fine, post verba:* salva illius iura decernimus, *additur:*

Deinde sub poenis a iure statutis inhibemus, ne quis episcoporum, aut eorum qui provinciali huic synodo interesse debent, ex civitate Tolosana dis- A cedere praesumat, nisi discessus causa a concilii patribus cognita, a nobis approbata, ac legitime deinde procuratore suffecto.

## DECRETUM

*de professione fidei.*

[Vide supra col. 35 D - 38 A idem decretum.]

# DECRETA CONCILII.

## TITULUS I.

*De hierarchia ecclesiastica.*

Nihil, hisce periculosis temporibus, concilio provinciali necessarium magis visum est, quam ut de hierarchia ecclesiastica, et praesertim de summo pontifice et episcopis doctrinam a recentioribus novatoribus impugnatam, omnes fideles edoceret, eamque ad memoriam clericorum etiam sacerdotum revocaret.

### Caput I.

*De summo pontifice.*

Christus salvator noster regressurus ad Patrem, domum suam, columnam et firmamentum veritatis, ecclesiam scilicet Dei vivi [1] in omnes gentes diffundendam,[2] super unum Petrum, apostolorum principem, tanquam supra petram solidissimam [3] ac immobile fundamentum,[4] aedificavit; cui omnimodam in spiritualibus concessit potestatem, his verbis: „*Ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam; et portae inferi non praevalebunt adversus eam: et tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis.*“[5] Et: „*Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*“[6] Et: „*Pasce agnos meos, . . . Pasce oves meas.*“[7]

His scripturarum testimoniis edocti, et sanctorum patrum traditionem sequentes, ac praecipue concilii Florentini definitionem, patres concilii provincialis Tolosani haec de summo pontifice tenent et praedicant:

1. Sanctam apostolicam sedem, et Romanum pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque ecclesiae caput et omnium christianorum patrem et doctorem existere; et ipsi in beato Petro, pascendi, regendi ac gubernandi universalem ecclesiam a domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse [8].

2. Haec igitur apostolica supremaque sedes, omnium ecclesiarum mater et magistra [9] iure divino constituta, centrum est indefectibile catholicae unitatis, in quo, velut in arce inexpugnabili, Petrus per Romanum pontificem loquitur [10], semper in suis successoribus vivit, et iudicium exercet [11], atque praesidet, et praestat quaerentibus fidei veritatem [12].

3. Ad hanc ergo ecclesiam, propter potiorem principalitatem, necesse est omnem convenire ecclesiam [1], non solum pro eiusdem fidei conformitate; sed etiam per illam reverentiam, subiectionem et obedientiam, quae eius supremae in ecclesiam universalem gubernandam potestati debentur. Quapropter, declaramus et contestamur, apostolicis constitutionibus, independenter ab omni seculari sanctione, ita inesse vim ac nativum robur, ut sint norma credendorum agendorumve regula qua vere et coram Deo omnes obstringuntur.

B 4. Maiorum exempla, et maxime sancti Exuperii, Tolosani episcopi, veneranda vestigia sectantes [2], statuimus in causis maioribus, aut gravioribus et anxiis quae suboriri possent quaestionibus, nihil a nobis decernendum quin huius supremae sedis oraculum consuluerimus. Cuncta etiam eius responsa atque mandata, veluti ab apostolico culmine [3], vel potius ab ore patris patrum [4] delapsa, humiliter accipiemus, quam diligentissime exequemur, totis viribus observabimus et faciemus ab omnibus observari [5].

5. Nec sane hic praetereunda vesana opinio eorum, qui affirmare non dubitant ditionem temporalem spirituali Romani pontificis auctoritati subnexam, legi evangelicae adversari. Hunc errorem iam a pluribus seculis damnatum [6], denuo reprobamus atque damnamus. Quinimo, et antecessorum nostrorum votis vota nostra iungentes, C conclamare iuvat: Urbis aliarumque terrarum concessam ditionem, quo liberior et tutior potestatem apostolicam toto orbe exerceat, non tantum sedi apostolicae, sed etiam toti ecclesiae gratulamur, votisque omnibus precamur omnibus modis incolumem esse.

6. Antiquis ac salutaribus institutis, et maxime constitutioni *Immensa aeterni* [7] felicis recordationis Xysti V obsequentes, praedecessorumque nostrorum via insistentes [8], decernimus huius synodi decreta non ante promulganda quam a Romano pontifice recognita et approbata fuerint.

### Caput II.

*De episcopis.*

Episcoporum auctoritas ex eo praecipue commendatur quod episcopatus per apostolum Petrum in Christo coepit exordium [9]. Christus quidem apo- D stolis, in quorum locum successerunt episcopi [10], suam potestatem his verbis tribuit: „*Sicut misit me Pater et ego mitto vos* [11]. *Euntes docete omnes*

[1] I Tim. III, 15.
[2] Ps. II, 8; Is. LIV, 1 et seq.; Matth. XXVIII, 18 et seq.
[3] Origen., *In exod.*, hom. V, n. 4, t. II, edit. Bened., p. 145.
[4] S. Ioann. Chrysost., *De poenit.*, hom. III, n. 4, t. II, edit. Bened., p. 300.
[5] Matth. XVI, 18 et seq.
[6] Luc. XXII, 32.
[7] Ioan. XXI, 16 et seq.
[8] Concil. Florent. in definitione, [Mansi, *Concil.*, XXXI, 1031 E].
[9] Concil. Trid., sess. VII, *de baptism.*, can. 3.
[10] Concil. Chalcedon., act. II, [Mansi, *Concil.*, VI, 971 A].
[11] Concil. Ephes., act. III, [Mansi, *Concil.*, IV, [illegible] C].
[12] S. Petr. Chrysol., *Epist. ad Eutych.*, Coll. Concil. Hard., t. II, col. [illegible].

[1] S. Iren., *Contra haeres.*, lib. III, cap. 3, n. 2, edit. Bened., p. 175 et seq.
[2] *Epist.* s. Innocent. I, *ad Exuper. episc. Tolosan.*, n. 1, apud Coustant, *Epist. Rom. pontif.*, col. 790, [Mansi, *Conc.*, III, 1038 C].
[3] *Epist. episc. Afric. ad Theodor. pap.*, Concil., [Later. Mansi, *Concil.*, X, 919 B].
[4] Concil. Roman. anno 531, [Mansi, *Concil.*, VIII, 741 B].
[5] Pontif. Roman., *De consecrat. electi in episc.*
[6] Wiclef., propos. 36 et 39, damnat. in concil. Constantiensi. [Mansi, *Concil.*, XXVII, 795.]
[7] [Die 22 ianuarii 1588.] *Bullar. Rom.*, t. IV, part. IV, p. [illegible], col. 2.
[8] Concilium provinciale Tolosanum a cardinali de Ioyosa, archiepisc. Tolosano [coactum]. [Mansi, *Concil.*, XXXIV, 1390 B.]
[9] *Epist.* s. Siricii papae ad episc. *Afric.*, n. 1, apud Coustant, *Epist. Roman. pontif.*, col. 651, [Mansi, *Conc.*, III, [illegible] C].
[10] Concil. Trid., sess. XXIII, *de ordine*, cap. 4.
[11] Ioan. XX, 21.

*gentes, baptisantes . . . Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi;*" [1] tamen, ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit [2]. Atque illa prorsus divina ordinatione, sicut Deus unus est et Christus unus, ita et grex unus ostenditur, et una ecclesia, et cathedra una Domini voce fundata [3].

Hinc, per temporum et successionum vices, episcoporum ordinatio et ecclesiae ratio decurrit, ut ecclesia super episcopos constituatur, et omnis actus ecclesiae per eosdem praepositos gubernetur [4]. Ipsi enim positi sunt, sicut beatus Paulus ait, a Spiritu sancto regere ecclesiam Dei [5]. Unde manifestum est episcopum in ecclesia esse et ecclesiam in episcopo, et si quis cum episcopo non sit, in ecclesia non esse [6].

7. Itaque, qui in ecclesia sunt presbyteris obaudire oportet his qui successionem habent ab apostolis, qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris, acceperunt [7]. Qui secus fecerint, non solum ecclesiae, sed ipsius Christi et Patris, a quo et Christus missus est, mandata spernunt, ipso dicente: „*Qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.*" [8]

8. Haec sacrarum litterarum et apostolicae traditionis documenta secuti, et praesertim definitionibus concilii Tridentini [9] et summorum pontificum, imprimis Pii VI constitutioni *Auctorem fidei* [10] inhaerentes, patres concilii provincialis Tolosani declarant, quod ecclesiae catholicae firmissimum dogma sit episcopos esse presbyteris superiores, non solum potestate ordinis, sed etiam iurisdictionis. Ipsis proinde competit ius et auctoritas docendi, regendi ac gubernandi ecclesiam sibi commissam; leges et statuta condendi, quae vim omnem obtineant independenter a consensu aut approbatione cleri, vel etiam capituli, nisi in casibus a iure expressis [11]; iudicandi causas spirituales quae ad clericos aut fideles attinent; atque caetera episcopalia munia exercendi, secundum apostolicas et canonicas sanctiones.

9. Verum, quanto sublimior est episcoporum dignitas, tanto etiam purior ac sanctior debet esse eorum vita. Quare, mores suos ita componere studeant, ut omnibus exemplo esse possint [12]; assidue sibi proponentes episcopi formam ab apostolo descriptam: „*Oportet episcopum irreprehensibilem esse, . . . sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum; non litigiosum, non cupidum, sed suae domui bene praepositum.*" [13] Quam eximiam formam ut plane assequantur episcopi, ea omnia quae de residentia [14], de vita et honestate

A episcoporum, de ipsorum vestitu, supellectili, mensa, ac de domesticae familiae cura in superiori provinciae Tolosanae concilio praescripta sunt [1], quaeque synodus haec innovat, ab iisdem religiose observentur.

10. Cum in custodia sanctuarii eos excubare iusserit, speculatoresque domus suae praefecerit Dominus, qua maxima poterunt diligentia attendant ut creditos sibi populos conservent, errantes in viam reducant, perditos requirere et recuperare possint [2]. Quotannis ergo suas ecclesias notabili saltem ex parte visitent, in eoque munere ipsis propositum maxime sit ut, praeter sacramenti confirmationis administrationem, incorruptam orthodoxamque doctrinam tueantur ac restituant [3]. In vitam potissimum et mores ecclesiasticorum inquirant; eos, si emendandi fuerint, corrigant [4]; caeteraque ad visitationem spectantia, in superiori concilio

B provinciali sapienter edicta [5], diligentissime custodiant.

11. In visitatione potissimum praedicationi verbi divini, quod est praecipuum episcoporum munus [6], quoad eorum facultates negotiaque ferent, frequentius incumbant episcopi; sin minus, probos saltem eruditosque viros ad id muneris seligant [7].

12. „Expedit maxime animarum saluti a dignis atque idoneis parochis gubernari." [8] Quod ut diligenter ac recte praestetur, ubi vacanti ecclesiae parochiali erit providendum, ex iis qui aetate, moribus, doctrina, prudentia, aliisque rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam idonei fuerint, illum episcopus eligat quem, omnibus mature pensatis, caeteris magis idoneum iudicaverit, servata, in quantum fieri poterit, lege concursus [9], saltem ad paroecias primarias.

13. De clericis promovendis ad minores et

C praesertim ad sacros ordines cum magna cautela, ac nonnisi rebus bene perpensis, nos apostolus edocuit his verbis ad Timotheum: „*Nemini cito manus imposueris.*" [10] Idcirco, acriter vigilent episcopi ne quis, nisi indole, virtute, scientia, vere se vocatum prae se ferat in sortem Domini, sacris ordinibus initietur [11]. De his praesertim inquirere et diu multumque investigare opus est num ea doctrina, gravitate morum, et divini cultus studio commendentur [12]. Qui ergo sanctitate morum non praestant, qui docti in lege Domini non sunt, illis ad ecclesiasticam militiam nullus pateat aditus; sed iis duntaxat, de quibus certa spes affulgeat fore ut tanquam lucernae ardentes in domo Domini, eorum vivendi ratione atque opera, aedificationem et spiritualem dominico gregi utilitatem afferre queant.

14. Seminaria episcopi custodiant ut pupillam

D oculi, et quicunque in spem adolescunt clericorum

---

[1] Matth. XXVIII, 19 et seq.
[2] S. Cyprian., *De unitate ecclesiae*, p. 195 oper. edit. Baluz.
[3] Ibid., *Epist.* XL *ad plebem*, p. 53; *De unitate ecclesiae*, p. 195.
[4] Ibid., *Epist.* XXVII *lapsis*, p. 37-8.
[5] Concil. Trident., sess. XXIII, *de ordine*, cap. 4.
[6] S. Cyprian., *Epist.* LXIX, *ad Florent. Pupian.*, p. 123, ed. Baluz.
[7] S. Iren., *Contra haeres.*, lib. IV, cap. 26, n. 2, edit. Bened., p. 262.
[8] Luc. X, 16.
[9] Concil. Trident., sess. 23, *de ordine*, cap. 4, et can. 6 et 7.
[10] Propos. damn. IX, X et XI, in *Bullar. Rom.*, contin., t. IX, p. 400.
[11] Decis. s. congreg. concilii; ap. Benedictum XIV, *De synodo*, lib. XIII, cap. 1, n. 9 et seq.
[12] Concilium provinciale Tolosanum sub cardin. de Isyeux, part. I, cap. 1, *de episcop.*, n. 20, [Mansi, *Conc.*, XXXIV, 1275 B].
[13] I Tim. III, 2 et seqq.
[14] Concilium provinciale Tolosanum, part. IV, cap. I, n. 1.

[1] Ibid., part. I, cap. 1, n. 8, 16, 18, 19. 23 et seqq., [Mansi, *Conc.*, XXXIV, 1278].
[2] Concilium provinciale Tolosanum, part. I, cap. 1, n. 1, [Mansi, *Conc.*, XXXIV, 1272 C].
[3] Ibid., part. IV, cap. 8, n. 1 [et 2. Mansi, *Conc.*, XXXIV, 1314 A].
[4] Ibid., n. 3.
[5] Ibid., passim in toto cap.
[6] Concil. Trident., sess. V, *de ref.*, cap. 2.
[7] Concilium provinciale Tolosanum, part. I. cap. 5, n. 2, [Mansi, *Conc.*, XXXIV, 1280 B].
[8] Concil. Trident., sess. XXIV, *de ref.*, cap. 18.
[9] Ibid.
[10] Epist. encyclic. Leonis XII *Ubi primum*, die 5 maii 1824, § *Quae de promovend.*
[11] Epist. encyclic. eiusd. summi pontificis de extens. iubil. *Charitate Christi*, die 25 decembris 1825, § *Seminaria*.
[12] Epist. encyclic. summi pontificis Pii IX ad Ital. episcop.,

institutio summae illis curae sit [1]. Magnopere ergo A attendant ut qui seminariis praeficiuntur id sibi animum inducant, videlicet, sui esse officii, iuxta concilii Tridentini decretum, non solum religiose educare, sed et ecclesiasticis disciplinis instituere pueros qui in iis collegiis recipiuntur, et quorum indoles et voluntas spem afferat eos ecclesiasticis muneribus perpetuo inservituros [2]. Quare, moderatorum ac magistrorum menti perpetuo obversentur haec tanti ponderis monita summi pontificis Pii IX ad episcopos, quorum illi vices gerunt: Commendatam imprimis volumus educationem minorum clericorum; quandoquidem idonei ecclesiae ministri vix aliter haberi possunt, quam ex illis, qui ab adolescentia et prima ipsa aetate ad sacra eadem officia rite informati fuerint. Pergite omnem impendere industriam atque operam, quo sacrae militiae tyrones a teneris annis in ecclesiasticis seminariis recipiantur, atque inibi tanquam novellae B plantationes succrescentes in circuitu tabernaculi Domini, ad vitae innocentiam, religionem, modestiam, et ecclesiasticum spiritum conformentur [3].

15. Ut praecaveantur mala quae ex immoderatis, et non approbatis ab episcopo expensis, oriri possent, statuimus rememoranda commendandaque haec sanctae synodi Tridentinae verba: Rationes redituum seminarii episcopus singulis annis accipiat; atque omnia et singula quae ad felicem seminarii profectum necessaria et opportuna videbuntur decernere ac providere valeat [4].

16. Et cum magni momenti res sit, plurimumque conferat ad religionis, sanctae ecclesiae, totiusque societatis conservationem et dignitatem recta christianae iuventutis institutio [5], episcopi sedulam navent operam ut in iis omnibus quae ad scholas puerorum ac iuvenum utriusque sexus instructionem et educationem attingunt, parochi et capellani in C collegiis aliisque institutionibus, hoc tam gravi pastoralis oneris officio sollicite defungantur. Curent etiam tum ut scholae parentum fiducia dignae in sua dioecesi, quantum licuerit, erigantur ac multiplicentur; tum ut ipsis parentibus denuntietur stricta iure naturali et divino illis imposita lex, nonnisi magistris morum probitate et sincero religionis amore bene notis suos filios committendi; tum denique ut parentes simul et magistri admoneantur de iis removendis quae fidei integritati vel innocentiae puerorum noxia esse possent aut periculosa, et de his prospiciendis et adhibendis quae ad religionis ac pietatis sensus in eorumdem animis excitandos fovendosque aptiora viderentur.

17. Sacerdotes morbo aut senio gravati, († eos) maxime qui praefuere et laborarunt in verbo et doctrina, duplici honore ab episcopis habeantur [6]. Digni sane sua mercede sunt illi qui opus Domini D bene sunt operati, et praelia Domini strenue praeliati sunt. Eos igitur toto dilectionis affectu amplectantur episcopi, omnique sollicitudine curent ut, si iam non existant, erigantur in sua dioecesi, sicut in quibusdam a pluribus annis erecta sunt, instituta quae *caisses de secours* appellantur; sin minus, opportuniore qua poterunt ratione provideant ut ab iis sacerdotibus non solum de vita sustentanda anxiae curae amoveantur, sed etiam et iisdem praesto sint quae [ad] senectutem infirmitatemve allevandam aut consolandam adiumento esse poterunt.

18. Diligenter quoque providebunt episcopi ne, per heredum aut legatariorum avaritiam vel incuriam, ecclesiae, seminaria aut alia pia instituta bonis defraudentur quae fideles testamento ipsis reliquerint [1]; atque fundationes praescriptae religiose exsolvantur. Sedulo itidem invigilent in his quae fabricarum constitutionem, rectam bonorum et redituum administrationem, nec non sacrorum aedificiorum ac supellectilis reparationem et conservationem attinent.

19. De caetero, faciles adeuntibus se praebeant, pauperum egenorumque inopiam ea qua poterunt caritate sublevent; eumque modum audiendis, alloquendis adiuvandisque omnibus adhibeant, ut homines non eorum magis humanitatem diligere, quam gravitatem venerari possint [2].

## Caput III.

### *De metropolitano.*

Quamvis episcopi ratione ordinis aequales omnino sint, tamen ecclesia, vel a prima aetate, ad magis magisque fovendam unitatem et facilius disciplinam conservandam aut restituendam, unicuique provinciae caput constituit episcopum, qui metropolita seu archiepiscopus appellatur.

20. Metropolita igitur habet in omnes suae provinciae episcopos iurisdictionem, cuius praecipua munia haec sunt: episcopos, iuxta canonicas sanctiones, vocat ad synodum provincialem, cui ipse praesidet [3], executioni decretorum, quae inibi sancita sunt, invigilat, eaque, si opus sit, provisorie interpretatur. Visitat provinciae dioeceses, modo propriam dioecesim plene visitaverit, et visitationis causa cognita ac probata fuerit in concilio provinciali [4]. Ius dicit inter eos qui a suffraganeorum iudicio legitime ad illum provocant [5]. Ad ipsum devolvitur ius constituendi vicarium capitularem, sede vacante, si, infra octo dies post mortem episcopi, a capitulo vicarius non eligitur [6]. Potest etiam in tota provincia crucem suae iurisdictionis insigne ante se deferre, benedicere, et in pontificalibus celebrare [7]. Ea omnia iura fatentur patres concilii, et ipsi metropolitano reverentiam atque obedientiam, secundum apostolica mandata, libenti animo exhibent.

21. Maxime expedit et peroptat synodus haec, ut inter metropolitanum et coepiscopos non solum perfecta in Domino charitas et concordia, sed et arcta perseveret semper necessitudo, quam fovendam curent per commercium frequens et mutua consilia, ubi de gravioribus rebus inciderint quaestiones; scriptura dicente: „*Frater qui adiuvatur a fratre quasi civitas firma, et iudicia quasi vectes urbium.*“ [8]

## Caput IV.

### *De synodo dioecesana.*

Synodorum episcopalium ad clericos continendos in officio, et depravatos populi mores reformandos, utilitas satis superque ex eo comprobatur, quod earum coactio a sacris canonibus et maxime a con-

[1] Epist. encyclic. Leonis XII. de extens. iubil. *Charitate Chr.*, § *Seminaria.*

[2] Concil. Trident., sess. XXIII, *de ref.*, cap. 18.

[3] Epist. encyclic. summi pontificis Pii IX ad Ital. episcop. § *Post haec.*

[4] Concil. Trident., sess. XXIII, *de ref.*, cap. 18.

[5] Concilium provinciale Tolosanum, part. III, cap. 4, [Mansi, *Conc.*, XXIV, 1297].

[6] I Tim. V, 17.

[1] Concilium provinciale Tolosanum, part. IV, cap. 15, [Mansi, *Conc.*, XXIV, 1318 D].

[2] Concilium provinciale Tolosanum, part. I, cap. 1. n. 9 et 10, [Mansi, *Conc.*, XXIV, 1278 A].

[3] Concil. Trident., sess. XXIV, *de ref.*, cap. 2.

[4] Ibid., cap. 3.

[5] Cap. *Pastoralis officii.* 11, *de offic. iud. ordin.* (I, 31). Vid. constitut. Bened. XIV *Ad militantis*, XLVIII, die 30 martii 1742.

[6] Concil. Trident., sess. XXIV, *de ref.*, cap. 16.

[7] Clem. *Archiepiscopo* 2, *de privileg.* (V, 7).

[8] Prov. XVIII, 19.

cilio Tridentino praescripta sit[1]. Fatendum sane illa cleri comitia, iuxta formam sapientissime ab ecclesia praefinitam, ob temporum difficultates, dioeceseon amplitudinem, et sacerdotum penuriam, in tota nostra provincia pene omissa fuisse. Ad occurrendum huic incommodo praedecessores nostri hunc morem induxerunt, ut singulis annis in seminariis congregarentur canonici, parochi aliique sacerdotes, tum ut vacarent, in sacro quodam secessu, spiritualibus exercitiis; tum ut episcopus facilius de totius dioecesis statu inquireret, et, collatis tunc ipse consiliis, monita salutis daret, atque identidem decreta quaedam disciplinae promulgaret; sicque, meliori qua poterat ratione, scopum illum obtineret quem in synodis instituendis sibi proposuit ecclesia.

Huic autem consuetudini, ex qua maxima commoda dimanare comperimus, nihil fore immutandum hucusque nobis visum est. Verum in provinciali synodo rem ad trutinam revocantes, haec statuenda in Domino duximus:

22. Conventus cleri pro secessu spirituali, singulis annis, de more in tota provincia habeantur.

Quilibet episcopus, pro rerum ac personarum statu, synodum dioecesanam, iuxta formam ab ecclesia praescriptam, restituat, statim atque id opportunum iudicaverit.

23. Qui vero obtenderent „*reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam, in synodis dioecesanis ab episcopo et parochis aequaliter pendere ac stabiliri debere, ac sine libertate decisionis indebitam fore subiectionem suggestionibus et iussionibus episcoporum*“[2]; sciant hanc doctrinam e turbido haereticorum veterum ac recentiorum fonte derivatam, ab ecclesia, solemni et infallibili iudicio, damnatam fuisse tanquam „*falsam, temerariam, episcopalis auctoritatis laesivam, regiminis hierarchici subversivam, et faventem haeresi Aërianae a Calvino innovatae*“[3].

## Caput V.

### *De capitulis cathedralibus.*

Omnino venerabilis est capitulorum cathedralium institutio, plurimumque confert ad Dei gloriam et ecclesiae dignitatem.

Sapienter igitur a Tridentina synodo[4] atque aliis non paucis[5] cautum fuit ut ad canonicatus seligantur viri boni testimonii, disciplinae zelo repleti, scientia, moribus, pietate praecellentes, qui omni qua par est diligentia et aedificatione officium suum perficiant.

24. Capitulorum iura et obligationes sacris canonibus determinantur, nec non statutis conditis aut condendis a capitulo et ab episcopo iuxta sacros canones et apostolica rescripta approbandis.

25. Ad concilia provincialia convocantur capitula, et illorum delegati in iis conciliis ad tractatum admittuntur[6].

26. Quoad paroecias cathedrales, in quibus parochi titulus toti coniunctim capitulo attribuitur, non autem alicui individuo, episcopus uni inter canonicos pastoralia officia obeundi committit munus; neque alteri canonico illa munia exercendi ius competit.

27. Canonicis in mortis periculo constitutis, et in quacunque civitatis episcopalis paroecia degentibus, ultima sacramenta deferantur solemniter a capituli praeside, omnibus aliis in habitu chori ordinate comitantibus.

Eorum exequiae ab iisdem cum pari solemnitate fiant in ecclesia cathedrali.

28. Capitulum quoties capitulariter assistit, praecedentia gaudet super quodcunque corpus ecclesiasticum[1]: censetur enim cum episcopo unum corpus efficere.

29. Vacante sede, statim omnis iurisdictio atque dioecesis administratio transfertur ad capitulum. Quam potestatem capitulum exercet per unum vicarium, aut etiam plures, iuxta Galliarum usum, quos, intra octo dies post obitum episcopi, deputare tenetur.

Elapso hoc tempore, ad metropolitam haec deputatio devolvitur; et si agatur de ecclesia ipsa metropolitana, tunc antiquior episcopus ex suffraganeis vicarios constituit[2].

30. Vicarii capitulares, rite constituti totam accipiunt iurisdictionem, cuius nullam omnino partem sibi capitulum reservare potest[3]. Proinde, ex officio dimoveri nequeunt, nisi iusta et summo pontifici probata causa sit[4].

Haec vicariorum capitularium potestas, nulli conditioni aut restrictioni obnoxia, durat usque dum episcopus electus et canonice institutus litteras suae institutionis exhibuerit capitulo, et sic possessionem adeptus fuerit.

31. Multa tamen sunt quae, dum vacat ecclesia, nec a capitulo nec ab eius vicariis exercentur, vel defectu potestatis, vel quod eis sacri canones modum constituerint.

Nihil quoque capitulum, sede vacante, circa dioecesis disciplinam innovet, ac de iuribus episcopalibus imminuat. Non per se ipsum concedat litteras dimissorias, sed per vicarios capitulares, et nunquam ante annum elapsum a die vacationis.

Cum iurisdictio necessaria ad capitulum transeat, non autem voluntaria, praelato successori reserventur quae ad liberam episcopi collationem spectant, ut sunt canonicatus; pariterque ab eo solo conferantur tituli parochiales vulgo *cures de 1e et de 2e classe*.

32. Quanto in dioecesana hierarchia cathedrale capitulum alios ordines officiis et honore superat, tanto modestia, lenitate, omniumque virtutum splendore transcendat. Consonent canonicorum mores titulo, consonent nomini. Exemplo sint tum clero, tum fidelibus, non solum integritate fidei et vitae innocentia, sed etiam pietate non ficta, devota sanctuarii frequentatione, filiali erga episcopum obsequio, totius ecclesiasticae disciplinae observantia singulari.

33. Canonicorum est divinas laudes assidue decantare, et publicas preces singulis diebus persolvere[5]. Id angelicum munus angelicis cordibus adimpleri hortatur haec synodus.

Quoties ergo psallendi gratia convenitur, ibidem muta aut clausa labia nemo tenuerit; sed omnes una pariter, senes cum iunioribus, laudent nomen

[1] Concil. Trid., sess. XXIV, *de ref.*, cap. 2.
[2] Const. *Auctorem fidei*, propos. damn. 9, in *Bull. Rom.*, cont., t. IX, pag. 400.
[3] Ibid.
[4] Concil. Trident., sess. XXII, *de ref.*, cap. 2; sess. XXIV, *de ref.*, cap. 12.
[5] Concil. Rothomagense 1581, *de episc. et cap.*; Remense 1583, *de cap. et canonic.*; Burdigalense 1583; Turonense 1583; Tolosanum 1590, part. I, cap. 3, etc., [Mansi, *Conc.*, XXXIV, 627, 706, 765, 828 et 1276].
[6] [illegible]

[1] Barbosa, *De canon. et dignit.*, cap. 18, n. 44 et seq.
[2] Concil. Trident., sess. XXIV, *de ref.*, cap. 16.
[3] Bened. XIV, *De synodo dioec.*, lib. II, cap. 9, n. 4; Barbosa, *De canon. et dignit.*, cap. 42, n. 47, ubi refert plures decl. s. congr. episcoporum et regularium.
[4] Bened. XIV, ibid.
[5] [illegible]

Domini in psalmis, hymnis et canticis, Deo alacriter modulantes.

Decernunt huius concilii patres in singulis provinciae cathedralibus integrum officium decantari aut recitari, nisi apostolica dispensatio intercesserit.

34. A singulis etiam canonicis alternatim missa capitularis quotidie celebretur[1], circumstante iuxta aram corona fratrum, qui multum orent pro populo et universa christiana civitate. Quantum fieri poterit, adhibeatur cantus ad huius quotidiani sacrificii oblationem[2], at saltem diebus dominicis et festis solemnibus.

35. Assidua haec personalis et obligatoria cooperatio publicis chori officiis, aliam obligationem supponit et exigit, quae a permultis conciliis et repetitis sacrae congregationis concilii decretis summopere commendatur, nempe residentiam[3].

Invigilabunt episcopi ne, ultra tempus a concilio Tridentino et statutis dioecesanis definitum, canonicorum vacationes protrahantur; curabuntque ut sic per vices absentias suas disponant canonici, ut nunquam cesset divinum officium, semperque convenienti servitio celebretur.

36. Episcopo celebranti, aut alia pontificalia exercenti, assistant et inserviant canonici, sive in ecclesia cathedrali[4], sive etiam in aliis civitatis ecclesiis[5].

## Caput VI.

### *De parochis, vicariis, capellanis et aliis presbyteris.*

Insigne admodum est officium parochorum quibuscum episcopus, iam a multis seculis, curam ac iurisdictionem partitur suae auctoritati subordinatam, et intra fines parochiae iure proprio exercendam. Quanto igitur aliis sacerdotibus suo munere praecellunt parochi, tanto cum episcopis strictiori filialis obsequii vinculo constringantur oportet. Ex qua sacra coniunctione quam multa bona profluant ab uno potest dignosci: nempe, singulis pastoribus cum sua plebe concordiae glutino, ut beati Cypriani verbis utamur, episcopo cohaerentibus et, per episcopum, supremo pontifici Christi vicario inseparabiliter connexis, omnium oculis splendescit suavis illa et decora ecclesiae unitas, quae eius adversariis terribilis est ut castrorum acies ordinata[6].

37. Ad tantam unitatem procurandam ac perpetuo retinendam, meminerint parochi caeterique sacerdotes in partem sollicitudinis episcopalis vocati, nihil sanctis patribus antiquius fuisse, quam ut firmissimam hanc regulam omnibus statuerent atque inculcarent, presbyteros scilicet, in iis quae ad ecclesiam spectant, episcopis esse obnoxios. „Episcopum, inquit illustris martyr Ignatius Antiochenus, sequimini ut Iesus Christus Patrem ...[7]; et quemadmodum Dominus sine Patre nihil facit ipsi unitus, ita et vos sine episcopo nihil agite.“[8]

38. Sanctae huius praeceptionis simul et promissionis in sacra ordinatione suo antistiti factae non obliviosi, parochi aliique sacerdotes reverentiae et obedientiae officia ipsi studiose persolvant; illud sancti Cypriani memoria recolentes, quod verissimum esse tristi experimento didicimus: Inde schismata et haereses obortae sunt et oriuntur, dum episcopus qui unus est et ecclesiae praeest, superba quorumdam praesumptione contemnitur, et homo dignatione Dei honoratus, indignus hominibus iudicatur[1].

Caveant ergo presbyteri et clerici omnes ne, superbia decepti, episcoporum acta, gesta vel decreta diiudicare aut discutere, multo magis vituperare ac carpere temerario quodam ausu aggrediantur; sed potius sint semper parati in arduis aut perplexis quaestionibus illos fidenter consulere, eorum stare mandatis, salutaria monita humili et submisso animo accipere, atque omnia sibi ab illis concredita quam fidelissime complere.

39. Post concordatum anni millesimi octingentesimi primi, invaluit in Galliis consuetudo, et etiam nunc viget, ut qui succursalibus ecclesiis praeficerentur presbyteri, iurisdictionem obtinerent ad nutum episcoporum revocabilem. Quam disciplinam, summo pontifice assentiente inductam, servandam esse ac retinendam censemus et iudicamus. Insuper et decernimus, ut, ad mentem summi pontificis felicis recordationis Gregorii XVI, „*in regimine ecclesiarum succursalium* (nostrae huius provinciae) *nulla immutatio fiat donec aliter a sancta apostolica sede statutum fuerit.*“[2]

40. Parochos omnes admonemus et hortamur, ut divinorum praeceptorum memores, factique forma gregis, populum sibi commissum in iudicio et veritate pascant ac regant[3].

Ut autem fidelius officium adimpleant, statuta concilii huius provincialis et suae quique dioecesis synodalia praescripta frequenter legant; a quibus ea omnia quae ad suam populique vitam moderandam pertinent, excipere et agnoscere possint[4].

41. Caveant ne unquam obliviscantur qui tabernaculo deserviunt, quia in his quae Patris coelestis sunt oportet eos esse. Enixe igitur illos omnes rogamus in Domino ut ab inordinato parentum amore se contineant; non pauca enim exinde plurimis provinciae nostrae ecclesiis provenire incommoda dolentes perspeximus, quibus promptum remedium afferri religionis maxime interest. Sciant parochi domum parochialem non esse suorum parentum, cognatorum vel eorum familiae domum. Quod si parentes, aut cognatos, quos secum habere ipsis canones et statuta dioecesana permittunt, in domum parochialem perpetuo recipere voluerint; id sibi non licere noverint, nisi gravissima de causa, eaque lege, ut praefati parentes aut cognati morum probitate conspicui, officio pastorali rite ac fructuose exequendo impedimento non sint, nec iis, quae quoquomodo ad parochiae regimen attinent, sese admiscere praesumant.

42. Sciant quoque parochi ad quos noster hic sermo pertinet, sacrorum canonum auctoritati et spiritui ecclesiastico omnino esse alienum[5] quod ex sacris ecclesiae reditibus rem familiarem suorum cognatorum augeant, aut, iisdem etiam pauperibus plus aequo largientes, non habeant ipsi unde possint et honeste vivere, et suae parochiae egentium necessitatibus subvenire.

Omnibus parochis districte et in virtute sanctae obedientiae inhibemus, ne pecuniam mutuo dent cum auctario suis parochianis. Iis pariter inhibemus, nec non omnibus in sacris ordinibus constitutis, ne, absque praevio episcopi consensu, vades

[1] Bened. XIV constit. *Cum semper*, n. 102, § *Haec igitur*, die 19 augusti 1744.

[2] Ibid.

[3] Concil. Trident., sess. XXIV, *de ref.*, cap. 12.

[4] Ibid.

[5] Decretum s. congregationis in Licien., apud Bened. XIV, *Inst.* CVII, n. 60.

[6] Cant. VI, 3, 9.

[7] *Ad Smyrn.*, n. 8, p. 86, *Patr. apostol.*, edit. Cotel., vol. II, p. 37. [*Patr. gr.*, ed. Migne, V, 714 B.]

[8] Ibid. *Ad Magnes.*, n. 7, p. 19 [ed. Migne, p. 668 B].

[1] *Epist.* LXIX *ad Florent. Pupian.*, p. 122 operum. edit. Baluz.

[2] Responsio summi pontificis Gregorii XVI ad episcopum Leodiensem, 1 maii 1845.

[3] Concil. Trident., sess. XXIII, *de ref.*, cap. 1.

[4] Concil. Tolosanum anno 1590, part. I, cap. 3, n. 2, [Mansi, *Conc.*, XXXIV, 1277 A].

[5] Concil. Trident., sess. XXV, *de ref.*, cap. 1.

et sponsores se constituant vel offerant; aut per argentariam syngrapham (gallice *lettre de change* vel *billet à ordre)* aut per simile chirographum pecuniam mutuentur.

Si haec non sufficiant, providebunt episcopi, etiam per ecclesiasticas censuras, ut hi omnes abusus penitus eradicentur.

43. Quos in adiutorium pastoralis officii vicarios habuerit, illos parochus paterno affectu suscipiat, fraternaque caritate ad pietatem, scientiam, disciplinam ecclesiasticam, omnium virtutum exercitia et munera parochialia obeunda, monitis et exemplis erudiat ac informet. Id ut facilius ac plenius praestetur, summopere optandum foret ut veluti pater cum filiis, simul parochus et vicarii habitarent unius moris in domo una. Quae communis vitae ratio, vel a primaevis ecclesiae seculis a patribus laudata et usitata, ac etiamnum in multis Galliarum dioecesibus religiose servata, non pauca gignit commoda tam ipsis parochis et vicariis quam fidelium gregi cui illi praeficiuntur; pleraque etiam damna et pericula sive spiritualia sive temporalia longius propulsat. Eosdem igitur omnes obtestamur ut huius communis vitae consuetudinem, ubi primum commode fieri poterit, amplectantur, amplexamque firmiter retineant.

44. Vicarios ipsos monemus atque hortamur ut, sui officii ac nominis memores, nihil, nisi ex consensu et beneplacito parochi, peragant; ipsum filiali reverentia et honore prosequantur, atque illius dictis et monitis attenti et dociles, ad omne opus bonum paratos semper et expeditos pro eiusdem nutu se praebeant; quem, infirmum praesertim aut senio laborantem, omni cura et affectu sustenteat ac consolentur.

45. Capellani qui in spiritualibus praeficiuntur monasteriis, collegiis, xenodochiis, carceribus atque aliis institutis, commendata sibi existiment quae de residentia, vigilantia, praedicatione verbi divini, aut puerorum ac rudium institutione, ac de ceteris ad se spectantibus quae infra exponentur: sint erga se invicem, sint praecipue erga parochum in cuius parochia situm est illorum domicilium vel institutum, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.

46. Presbyteri, qui absque titulo alicui parochiae inserviunt, sacris ecclesiae officiis, dominicis festisque diebus intersint peroptamus, et parochos adiuvare pro virili sint semper parati[1]: eos adhortamur ut quae de honestate et vita clericorum, de studio, aliisque rebus ad ipsos attinentibus nostra hac synodo vel statutis dioecesanis mandantur, diligenter custodiant.

## TITULUS II.

### De fide et doctrina.

### Caput I.

#### *De nonnullis hodierni temporis erroribus.*

Nostra tempora maxime spectare videntur haec beati Petri verba: *„In vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis.“*[2] Undique enim, ut olim querebatur sanctus Augustinus, urget nos diluvium aquarum multarum extollentium se adversus Deum et docentium superbas impietates[3]. Undique perstrepunt voces hominum perditorum, qui tanquam fluctus maris despumantes confusiones suas[1], omnigena doctrinarum portenta in fideles populos diffundere contendunt, et catholicam religionem labefactare, ac, si fieri unquam posset, funditus evertere commoliuntur.

Verum, cum nos Deus posuerit murum pro domo Israel ut staremus in praelio in die Domini[2], iusseritque, veluti doctores et pastores, non modo fidei depositum integrum illibatumque custodire, et contradicentes arguere, sed etiam oves nobis concreditas a malorum insidiis tueri et defendere, errantes revocare, nutantesque confirmare: idcirco, sacrarum scripturarum, conciliorum, sanctorum patrum, summorumque pontificum auctoritati, quae sola docendorum et credendorum in ecclesia catholica regula est, inhaerendo, nonnulla systemata quae eius fidei et doctrinae prorsus adversantur, et animarum saluti maximopere officiunt, denuntianda, reprobanda ac damnanda iudicamus.

47. In tanta porro errorum quibus circumdamur colluvie, quasi aliorum fons et origo, existit systema illorum qui philosophorum nomen sibi arrogantes, humanae rationis vim et excellentiam ita extollunt ut omnino independentem illam statuant. Unde, negantes ullam fidem ab ea deberi rebus a Deo revelatis, quatenus ab intelligentia summe veraci et infallibili dimanarent, procaciter asserunt nihil de religione credendum, nisi quod ratione directe et immediate percipiatur ac demonstretur.

Hoc impium systema totius revelationis necessitatem, possibilitatem et auctoritatem, ipsamque fidem christianam et catholicam quae, apostolo teste, *„argumentum est non apparentium“*[3] inficians et radicitus convellens, reiicimus et condemnamus.

Nec ideo rationi quae suae sunt partes abnuimus aut detrahimus. Infideli enim totam suae rationis vim in hoc impendere licet ut cognoscat et certam percipiat revelationis divinae credibilitatem: quatenus deinde gratiae divinae lumine et auxilio adiutus, possit actum fidei elicere, et eo modo credere, sicut oportet ad salutem. Quo facto, iam nihil illi superest, nisi ut in captivitatem redigat intellectum suum in obsequium Christi, hoc fundamento inconcusso firmiter innixus quod loquenti Deo prorsus credendum sit, ut qui nec fallere nec falli possit: quod quidem ipsimet rationis lumini et dictamini omnino consentaneum esse nemo inficiari poterit, qui Deum esse optimum ac perfectissimum crediderit.

Fideli vero et credenti iam nihil quaerendum est ut de fide certus fiat, et credere debeat; sed ut melius percipiat et intelligat quam luculenter probata, quam certa et vera sint ea quae per fidem iam recepit et securus tenet.

48. Neque minori sane fallacia divinae revelationis osores indesinenter proclamant nullam hodie perfectam existere religionem: christianismum quidem populis adhuc incultis ac rudibus olim profuisse; nunc vero antiquatum, statui novarum societatum, quae in dies proficiunt, non esse accommodatum, et ideo iam per philosophiam et rationem perficiendum. Illud autem impium systema totam religionis christianae essentiam perfida dissimulatione subvertit; haec enim non hominis est institutum, non philosophicum aliquod inventum, sed opus Dei summe sapientis praestantissimum, ab eiusdem Dei loquentis et praecipientis auctoritate suam vim, perfectionem, et stabilitatem iam a principio suo obtinens. Falso igitur scientia religionis cum

[1] Concilium provinciale Tolosanum, anno 1590, part. I, cap. 8, n. 14, [Mansi, *Conc.*, XXXIV, 1278 C].
[2] II Petr. II, 1 et seq.
[3] Enarr. in psalm. XXXI, n. 18 et seq., t. IV oper., col. 182, edit. Benedict.

[1] Iud. 13.
[2] Ezech. XIII, 5.
[3] Hebr. XI, 1.

scientiis humanis aequiparatur; dum progredientibus istis et novas quotidie veritates detegentibus et acquirentibus ipsam quoque religionis scientiam perfici posse ac debere, tum novarum veritatum accessione quae per rationem adinveniuntur, tum veterum dogmatum amandatione quae iam philosophicis progressibus non sunt accommodata, pessimi illi philosophi contendunt et affirmant. Immota enim semper stat, stabitque omnibus numeris absoluta, nec accessioni, nec imminutioni, nec transformationi obnoxia christiana veritas.

Nullusne ergo in ecclesia Christi profectus habebitur religionis? Habeatur plane et maximus, inquit Vincentius Lirinensis[1]. Et vero valde optandum est ut omnes et singuli christiani in dies proficiant in cognitione et amore domini nostri Iesu Christi, in conscientia bona, in fide non ficta, vera et viva, quae per caritatem omnium virtutum fructus operetur; ut mores ac leges populorum, ipseque totus civilis status magis ac magis christianae sapientiae spiritu imbuantur, et quasi divino sale condiantur; imo, ut doctores et philosophi christiani omnes ingenii sui vires in hoc impendant, ut rerum a Deo revelatarum seriem et iuncturam inter se, et cum naturalibus ipsius rationis principiis legibusque consensionem amplius atque amplius percipiant, intelligant et patefaciant; quo semper maiori et vividiori luce omnium oculis clarescat sapientia, quae in Christo eiusque sanctissima religione est abscondita.

Crescat igitur, et multum vehementerque proficiat, ait idem Vincentius Lirinensis, aetatum ac seculorum gradibus, tam singulorum quam omnium intelligentia, scientia, sapientia; sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia[2]. Ita profecto habebitur verus et ingenuus fidei et religionis profectus, sine permutatione, sine imminutione, sine ulla philosophica transformatione. Non enim nobis curiositate opus est post Christum Iesum, nec inquisitione post evangelium: cum credimus, hoc prius credimus, non esse quod ultra (aut aliter) credere debeamus[3].

Quisquis igitur alium religionis profectum possibilem, necessarium et fidei non repugnantem esse contenderit, sciat se a vera fidei regula, quae sola immobilis et irreformabilis[4] omnes dogmatum novitates excludit vetustati atque antiquitati contrarias[5], prorsus aberrare.

Caeterum, crescat et ipsa, proficiatque humana ac secularis scientia; quo quis enim pleniores in philosophia et scientiis naturalibus haustus ebiberit, eo propius accedet ad percipiendum, et intelligendum, et summo animi gaudio credendum altissimum illud et nunquam satis admirandum consilium Dei in nos, quod totum in revelatione christiana comprehensum reconditur.

49. Eo tandem impietatis nonnulli nostrae aetatis philosophi progressi sunt, ut tanquam suae doctrinae principium statuerint, unicam esse substantiam, divinam scilicet; seu, Deum esse omnia et omnia esse Deum. Hinc, Deum simplicissimum ac purissimum spiritum cum vili et crassa materia confundentes, ipsum revera destruunt: dogma catholicum de creatione, seu eductione creaturarum A e nihilo, scripturarum[1] et sacrae traditionis[2] auctoritate firmatum, respuere non reformidant; hominis personalitatem propriam, ipsius libertatem ab omni necessitate expertem, actuumque humanorum meritum ac demeritum tollere non verentur.

Adversus illud portentosum systema, coadunatis viribus palam contestamur; ipsique tanquam impenetrabile fidei scutum, definitionem magni concilii Lateranensis obiicientes, „firmiter credimus, et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, aeternus, et immensus, omnipotens, incommutabilis, incomprehensibilis et ineffabilis, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus; tres quidem personae, sed una essentia, substantia, seu natura simplex omnino. Pater a nullo, Filius autem a solo Patre, ac Spiritus sanctus ab utroque pariter, absque initio semper et fine. Pater generans, Filius nascens, et Spiritus sanctus procedens; consubstantiales et coaequales, B coomnipotentes et coaeterni, unum universorum principium, creator omnium invisibilium et visibilium, spiritualium et corporalium, et qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam; ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam. Diabolus enim et daemones alii, a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali; homo vero diaboli suggestione peccavit."[3]

50. Verum, tot inter errores quibus ecclesia in praesens afflictatur, latius ut cancer serpit *indifferentismus, seu tolerantismus*. Docet quippe in religionis negotio amplam unicuique a Deo factam esse libertatem, ut quamlibet sectam aut opinionem, absque salutis periculo, amplecti vel adoptare valeat, si mores ad recti honestique normam exigantur. Illud C systema iam primis ecclesiae seculis ab haereticis prolatum[4], a recentioribus philosophis innovatum, ab iisdem ita extensum fuit et amplificatum, ut non solum sectas omnes complectatur quae extra ecclesiam catholicam sunt, et revelationem tanquam basim et fundamentum admittunt; sed etiam illos omnes qui, spreta divina revelatione, purum deismum, imo purum naturalismum profitentur.

Tenet autem et docet, tenuit ac semper docuit ab omnibus retro seculis ecclesia catholica, absque

[1] *Commonit.* I, p. 350, edit. Baluz., Paris, 1669, [*Patr. lat.*, ed. Migne, L, 667].
[2] *Commonit.* I, p. 351, [ed. Migne, p. 668].
[3] Tertull., *De praescript.*, cap. 8, p. 205, edit. Rigalt., Lut. Paris., 1675, [cap. 7, opp. Tertulliani, ed. Migne, II, 21 A].
[4] Tertull., *De virgin. veland.*, cap. 1, p. 173, edit. Rigalt., Lut. Paris., 1675, [cap. 1, opp. Tertulliani, ed. Migne, II, 889 A].
[5] Vincent. Lirinens., ubi supra, p. 354, [ed. Migne, p. 670].

[1] Cf. Gen. I, 1, cum II Mach. VII, 28.
[2] S. Iren., lib. I, *Contra haeres.*, cap. 22, n. 1, p. 98, edit. Bened.; Tertull., *De praescript.*, cap. 13, p. 206, edit. Rigalt., Paris., 1675; et etiam *Adversus Hermogen.*, cap. 1 et 2, p. 233 [opp. Tertulliani, ed. Migne, II, 26 B, 198]; Origen., *De princip.*, n. 4, t. I, p. 47, edit. Bened.; s. Dionys. Alexand., ex primo lib. *Contra Sabellium*, p. 84 oper., edit. Rom., [*Patr. gr.*, ed. Migne, X, 1287]; s. Ambros., *Hexaëmer.*, lib. I, cap. 4, n. 16, t. I, D col. 8, edit. Bened.; Theodor., *Haeretic. fabul.*, lib. I, *De Hermogen.*, cap. 19, t. IV, p. 207, edit. Lut. Paris., 1642; et *In epist. ad Hebraeos*, t. III, p. 445; et rursus *Haeret. fabul.*, lib. V, cap. 5, p. 263 [opp. Theodoreti, edit. Migne, IV, 369 B, 464 III, 677 et seqq.]. Referre hic iuvat unum textum sancti Augustini: „*Et ideo Deus rectissime creditur omnia de nihilo fecisse, quia etiamsi omnia formata de ista materia facta sunt, haec ipsa materia tamen de omnino nihilo facta est. Non enim debemus esse similes istis qui omnipotentem Deum non credunt aliquid de nihilo facere potuisse, cum considerant fabros et quoslibet opifices non posse aliquid fabricare, nisi habuerint unde fabricent: Et ligna enim adiuvant fabrum ... ut possit perficere opera sua ... Omnipotens autem Deus nulla re adiuvandus erat, quam ipse non fecerat, ut quod volebat efficeret. Si enim ad eas res quas facere volebat, adiuvabat eum aliqua res quam ipse non fecerat, non erat omnipotens: quod sacrilegum est credere.*" *De Genesi contra Manichaeos*, cap. 6, n. 10, t. I, col. 649, edit. Bened.
[3] Concil. Lateran. IV, cap. 1, *de fide catholica*, [Mansi, *Conc.*, XXII, 981-2].
[4] Eusebii, *Histor.*, lib. V, cap. 18, p. 144, edit. Amstelod., 1695, [opp. Eusebii, edit. Migne, II, 461 A]; s. August., *Lib. de haeres.*, cap. LXXII, t. VIII, col. 23, edit. Bened.

dubio in aeternum perituros qui fidem suam inte- A gram inviolatamque non servaverint[1]; nec magis ad aeternam salutem perventuros esse, qui ab eiusdem ecclesiae sinu exsorres sint, quam temporibus diluvii salvari potuere qui extra arcam Noe remanserunt[2]. Quicunque ergo ad salutem promerendam, aeternasque inferni poenas devitandas sufficere contendunt, quod quis in Iesum Christum credat et felicitatem futurae vitae per eius merita firmiter speret, modo praecepta servet decalogi, aut etiam honeste vivat secundum legis naturalis dictamina, ii omnes prorsus evertunt divinam auctoritatem ecclesiae, *extra quam nullus omnino salvatur*[3].

51. Nec satis est infensissimis religionis catholicae inimicis ponere in coelum os suum, sanctissima dogmata a Deo revelata blasphemando; quin etiam lingua eorum transivit in terra, et quibus innititur ac regitur humana societas morum principia convellere nituntur. Huc spectant nefaria novi *socialismi* B et *communismi* systemata, quorum assertores ac magistri non in eo sistunt, ut, exemplo veterum haereticorum, ecclesiae denegent ius proprietatis in bona temporalia; sed eo usque progrediuntur, ut, sub velamine libertatis aut aequalitatis evangelicae, alias pariter aliorum proprietates occupari ac dispertiri, aut alia quavis ratione in omnium usum converti posse comminiscantur; imo et commentum istud, sacrarum scripturarum sanctorumque patrum auctoritate, ac primorum christianorum exemplo fulciri, palam scribere ac praedicare non verentur.

Iam vero ementitum istud, plenumque erroris systema detestamur ac damnamus. Quis enim, vel primis doctrinae christianae elementis imbutus, ignorare potest nullo libertatis aut aequalitatis obtentu fieri unquam posse, ut aliena bona vel iura invadere, aut quomodolibet violare licitum sit? Perspicua certe sunt et passim inculcata in sacris C litteris praecepta, quibus nedum ab occupatione alienarum rerum, sed ab ipso etiam desiderio districte prohibemur[4]. Nec minus luculenta frequenter occurrunt hoc in genere, sive conciliorum, sive sanctorum patrum et doctorum testimonia[5], quorum nonnulla hic referenda duximus[6].

Quod attinet ad exemplum christianorum nascentis ecclesiae, Ierosolymis demorantium, quod actibus apostolorum perhibetur[1], legenti patet eos, ex fervido ac plene libero perfectae charitatis ac paupertatis christianae affectu, non aliena sane, sed sua bona, suos agros, suas domos, suasque possessiones vendidisse, et eorum pretium apostolis dedisse in egenos ab ipsis dispertiendum. Quo facto, nedum infirmetur ius proprietatis, quin et evidenter demonstratur; cum legitima venditio et donatio apud omnes sint actus veri et indubitati dominii. Quod et aliunde haud obscure subindicatur his verbis beati Petri ad Ananiam, qui de agri venditi pretio, iam non suo, sed Deo per votum dicato, fraudaverat: *„Nonne manens tibi manebat, et venundatum in tua erat potestate?“*[2]

## Caput II.

### *De libris prohibitis.*

Inter innumera scandala mundi istius, quem totum in maligno positum divina testantur eloquia, nullum forte est quod animarum integritati et saluti, imo et felicitati publicae detrimentum maius inferat, quam scilicet impressoriae artis effrenata licentia.

Quotidie enim exsurgunt viri non solum loquentes, verum etiam scribentes et passim seminantes perversa, quibus diversimode et aperte aut religio impugnatur, aut boni offenduntur mores, ipsaque civilis societas quasi repetitis ictibus ita concutitur, ut ineluctabili ruinae, nisi adiuvet Deus, proxima esse videatur.

Nec desunt, quod luctu dignissimum est, avitae fidei et proprii honoris desertores, quorum opiniones et documenta, plena veneno mortifero, seducunt corda innocentium, dicti huius evangelici immemores: *„Vae homini illi per quem scandalum venit!“*[3]

Quod quidem scandalum, si per solam episcoporum auctoritatem penitus tolli nequeat, saltem iuris ac muneris nostri est illud fidelibus denuntiare, et omni ope allaborare ut exitiosi illius pestis effectus quam maxime impediantur.

Quidquid lege civili nunc aut postea sanciatur circa illimitatam scribendi et in vulgus scripta spargendi libertatem, nemini diffiteri licet quin pastoribus ecclesiae, quibus docendi munus a Christo creditum est[4], censuram exercere in religiosis quaestionibus merito competat.

[1] Ex symbolo *Quicumque*.

[2] S. Cyprian., *De unit. eccles.*, p. 195 oper., edit. Baluz.; s. Hieron., *Epist. ad Damas. papam*, n. 2, t. I, p. 39, edit Vallars., Veron., 1766, [opp. s. Hier., ed. Migne, I, 355]; s. August., *De baptism. contra donatist.*, lib. V, cap. 28, n. 39, t. IX, col. 160, edit. Bened., Paris; s. Fulgent., *De remiss. peccat.*, lib. I, cap. 20, p. 375 oper., edit. Paris, 1684 [*Patr. lat.*, ed. Migne, LXV, 543].

[3] Concil. Lateran. IV, cap. 1, *de fide cathol.*, [Mansi, *Conc.*, XXII, 981-2].

[4] Exod. XX, 15. 17; Deuter. V, 19; Habac. II, 6, 11, 12; I Cor. VI, 9 et 10 etc.; vide epist. encycl. summi pontificis Pii IX ad Italiae episc., *Nostis*, § *Sciant praeterea*.

[5] S. Ambros., *De offic.*, lib. I, cap. 24, n. 115, t. II, col. 31, edit. Bened., et lib. III, cap. 11, n. 73, col. 128.

S. Hieron., *Comment. in Zachar.*, lib. I, cap. 5, t. VI, col. 816, edit. Bened., Venet., etc., etc., [opp. s. Hier., VI, 1448 C].

S. August., *Epist. ad Macedon.* CLIII, n. 20 et seq., t. II, col. 532, edit. Bened.

S. Chrysost., *Comment. in Ioann., homil.* LX, n. 6, t. VIII, p. 359, edit. Bened.; et *homil.* LII *in Matth.*, t. VII, p. 536 et seq.

S. Leon., *Epist.* CXXXIII *ad Nicet., episc. Aquil.*, cap. 2, t. II, p. 44, edit. Cacciar., [al. *Epist.* CLIX, opp. s. Leonis, edit. Ballerini, I, 1331].

[6] *„Legimus in actibus apostolorum: ‚Turba autem eorum qui crediderant anima ac mente una agebat ..., nec quisquam suum indicabat ex bonis quae eis erant, sed fuerunt illis omnia communia.‘ ... Quo aequalitatis exemplo qui possessor in terris reditus ac fructus suos cum fraternitate partitur, dum largitionibus gratuitis communis ac iustus est, Dei Patris imitator est.“* S. Cyprian., *De opere et eleemosynis*, oper. p. 246, edit. Baluz.

*„Furtum certe punit lex tua, Domine, et lex scripta in cordibus hominum, quam nec ipsa quidem delet iniquitas. Quis enim fur aequo animo furem patitur?“* S. August., *Confess.*, lib. II, cap. 4, n. 9, t. I, col. 84, edit. Bened.

*„Neque enim si agris inique ac perperam invasis ita quisque utatur, ut ex eorum fructibus largas eleemosynas faciat, ideo rapinam iustificat; neque si alius ruri paterno vel iuste quaesito avarus incumbat, ideo culpanda est iuris civilis regula, qua possessor legitimus factus est ...; aliud est namque* D *iniusta potestate iuste velle uti, et aliud est iusta potestate iniuste uti.“* Idem, *De bono coniug.*, cap. 14, n. 16, t. VI, col. 329.

*„Non vides quomodo omnia communia nobis Deus permisit? Nam si pauperes esse permisit, id in divitum gratiam fecit, ut possint per eleemosynam peccata deponere.“* S. Chrysost., *Homil.* LXXVII *in Ioann.*, n. 5, t. VIII, edit. Bened., p. 457.

[1] Act. II, 44 et seq.; IV, 32.

[2] S. Hieronym., *Epist.* CXXX *ad Demetriad.*, n. 14, t. I, col. 990, edit. Bened., Venet., 1766, [opp. s. Hier., edit. Migne, I, 1118].

S. August., *Serm.* CXLVIII *de verbis act. apost.*, cap. 2, t. V, col. 704, edit. Bened.

S. Chrysost., *In acta apost. homil.* XII, n. 2, t. IX, p. 98, edit. Bened.

S. Fulgent., *Epist.* I, *de debit. coniug.*, cap. 8, n. 17, p. 149, edit. Paris., 1694, [*Patr. lat.*, edit. Migne, LXV, 309 A].

S. Greg. papae, *Epist.*, lib. I, epist. XXXIV, t. II, col. 523, edit. Bened., [opp. s. Greg., edit. Migne, III, 486 A].

[3] Act. V, 4.

[4] Matth. XVIII, 7.

[5] Matth. XXVIII, 20.

Ea quippe fuit, vel ab apostolorum aetate, disciplina[1], cui apprime concordant leges in synodo Lateranensi V eam in rem datae, nec non constitutio deinceps a Leone X edita[2], et a Tridentinis patribus innovata[3], insuper et epistola encyclica Clementis XIII, de noxiorum librorum proscriptione[4], quae cuncta fortiter ac luculenter confirmat felicis recordationis Gregorius XVI[5].

52. Quapropter, omnes libros quovis sermonis genere et idiomate compositos, impietate, pravitate haeretica, vel lascivia infectos, damnamus et reprobamus; illos proinde temeriter legere, absque necessitatis utilitatisve causa asservare, et legendos indiscriminatim tradere prorsus illicitum declaramus. Caeterum, quoad libros vetitos, serventur apostolica decreta de impetranda a Romano pontifice licentia eos retinendi ac legendi.

53. Huic reprobationi ac declarationi subiiciuntur scripta etiam periodica quae iisdem vitiis forent infecta.

54. Maxima vigilantia utantur parochi et confessarii erga parochianos et poenitentes, parentes et magistri erga liberos et alumnos, domini erga famulos, ut in eorum manibus non versentur huiusmodi libri aut scripta quaelibet perniciosa vel suspecta. Insuper, et sacerdotes vivide hortamur eorumque zelum excitamus ut, quantum locorum ac personarum ratio suggesserit, inter fideles diffundantur ea solummodo quae doctrinam sanam proferant, nec non ad virtutis cultum lectorum mentes accendant, aut saltem inoffenso pede decurri possint.

### Caput III.

*De approbatione librorum ad religionem spectantium.*

55. Eos ante omnia monitos volumus qui in posterum scripta de religione tractantia edituri sunt, ingenii robur aut venustatem multo minus prodesse quam cordis munditiem et sanam eruditionem. Ea propter seipsos prius exerceant ad pietatem[6]; attendant lectioni et doctrinae; instent in illis[7]; consilia a doctioribus et maturioris aetatis hominibus perquirant; humili imprimis oratione ab eo illuminari mereantur qui dat sapientiam sapientibus et scientiam intelligentibus disciplinam[8]: ne forte a conscientia et fide aberrantes, convertantur in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant[9].

56. Dent studiosius operam quibus aliorum regimen incumbit, ut ab indoctis praesertim et iuvenibus non legantur libri, etsi de religiosis rebus disserentes, authenticis tamen et enucleatis destituti testimoniis: quandoquidem doceat experientia, sub mendaci aut fucato titulo cum bonis seminibus spinas coalescere, et medicinis venena saepius intermisceri.

57. Diligenter inspiciant provinciae huius episcopi, adhibitis, si illud expedire opinentur, nonnullis peritis viris, manuales et precarios libros, qui in quotidiano usu apud fideles sunt, ne quid contineant contrarium veritati catholicae et veris historiis sanctorum, aut superstitionibus affine, aut quod aliqua ratione disciplinam ecclesiasticam morumque probitatem inficiat; atque ubi indigesta minusque rectae pietati congrua repererint, quam proxime emendari curabunt.

58. Nullus deinceps, sive clericus sive laicus, absque praevio et aperto ordinarii permissu, libellos aut pagellas imprimi faciat et diffundat, quibus laudarentur et commendarentur fidelibus nova, insolita et hactenus in ecclesia incognita pietatis exercitia, aut novae sodalitates, aut etiam novae indulgentiae, quarum authenticitas non canonice constaret.

59. Sciant omnes typographi sibi non licere quosvis libros de rebus sacris, potissimum vero breviaria, missalia, ritualia, aut alios id genus, et eos pariter in quibus christianae doctrinae exponuntur elementa, qui vulgo catechismi vocantur, antequam ab episcopo, vel ab eius delegato recogniti et manus propriae subscriptione muniti fuerint, per se vel alios excudere et imprimere; et si secus egerint, se episcopalia iura laedere et Tridentinis decretis refragari[1].

## TITULUS III.

### De cultu divino.

### Caput I.

*De sacramentis.*

Quaecunque sacramentorum institutionem, numerum, essentiam, effectus, necessitatem, usumque spectant definivit concilium Tridentinum[2]. Cuius doctrinae provincialis synodus summa veneratione inhaerens, tenendamque declarans, nonnullas tantum disciplinares regulas statuendas seu memorandas censuit.

**De baptismo.**

60. Attentis baptismi necessitate et innumeris quae vitae limen obstruunt periculis, infantes recens natos quamprimum baptizandos parentes offerant. Caeremoniae baptismi, nisi instante necessitate, ab ipso baptismo non separentur.

61. Excepta necessitatis causa, baptismus semper conferendus est in ecclesia ubi parochialia fiunt officia, et intra parochiae limites in qua natus est infans. Si autem, permittente episcopo vel parocho, conferatur in aliena parochia, actus collati baptismatis in utriusque parochiae regestis inscribatur.

62. Invigilent ecclesiarum praefecti ut obstetrices valide baptizandi modum calleant, et quando ab illis vel ab aliis laicis, instante necessitate, collatum fuerit baptisma, diligens fiat a sacerdote inquisitio de eius validitate. In dubio, conferatur sub conditione baptismus, et de collato sub conditione baptismo mentio fiat in regestis.

Expositi infantes sub conditione baptizentur, licet affixa reperiatur schedula quae eos baptizatos esse testetur, nisi indicetur parochia ubi baptizatus fuerit infans, et inventa schedula concordet cum regesto.

63. Susceptores, qui patrini dicuntur, sui muneris dignitatem edoceantur; non quilibet admittantur, cum patrini pro parvulis fideiussores sese constituant, nomine eorum respondentes[3]. Arceantur haeretici[4], et ii omnes quorum admissio scandalum foret, vel quos non admittit locorum

[1] Act. XIX, 18 et seq.

[2] Concil. Lateran. V, sess. X, [Mansi, Conc., XXXII, 912 C].

[3] Concil. Trident., sess. XVIII, *decret. de libr. delectu*, etc., et sess. XXV, *de indic. libror.*

[4] Epist. encyclic. summi pontificis Clement. XIII *Christianae*, die 25 novembris 1766, in *Bullar. Roman.*, continuat., t. III, p. 295 et seq.

[5] Epist. encyclic summi pontificis Gregorii XVI *Mirari*, 15 augusti 1832, § *Verum longe*.

[6] I Tim. IV, 7.

[7] I Tim. IV, 13 et 16.

[8] Daniel. II, 21.

[9] I Tim. I, 6-7.

[1] Concil. Trident., sess. IV, decret. *de edit. et usu sacr. libr.*

[2] Concil. Trident., sess. VII.

[3] Concil. Coloniense, anno 1536, part. VII, cap. 4, [Mansi, Conc., XXXII, 1256 D].

[4] Concil. Tolosanum, anno 1590, part. II, cap. 2, n. 10, [Mansi, Conc., XXXIV, 1284 E].

laudabilis consuetudo. Clerici in sacris constituti susceptores non sint, etiam per procuratores, nisi de licentia episcopi. Item, non admittantur susceptores, nisi unus saltem e duobus prima communione fuerit refectus. In difficilibus casibus, consulatur episcopus, vel saltem decanus.

64. Habeantur duo regesta, unum pro archivis ecclesiae, alterum pro archivis dioecesanis. Singula acta continuo et successive sunt inscribenda. Accurate notentur nativitatis data et locus, infantis sexus et praenomina; item nomina, praenomina, et domicilium patris, matris, et susceptorum; necnon matrimonium parentum canonicum aut civile. In ecclesia, non domi, teneantur regesta. Districte prohibemus ne rectores, vice-rectores et vicarii alio vocati ea secum asportent, et ne heredes, mortuo rectore, illa e parochia auferant.

65. Cum rationem reddituri sint pastores pro omnibus ovibus sibi commissis, diligenter inquirant an sacro lavacro fuerint renati quicunque ad primam communionem, aut confirmationem, aut matrimonium accedere volunt: et ab eis testimonium scriptum de suscepto baptismo exigant, vel legitimam de hoc faciant inquisitionem.

66. Fontes baptismales clausos clavibus teneant: iidem nitidi sint et a quocunque impedimento liberi [1]. Vascula sacrorum oleorum munda sint, et super unoquoque, non autem in operculo, exaretur integra inscriptio.

### De confirmatione.

67. Neglectae impugnataeque fidei tum semper, tum his maxime temporibus, omnibus auxiliis videtur esse succurrendum [2]; et cum ad id potissimum institutum fuerit confirmationis sacramentum, praecipimus omnibus presbyteris curam animarum habentibus, ut cum ad ecclesias suas episcopum venturum intellexerint, moneant populum sibi commissum ut ad illud suscipiendum se praeparent, quod tunc sine animae periculo negligere nequeunt.

68. Omnes confirmationis sacramentum recepturi edoceantur tum de illius natura et effectibus, tum de conditionibus necessariis ad ipsius legitimam susceptionem. Nullus admittatur quin prima communione fuerit refectus, aut saltem proxime sit reficiendus. Quicunque vero ad illud suscipiendum accedent, testimonium scriptum exhibeant quod praescriptis conditionibus satisfecerint.

Quicunque nomen aliquod ridiculum, aut christiano minus aptum in baptismo sortitus est, aliud decentius convenientiusque ab ipso episcopo in sacramento confirmationis accipiat.

In regestis inscribantur nomina et aetas omnium qui confirmationis sacramentum susceperint, nomen patrinorum, et episcopi, qui illud administraverit.

### De confessione et communione paschali.

69. Meminerint confessarii poenitentiae sacramentum laboriosum esse baptisma [3], ac proinde non exiguam requirere curam, tum ex parte poenitentis, tum ex parte ministri. In praeviis ergo dispositionibus exigendis, in concedenda vel differenda absolutione et in satisfactionibus iniungendis, regulas a rituali Romano, a sancto Carolo, et ab auctoribus probatis traditas sequantur.

70. Suspensionem ipso facto incurrunt confessarii qui citra necessitatis casum, verbi gratia, morbi aut surditatis poenitentis, confessiones feminarum alibi quam ad crates, et in loco sacro et publico excipiunt.

71. Paterno affectu admoneant ecclesiarum praefecti, hortentur, rogent et obsecrent per viscera misericordiae Dei nostri, omnes et singulos suae curae commissos ut, singulis annis, saltem in paschate, iuxta praeceptum sanctae matris ecclesiae, divinum eucharistiae sacramentum accipiant; et in hoc unitatis signo, in hoc vinculo caritatis, in hoc concordiae symbolo iam tandem aliquando conveniant et concordent [1].

72. Communio annua, tempore paschatis, et in propria parochiali ecclesia recipienda est.

Ad hanc annuam sacrae eucharistiae receptionem tempore paschali tenentur aegroti et infirmi: eos proinde invisere, et sacra communione reficere curet proprius sacerdos.

Quantocius etiam ad primam huius sacramenti perceptionem admittantur pueri, quos congrua pietate et sufficienti mysteriorum fidei scientia praeditos iudicaverint parochi vel confessarii [2].

### De matrimonio.

73. Sollicite occurrant pastores perniciosae huius seculi contagioni, quae carnis libertati favens, sacramentum matrimonii vel spernit vel maculat, et totis viribus nitantur ut qui nubere volunt, in Christo nubant.

Pastores quamprimum futuros sponsos moneant, per se, vel saltem per vicarium ad hoc specialiter delegatum, et nunquam per sacristam laicum, de iis omnibus quae ab ipsis requirenda sunt ut rite contrahere possint.

74. Cum impedimentum sive publicum sive occultum detegitur, ad episcopum illico recurrendum est, ut de opportuno remedio citius provideatur. In inquisitionibus praescriptis circa naturam et gradum impedimenti, ac veritatem rationum in supplici libello allatarum, omnes ad amussim serventur formalitates quae ab episcopo vel ab officiali requirentur.

75. Matrimonii celebrationem semper praecedat, ubicunque de iure facienda est, trina bannorum proclamatio, aut per episcopum dispensetur [3].

Suspensionem ipso facto incurrunt parochi et quilibet sacerdotes qui, sine licentia proprii parochi vel episcopi, alterius parochiae sponsorum matrimonium celebrant [4].

Matrimonia non tempore prohibito, non in privatis oratoriis, non post meridiem, nec ante horam quartam matutinam tempore aestivali, et quintam hyemali, aut extra missam, nec eodem die quo ultima bannorum proclamatio facta est celebrentur, absque licentia episcopi [5]. Optandum est ut missa dicatur ab eodem sacerdote qui mutuum consensum receperit.

76. Matrimonia mendicorum, vagorum, et extraneorum qui nullibi sufficiens domicilium habent, non prius celebrentur quam diligens facta fuerit inquisitio de eorum aetate, patria, religione, ac libertate quoad matrimonium, et speciale mandatum ab episcopo fuerit obtentum [6].

77. Mandamus ac praecipimus, sub excommunicationis poena, omnibus qui civili tantum

[1] Concil. Tolosanum, anno 1590, part. II, cap. 2, n. 8, [Mansi, ibid.].

[2] Concil. Tolosanum, anno 1590, part. II, cap. 3, n. 1, [Mansi, *Conc.*, XXXIV, 1285 B].

[3] Concil. Tridentin., sess. XIV, *de poenit.*, cap. 2.

[1] Concil. Tridentin., sess. XIII, *de eucharistia*, cap. 8 et can. 9.

[2] Concil. Tolosanum, anno 1590, part. II, cap. 5, [Mansi, *Conc.*, XXXIV, 1287].

[3] Concil. Tridentin., sess. XXIV, *de ref. matr.*, cap. 1.

[4] Concil. Tridentin., ibid.

[5] Concil. Ebredunense, anno 1727, cap. 14, can. 3, [Mansi, *Conc.*, XXXIV, 1926 B]: concil. Tolosanum, anno 1590, part. II, cap. 8, [Mansi, *Conc.*, XXXIV, 1290].

[6] Concil. Tridentin., sess. XXIV, *de ref. matrim.*, cap. 7.

matrimonio iunguntur, ut quamprimum societatem A suam canonico matrimonio ratam faciant. Fideles moneant parochi de hac censura quotannis, dominica tertia quadragesimali.

Patres concilii fausta quaeque precantur eximiae laicorum societati, quae, sub patrocinio sancti Francisci Regis, tollendis huiusmodi scandalis Tolosae sese devovit: eam hortantur ad zelum ingeminandum, et omnes ecclesiasticos monitos volunt ut fidenter ad eam recurrant, eique vicissim, occasione data, operam libenter praestent.

78. Accurate teneantur regesta, et in ipsis mentio fiat de anno, mense, die et loco celebrationis matrimonii, de bannorum proclamatione, de contractu civili, de impedimentorum sive dirimentium sive prohibentium dispensatione, de delegatione sacerdoti concessa, si fuerit necessaria; tandem de nomine, praenomine, qualitate et domicilio tam contrahentium quam adhibitorum B testium.

## Caput II.

*De dominicis et festis rite celebrandis.*

Vehementer dolet provincialis synodus lugendam dierum dominicarum et festorum de praecepto violationem; singulosque episcopos, sacerdotes, imo et fideles qui zelum legis habent, obsecrat ut unusquisque, in quantum valet, verbo, auctoritate, et exemplo allaboret ad tollenda huiusmodi scandala.

79. Sollicite ergo curent pastores ut, extra necessitatem, in parochiis suis cessent his diebus ruralia et servilia opera, ac etiam non necessariae rerum nundinariarum vecturae; utque claudantur officinae, et a publicis mercatibus abstineatur. Quapropter, diligentissime commendentur, foveanturque sodalitates quae specialiter invigilant ne dies dominica et festa de praecepto servilibus operibus C profanentur. Populos etiam excitent parochi ut, praeter missae auditionem, ad quam sub gravi tenentur, vespertinis praesertim cultus publici exercitiis assistant.

80. In privatis capellis nulla celebretur missa in die sancto paschae et pentecostes, in natali Domini, in festo Corporis Christi, Assumptionis beatae Mariae, Omnium sanctorum, et patroni titularis parochiae.

Quo tempore, dominicis festisque aliis diebus, divina officia celebrantur, concionesque aut in cathedrali, aut parochiali ecclesia publice habentur, nullae in confraternitatibus caeremoniae, nulla sacra peragantur [1].

81. Et canonum ratio et disciplina ecclesiastica id maxime postulat, ut ad ecclesiam parochialem fideles quam frequentissime conveniant; ideoque, sacra Tridentina synodus ab episcopis D fideles non solum hoc moneri voluit, ut frequenter ad proprias parochiales ecclesias saltem dominicis diebus festisque maioribus accedant [2]; sed illud etiam diligenter ostendit, unumquemque teneri, ubi commode fieri potest, parochiae suae interesse ad audiendum verbum Dei [3]. His igitur eiusdem Tridentinae synodi decretis, et veteri salutarique exemplo adducti, cum populum urbis, dioecesis provinciaeque nostrae rebus ad salutem necessariis instructum summopere in Domino cupiamus, eos universos ac singulos cohortamur, ac per viscera misericordiae Iesu Christi obsecramus et obtestamur, ut quamvis in suis viciniis, oratoria aut

[1] Concil. Tolosanum, anno 1590, part. III, cap. 7, n. 3, [Mansi, *Conc.*, XXXIV, 1301 D].

[2] Concil. Trident., sess. XXII, decret. *de observ. et evit. in celebr. miss.*

[3] Ibid., sess. XXIV, *de ref.*, cap. 4.

A capellas habeant, ubi sanctissimo missae sacrificio interesse possint, frequenter tamen, dominicis saltem aliisque solemnibus festis diebus, ad suam quique parochialem ecclesiam conveniant: ubi a parocho, cui cura commissa est, verbo Dei pascantur, fidei christianae rudimentis, aliisque animarum saluti necessariis praeceptis erudiantur, ad sanctissima sacramenta religiosius percipienda instruantur [1].

## Caput III.

*De cantu et musica.*

Meminerint episcopi, rectores et quilibet ecclesiarum praefecti, cantum ecclesiasticum divinorum officiorum solemnitati non parum inservire. Mens enim nostra varios fidei, amoris, supplicationis et poenitentiae sensus canticis pie modulatis facilius elicit et altius effert: ideoque sacra liturgia tam veteris quam novi testamenti cantum admisit, et B canticis semper memorata fuerunt Dei beneficia, relatae victoriae, felices eventus, imo et calamitates, clades, exilia, et ruinae: ut populus animi sive gaudentis et laudantis, sive afflicti et deprecantis debita Deo tributa melius praestaret.

Invigilandum autem semper fuit ne irreperent abusus et vitiaretur sive sublimitas verborum, sive maiestas et simplicitas sonorum, ac proinde ne laederetur cultus divinus nedum proficeret. Hinc prohibitum est ne admitterentur cantica a privatis composita, sed tantum cantica sacrarum scripturarum et hymni, prosae et officia canonice approbata. Prohibitum est etiam ne piis, gravibus et maiestuosis sonis substitueretur levis, lasciva et ridicula musica, quae mundi concupiscentias magis quam Dei cultum redoleat [2]. Hinc concilium Tridentinum decrevit ut seminariorum alumni cantus ecclesiastici disciplinam addiscerent [3]. Quibus dili- C genter perpensis, provincialis synodus praecedentium conciliorum innumeris hac de re constitutionibus inhaerens, haec servanda statuit:

82. Reviviscant si non sint, et si sint floreant apud ecclesias cathedrales puerorum choristarum scholae, iique iuxta mentem concilii Bituricensis instituantur [4].

83. Ecclesiarum rectores provideant ut chorus regatur a peritis in cantu ecclesiastico qui planus dicitur seu firmus; is enim rite peractus, a piis et doctis libentius auditur et cantui harmonico seu musico merito praefertur [5].

Liceat tamen, praecipue diebus solemnibus, proferre supra cantum simplicem aliquas consonantias (gallice *faux bourdons*); sic tamen ut ipsius cantus integritas illibata permaneat, et nihil ex hoc de bene morata musica immutetur [6].

84. In seminariis lectionem cantus omnes fre- D quenter adeant, ut clerici, cum ad sacerdotium fuerint evecti et ad regimen alicuius ecclesiae vocati, scholas cantorum instituere valeant, eisque praeesse, exemplo sancti Gregorii magni, non dedignentur: et ita, vel per se vel per scholares, publicum officium faciant expleri.

85. Cum necessitas incumbit laicos cantores ad pulpitum admittendi, curent parochi ut ii a choro removeantur qui donum sibi divinitus col-

[1] Ex concil. Mediolan. VI, cap. 6, [Mansi, *Conc.*, XXXIV, 804 A]; vide Bened. XIV, *De synodo dioeces.*, lib. XI, cap. 14, n. 10, 12 et 13.

[2] Concil. Trident., sess. XXII, *de observ. et evitand. in missae celebratione.*

[3] Concil. Trident., sess. XXIII, *de ref.*, cap. 18.

[4] Concil. Bituricense, anno 1584, tit. 14, [Mansi, *Conc.*, XXXIV, 892].

[5] Encycl. Bened. XIV, die 19 februari 1749, *De cultu*, § *Altera*, in *Bullar.*, t. III.

[6] Extrav. comm. *Docta, de vita et honest. cleric.* (III, I).

latum publicis vitiis foedaręt, ut iis credatur qui studiose quoad officium oris, et devote quoad officium cordis hoc munus adimpleant.

86. Nunquam, intra officia parochialia, cantus audiantur vernaculo idiomate, nisi primae communionis, vel confirmationis diebus. Cum autem hisce diebus, vel in processionibus, vel in missionum, aut mensis beatae Mariae dicati exercitiis, aliisque huiusmodi, puellarum cantus a parochis admittentur, ita sinti et verbis et modulationibus simplices, ut plebs mente et voce illos comitari possit [1].

87. Musice cum strepitu et instrumentis raro et caute adhibeatur; atque ita instituatur, ut nihil profanum, nihil mundanum aut theatrale resonet [2]. Sedulo igitur cavenda sunt lascivia vel inepti tumultus sonorum qui verba penitus destruentes, aures tantum inaniter aut periculose delectant. Haec enim nedum fidelium mentes ad affectum Dei excitent et animos ardentius moveant ad pietatem, quin et veros adoratores quos Pater quaerit, vel affligunt, vel e templo expellunt.

88. Organa, quorum usum ecclesia a patribus ad cultum servitiumque divinum accepit [3], et campanas quae benedicuntur ut sint tubae ecclesiae militantis, quibus vocetur populus ad conveniendum in templum et audiendum verbum Dei [4], levibus sonis et inhonestis cantiunculis resonare expresse prohibemus [5].

## TITULUS IV.

### De disciplina.

### Caput I.

*De cura, vigilantia, et residentia pastorali.*

Salutis animarum procurandae obligatio gravis formidandaque incumbit iis omnibus qui pastorali officio addicuntur, dicente Domino per prophetam: *„Vae pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: nonne greges a pastoribus pascuntur? . . . Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum.“* [6]

89. Parochos itaque et omnes quibus animarum cura commissa est admonemus ut, iuxta divinum oves suas agnoscendi praeceptum, quanta maxima possint diligentia observent sibi commendatum gregem, neque ab eo unquam oculos deiiciant, quid ei opus sit animadvertentes, ut, ex prophetae sententia, confractas partes alligare, infirmas consolidare, aegrotas sanare, abiectas oves reducere, perditas requirere et recuperare possint [7]. Novorum suae parochiae inquilinorum mores, vitam fidemque diligentissime observent; deque mulierum quas secum habuerint cognatione, matrimonio, honestate, quoad fieri poterit, prudenter inquirant [8].

90. Et quia mors Christi, cuius mysterium incruente renovatur in altari ecclesiae, causa est omnium gratiarum, missam celebrent parochi, hora parochianis opportuniore, etiam non feriatis diebus; quo fideles habentes fiduciam in sanguine Christi et accedentes cum vero corde in plenitudine fidei, ampliorem misericordiam inveniant in auxilio opportuno.

Missam parochialem celebrare et applicare debent pro populis sibi commissis diebus dominicis, et festis a iure praescriptis [1].

91. Verbo salutis populum suum assidue pascant quicunque parochiales, aut alias curam animarum habentes ecclesias quocunque modo obtinent. Quamobrem, non solum diebus dominicis et festis solemnibus, iuxta sacrosancti concilii Tridentini praeceptum, plebes sibi commissas instruant et exhortentur [2]: sed multo frequentius eas, quadragesimali tempore praesertim, de divinae legis observatione commonefaciant, ut in peccato fugiendo, virtuteque sectanda, promptiores et studiosiores existant.

92. Nec solum subditis rectores animarum sacramenta fideliter et diligentissime dispensent, etiam cum vitae suae periculo, ubi occurrit extrema salutis necessitas; verum eos ad illa rite suscipienda fervide cohortentur: per sacramenta etenim vera iustitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur [3]. Facilem proinde omnibus, pro temporum et locorum circumstantiis, ad sacrum poenitentiae tribunal aditum praestent. Utque fidelis populus maiori cum reverentia et animi devotione ad sacramenta accedat, illorum vim et usum, pro suscipientium captu, pie prudenterque etiam lingua vernacula, si opus sit, frequenter explicare non omittant.

93. Omnibus experimento satis compertum est non parum proficere bono animarum, si, praeter communia sollicitudinis pastoralis officia, insolita quaedam et extraordinaria salutis auxilia fidelibus praebeantur. Parochis igitur summopere commendamus ut sacris exercitationibus, quae gallice *missions, retraites* appellantur, populum suum interdum reficiant.

94. Ab animarum pastoribus non tantum peccata propellenda sunt, sed etiam quaelibet periculosae peccandi occasiones eripiendae: vitia enim, ad quae adeo proni sunt homines, nulla alia re facilius quam fuga, adiutrice gratia Dei, praecaventur aut superantur. Idcirco, quam diligentissime curet parochus omnes publicas morum et religionis corruptelas prudenter tollere, aut saltem ab eis subditos avocare. Multum etiam invigilet ne quid in domibus aut familiis existat quod fidei, pietati bonisque moribus periculo esse possit.

95. Cum callidus serpens et hostis humani generis calcaneo insidiari, hominemque in extremo spiritu oppugnare maxime soleat, aegrotos parochi, quanta maxima potuerint caritate, visitabunt, consolabuntur, instruent; ultro sese etiam non vocati iis offerent. Caveant ne aegroti confessionem peccatorum, sacramentorum eucharistiae et extremae unctionis receptionem usque in id temporis procrastinent quo, vel morte praeoccupati, iis penitus defraudati e vita discedant, vel saltem vi morbi et mortis instantis doloribus afflictati et oppressi, ea minus fructuose suscipiant.

96. Nec se pastoralis curae officiis quantum par est functum existimet parochus, nisi pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam habeat. Christus enim, cuius personam gerit et opus operatur, circuibat non solum docens in

[1] Vide concil. Bituricense, anno 1584, tit. I, can. 8 et 6, [Mansi, *Conc.*, XXXIV, 677].
[2] Bened. XIV, encycl. supra cit., § 8.
[3] Conc. Parisiense, anno 1528, decret. XVII, [Mansi, *Conc.*, XXXII, 1190 C].
[4] Concil. Coloniense, anno 1536, part. IX, cap. 14, [Mansi, *Conc.*, XXXII, 1275 D].
[5] Concil. Tolosanum, anno 1590, part. III, cap. 1, n. 24, [Mansi, *Conc.*, XXXIV, 1295 D].
[6] Ezech. XXXIV, 2, 10.
[7] Concil. Mediolanum I, part. II, cap. 28, [Mansi, *Conc.*, XXXIV, 41 E].
[8] Concil. Tolosanum, anno 1590, part. I, cap. 3, n. 3, [Mansi, *Conc.*, XXXIV, 1277 B].

[1] Concil. Trident., sess. XXIII, *de ref.*, cap. 1; Bened. XIV, const. *Cum semper oblatas* [die 19 augusti 1744], et decreta s. congreg. concilii, apud Zamboni, *Collect. declar.*, t. V, verbo Parochus, § 5, et resolut. praesertim diei 25 iulii 1848, a s. m. Gregorio XVI approbat.
[2] Concil. Trident., sess. V, *de ref.*, cap. 2.
[3] Concil. Trident., sess. VII, decret. *de sacram.*, procem.

synagogis et praedicans evangelium regni, sed et sanans omnem languorem et omnem infirmitatem[1]. Sit igitur singulis, iis praecipue qui propter senectutis incommoda, morbum aut debilitatem iuvenilis aetatis non valent victum sibi providere, compassione proximus, et per pietatis viscera in se eorum transferat infirmitates[2]; atque ex suis facultatibus, quantum poterit, eis opitulari studeat. Quia vero per se ipsos omnium miseriis sublevandis impares sunt parochi, sodalitates quae temporalia et spiritualis misericordiae operibus incumbant, instituere in sua paroecia, aut institutas fovere diligentissime curent. Sicque vigilans, in omnibus laborans, ministerium suum implens, pastor viva erit imago pastorum principis qui pertransiit benefaciendo.

97. Quoniam munia pastoralia nequaquam ab iis praestari et impleri possunt qui gregi suo praesentes non sunt, Tridentinae synodi vestigiis inhaerentes, omnibus animarum curam habentibus praecipimus ac mandamus, ut praesentia personali ibi resideant ubi iniuncto sibi officio fungi tenentur[3]; nec ulli eorum abesse contingat, etiamsi vicarium adiutorem habeat, nisi legitima de causa, et ab ordinario obtenta facultate, si ultra quindecim dies absentia protrahatur. Discedendi licentiam in scriptis concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant[4]. Discessuri autem ita gregi suo provideant ut, quantum fieri poterit, ex ipsorum absentia nullum ipsi spirituale damnum emergat.

98. Et quamvis qui aliquantisper tantum absunt non videantur abesse, quia statim reversuri sunt[5], illi minime dicendi sunt residentes quibus mos esset, etsi non pro multis diebus, saepius tamen extra parochiam vagandi. Caeterum, vicarios nec diu, nec frequenter a locis suis abesse permittant parochi.

## Caput II.

### *De praedicatione verbi divini.*

Cum verbi divini praedicatio maximi momenti res sit, nullaque alia ad Dei gloriam et animarum salutem utilius instituta, ne ille Dei sermo vivus, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti[6] ministrorum vitio infructuosus evadat: provincialis synodus nonnullos abusus, quos regularum ecclesiasticarum ignorantia vel neglectus invexit, radicitus exstirpare cupiens, quae sequuntur censuit decernenda.

99. Admoneantur concionatores, parochi, eorumque vicarii, ipsis non esse munus demandatum opiniones et commenta philosophica vel politica evulgandi aut propugnandi; sed evangelium[7], ipsum Dei verbum praedicandi[8], docendique omnia quaecunque apostolis Christus mandavit[9]. Plebes igitur sibi commissas pro sua capacitate pascant salutaribus verbis, docendo quae scire omnibus necessarium est ad salutem[10], sive *necessitate medii*, sive *necessitate praecepti*; nempe, Deum existere qui sempiterno praemio probos, vel aeterno supplicio improbos afficit; mysteria item sanctissimae Trinitatis, incarnationis ac redemptionis; omnia quae in symbolo apostolorum continentur; tria sacramenta, baptismum videlicet, poenitentiam et eucharistiam, et reliqua alia; orationem dominicam, quae omnia vel speranda vel a Deo petenda complectitur; atque decalogi et ecclesiae praecepta, quibus vitam moresque nostros conformare debemus: iisdem etiam annuntiando vitia quae eos declinare, et virtutes quas sectari oporteat[1]; peculiaria item officia et peccata cuiusque status ac conditionis, imprimis parentum erga filios, magistrorum erga discipulos, dominorum erga famulos, et vicissim. Accurate explicando.

100. Frequenter itidem inter missarum celebrationem ex iis quae in missa leguntur aliquid exponant, atque inter cetera sanctissimi huius sacrificii mysterium aliquod declarent[2]; populos quoque de mysteriis quae diebus festis celebrantur pro concione erudiant; doctrinam de sanctorum interressione et invocatione, de reliquiarum honore et legitimo imaginum usu[3], de purgatorio[4], indulgentiis ac iubilaeis, iuxta ecclesiae sensum[5], plebes diligenter edoceant: uno verbo, omnes instruant ut declinent a malo et faciant bonum, a flagitiis deterreant, ad pietatem inflamment; atque ita Dei verbo fideliter imbuti, aeternas poenas evadere et coelestem gloriam consequi valeant[6].

101. Hinc facile quisque intelligit aquam salutaris huius doctrinae e fontibus Salvatoris esse hauriendam; tum, scilicet, ex sacris litteris quae adeo utiles sunt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum et erudiendum in iustitia, ut perfectus et consummatus sit homo Dei, doctor evangelicus, ad omnem bonum sermonem instructus; tum ex sanctorum patrum scriptis, conciliorum decretis, ac spiritualibus libris in ecclesia receptis et approbatis, atque imprimis e catechismo Romano seu concilii Tridentini, quem, promovente sancto Carolo Borromaeo, ex decreto eiusdem concilii, a doctissimis viris[7] conscriptum, et sancti Pii V immortalis memoriae iussu editum, alii summi pontifices, ac nominatim felicis recordationis Clemens XIII, cunctis animarum pastoribus denuo commendatum voluit, tanquam „*ad pravarum opinionum fraudes removendas, et veram sanamque doctrinam propagandam stabiliendamque opportunissimum subsidium*". Hoc aureum opus frequentissime illi prae manibus habeant, attente legant, pieque meditentur.

102. Caveant igitur ne e turbido et alieno fonte, nimirum ex fabularium historiarum, ephemeridum, aut heterodoxorum scriptorum paginis nonnulla arcessant fragmenta, licet in se non damnanda, quibus suas conciones inferciant. Id enim omnino reprobant concilii patres; quippe quod, sin inopiam aut imperitiam concionatoris, illius saltem socordiam desidiamve ostendit ac fovet. Accedit quod divinae veritatis et sanctitatis praeconem plane dedecet haec e rebus divinis profanisque concreta compositio, quae indignationem sapientibus movet, interdumque ad nihil utilis est nisi ad offensionem audientium.

103. Sollicite etiam cavebit concionator ne vento peregrinae ac novae doctrinae veluti nubes sine aqua circumferatur; sed pastorum ecclesiae episcoporum videlicet, et maxime supremi pontificis, quos ipse Christus dedit ecclesiae doctores, institutionibus

[1] Matth. IV, 23.
[2] S. Gregor., *De cura pastorali*, part. II, cap. 5, [opp. s. Greg., edit. Migne, III, 32 C].
[3] Concil. Trident., sess. XXIII, *de ref.*, cap. 1.
[4] Ibid.
[5] Ibid.
[6] Hebr. IV, 12.
[7] Marc. XVI, 15.
[8] II Tim. IV, 2.
[9] Matth. XXVIII, 20.
[10] Concil. Trident., sess. V, *de ref.*, cap. 2.

[1] Ibid.
[2] Ibid., sess. XXII, *de sacrif. missae*, cap. 8, decret. *de observ. et evit. in celeb. missae*.
[3] Concil. Trident., sess. XXV, decret. *de invocat. et vener. reliq. sanct. et sacr. imag.*
[4] Ibid., decret. *de purgat.*
[5] Ibid., decret. *de indulg.*
[6] Ibid., sess. V, *de ref.*, cap. 2.
[7] Encycl. Clement. XIII *In dominico*, die 14 iunii 1761, § *Quod igitur*.

immobiliter adhaerescat; sedulo *„devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt“*[1].

104. Ineptas porro et aniles fabulas secure devitabit, si nihil in suggestu referat quod testimonio probati auctoris non fulciatur: ergo, si fabulosa videatur historia, ne attingat quidem; si verisimilis, leviter, easque decerpat quae imitanda videantur. Miracula quoque ne referat nisi quae divinis scripturis prodita sunt, aut a non levibus scriptoribus summa cum historiae fide tradita[2]; vel a summo pontifice aut ordinario recognita et probata fuerint, ubi de recentioribus ageretur.

105. Districte inhibemus omnibus parochis, vicariis aliisque concionatoribus ne, sub quocunque praetextu, sermonem in ecclesiis habeant de ullo negotio mere seculari, ac praesertim de contentionibus quae inter se et parochianos, fabricarum administros aut magistratus civiles suboriri possent. Caveant itidem ne dum in vitia invehunt, delicatiores aures offendant, neve personas nominatim perstringant aut eas directe vel indirecte designent. Nullum denique verbum proferant ex quo avaritiae, levitatis, vel erga quemquam male infensi animi suspicio generetur. Hic enim maxime commendatum volumus apostoli monitum: *„Argue, [obsecra] increpa in omni patientia et doctrina*[3]; et: *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum.“*[4]

106. Nullus, inscio vel non approbante episcopo, mortuum in funere habita oratione laudabit: concio tamen aliqua haberi poterit qua humanae tantum miseriae status, mortis, iudiciique necessitas qualitasque describetur[5].

107. Nec satis erit Christi praeconi verbum sanum, irreprehensibile, plebis auribus insonare, nisi coelestis ille cibus in audientium mentem traiiciat. Idcirco, mandat Tridentina synodus ut concionatores verbum annuntient cum facilitate sermonis[6]; quamvis enim disciplinatus et gravis semper esse debeat pastoris sermo, adeo simplex sit et apertus ut ab intelligentia sui nullos, quamvis imperitos, excludat. „Sobrium usitatumque sermonem adhibeant parochi; sed veracibus ac ponderosis sententiis ornent ac commendent verba simplicia[7]: quam edocent doctrinam argumentis validis et auditorum captui attemperatis corroborare, sacris historiis ac exemplis confirmare, similitudinibusque e notissimis rebus desumptis illustrare, atque adhortationes praeceptionibus intermiscere ita studeant, ut in omnium audientium pectus eam quadam delectatione oratio descendat: sicque factores verbi et non auditores tantum instituent, quorum mentem nulla fucatae compositionis affectatione corrumpant[8].

108. At nequaquam concionatoribus sperandum ut captui audientium ultro se demittant, nisi serio meditati fuerint ministerium quod acceperunt a Domino, animo reputantes seipsos esse Dei adiutores[1], Christi legatos[2], os Dei ipsius[3], timentesque ne adeo grande ac gravissimum hoc sui muneris officium, ad animarum salutem institutum, ad captandam oratoris famam, sacrilega quadam usurpatione, adhibeant. Quod ne accidat, inculcare non desinemus, imo et praecipimus, ut evangelicum illud ministerium non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, non in profano inanis et ambitiosae eloquentiae apparatu, sed in ostensione spiritus et virtutis exerceant, ut recte tractantes verbum veritatis, et non semetipsos, sed Iesum crucifixum Dei virtutem et Dei sapientiam praedicantes non evacuent crucem Christi, quae pereuntibus quidem stultitia est, iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est[4].

109. Neque minus profana et vaniloquia devitabit parochus, inanem scilicet loquacitatem. Quare, ut monet sanctus Hieronymus, nolit se declamatorem esse, garrulumque sine ratione, sed mysteriorum peritum et sacramentorum Dei eruditissimum. Verba enim volvere, et celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum est[5].

110. Facilitati sermonis brevitatem adiungat parochus, uti praecipiunt Tridentini patres[6], et maxime commendat synodus haec. Prolixior enim concio fastidium persaepe generat, nedum gratiam praestet audientibus. Verum compensetur concionis brevitas rerum quae dicuntur soliditate, perspicuitate sobriaque varietate, quae animos moveat atque teneat attentos.

111. Praescriptas a nobis regulas servare frustra tentaverit parochus qui ad concionandum diligentem non adhibuerit praeparationem. Huc igitur conferat animi vires, perinde ac concionis felix exitus ex sua sola penderet industria. Quae igitur habet dicenda cautus praevideat, secum animo persaepe revolvat, ac pie meditetur. Concionis partes apte ordinare studeat: adhuc inexpertus, totam concionem; iam exercitatus, praecipua saltem eius capita scriptis mandare non omittat: curet imprimis ut serie et iunctura rerum, ac proprietate verborum, quae tamen omnium praesertim rudium [captui] sint accommodata, semper polleat etiam simplicissima concio; eamque tenaci commendet memoriae, ne lentius et quasi guttatim verba fluant, sed continuo currat oratio.

112. Nemo nescit quanta aptissimae methodi vis sit ad veritatem homines erudiendos. Optaret propterea haec synodus ut conciones quae, iuxta praescriptum concilii Tridentini, omnibus dominicis et festis, inter missarum solemnia a parochis aut eorum vicariis ad plebem habentur, certo ordine et naturali connexu procederent. Ex illa enim rerum ediscendarum[7] dispositione exsurgeret, intra paucos annos, quasi cursus perfectus et absolutus studiorum ad religionem spectantium; unde maxima commoda fructusque tum ipsis parochis, tum et eorum gregi certo dimanarent. Huc collineare[8] visi sunt auctores catechismi Romani, indubie animadvertentes, quod deinceps a pluribus et quidem spectatissimis gallicanis in re divina scriptoribus fuit observatum, eos scilicet qui audiendis concionibus, etiam per multos annos assiduam impenderint

[1] I Tim. VI, 20 et seq.
[2] Concil. Coloniense I, anno 1536, part. VI, cap. 28, [Mansi, *Conc.*, XXXII, 1255 A].
[3] II Tim. IV, 2.
[4] II Cor. VI, 3.
[5] Concil. Tolosanum, part. II, cap. 10, n. 12, [Mansi, *Conc.*, XXXIV, 1291 E].
[6] Concil. Trident., sess. V, *de ref.*, cap. 2.
[7] Iul. Pomer., *De vita contempl.*, lib. I, cap. 24, in: *Biblioth. patr.*, t. VIII, p. 50, edit. Lugdun., *[Patr. lat.*, edit. Migne, LIX, 490 B].
[8] Iul. Pomer., *De vita contempl.*, lib. I, cap. 24, in: *Biblioth. patr.*, t. VIII, p. 50, edit. Lugdun.

[1] I Cor. III, 9.
[2] II Cor. V, 20.
[3] Ierem. XV, 19; s. Ioann. Chrysost., *Ad popul. Antioch. hom.* XVI, [n. 6, edit. Montfaucon, II, 170 B].
[4] I Cor. I et II.
[5] *Epist. ad Nepot.*, n. 8, t. I oper., col. 263, edit. Venet., 1766, [opp. s. Hier., edit. Migne, 1, 534].
[6] Concil. Trident., sess. V, *de ref.*, cap. 2.
[7] Fortasse *edisserendarum*.
[8] *Editio:* collimare.

operam, omnium veritatum, quibus vita christiana A recte instituitur, cognitionem nondum comparasse. Enixe igitur excitamus in Domino omnes parochos eorumque vicarios, ut catechismi Tridentini ordinem ac rerum seriem in suis concionibus pro virili teneant et studiose sequantur.

113. Cum bonae vitae exemplum assidua sit salutis praedicatio, et doctrina sine opere non modo nihil lucri afferat praedicanti, sed ipsi magis noceat[1]; memores sint parochi caeterique concionatores huius moniti sancti Hieronymi ad Nepotianum: „Non confundant opera tua sermonem tuum, ne cum in ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat: Cur ergo quae dicis ipse non facis?“[2] Sacerdotum Christi os, mens manusque concordent, ne in ipsos cadant verba quibus pharisaeorum vitia exprobrat Christus: „*Dicunt et non faciunt;*“[3] et ne cum aliis praedicaverint, ipsi reprobi efficiantur. Longe magis igitur se exerceant ad pietatem quam ad sermonis B concinnitatem; „*et si quis indiget sapientia, postulet a Deo qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei.*“[4]

114. Mandamus insuper moderatoribus et magistris maioris cuiusque seminarii nostrae provinciae, ut hae nostrae constitutiones de praedicatione verbi divini, et quae sequuntur de rudibus catechizandis, in exercitationibus quae hac de re in seminario habentur vel habendae sunt, quotannis legantur, fusius evolvantur; atque a magistro huic muneri praeposito diserte explicatae, in iuniorum clericorum animis omni cura et studio inculcentur.

115. Superiori concilio provinciali cautum est[5], ne, iuxta canonicas sanctiones, quis concionandi officium assumat, nisi id ex proprio munere ipsi competat, absque expressa episcopi approbatione. Decretum illud innovantes, districte et sub poena suspensionis inhibemus, ne quis parochus, vicarius C aut superior loci, alienae dioecesis sacerdotem, vel etiam propriae sed ad praedicationem non approbatum, in sua parochia concionaturum unquam advocare praesumat, praesertim pro solemnibus stationibus adventus aut quadragesimae, nisi postquam illum episcopo ante designaverit, atque eiusdem consensum et approbationem in scriptis obtinuerit.

## Caput III.

### *De pueris et rudibus catechizandis.*

Quanta sit huius officii necessitas hoc uno satis comprobatur, quod a conciliis et summis pontificibus multoties praescriptum fuerit[6]. Experientia autem vitae magistra palam testatur, ex illo rite perfuncto pendere rectam parochiarum institutionem; ex eo neglecto populos ad infidelium gentium conditionem paulatim redigi. Meminerint igitur parochi puerorum et rudium instructionem ad graviores sui mu- D neris partes pertinere, eoque magis quo hodierni religionis nostrae inimici suas omnes artes conferre connitantur, ut iuveniles mentes a prima aetate pervertant. Si vero in re tanta negligentes fuerint, sibi dictam reputent terribilem hanc prophetarum querelam: „*Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis;*[1] et: *Egeni et pauperes quaerunt aquas, et non sunt: lingua eorum siti aruit.*“[2]

116. Itaque, praecipimus universis quibus animarum cura tradita est, ut singulis dominicis et festis, et quandoque bis aut ter in hebdomade, iuxta statuta aut antiquam consuetudinem cuiusque dioecesis, pueros in ecclesiam parochialem aut vicariam convocent; ibique doctrinam christianam diligenter edoceant.

117. Noverint parochi civitatum, ubi inferioribus clericis hoc munus demandari solet, se non ideo catechizandi cura prorsus exonerari; eos idcirco enixe hortamur ut per seipsos, si non semper, saltem quantocies illis licuerit, hoc officium implere satagant; sibi ob oculos ponentes ecclesiae patres, pluresque sanctos episcopos[3], Augustinum praesertim, atque facultatis Parisiensis cancellarium Gersonium, suae aetatis clarissimum lumen, qui, matura iam aetate, christianae doctrinae elementa, festis diebus, in ecclesia pueris declarabat[4]. Si vero interdum aliis urgentibus occupationibus eos distineri forte evenerit, catechismum saltem persaepe visitent, semperque ipsis subrogetur vicarius ad hoc specialiter deputatus; ut eorum exemplo et experientia, magis quam exercitationibus quae hac de re in seminariis habentur, discant iuniores clerici qua ratione, quave methodo et industria, hoc tam gravi officio fructuose et ipsi defungi queant.

118. Parentes, tutores, et eos omnes ad quos pertinet, admonemus ea lege obstrictos esse ut, dominicis festisque diebus, illos qui sub eorum potestate sunt, quique nec in scholis aut institutionibus versantur ubi a capellanis catecheses fieri solent, ad ecclesiam parochialem adducant, ut christiana lege informentur[5].

119. Advigilent specialiter illi qui montuosis parochiis praeficiuntur, ut liberi et famuli qui pascendis gregibus in locis ab ecclesia remotis per maximam anni partem degunt, singulis saltem quindenis diebus, ad catechesim die dominico aut festo audiendam, in parochialem ecclesiam conveniant.

120. Attendant etiam parochi omnes ne ludimagistri negligenter se habeant in catechizandis pueris sibi commissis. Curent pariter ut, ubi commode fieri poterit, instituantur catecheses pro pueris iam sacra synaxi refectis, quaeque catechismi *perseverantiae* dicuntur. Ipsis etiam commendamus sodalitates doctrinae christianae quae ipsis non minimam praestabunt adiutricem operam, et quarum studium excitare non omittent, promulgando indulgentias a summis pontificibus iisdem concessas. Diligentem quoque curam impendant ut non pueri tantum, sed et grandioris aetatis viri et mulieres, maxime rustici, fidei rudimentis erudiantur.

121. Parochi denique et eorum vicarii sedulo invigilent ut clerici minores, qui catechizandi munere in illorum ecclesiis funguntur, methodum sibi praescriptam ad amussim sequantur.

## Caput IV.

### *De vita et honestate clericorum.*

Quanta sanctitate quantisque virtutibus clarere debeant qui sacerdotali clericalive ordini adscribuntur, Deus nos admonet, dicens de sacerdotibus Israël: „*Sancti erunt Deo suo . . .; incensum*

[1] S. Ioann. Chrysost., lib. I, *De compunct.*, in fine; et *In acta apost.*, *homil.* XXX, num. ult., [edit. Montfaucon, I, 140 C, 298, 299].

[2] *Epist. ad Nepot.*, n. 7, col. 261, edit. Venet., 1766, [opp. s. Hieron., edit. Migne, I, 533].

[3] Matth. XXIII, 3.

[4] Iac. I, 5.

[5] Concil. provinc. Tolosanum anno 1590, part. I, cap. 5, n. 2, [Mansi, *Conc.*, XXXIV, 1260 C].

[6] Vide imprimis concil. Tridènt., sess. XXIV, *de reform.*, cap. 4; const. summi pontif. Pii V *Ex debito pastoralis officii* [die 6 oct. 1571] in *Bullar. Rom.*, tom. IV, part. III, col. 161 et seq.; constit. Clementis XII *Pastoralis officii*, die 15 maii 1736, *ibid.*, tom. XIV, col. 130; Benedicti XIV const. *Etsi minime*, die 7 febr. 1742 in *Bullar.*, tom. I, pag. 49; et const. *Cum religiosi*, die 26 iunii 1754 in *Bullar.*, tom. IV, pag. 92, edit. Venet.

[1] Thren. IV, 4.

[2] Isai. XLI, 17.

[3] Constit. Bened. XIV *Etsi minime*, supra cit., § 3.

[4] Benedict. XIV, *Instit.* IX, n. 11.

[5] Ibid., n. 12.

*enim Domini et panes Dei sui offerunt, et ideo* A *sancti erunt*[1].

Quapropter, clerici in sortem Domini vocati, levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant[2]; iustitiam, fidem, pietatem, caeterasque virtutes spectari contendant; ut reliqui in eos, velut in speculum, oculos conicientes, ex iis sumant quod imitentur[3]. Quo vero tanti meriti bonum, quantum in ipsis est, magis ac magis consequi valeant, antiquorum conciliorum canones de vita et honestate clericorum innovantes, speciatim haec decernimus:

122. Clerici omnes orationi, meditationi, et lectioni singulis diebus, certis statisque horis incumbant: his enim armis vitia comprimuntur; his alimentis virtutes nutriuntur[4].

Singuli item ad horas canonicas adstricti, meminerint eas digne, attente ac devote, tempore congruo recitare.

Ante missam sacerdotes se colligant, et orantes B mentem in tanti ministerii cogitatione defigant[5]. Adorandum Christi sacrificium singulari religione ac pietate celebrent, caeremoniarum praescripta fideliter observent; et, peracta missa, pro summi beneficii munere Deo gratias agant[6].

Quo puriores ad divinam rem faciendam accedant, singulis hebdomadis aut saltem quindenis [diebus] peccata sua confiteantur[7].

Valde esset utile ut sacerdos unusquisque, atque etiam clericus, certum ac firmum confessarium sacerdotem haberet ex approbatis, a quo nisi in magna necessitate non recederet; siquidem animae solet non minus obesse confessariorum mutatio, quam corpori medicorum[8].

A sacerdotibus, ab iisque etiam qui provectiori aetate sunt, omnino praestari peroptamus ut spiritualibus exercitiis operam dare non praetermittant, quo diligentius in via salutis sibi prospiciant. C

123. Quia vero habitus extrinseci decentia morum honestatem intrinsecam ostendit, a multis peccatorum occasionibus avocat, maioremque conciliat ecclesiastico ordini auctoritatem; praecipimus ut presbyteri caeterique clerici sacris initiati veste talari, quae dicitur gallice *soutane*, perpetuo utantur. Nihilominus, si iter agendum sit, illis uti liceat habitu contractiori et ad iter accommodato, in quo honestas et decorum ordinis serventur. In habitu autem clericali nec studiosius exquisita cultus elegantia, aut ornamenti novitas, nec nimis abiecta negligentia aut affectatae sordes appareant.

Clerici omnes tonsura insigniantur ad eam formam quam ratio uniuscuiusque ordinis episcopi arbitrio postulabit. Comam vero ne studiose nutriant; capillis simplicem cultum adhibeant[9].

Modestam esse clericorum supellectilem sacri canones praecipiunt. Nihil igitur pretiosum habeant D ecclesiastici viri, nihil studiosius elaboratum. Signa quoque et tabulas profanarum rerum reiiciant[10], maxime libros quorum lectione bene agendi studium, morum disciplina, et timor charitasque Dei languescere possit[11]. Caveant denique ne quid in domo eorum appareat quod non simplex ac purum sit, quod non Dei zelum, et omnium inanium rerum contemptionem testetur[1].

124. Modesta itidem mensa et frugali victu contenti sint[2], cum etiam consacerdotes vel honestos laicos invitant; epulari quippe et de conviviis cum aliis quasi decertare, ministrum Christi crucifixi et pauperis maxime dedeceret.

125. Postulat clericalis ordinis dignitas ut a nimia laicorum familiaritate clerici abstineant, et nonnisi cum probis et pietate conspicuis habeant consuetudinem[3].

Cauti praecipue sint in mulierum conversatione, sancti Hieronymi ad Nepotianum monitionem recolentes: *„Nec in praeterita castitate confidas. Nec David sanctior, nec Salomone potes esse sapientior. Caveto omnes suspiciones, et quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur ante devita.“*[4]

126. Parochi, aliive sacerdotes ancillas non habeant quae quadragesimum annum non attigerint, et quarum anteacta vita et praesens vivendi ratio omnem circa honestatem morum suspicionem non amoveant.

Item nec alias mulieres secum habitare permittant, praeter eas quibuscum cognatione iunguntur, et eo quidem gradu in canone et dioecesanis statutis expresse designato, quaeque insuper de bono nomine curam habeant.

127. Ut flagitii occasionem quae in cauponis et tabernis non deesse solet adimamus, clericis in sacris constitutis districte prohibemus ne iis in locis edant aut bibant, praeterquam in itinere necessitatis causa[5].

128. Memores illius beati Hieronymi: Facile contemnitur clericus, qui saepe vocatus ad prandium, ire non recusat[6]; huiusmodi invitationes, quantum poterunt, declinare studeant, abstineantque praesertim a nuptialibus aut publicis conviviis.

129. Ab alea, venatione, profanis spectaculis, omni denique ludorum genere ecclesiasticis personis interdicto et indecoro, prorsus abstineant[7]: iis namque sine multi temporis iactura, honoris ecclesiastici dispendio, suaeque et aliorum salutis periculo indulgere non possunt. Nec unquam aliis quam honestis recreationibus sese exerceant, nulla ducti sordidi lucri cupiditate[8]. Et cum sacerdotes imprimis dedeceat conformari huic seculo, et mundanas subire consuetudines, omnem laicorum morem cum clericali modestia minus congruentem sedulo, etiam privatim, devitent.

130. Quoniam *„nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus ut ei placeat cui se probavit“*[9], inhibemus ne sacerdotes aut clerici sacris initiati quaestuosam negotiationem cuiuscunque generis exerceant sive per se directe, sive indirecte sub alieno nomine; aut aliena praedia lucri causa conducant[10]. Vetamus pariter ne pro aliis fideiubeant, vel in negotiis et mercaturis se interpretes et me-

[1] Levit. XXI, 6.
[2] Concil. Trident., sess. XXII, *de reform.*, cap. 1.
[3] Ibid.
[4] Theodulphus Aurel., *Capit.*, n. 2, concil. collect. Harduin., tom. IV, col. 913.
[5] Concil. Mediolanense I, part. II, cap. 5, [Mansi, *Conc.*, XXXIV, 20 C].
[6] Ibid., 21 A.
[7] Ibid., 20 C.
[8] *Acta ecclesiae Mediolan.*, part. III, *Decret. visit. apostol.*, tom. I, pag. 388, col. 1, edit. Lugdun., 1683.
[9] Concil. Mediol. I, part. II, cap. 23, [Mansi, *Conc.*, XXXIV, 35 C].
[10] Concil. Mediol. I, part. II, cap. 18, [ibid., 32].
[11] Concil. Mediol. IV, part. III, cap. 2, [ibid., 261 B].

[1] Concil. Mediol. I, part. II, cap. 18, [ibid., 33 A].
[2] Concil. Trident., sess. XXV, *de reform.*, cap. 1.
[3] Concil. Senonense anno 1528, Decret. mor. 25, [Mansi. *Conc.*, XXXII, 1194].
[4] *Epist. ad Nepotian.* LII, n. 5, col. 259 et seq., edit. Venet., 1766, [opp. s. Hieron., edit. Migne, I, 531].
[5] Concil. Mediol. I, part. II, cap. 25, [Mansi. *Concil.*, XXXIV, 37].
[6] *Epist. ad Nepot.*, n. 15, col. 268, edit. Venet., 1766, [opp. s. Hier., edit. Migne, I, 539].
[7] Concil. Remense anno 1583, cap. *de cleric.*, n. 6, [Mansi. *Concil.*, XXXIV, 701 C].
[8] Ibid.
[9] II Tim. II, 4.
[10] Benedictus XIV, *De synodo*, lib. X, cap. 6; et constitutio *Apostolicae servitutis*, die 25 februarii 1741 in *Bullar.*, t. I, n. XIII, p. 15.

dios interponant [1]. Caveant a litibus et processibus, A et nunquam, inconsulto episcopo, parochianis aut clericis actionem intendant. Nundinas quoque ac mercatus, praeter necessitatem, non adeant. Nullus demum parochus intra parochiae suae fines bona immobilia acquirat, nisi obtenta ordinarii licentia.

131. Magnam inter se sacerdotes Domini foveant necessitudinem. Unanimes enim et fraternitatis amatores, sibi invicem erunt in adversis solatio, in arduis praesidio, fidelibusque bonum caritatis exemplum praebebunt. Utque valeant in hac desideratissima concordia perdurare, in memoriam revocent haec apostoli verba: „*Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam; sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quae sua sunt singuli considerantes, sed ea quae aliorum.*" [2]

132. Vitam denique, moresque suos omnes ita componere studeant omnino clerici, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil, B nisi grave, moderatum, ac religione plenum prae se ferant [3].

## Caput V.

### *De iudiciis ecclesiasticis.*

Valde optandum esset, monente Tridentina synodo [4], episcopos subditis suis ita praeesse posse, ut eos tanquam filios et fratres diligentes, hortando et monendo ab illicitis deterrentes, virgam rigoremque salutarem nunquam adhibere tenerentur. Sed cum morbi gravitas aliquando postulet ad graviora et acriora remedia descendere, in ecclesia sua constituit Christus iudiciariam potestatem, summumque pontificem et episcopos iudices posuit ad delinquentes plectendos, debitisque poenis coercendos, ut caeterae saltem oves a contagionis periculo liberentur.

133. Quam quidem potestatem iudiciariam, externam et coercitivam exercent episcopi in sua C dioecesi, sive per seipsos, sive per delegatos, aperta remanente via recursus ad summum pontificem, et in casibus a iure definitis ad metropolitam.

134. Ideo, peroptat synodus provincialis ut in unaquaque provinciae dioecesi, ubi nondum institutus fuerit, instituatur officialis ab episcopo deputatus, qui, retentis formis a iure determinatis, cognoscat atque sententias proferat de causis ad contentiosae iurisdictionis exercitium pertinentibus, quae ad tribunal istud ab ordinario delatae fuerint.

135. Concilio autem Tridentino [5], Benedicti XIV sententiae [6], et sacrae congregationis concilii responsionibus inhaerentes [7], salvam volumus remanere potestatem quae competit episcopo, extraiudicialiter inquirendi et ex informata conscientia sententiam ferendi, quando ad communem, vel ipsius rei utilitatem magis expedire iudicaverit. Quo in casu, D secundum iuris dispositiones, ad sedem apostolicam duntaxat patet via recursus.

## Caput VI.

### *De studiis clericorum.*

#### De studiis clericorum in seminariis.

Cum adolescentium aetas, nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas, sancta synodus Tridentina statuit ut singulae cathedrales et metropolitanae ecclesiae, pro modo facultatum et dioecesis amplitudine, certum puerorum ipsius civitatis et dioecesis numerum in collegio ad hoc ab episcopo eligendo, alere, ac religiose educare, et ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur [1].

136. Declarat igitur haec synodus provincialis seminaria, sive maiora sive minora, ita pertinere ad solam episcoporum auctoritatem, ut plenum ius habeant illa regendi et gubernandi, prout ipsis in Domino libuerit, tum quoad magistros et rectores praeficiendos, tum quoad disciplinam et regimen, tum quoad rationem studiorum, tum quoad temporalium administrationem.

#### De studiis presbyterorum.

Cavendum summopere ne, susceptis sacris ordinibus, in desidiam prolabatur sacerdos. Non solum enim in sacerdotalium morum ruinam et laqueos diaboli incidet; sed apud homines, labia eius non custodient scientiam, quin ferventi et perpetuo conatu ea quae iam didicerit, memoria retineat, ea autem quae nescit addiscat.

Memores igitur vocationis suae: „*Vos estis lux mundi,*" [2] divina sapiant sacerdotes necesse est; sed et hisce temporibus humanam scientiam doctos esse decet, ut audacis nimium scientiae erroribus, sicuti et ignorantiae tenebris praevaleat veritas. Quibus ut faveamus optatis, haec decernenda statuimus:

137. Per sex non intermissos annos ab ordinis presbyteratus susceptione, quilibet recens ordinatus, quotannis sedulo examinabitur ab episcopo vel eius delegato, de tractatibus theologicis et aliis materiis iam antea designatis.

138. Instituantur aut retineantur in unaquaque provinciae dioecesi de rebus ecclesiasticis collationes, quibus pluries per annum aderunt congregati omnes eiusdem decanatus presbyteri: ibique tractanda et agenda erunt quaecunque singulis annis ab episcopo praescripta fuerint.

## DECRETUM

### *de subscriptione, fine et promulgatione concilii.*

Nos, Paulus-Theresia-David d'Astros, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae gratia archiepiscopus Tolosanus et Narbonensis, Galliarum primas, comes Romanus, solio pontificio assistens,

Admonemus reverendissimos nostros episcopos comprovinciales, ut singuli, loco et ordine suo, iis quae in synodo decreta sunt, subscribant.

Insuper, de consensu eorumdem reverendissimorum episcoporum, decernimus huius provincialis concilii finem fieri, et iam nunc factum esse; atque statuimus ut, postquam concilii decreta a sede apostolica approbata fuerint, ea unusquisque episcoporum, in proxima dioecesana synodo, iuxta canonicas sanctiones, faciat promulgari, illorumque executionem urgeat in sua dioecesi.

## SUBSCRIPTIONES EPISCOPORUM.

† Nos Paulus-Theresia-David, archiepiscopus Tolosanus et Narbonensis, haec decreta a nobis definita subscripsimus.

† Ego Ioannes, archiepiscopus Sardianus, coadiutor Tolosanus, subscripsi.

† Ego Ioannes-Maria, episcopus Montisalbani, consentiens subscripsi.

† Ego Guido, episcopus Appamiensis, consentiens subscripsi.

† Ego Henricus-Maria-Gasto, episcopus Carcassonensis, consentiens subscripsi.

[1] Conc. Mediol. I, part. II, cap. 96, [Mansi, Conc., XXXIV, 88C].
[2] Phil. II, 2 et seq.
[3] Concil. Trident., sess. XXII, *de reform.*, cap. 1.
[4] Ibid., sess. XIII, *de reform.*, cap. 1.
[5] Ibid., sess. XIV, *de reform.*, cap. 1.
[6] Benedictus XIV, *De synodo dioecesana*, lib. XII, cap. 8, n. 8 et seq.
[7] Ibid.

[1] Concil. Trident., sess. XXIII, *de reform.*, cap. 18.
[2] Matth. V, 14.

# ACTA CONCILII.

## PROOEMIUM.

Tolosana ecclesia beati Saturnini sui fundatoris, plurimorumque eius successorum sanctitate praefulgens[1], a sanctis patribus, pro sua fide laudata[2], tot purpuratis praesulibus insignita[3], non minus scientia et pietate percelebris extitit, quam numero et auctoritate conciliorum quae in ipsa urbe aut provincia concelebrata fuere. Iis enim omissis, quibus in aliis provinciis[4] interfuerunt Tolosani antistites, undeviginti, praeter hoc nostrum et ultimum, numerantur: quorum catalogum hic texere abs re non erit.

1. Anno 829, iussu imperatorum Ludovici Pii et Lotharii, Tolosae habitum est concilium, cui praefuit Aigulfus, archiepiscopus Bituricensis, et in quo recepta est confessio Ebbonis, Remorum antistitis[5].

2. Anno 883, Sigebodus, archiepiscopus Narbonensis, concilio Tolosae congregato praefuit, et in eo Theodardus subdiaconus, annuente astantium praesulum corona, Iudaeos iamdiu contra catholicos querentes publice revinxit, et adversus eos damnationis sententiam obtinuit, quae regia potestate sancita est[6].

3. Anno 1005, concilium Tolosae fuit congregatum a Raymundo, episcopo Tolosano, contra abbatem quemdam qui regionem invaserat. Excommunicationis sententia lata fuit in illius fautores[7].

4. Anno 1056, Raimbaldus, archiepiscopus Arelatensis, a sancta sede delegatus, concilio Tolosae praefuit, iussu Victoris papae, ad extirpandam simoniacam haeresim, ac reparandum ecclesiae statum secundum priscorum scita canonum[8].

5. Anno 1068, concilium Tolosae fuit habitum ab Hugone Candido cardinale, a sede apostolica delegato. Aderant archiepiscopi Auxiensis et Bituricensis, plures episcopi, abbates et religiosi. In hac synodo non solum stipites, verum etiam radices simoniacae haereseos fuerunt exstirpati[9].

6. Anno 1079, Guido, episcopus Diensis, a sancta sede delegatus, concilio Tolosae praefuit, in quo, sub excommunicationis poena, fidelibus Narbonensibus vetitum fuit ne Petrum Berengarium, huius ecclesiae archiepiscopum electum, agnoscerent; quem anno

A sequenti Gregorius VII, in concilio Romae habito, ut ecclesiae Narbonensis invasorem damnavit[1].

7. Anno 1090, iussu Urbani II et ab eius legatis celebratum fuit Tolosae concilium, in quo episcopus Tolosanus de criminibus, quibus impetebatur, canonice expurgatur, mores quidam Gallicanae ecclesiae reformantur, et legatio pro restauranda christianitate in Toletana civitate, rege Hispaniarum supplicante, destinatur[2].

8. Anno 1110, concilium Tolosae celebratum fuit, cui praefuit Richardus, a sancta sede apostolica delegatus. Huius autem synodi acta penitus interierunt[3].

9. Anno 1118, concilium Tolosae fuit congregatum, de sacra adversus Saracenos expeditione[4].

10. Anno 1119, ipse summus pontifex Calixtus II

B Tolosae concilium habuit, cum quinque cardinalibus, tribus metropolitis et pluribus episcopis. Decem decreta promulgata fuerunt contra simoniam et servitutis fautores[5].

11. Anno 1124, auctoritate Calixti II, aliud concilium Tolosae fuit celebratum contra quosdam haereticos monachos in bona ecclesiae et sacramenta blasphemos[6].

12. Anno 1161, celebre Tolosae fuit habitum concilium, in quo tres aderant cardinales ab Alexandro III missi, et alii duo qui secuti fuerant partes Octaviani, qui et Victor dicebatur. Aderant etiam centum patres inter episcopos et abbates; immo et duo reges, scilicet Franciae et Angliae, simul ac legati Frederici, imperatoris augusti, nec non et regis Hispaniae. In hac synodo, solemniter auditis utriusque partis argumentis, et re diu agitata et mature perpensa, Alexander, reiecto Vic-

C tore, summus pontifex agnoscitur[7].

13. Anno 1213, archiepiscopus Narbonensis, a sancta sede apostolica delegatus, duo concilia quae Tolosana dici possunt habuit. Primum mense februario, apud Vaurum[8]; secundum, mense septembri, apud Murellum, iuxta Garumnam, cum episcopis plurimis, et imprimis Tolosano, ut placando Aragonum regi provideretur, qui, praesulum preces et decreta spernens, in acie corruit[9].

14. Anno 1219, celebrata fuit Tolosae synodus, cuius decreta a domino Romano, Sancti Angeli diacono cardinali, fuerunt promulgata. Haec spectant haereticos et quasdam praescriptiones circa dierum dominicorum et festorum observantiam[10].

15. Anno 1229, Tolosae celebrata fuit synodus a sanctae sedis legato. Tres aderant archiepiscopi, Narbonensis nempe, Burdigalensis et Auxiensis, pluresque alii patres. Actum est in ea de inqui-

D rendis haereticis et de quibusdam ecclesiasticae disciplinae capitibus[11].

16. Anno 1319, Ioannes Raymundi de Convenis, primus Tolosanus archiepiscopus, in metropolitana

[1] Vide Gall. christ., XIII, 3, 4, 5, 7, 8, 22 et seq.

[2] S. Hieron., Epist. LIV ad Furiam, t. I, col. 280, edit. Bened., Veron., 1766, [opp. s. Hier., edit. Migne, I, 550, 1058, 1086, 1415 et seq.]. Idem, Epist. CXXIII ad Ageruch., ibid., col. 914; Epist. CXXV ad Rustic., col. 947 et 948; et Prolog. commentar. in Zachar. prophet., t. VI, part. I, col. 775 et seq.

[3] S. Hilar. Pictav., lib. contra Constantium imperat., n. 11, col. 571; et lib. de synodo, n. 1, in notis, col. 458, oper. t. II, edit. Bened., Veron., 1730.

S. Bernard., Epist. CCXLII ad Tolosanos, t. I oper., col. 238 et seq., edit. Bened., Paris.

[4] Quatuordecim (sic editio) hucusque computantur nempe: episcopus unus, et duodecim archiepiscopi. Vide de duodecim prioribus, Gall. christ., XIII, 35, 38, 40, 48, 53, 54, 55, 56; ibid., 59, 60, 70.

[5] Inter alia memorare satis erit celebre concilium Agathense, anno 506, cui interfuerat Heraclianus, Tolosanus episcopus: in eo lecta fuit s. Innocentii I epistola ad s. Exuperium circa continentiam clericorum. Aderant metropolitae tres, et episcopi aut eorum procuratores triginta quatuor, quibus praefuit s. Caesarius Arelatensis, [Mansi, Concil., VIII, 319 et seq.].

[5] Mansi, Concil., XIV, 531 D.

[6] Mansi, Concil., XVII, 565; Gall. christ., VI, 20.

[7] Gall. christ., VI, 31 et 306.

[8] Gall. christ., I, 554, 1040, 1041, 1094, 1128, 1151, 1194 et 1237; II, 690; VI, 36, 309, 437, 534, 678, 780, 870 et 1042.

[9] Mansi, Concil., XIX, 1065; Gall. christ., I, 694, 981, 1041, 1074, 1094; II, 42, 941, 958, 1062, 1080; VI, 237, 408, XIII, 24.

[1] Gall. christ., VI, 39.

[2] Mansi, Concil., XX, 738; Gall. christ., VI, 41, 741, 871; XIII, 14.

[3] Mansi, Concil., XXI, 124; Gall. christ., XIII, 14.

[4] Mansi, ibid., 188.

[5] Mansi, ibid., 225; Gall. christ., I, 580, 984, 1249; VI, 46, 136, 167, 231, 270, 746, 800, 878, 943; XIII, 15.

[6] Collect. Binii, t. XXVII, edit. reg., p. 51. [Concil. collectio regia, non vero Binii].

[7] Mansi, ibid., 1155; Gall. christ., IV, 800; VI, 222; XIII, 17.

[8] Mansi, Concil., XXII, 863; collect. Binii, edit. reg., t. XXVIII, p. 110 [eadem observatio].

[9] Mansi, ibid., 893.

[10] Martène et Durand, [Vet. script. collectio], VII, 106.

[11] Mansi, Concil., XXIII, 191; Gall. christ., II, 893; VI, 66; XIII, 24.

civitate concilium habuit, cuius acta interierunt. Huic A autem loguntur adfuisse Arnaldus Roger, primus Lombariensis episcopus, et Pilusfortia, secundus Rivensis antistes [1].

17. Anno 1327, archiepiscopus Tolosanus cum suffraganeis concilium habuit, in quo, sub excommunicationis poena, prohibitum fuit ne in posterum iterarentur superstitiosae caeremoniae quae, ipso absente, concessae fuerant [2].

18. Anno 1368, celebre concilium trium provinciarum, Narbonensis nempe, Tolosanae et Auxitanensis, iussu Urbani V, in civitate Vaurensi habitum fuit, in quo decreta triginta supra centum promulgata fuerunt [3].

19. Anno 1590, Franciscus de Ioyosa, cardinalis archiepiscopus Tolosanus, concilium Tolosae habuit, a sancta sede apostolica approbatum. In quatuor partes dividuntur quaestiones quae in ipso fuerunt tractatae: prima, de personis; secunda, de B rebus, id est de sacramentis et sacramentalibus; tertia, de locis, id est, de ecclesiis, altaribus, etc.; quarta, de poenis seu de iurisdictione ecclesiastica.

## CONGREGATIO PRAEVIA.

Anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo, pontificatus vero sanctissimi domini domini nostri Pii Dei gratia papae IX quinto, feria secunda intra octavam nativitatis beatae Mariae, quae incidebat in diem nonam mensis septembris, ex litteris indictionis illustrissimi ac reverendissimi in Christo patris Pauli-Theresiae Davidis d'Astros, Dei gratia et sanctae sedis auctoritate archiepiscopi Tolosani et Narbonensis, Galliarum primatis, comitis Romani, throno pontificali assistentis, etc., convenere mane, hora sesquinona, in palatium archiepiscopale:

Illustrissimus ac reverendissimus Ioannes-Maria C Mioland, archiepiscopus Sardianus, coadiutor cum futura successione illustrissimi archiepiscopi Tolosani;

Illustrissimus ac reverendissimus Ioannes Doney, episcopus Montalbanensis;

Illustrissimus ac reverendissimus Guido-Ioannes-Maria Alouvry, episcopus Appamiensis;

Illustrissimus ac reverendissimus Henricus-Maria-Gasto de Bonnechose, episcopus Carcassonensis;

ibique praeviam congregationem habuerunt cum illustrissimo ac reverendissimo archiepiscopo Tolosano.

Actum est in eà 1. de invitando ad concilium illustrissimo ac reverendissimo Stephano-Maria-Brunone d'Arbou, episcopo olim Bayonensi, nunc Tolosae degente; 2. de ordine habendo in solemnitate inchoationis synodi; 3. de congregationum divisione et compositione; de indumento sive patrum, sive deputatorum et theologorum; 4. de promulgatione D in prima sessione sequentium decretorum: *de aperienda synodo; de modo vivendi in concilio; de non praeiudicando; de non discedendo; de professione fidei; de indictione futurae sessionis;* 5. *de obligatione secreti et de eligendis synodi officiariis.*

Interea, in loco patenti seminarii dioecesani, ubi concilium celebrandum erat, sequens affixum est decretum illustrissimi ac reverendissimi archiepiscopi Tolosani:

„*Illustrissimus ac reverendissimus dominus dominus archiepiscopus Tolosanus, de consilio et assensu reverendissimorum episcoporum comprovincialium, Montalbanensis, Appamiensis et Carcassonensis, universis et singulis qui concilio provinciali, de iure vel consuetudine interesse debent, mandat et praecipit ut, die nona septembris 1850, in aedibus maioris seminarii Tolosani, sistant se ad congregationem generalem, quae in aula praedictarum aedium habenda est, praefata die, hora post meridiem tertia; atque deputati instrumenta procuratoria ibidem examinanda afferre non praetermittant.*"

## PRIMA CONGREGATIO GENERALIS.

Supradictis die, mense et anno, hora tertia pomeridiana, iuxta praecitatum edictum, intra maioris seminarii septa, prima concilii provincialis Tolosani celebrata est congregatio generalis. Adfuerunt, rocheto et mozetta induti, illustrissimus ac reverendissimus archiepiscopus Sardianus, coadiutor archiepiscopi Tolosani, et omnes reverendissimi provinciae episcopi. Aderat etiam reverendissimus episcopus olim Bayonensis, in eodem vestitu. Intererant pariter in veste talari, cum mantello longiori et berreto, deputati capitulorum, theologi et canonistae advocati a reverendissimis episcopis.

Porro haec erant conclavis ornatus et dispositio: super explicato tapete, in modum coronae erant ordinata faldistoria praesulibus, et sedilia deputatis et theologis. Ex adverso sedium illustrissimi ac reverendissimi archiepiscopi Tolosani et reverendissimi eius coadiutoris, eminebat crux archiepiscopalis, et patebant sancta Dei evangelia solemniter collocata.

Dictis quae in pontificali requiruntur precibus, et peracto examine delegationum ecclesiae metropolitanae et cathedralium ecclesiarum provinciae, capitulorum procuratores admissi fuerunt:

Pro capitulo metropolitano: dominus Augustus Belaval, eiusdem capituli canonicus, nec non promotor in tribunali officialitatis metropolitanae; dominus Ioannes-Stephanus Feral, eiusdem capituli canonicus, et in eodem officialitatis metropolitanae tribunali iudex assessor.

Pro capitulo Montalbanensi: dominus Ioannes-Paulus Tuffeau, capituli Montalbanensis canonicus.

Pro capitulo Appamiensi: dominus Ioannes-Paulus Faur, capituli Appamiensis canonicus et theologus.

Pro capitulo Carcassonensi: dominus Benedictus Sicard, canonicus et decanus, et procurator capituli Carcassonensis, olim vicarius generalis, et iudex in foro dioecesano; dominus Adolphus Sicard, eiusdem capituli canonicus et theologus.

Nominati etiam et admissi fuerunt theologi et canonistae a reverendissimis praesulibus advocati, scilicet:

Ab illustrissimo et reverendissimo archiepiscopo Tolosano: dominus Ioannes-Maria-Ioseph-Henricus Berger, vicarius generalis, capituli praepositus; dominus Bertrandus-Magdalena Roger, vicarius generalis, archidiaconus Sancti-Gaudentii; dominus Armandus-Iustinus-Ioseph-Pantaleo de Pous, vicarius generalis, archidiaconus Murelli; dominus Ludovicus-Esmundus Ducray, sacerdos Sancti-Sulpitii, vicarius generalis et rector seminarii dioecesani; dominus Ioannes-Ludovicus Boissié, capituli metropolitani canonicus, et iudex in foro dioecesano; dominus Zephyrinus Isac, canonicus honorarius, promotor dioecesanus, et superior seminarii minoris Tolosae; dominus Elsear Ruffat, canonicus honorarius, secretarius reverendissimi archiepiscopi coadiutoris; dominus Mauricius Ogerdias, rector clericorum regularium societatis Iesu Tolosae; dominus Ioannes Caussette, superior sacerdotum sacratissimi Cordis Iesu; dominus Benedictus-Hippolytus Viguese, sacrae theologiae professor emeritus, et director in seminario Tolosano; dominus Ioannes-Stephanus-Euge-

[1] Mansi, *Concil.*, XXV, 680; *Gall. christ.*, XIII, 186 et 321.
[2] Mansi, *Concil.*, XXV, 807.
[3] Mansi, *Concil.*, XXVI, 473; *Gall. christ.*, I, 996, 1081, 1102, 1136, 1160, 1208 et 1285.

nius Pistre, director, et sacrae theologiae professor, A in eodem seminario; dominus Callot, e societate sacerdotum Sancti-Irenaei, Lugduni, iuris canonici professor; dominus Guillelmus Sentis, secretarius illustrissimi et reverendissimi archiepiscopi Ausciensis.

A reverendissimo episcopo Montalbanensi: dominus Petrus Mabile, vicarius generalis Montalbanensis; dominus Ioannes-Petrus Jeanjacquet, e societate Iesu, rector seminarii maioris Montalbanensis.

A reverendissimo episcopo Appamiensi: dominus Franciscus Doubeaud, vicarius generalis Appamiensis; dominus Alexander-Ludovicus-Henricus Santerre, vicarius generalis Appamiensis; dominus Ludovicus Vezia, vicarius generalis, et rector maioris seminarii Appamiensis; dominus Ioannes-Petrus-Ludovicus Dumas, canonicus honorarius, et rector seminarii minoris Appamiensis.

A reverendissimo episcopo Carcassonensi: dominus Petrus Baby, vicarius generalis Carcassonensis; dominus Franciscus-Iosephus-Spiritus Graulle, secretarius, et vicarius generalis Carcassonensis; dominus Casimirus Laprade, canonicus honorarius, rector ecclesiae Sancti-Iusti Narbonensis.

Tum, lecto decreto de officiariis concilii, eorum nomina proclamavit reverendissimus episcopus Carcassonensis, nempe:

Pro officio promotoris concilii: dominus Petrus Mabile, vicarius generalis Montalbanensis; dominus Zephyrinus Izac, canonicus honorarius, promotor dioecesis Tolosanae.

Pro officio secretarii: dominus Ioannes-Stephanus Feral, canonicus, et deputatus capituli metropolitani, iudex assessor in tribunali metropolitano; dominus Franciscus-Iosephus-Spiritus Graulle, secretarius, vicarius generalis Carcassonensis; dominus Ioannes-Stephanus-Eugenius Pistre, director, et sacrae theologiae professor in maiori seminario Tolosano.

Pro officio magistri caeremoniarum: dominus Elzear Ruffat, canonicus honorarius, secretarius illustrissimi archiepiscopi coadiutoris.

Proposita deinde est, utpote ab omnibus tenenda, promissio sequens; et revera primum a singulis episcopis, deinde ab omnibus concilii membris facta est:

*Promitto me nihil ex eis quae dicentur sive in congregationibus generalibus, sive in congregationibus particularibus esse revelaturum quod possit detrahere vel reverentiae concilio debitae, vel honori cuiusvis personae. Promitto insuper me nulla decreta concilii scriptis publicis divulgaturum, antequam typis demandata fuerint reverendissimorum patrum auctoritate.*

Postea, lectum est illustrissimi et reverendissimi D archiepiscopi Tolosani, de consilio et assensu reverendissimorum episcoporum comprovincialium, decretum de invitando ad concilium illustrissimo domino domino Stephano-Maria-Brunone d'Arbou, episcopo olim Bayonensi, et de modo vivendi, ut sequitur:

1. Illustrissimus ac reverendissimus Stephanus-Maria-Bruno d'Arbou, episcopus olim Bayonensis, ad concilium invitatus, omnibus sive privatis, sive generalibus congregationibus et sessionibus interesse poterit.

2. Haec erit, durante synodo, temporis ordinatio:

Omnes qui concilio intersunt, surgent mane hora sesquiquinta, mentali orationi privatim vacabunt, missamque, si velint, celebrabunt.

Omnes aderunt in habitu chori missae synodali, quae celebrabitur hora sesquiseptima.

A Congregationes privatae habebuntur ab hora nona usque ad undecimam.

Prandium erit hora duodecima, quo durante, legentur, post scripturam sacram, vita sancti Caroli et martyrologium; sequentur visitatio sanctissimi sacramenti, et animi relaxatio.

Congregationes generales celebrabuntur ab hora tertia usque ad quintam.

Hora sesquiseptima, sumetur coena in qua legentur scriptura sacra, vita sancti Caroli, et numerus unus de imitatione Christi, et postremo relaxabitur animus.

Sic ordinatae sunt congregationes, tum quoad examen quaestionum, tum quoad distributionem personarum:

Prima congregatio *de decretis et hierarchia.*

Dominus dominus archiepiscopus Sardianus, B praeses.

Dominus Mabile, vicarius generalis Montalbanensis, vice-praeses.

Dominus Belaval, deputatus capituli metropolitani; dominus Faur, deputatus capituli Appamiensis; dominus Roger, vicarius generalis, theologus advocatus domini domini archiepiscopi Tolosani; dominus Ogerdias, theologus advocatus eiusdem praesulis; dominus Ruffat, theologus advocatus eiusdem praesulis; dominus Pistre, theologus advocatus eiusdem praesulis.

Secunda congregatio *de fide et doctrina.*

Dominus dominus episcopus Montalbanensis, praeses.

Dominus Berger, vicarius generalis, vice-praeses.

Dominus Feral, deputatus capituli metropolitani; C dominus Sicard (Benedictus), deputatus capituli Carcassonensis; dominus Caussette, theologus advocatus domini domini archiepiscopi Tolosani; dominus Vieusse, theologus advocatus domini domini archiepiscopi Tolosani; dominus Callot, canonista advocatus eiusdem praesulis; dominus Jeanjacquot, theologus advocatus domini domini episcopi Montalbanensis.

Tertia congregatio *de cultu divino et de ratione studiorum.*

Dominus dominus episcopus Appamiensis, praeses.

Dominus Santerre, vicarius generalis, vice-praeses.

Dominus Duffeau, deputatus capituli Montalbanensis; dominus Sicard (Adolphus), deputatus capituli Carcassonensis; dominus Ducray, vicarius generalis, theologus advocatus domini domini archiepiscopi Tolosani; dominus Izac, theologus advocatus domini domini archiepiscopi Tolosani; dominus D Dumas, theologus advocatus domini domini episcopi Appamiensis; dominus Graulle, vicarius generalis, theologus advocatus domini domini episcopi Carcassonensis.

Quarta congregatio *de disciplina.*

Dominus dominus episcopus Carcassonensis, praeses.

Dominus Baby, vicarius generalis, vice-praeses.

Dominus de Pons, vicarius generalis, theologus advocatus domini domini archiepiscopi Tolosani; dominus Bonnié, canonista advocatus eiusdem praesulis; dominus Sentis, theologus advocatus eiusdem praesulis; dominus Doubeaud, vicarius generalis, theologus advocatus domini domini episcopi Appamiensis; dominus Vezia, vicarius generalis, theologus advocatus eiusdem praesulis; dominus Laprade, theologus advocatus domini domini episcopi Carcassonensis.

Postremo, hic assignatus est ordo pro celebranda solemnitate primae sessionis et inchoationis concilii:

Omnes ad quos pertinet, convenient cras mane, hora sesquiseptima, in palatium archiepiscopale, ut, hora octava, inchoetur solemnitas.

Inde, processionaliter, procedetur ad ecclesiam metropolitanam.

Missa solemnis, sed sine cantu, celebrabitur, et in ea sacram communionem suscipient reverendissimi episcopi, delegati capitulorum, theologi, et canonistae.

Solemnitas primae sessionis fiet, iuxta praescripta caeremonialis episcoporum et pontificalis Romani.

Promulgabuntur decreta: 1. *de aperienda synodo;* 2. *de modo vivendi in concilio;* 3. *de non praeiudicando;* 4. *de non discedendo;* 5. *de professione fidei emittenda.*

Sessione peracta, solemni modo et processionaliter in aedes maioris seminarii, ubi celebrari debet concilium, omnes devenient.

In qualibet solemni sessione, hoc erit indumentum eorum qui concilio intersunt, et hic praecedentiae ordo:

Reverendissimi patres rocheto, stola, pluviali rubri coloris, baculo et mitra pretiosa insignientur. Deputati autem, theologi et canonistae habitu chori induentur, et sic incedent: capitulum metropolitanum cum suis deputatis; deputati capituli Montalbanensis, Appamiensis et Carcassonensis, et deinde clerus universus, iuxta consuetum ordinem.

## SESSIO PRIMA.

Prima sessio solemnis, die decima septembris, hora octava matutina, sicuti in prima congregatione generali fuerat definitum, celebrata est.

E palatio archiepiscopali ad metropolitanam ecclesiam privatim praeivit, ob senium et infirmam valetudinem, illustrissimus ac reverendissimus dominus dominus archiepiscopus Tolosanus, quem mox processionaliter secuti sunt mitra, baculo et cappa insigniti et medii inter duos capellanos, reverendissimus archiepiscopus Sardianus, coadiutor, et singuli provinciae episcopi; ex ordine, praecedentibus capitulo metropolitano, caeterorum capitulorum deputatis, theologis et canonistis; plurimo comitante civitatis et archidioecesis clero; stipantibus tum pedestrium, tum equestrium militum agminibus; et ubique festiva circumstante innumerorum fidelium corona.

Sedit synodus in choro ecclesiae metropolitanae, ubi honorificentissime sibi et aliis, inter illustriores urbis viros aderant primi magistratus et variorum ordinum praefecti. Tum, cuncti et singuli ritus qui in pontificali pro publice aperiendo concilio provinciali praescribuntur, ad amussim et convenienter fuerunt observati.

Inter sacra quae illustrissimus ac reverendissimus dominus dominus archiepiscopus Tolosanus peregit, quotquot aderant episcopi sacram eucharistiam ex eius manibus acceperunt; caetera vero concilii membra e manibus reverendissimi domini domini archiepiscopi coadiutoris.

Tum cantatis praescriptis precibus, et lecta ab archidiacono, illustrissimi ac reverendissimi domini domini archiepiscopi Tolosani nomine, eximia allocutione de felici redintegratione, fine et utilitate conciliorum, successive publicata sunt, ex ambone, a concilii secretariis, postulante promotore et iubente reverendissimo archiepiscopo Sardiano, coadiutore, de consilio et assensu dominorum episcoporum comprovincialium, decreta *de aperienda synodo; de modo vivendi in concilio; de non praeiudicando; de non discedendo; et de professione fidei*, iuxta formulam a Pio IV praescriptam.

Quam formulam distincte et alta voce legit ipse dominus dominus archiepiscopus coadiutor, flexisque genibus hanc fidem supra sancta Dei evangelia professus est, et post ipsum et coram ipso simili modo professi sunt singuli domini domini episcopi comprovinciales, tandemque simul capitulorum deputati, theologi et canonistae.

Tum legitur decretum de indictione secundae sessionis, et data a domino domino archiepiscopo coadiutore pontificali benedictione, et promulgata centum dierum indulgentia, iisdem ordine, pietate, pompa et magno populi concursu, ad maius seminarium, concilii sedem, processionaliter et via longiori proceditur.

### SECUNDA CONGREGATIO GENERALIS.

Die duodecima mensis septembris, hora tertia pomeridiana, secunda habita est congregatio generalis, praesentibus dominis dominis archiepiscopo coadiutore, omnibus episcopis comprovincialibus, domino domino d'Arbou, episcopo olim Bayonensi, et cunctis canonicis deputatis, theologis et canonistis rite convocatis.

Recitatis praescriptis precibus, et paterna facta admonitione a domino domino archiepiscopo coadiutore circa omnimodam libertatem simul et simplicitatem quibus in enuntianda sententia utendum erat, humiliter requisivit promotor concilii, ut proponeretur titulus de disciplina, quem iam in privatis congregationibus elaboratum audiverat.

Tum secretarius tertiae congregationis varia legit capita de cura, vigilantia et residentia pastorali, de praedicatione verbi divini, de pueris et rudibus catechizandis, et de vita et honestate clericorum.

Interrogati singulatim et super quolibet capite omnes qui synodo aderant, super his opinionem suam aperuerunt, et cunctis observationibus diligentissime notatis a secretariis, ut providerent patres, absoluta est haec secunda congregatio.

## SESSIO SECUNDA.

Feria sexta intra octavam nativitatis beatae Mariae virginis, quae incidebat in diem duodecimam mensis septembris, sicuti fuerat indictum, celebrata est secunda concilii sessio in sacello seminarii maioris. Hora octava matutina, ex aula seminarii processerunt domini domini archiepiscopus Sardianus, coadiutor, comprovinciales episcopi, et episcopus olim Bayonensis, praecedentibus capitulo metropolitano, deputatis aliorum capitulorum, theologis, canonistis et universo clero.

Sacra ab illustrissimo et reverendissimo archiepiscopo coadiutore peracta fuerunt, et deinde cantatae variae quae praescribuntur preces. Tunc, humiliter requirente promotore, iussit dominus dominus archiepiscopus coadiutor ut publicarentur a secretariis varia, quae ad disciplinam spectant, decreta; et revera publicata sunt pie audientibus cunctis concilii membris (excepto domino Baby, vicario generali episcopi Carcassonensis, qui, ob rationabilem causam a patribus approbatam, e synodo discesserat), universo clero, et non parvo fidelium numero. Tunc indicata dies est tertiae futurae sessionis, data a domino domino archiepiscopo coadiutore benedictio, promulgata centum dierum indulgentia, et eodem ordine quo venerant, intra seminarii septa redierunt patres, cum concilii membris et universo clero.

### TERTIA CONGREGATIO GENERALIS.

Die dominica sequenti, scilicet die decima quinta mensis septembris, hora quarta vespertina, habita est tertia congregatio generalis, iisdem servatis quae in praecedenti congregatione. Humiliter requisivit concilii promotor, et iussit dominus dominus archiepiscopus coadiutor ut legerentur: 1. universus titulus *de cultu divino* scilicet: de sacramentis quoad baptismum, confirmationem, confessionem, communionem paschalem et matrimonium; *de dominicis et festis rite celebrandis, et de cantu et musica*; 2. initium tituli *de hierarchia ecclesiastica*, nempe: de summo pontifice, de episcopis et de metropolitano.

Quibus lectis, singulatim a secretario vocati omnes capitulorum deputati, theologi et canonistae, mentem suam super quolibet capite aperuerunt, eorumque dicta [secretarii] fideliter notaverunt, ut B providerent patres; et, dicta oratione, absoluta est congregatio tertia.

### QUARTA CONGREGATIO GENERALIS.

Postridie, nempe feria secunda, die decima sexta mensis septembris, in quarta congregatione generali, praesentibus omnibus provinciae patribus et universis concilii membris, lecta sunt, postulante promotore et iubente domino domino archiepiscopo coadiutore, caetera capita quae ad hierarchiam ecclesiasticam spectant, nempe: de capitulis, de parochis, vicariis, capellanis et aliis presbyteris. Singulos de more capitulorum deputatos, theologos et canonistas vocavit secretarius, eorumque varias annotavit sententias, quas patribus tradidit ut providerent; et, hymno dicto, recesserunt omnes.

## SESSIO TERTIA.

Die decima septima mensis septembris, feria tertia, celebrata est tertia sessio provincialis synodi Tolosanae.

Eadem hora, eodem ordine, ex eadem aula in idem sacellum ac in praecedenti sessione, processionaliter convenerunt patres, canonici, theologi, canonistae et clerus.

Missa synodalis celebrata fuit ab illustrissimo domino domino archiepiscopo coadiutore, et de more peractis cunctis quae notantur ritibus, concilii promotor requisivit promulgationem decretorum quae de cultu divino et de hierarchia ecclesiastica condita fuerant. Tunc, iubente domino domino archiepiscopo coadiutore, secretarii varia decreta perlegerunt de sacramentis quoad baptismum, confirmationem, confessionem et communionem paschalem, matrimonium; de dominicis et festis rite celebrandis; de cantu et musica; de summo pontifice; de episcopis; de metropolitano; de capitulis; de parochis, vicariis, capellanis et aliis presbyteris. Omnibus patribus placuerunt decreta; et indicta die ultimae sessionis, data pontificali benedictione et promulgata centum dierum indulgentia astantibus numerosis fidelibus, eodem ordine ac ventum erat, intra seminarii septa reditum est.

### QUINTA CONGREGATIO GENERALIS.

In quinta congregatione generali, quae die decima octava mensis septembris, hora nona et in eodem loco habita est, consederunt, sicut in caeteris, omnes provinciae patres, et insuper illustrissimus ac reverendissimus dominus dominus Nicolaus-Augustinus de La Croix d'Azolette, archiepiscopus Auscitanus.

Post consuetam orationem, requirente concilii promotore et iubente domino domino archiepiscopo A coadiutore, proposita sunt decreta *de studiis clericorum in seminariis, et presbyterorum*; *de iudiciis ecclesiasticis*; *de fide et doctrina*; super quibus sententiam dicturi appellati sunt a secretario singuli canonici, deputati, theologi et canonistae; et, notatis non paucis et gravibus quae factae fuerunt observationibus, provisuros patres dixit dominus dominus archiepiscopus coadiutor: factaque consueta oratione, absoluta est quinta et ultima congregatio generalis.

## SESSIO QUARTA ET ULTIMA.

Die decima nona mensis septembris, feria quinta, hora octava matutina, apparatu et pompa quam maxime solemni, e maiori seminario processionaliter exiit innumerus e diversis provinciae partibus clerus, et post ipsum variorum capitulorum canonici deputati, theologi, canonistae, et non solum illustrissimus B ac reverendissimus archiepiscopus coadiutor et cuncti provinciae episcopi, sed insuper illustrissimi ac reverendissimi dominus dominus archiepiscopus Auscitanus et dominus dominus episcopus Tarbiensis. In hac ultima sessione, sicut et in prima, incedebat processio inter numerosa militum agmina.

Sedit concilium in navi insignis ecclesiae olim abbatialis Sancti-Saturnini, ubi non intempestive ordinatae fuerant reliquiae sanctorum apostolorum, et plurium antistitum Tolosanorum, sancti Thomae Aquinatis, et aliorum sanctorum, quae in huius ecclesiae cryptis requiescunt. Huic ultimae sessioni, sicut et primae, aderant magistratus et cunctorum ordinum praefecti.

Sacra ab illustrissimo archiepiscopo coadiutore peracta sunt, et omnibus quae in pontificali servanda notantur rite servatis, eloquens habita est ex C ambone oratio ab illustrissimo episcopo Carcassonensi; de laboribus in concilio peractis, et de felicibus tum patriae tum ecclesiae sperandis effectibus. Postea, humiliter requirente promotore, et iubente domino domino archiepiscopo coadiutore, promulgata sunt a secretariis varia decreta de studiis clericorum in seminariis, et presbyterorum; de iudiciis ecclesiasticis; de nonnullis hodierni temporis erroribus; de libris prohibitis, et de approbatione librorum ad religionem spectantium. Cunctis patribus placuerunt decreta, eaque simul et caetera omnia synodi decreta subscripserunt praesules qui decisivam in concilio vocem habuerant.

Placuit deinde concilii patribus cunctam provinciam Tolosanam sacratissimo cordi Iesu solemniter devovere. Innuit itaque secretarius ut omne flecteretur genu, et ipse reverendissimus archiepiscopus coadiutor hanc alta voce consecrationis formulam D legit:

*„Domine Iesu Christe, qui superabundantes misericordiae tuae divitias in ecclesiam sponsam tuam propitius semper effundis, respice benignus super nos, et adiuva nos, ut quae te inspirante decrevimus, te auxiliante custodiamus.*

*„Sed quia nostrae non inscii sumus infirmitatis, et cor tuum sacratissimum donorum fidelibus est fons indeficiens, huic amantissimo cordi tuo, nos et clerum nostrum una simul iterum devovemus, ut spiritu sacerdotali in suo fonte potati, libentissime impendamur*[1] *et superimpendamur ipsi pro animabus sanguine tuo redemptis.*

*„Amantissimo cordi tuo dicamus donec et consecremus populum nobis commissum, ut tibi devotus fide, iustitia, caritate, omnibus pietatis operibus dives abundet.*

---

[1] II Cor. XII, 15.

*„Cor Iesu amantissimum, illumina mentes nostras,* A *infunde amorem cordibus nostris, trahe nos in funiculis Adam, in vinculis caritatis, ut simus unum, sicut Pater et Verbum et Spiritus unum sunt, et simus consummati in unum."*

Tunc, interrogante secretario, omnibus patribus placuit synodo finem imponi; decrevitque illustrissimus dominus dominus archiepiscopus coadiutor concilio finem iam esse factum.

Hic, unus e secretariis ex ambone varias intonat acclamationes, quibus coetus universus ardentibus votis respondet.

Utraque hic referre iuvat:

ACCLAMATIONES.

*Acclamatio:* Regi seculorum immortali, Deo uni et trino, laus, honor et gloria.

*Responsio:* Amen. Benedictus Deus, et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in secula. B

*Acclamatio:* Divino mediatori Iesu Christo, qui via, veritas et vita est, potestas et imperium in secula seculorum.

*Responsio:* Dignus est agnus qui occisus est accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem.

*Acclamatio:* Inclyto martyri Saturnino, Tolosatum apostolo et protopraesuli; doctori angelico, atque his omnibus sanctis qui vigiles custodiunt civitatem, laus et maxima devotio.

*Responsio:* Laus et maxima devotio; mala cuncta a civitate provinciaque propellant.

*Acclamatio:* Beatissimo Pio, summo pontifici nostro, qui tot inter tempestates, universalem ecclesiam tam prudenter, tam fortiter suaviterque gubernat, omnium amor, obedientia, memoria aeterna.

*Responsio:* Dominus conservet eum, et vivificet C eum, atque illi de cunctis hostibus victoriam dextera potentiae suae concedat.

*Acclamatio:* Illustrissimo et veneratissimo huius provinciae metropolitano, strenuo fidei indefessoque disciplinae defensori, plena, honoratissima senectus. Constans illi sit auxilium a Domino, nec non eximio praesuli, quem in pascendo grege sollicitus sapientissimum adiutorem adscivit.

*Responsio:* Utrique auxilium a Domino, et de profectu ovium gaudia aeterna pastorum.

*Acclamatio:* Reverendissimis episcopis, praeconibus veritatis, multi anni, multa felicitas.

*Responsio:* Ecclesiarum suarum perdiu maneant decus et honor, propugnaculum veritatis.

*Acclamatio:* Carissimae nostrae Galliae, erga matrem ecclesiam semper devotissimae, nuper in tuendis successoris Petri iuribus gloriosissime triumphanti, gratiarum actio, pax et prosperitas.

*Responsio:* Gratiarum actio, pax, concordia, fidei et pietatis augmentum.

*Acclamatio:* Tolosanae civitati, religione et scientia celeberrimae, totius provinciae clero et fidelibus, pax vera, amplissima coelestium donorum effusio.

*Responsio:* Pax vera, amplissima coelestium donorum effusio.

*Acclamatio:* Deus totius gratiae det nobis huius concilii decretis firmiter inhaerere, intercedentibus immaculata virgine Dei genitrice Maria, sanctis apostolis Petro et Paulo, beató Stephano protomartyre, atque aliis huius provinciae patronis, et omnibus sanctis.

*Responsio:* Fiat, fiat, amen, amen.

Finitis acclamationibus, pontificalis benedictio ab illustrissimo domino domino archiepiscopo coadiutore datur, indulgentia centum dierum proclamatur a secretario, et, invitante diacono, recedunt omnes cum pace; et cantantes hymnum *Te Deum*, ad maius seminarium processionaliter, eodemque ordine quo venerant, revertuntur.

Haec sunt acta concilii provincialis Tolosani, quae, requirentibus promotoribus, iubente illustrissimo ac reverendissimo coadiutore Tolosano, a nobis secretariis concilii, accurate, quantum fieri potuit, exarata sunt. In cuius rei fidem subscripsimus.

Feral, canonicus, secretarius.

F. Graulle, vicarius generalis, secretarius.

## SYNODUS DIOECESANA PARISIENSIS

1850 septembris 30 - octobris 5.

Synodus dioecesana Parisiensis in Gallia, celebrata a die 30 septembris ad diem 5 octobris 1850, sub Maria-Dominico-Augusto Sibour, archiepiscopo Parisiensi.

Exstant constitutiones synodales in opere cui titulus:

Synode diocésain tenu à Paris par monseigneur Marie-Dominique-Auguste Sibour, archevêque de D Paris, depuis le 30 septembre jusqu'au 5 octobre 1850. *[Insigne.]* Paris, librairie d'Adrien le Clere et Cie., imprimeurs de notre saint père le pape et de l'archevêché, rue Cassette, 29, près Saint-Sulpice, 1850.

In-8°, 48 p. — (Paris, Bibl. nat. B 18354; Paris, Saint-Sulpice).

# CONVENTUS PROVINCIALIS FRISINGENSIS EPISCOPORUM BAVARIAE

1850 octobris 1.

Conventus provincialis Frisingensis episcoporum Bavariae, celebratus a die 1 ad diem 20 octobris 1850, sub Carolo-Augusto von Reisach, archiepiscopo Frisingensi.

### Denkschrift

der vom 1.—20. October 1850 zu Freising versammelten Erzbischöfe und Bischöfe Bayerns.

Allerdurchlauchtigster Grossmächtigster König, Allergnädigster König und Herr!

Es nahen Eurer Königlichen Majestät die versammelten Erzbischöfe und Bischöfe Bayerns, um vor dem Thron die heilige Sache der Kirche zu führen mit jener Ehrfurcht, die sie nach göttlicher Anordnung dem Monarchen schulden, mit jener Freimüthigkeit, welche Dienern Jesu Christi und Nachfolgern der Apostel geziemt, mit jenem Eifer und Herzensdrang, die aus der Sorge für so viele durch das Blut des Heilandes erkaufte Seelen entspringen müssen. Unsere Vollmacht, die Kirche zu

vertreten, kommt von dem allmächtigen Gott, der A uns ohne unser Verdienst zu Hirten dieses Theiles seiner Heerde gesetzt hat; das Oberhaupt der Kirche hat unsere Zusammenkunft gutgeheissen und uns zur Wahrung des Concordates aufgefordert; wir sprechen für drei Millionen der treuesten Unterthanen Eurer Königlichen Majestät, und es handelt sich hier nicht um angemaasste, erst im politischen Schwindel der Neuzeit zu ertrotzende Forderungen, sondern um unveräusserliche, im Wesen der Kirche liegende Rechte, welche sie in einem mehr als tausendjährigen Besitz in Bayern genossen hat, und in deren Heilighaltung das Haus Wittelsbach und das bayerische Volk des reichsten Segens Gottes theilhaftig geworden sind.

Der furchtbare Sturm, welcher das schon nach mancher Seite hin bedenklich untergrabene äussere Gebäude der Kirche in Bayern vor beinahe fünfzig Jahren zusammenriss, beraubte sie nicht bloss zeitlicher Güter in einem Maasse, wie kaum anderswo, sondern erschütterte auch ihr Inneres so gewaltsam, dass ohne besondere Hülfe des Herrn Klerus und Volk seinem Verderben hätte entgegengehen müssen. Die Staatsweisheit einer vergangenen Periode nämlich glaubte, während sie einerseits den Principien der Revolution den weitesten Spielraum in Lehre und Leben gewährte und wirkliche Rechte der Monarchie auf's Spiel setzte, andererseits der Krone dadurch Ersatz zu gewinnen, dass ihr ungemessener Einfluss auf die Kirche gegeben und letztere in ihrer freien Lebensentwicklung beengt und so unfähig gemacht wurde, die ihr von Gott gegebene Mission der christlichen Erziehung der Völker nach allen Richtungen hin zu vollziehen. Denn eine Kirche, die selbst mit der Staatsgewalt confundirt, nur ein Werkzeug in der Hand der politischen Herrschaft geworden, ist nicht mehr C jene freie, von oben stammende Macht, welche den irdischen Gewalten helfend zur Seite steht und ihnen in Allem, was den Geboten und dem Willen Gottes nicht entgegen ist, den Gehorsam ihrer Gläubigen sichert. Wir wollen Eurer Königlichen Majestät das trübe Bild der kirchlichen Zustände nicht vor die Augen führen, welche in Bayern auf die Säcularisation gefolgt sind — die landesväterliche Fürsorge seines ersten gütigen Königs fühlte, dass geholfen werden müsse, und ihr, vereint mit der Weisheit des heiligen Stuhles, verdankt die katholische Kirche Bayerns das Concordat: ein Gesetz, dessen vorsichtige Mässigung und gerechte Erwägung der in Frage stehenden Interessen eine mehr als dreissigjährige Erfahrung erprobt hat. Allein was ein ehrwürdiger, vielgeprüfter Papst und ein edles, königliches Herz zum Besten des Landes gewollt hatten, das sollte neuerdings in Frage gestellt werden.

Obgleich das Concordat dem Monarchen Zugeständnisse gemacht hatte, wie sie keiner seiner altkatholischen Vorfahren gehabt, obgleich auf jene moralischen Rechte der Kirche garantirt waren, ohne welche ihr Bestand gefährdet würde, obgleich endlich ihre äussere Dotation im Vergleich mit den Reichthümern, die sie einst besessen, nur auf ein bescheidenes Maass zurückgeführt war, so erschien doch auch diese Uebereinkunft Jenen noch zu günstig, welche gehofft hatten, es werde das ganze, nach ihrer Meinung veraltete Bauwerk beseitigt und auf dem Sandboden des Indifferentismus ein neuer Staatstempel aufgeführt werden. Auch waltete bei Manchen die Ansicht ob, die Staatsgewalt könne bei dem Princip der bürgerlichen Gleichstellung der Confessionen nicht alle Bestimmungen des Concordates durchführen, eine Ansicht, deren Irrigkeit von selbst einleuchtet, da ja der Staat die Freiheit, die er der katholischen Kirche im Concordat gewährleistet hatte, auch andern, öffentlich anerkannten Confessionen zugestehen konnte. So erschien denn zum gerechten Befremden der Katholiken Bayerns neben den feierlichen Zusagen des Concordates die zweite Verfassungsbeilage, das sogenannte Religionsedict [1], in welchem die soeben durch einen Staatsvertrag gesicherten Rechte der Kirche auf's Neue theils zurückgenommen, theils beschränkt und verkümmert wurden. Die Kirche schwieg nicht zu diesem Verfahren; der heilige Vater erhob kräftigst seine Stimme, unsere in Gott ruhenden Vorfahrer auf den bischöflichen Stühlen, von pflichttreuen Priestern umgeben, verwahrten sich nachdrücklich und liessen durch ihre Ordinariate bei zahlreichen sich darbietenden Gelegenheiten gegen das Religionsedict sowohl im Ganzen als in seinen einzelnen Punkten Beschwerde führen. B Wäre damals König Maximilian I. durch die denkwürdige Erklärung vom 15. September 1821 [2] nicht wieder begütigend in die Mitte getreten, der Bruch mit der Kirche würde ein offener geworden sein. Aber der Same der Zwietracht war einmal ausgesäet, und so gerne es die allerunterthänigst Unterzeichneten anerkennen, dass die Staatsregierung im Gefühl der im Religionsedict enthaltenen Widersprüche gegen das Concordat ersterem oft eine mildere Anwendung gab, und dass auch die wohlwollendsten Träger der Staatsgewalt einmal vorhandene Zustände nicht gewaltsam ändern können, so haben doch die durch ein volles Menschenalter hindurch geführten Streitigkeiten die Kirche so fühlbar in ihrem Innern angegriffen und in das

[1] *Edict* über die äussern Rechtsverhältnisse des Königreichs Bayern, in Beziehung auf Religion und kirchliche Gesellschaften. Dieses Edict, erlassen München, den 26. Mai 1818, bildet die II. Beilage zu Titel IV, § 9, der bayerischen Verfassungsurkunde.

[2] Königliche Verfügung, das Concordat und den Verfassungseid im Königreiche Bayern betreffend. (Reg.-Blatt 1821, S. 805.)

MAXIMILIAN JOSEPH etc. etc.

Nachdem die wichtigsten Anstände, welche bisher den Vollzug des mit dem päpstlichen Stuhle unterm 5. Junius 1817 abgeschlossenen und von Uns unterm 24. October des nämlichen Jahres ratificirten Concordats verzögert haben, nunmehr beseitigt sind; so ist es Unser Wille, dass dasselbe in allen seinen Theilen in volle Ausübung gebracht, und dass hiernach der Publication und Vollziehung der zur Ausführung der Circumscription der neuen Diöcesen in Unserm Königreiche unterm 1. April 1818 ergangenen Bulle, welche anfängt mit den Worten: „Dei ac domini nostri Iesu Christi," nebst den darauf sich beziehenden Executionsdecreten des für dieses Geschäft von Seiner päpstlichen Heiligkeit an Unser Hoflager in der Person des Herrn Franz Serra, aus dem herzoglichen Geschlechte Cassano, Erzbischofes von Nicäa, abgeordneten apostolischen Nuntius kein weiteres Hinderniss gesetzt werden D soll. Zugleich fügen Wir zur Vermeidung und Beseitigung aller Missverständnisse über diesen Gegenstand und die Beschaffenheit des von Unsern katholischen Unterthanen auf die Constitution abzulegenden Eides die Erklärung bei, dass, indem Wir Unsern getreuen Unterthanen die Constitution gegeben haben, Unsere Absicht nicht gewesen sei, dem Gewissen derselben im Geringsten einen Zwang anzuthun, dass daher nach den Bestimmungen der Constitution selbst der von Unsern katholischen Unterthanen auf dieselbe abzulegende Eid lediglich auf die bürgerlichen Verhältnisse sich beziehe, und dass sie dadurch zu Nichts werden verbindlich gemacht werden, was den göttlichen Gesetzen oder den katholischen Kirchensatzungen entgegen wäre.

Auch erklären Wir neuerdings, dass das Concordat, welches als Staatsgesetz gilt, als solches angesehen und vollzogen werden soll, und dass allen Behörden obliege, sich genau nach seinen Bestimmungen zu achten.

Tegernsee, am 15. September 1821.

Maximilian Joseph.

Freiherr von Zentner.

Auf königl. allerhöchsten Befehl der General-Secretär:

Statt dessen:

Stundacher, geheimer Rath.

Verhältniss zwischen ihr und dem Staate so manche A Missstimmung gebracht, dass die Forderung vollkommen billig erscheint, es möge durch verfassungsmässige Beseitigung des Religionsedictes der Kirche ihr volles Recht gegeben und so die Ursache aller Missverständnisse entfernt werden. Der Episcopat Bayerns muss daher vor Allem Eurer Königlichen Majestät die gehorsamste Erklärung zu Füssen legen, dass der Papst, die Bischöfe und die gesammte katholische Kirche Bayerns die zweite Verfassungsbeilage, in so ferne sie in directem Widerspruche mit dem Concordate ist, niemals anerkannt haben oder anerkennen werden, und dass ebenso alle älteren, die Freiheit der Kirche beeinträchtigenden Verordnungen, welche nach der deutlichen Stipulation des Concordates als aufgehoben zu betrachten sind, so wie die nach dem Abschlusse des Concordates auf Grund der widersprechenden Paragraphen des Religionsedictes erlassenen Gesetze B und Verordnungen nicht ohne Beeinträchtigung der Kirche zu Stande kommen konnten. Auch verwahrt sich der Episcopat gegen jede einseitige und nicht in Uebereinkunft mit dem Kirchenoberhaupte angenommene Interpretation des Concordates.

Nach dieser pflichtmässigen Erklärung, deren Gerechtigkeit wir vor dem Richterstuhle Gottes dereinst getrost zu verantworten gedenken, können wir Eure Königliche Majestät ehrfurchtsvollst versichern, dass wir innigst durchdrungen sind von dem Geiste des Friedens und der Versöhnlichkeit, und dass wir nichts mehr wünschen, als ein gütliches Verständniss der Kirche mit dem Staate. Dies war der Zweck unserer Zusammenkunft, dies ist die Absicht gegenwärtiger treugehorsamsten Vorstellung, in welcher wir Eurer Königlichen Majestät die vorzüglichsten jener zwischen Concordat und Religionsedict bestehenden Wider- C sprüche bezeichnen wollen, die gehoben werden müssen, so wie jene Punkte des Concordates, deren Erfüllung vor Allem dringendes Bedürfniss ist.

Gestatten Allerhöchstdieselben, dass wir zur klareren Uebersicht in einigen Hauptabtheilungen das Wesentliche zusammenfassen und entwickeln, wie die gebührende Freiheit der Kirche 1) in ihrer Regierung und Verwaltung, 2) in ihrem Cultus und religiösen Leben, 3) in der Erziehung des Klerus, 4) in ihrem Einflusse auf Erziehung und Unterricht im Allgemeinen, 5) in der Verwaltung ihres zeitlichen Gutes herzustellen sei, und wie 6) die Kirche durch die bürgerliche Gleichstellung der Confessionen in ihrer innern kirchlichen Thätigkeit nicht behindert werden darf.

Mögen unsere Worte, vom Segen Gottes begleitet, zum Herzen Eurer Königlichen Majestät dringen! Es ist ein ernster, entscheidender Augen- D blick. Von der völligen Ausgleichung zwischen Kirche und Staat wird die Zukunft Europas abhängen; nur ihre vereinte Kraft überwindet die Anarchie.

I. Der ewige Hohepriester und König der Könige, unser Herr Jesus Christus, dem alle Macht gegeben ist im Himmel und auf Erden, hat sich aus unendlicher Barmherzigkeit ein Eigenthum geschaffen und durch sein Blut erkauft, dessen Besitz und Herrschaft in Ewigkeit nur ihm gebührt, das er mit eifernder Liebe hütet und gegen jeden Angriff von Aussen mit starkem Arme vertheidigt.

Es ist die heilige katholische Kirche. Ihr, seinem mystischen Leibe, hat er alle Gewalten, die ihm selbst inwohnen, *in so weit sie zur Vollendung des Erlösungswerkes gehören*, freigebigst übertragen, oder vielmehr durch sie vollzieht er dieselben; in ihr ist nach dem katholischen Dogma nicht bloss die beseligende Heilsverkündung des göttlichen Lehrers, nicht bloss der unerschöpfliche Schatz der Verdienste des Priesters nach der Ordnung Melchisedeks in Opfer und Sacramenten, sondern auch die auf das geistliche Gebiet bezügliche Richter- und Herrschergewalt des Königs der Ewigkeit niedergelegt. Nach katholischem Dogma ist in der Kirche der Episcopat Träger dieser Vollmacht, und sie umfasst die gesetzgebende, verwaltende und richterliche Thätigkeit in ungetheilter Einheit. Ihre Fülle ruht in dem von Christo eingesetzten Primate, dessen Jurisdiction sich über die ganze Kirche, über Hirten und Heerde erstreckt —; aber auch jeder Bischof, der in Vereinigung mit dem Papste in die Reihe der Nachfolger der Apostel eintritt, participirt an derselben, und er übt sie in der ihm angewiesenen Diöcese, als einem Theile der Kirche Christi, aus — in Unterordnung unter ihr Oberhaupt nach der in der Kirche bestehenden hierarchischen Ordnung und nach den allgemeinen, auch ihn bindenden canonischen Gesetzen. Diese ihm zustehende Gewalt ist an seine Person geknüpft, und er kann sie entweder selbst nach allen ihren Richtungen hin bethätigen, oder nach seinem Ermessen durch andere von ihm nach canonischen Grundsätzen delegirte Personen ausüben lassen, die dann nur an seiner Statt und in seinem Namen handeln. Die dem Papste und den Bischöfen vom Heilande übertragene kirchliche Regierungsvollmacht aber kommt von oben und ist göttlichen Ursprungs, und desswegen frei und unabhängig von der irdischen Macht. Sie erstreckt sich nur auf dasjenige, aber auch auf *alles* dasjenige, was zum Bereiche der Kirche gehört und erforderlich ist, damit in ihr die Hinterlage des Glaubens bewahrt, seine Lehre verkündet, der Gottesdienst geregelt, die Heilsmittel gespendet, die Gläubigen auf dem Wege des Lebens geleitet, damit ihr ganzer Organismus auf den Grundlagen ihrer Verfassung entwickelt und sie selbst in der ihr von Gott gegebenen Natur und Wesenheit erhalten werden könne.

Indem daher der bayerische Monarch sich mit dem höchsten Träger dieser eben näher bezeichneten kirchlichen Gewalt, mit dem Papste, durch ein feierliches Concordat vereinbarte, hat er das Bestehen dieser Gewalt und die hierarchische Ordnung der Träger derselben in der Kirche anerkannt, und diese Anerkennung dadurch ausgesprochen, dass nicht nur im Allgemeinen der Kirche alle Rechte, die ihr ex Dei ordinatione et canonicis sanctionibus zukommen, darin zugesichert, sondern auch im Einzelnen die wichtigsten Befugnisse der Bischöfe ausdrücklich gewährleistet sind. Das Concordat spricht neben dieser Anerkennung der kirchlichen Vollmacht zugleich auch die Pflicht aus, welche der Monarch übernommen hat, die Kirche zu schützen und Alles zu entfernen, was die Bischöfe in der Erfüllung ihres Amtes hindern könnte. (Art. XIV.[1])

Die Bischöfe Bayerns, im Gewissen verpflichtet, die ihnen von Gott und seiner heiligen Kirche übertragenen Rechte ihres Amtes unversehrt zu

[1] *Art. XIV.* „Seine Majestät werden nicht zugeben, dass die katholische Religion, ihre Gebräuche und *Liturgie* durch Worte, Thaten oder Schriften verächtlich gemacht, oder dass die Vorsteher oder Diener der Kirche in Ausübung ihres Amtes, besonders in Wahrung der Glaubens- und Sittenlehre und der Kirchenzucht, gehindert werden. Da Seine Königliche Majestät ferner wollen, dass den Dienern der Religion die ihnen nach göttlichen Geboten gebührende Achtung bezeigt werde; so werden Allerhöchstdieselben nicht gestatten, dass irgend etwas zu deren Herabwürdigung oder Verachtung geschehe, sondern vielmehr verfügen, dass ihnen von allen Obrigkeiten bei jeder Gelegenheit mit besonderer Achtung und in der ihrem Stande gebührenden Art begegnet werde."

erhalten und sich alle Befugnisse zu bewahren, A welche das Concordat ihnen zuspricht, fühlen sich daher gedrungen, zu fordern, dass in der Ausübung derselben ihre Freiheit nicht beschränkt, vielmehr vom Staate geschützt werde. Da sie nicht mehr wie früher mit Territorialherrlichkeit ausgerüstet sind, welche, verbunden mit der geistlichen Jurisdiction, bei den Landesfürsten die Besorgniss von Ueberschreitung der Grenzmarken des irdischen und geistlichen Gebietes entschuldigen konnte, da sie vielmehr in allen zeitlichen Dingen treue Unterthanen ihres Königs sind und durch den vom Concordate bestimmten Eid sich jeder Forderung unterwerfen, welche der Staat in politischer Beziehung an sie machen kann, einen Eid, den sie nicht minder heilig halten werden, als den der Kirche geschworenen: so glauben sie auch ihrerseits hoffen und verlangen zu dürfen, dass jenes unverdiente Misstrauen gegen die Kirchengewalt schwinden B werde, welches noch so mannigfach in der Staatsgesetzgebung sich äussert. Je mehr sie überzeugt sind, dass die beiden Gewalten, welche die menschliche Gesellschaft regieren, von der einen Quelle stammen, aus welcher alle Macht auf Erden ausgeht, und dass beide berufen sind, mit gegenseitiger Hilfe in Eintracht das zeitliche und ewige Wohl der ihnen Untergebenen zu fördern, um so mehr werden sie, eingedenk ihres Eides, Alles vermeiden, was mit Ueberschreitung ihres geistlichen Wirkungskreises in den der weltlichen Macht eingriffe und geeignet wäre, den Frieden zwischen Staat und Kirche zu stören. Sie kennen und übernehmen freudig die Verantwortlichkeit, welche ihnen ihr Eid auflegt; aber sie glauben auch im Bewusstsein dieser Verantwortlichkeit verlangen zu können, dass dieser ihr Eid als genügende Gewähr betrachtet werde, dass sie in der Ausübung ihres schweren C Amtes, während sie Gott geben, was Gottes ist, auch dem Kaiser geben werden, was des Kaisers ist.

Im Bewusstsein dieser ihrer doppelten Pflicht, und in der Ueberzeugung, dass die Bestimmungen des Religionsedictes mit den durch das Concordat bezüglich der Leitung ihrer Diöcesen gewährleisteten Rechten und Befugnissen im Widerspruche stehen und die freie Ausübung derselben in Erfüllung ihres Amtes vielfach hindern und beschränken, halten sich die Bischöfe Bayerns verpflichtet, Eurer Königlichen Majestät nachstehende concordatmässige Forderungen der Kirche, bei welchen die hauptsächlichsten einzelnen Beeinträchtigungen der kirchlichen Freiheit in's Auge gefasst sind, ehrerbietigst vorzulegen:

1) Dass nach der Bestimmung des Concordats Art. XII, litt. e[1] der Verkehr der Bischöfe, des Klerus und des Volkes mit dem heiligen Stuhle in D allen geistlichen Dingen und kirchlichen Angelegenheiten frei sein möge, und die auf letztere bezüglichen Anordnungen, Gesetze, richterlichen Entscheidungen und sonstigen Erlasse der obersten Kirchengewalt dem Wesen und den Verfassungsgrundsätzen der Einen, katholischen Kirche gemäss frei und ungehindert und ohne vorhergehende staatliche Genehmigung verkündet und zum Vollzuge gebracht werden können, weshalb auf Entfernung der hieher sich beziehenden Stelle der Verfassungsurkunde Tit. IV, § 9, so wie der §§ 58 und 59 des Religionsedictes[1] gedrungen werden muss. Der Episcopat verkennt hiebei nicht, dass hinsichtlich des Verkehrs mit dem heiligen Stuhle auf administrativem Wege bereits Erleichterung gewährt ist[2], allein es müssen nothwendig die im Gesetze liegenden Hindernisse beseitigt werden.

2) Dass die in der hierarchischen Ordnung der Kirche begründete Metropolitanverfassung und die damit in Verbindung stehenden kirchlichen Anstalten sich in freier Wirksamkeit bewegen können, und desshalb die ihr entgegenstehende Bestimmung des § 57 des Religionsedictes[3] aufgehoben werde.

3) Dass es den Bischöfen vollkommen freistehe, die ihnen zur Ausübung ihrer Amtsgewalt nothwendig erscheinenden Delegationen nach Maassgabe der canonischen Vorschriften zu ertheilen oder besondere Stellen zu errichten und zu organisiren, ohne dass zur Anerkennung derselben in ihrer amtlichen Thätigkeit eine vorhergehende staatliche Genehmigung oder Bestätigung der vom Bischofe gewählten Personen, eingesetzten Stellen und deren Organisation vonnöthen ist; wonach die Aufhebung

[1] *Art. XII.* „In Leitung der Diöcesen sind die Erzbischöfe und Bischöfe befugt, alles dasjenige auszuüben, was ihnen vermöge ihres Hirtenamtes kraft der Erklärung oder Anordnung der canonischen Satzungen nach der gegenwärtigen und vom heiligen Stuhle bestätigten Kirchendisciplin zusteht, und insbesondere: e) nach Erforderniss des geistlichen Hirtenamtes sich dem Klerus und dem Volke der Diöcese mitzutheilen und ihren Unterricht und ihre Anordnungen in kirchlichen Gegenständen frei kund zu machen; übrigens bleibt die Communication der Bischöfe, des Klerus und des Volkes mit dem heiligen Stuhle in geistlichen Dingen und kirchlichen Angelegenheiten völlig frei."

[1] § 58. „Hiernach dürfen keine Gesetze, Verordnungen oder sonstige Anordnungen der Kirchengewalt nach den hierüber in den königlichen Landen schon längst bestehenden Generalmandaten ohne Allerhöchste Einsicht und Genehmigung publicirt und vollzogen wurden. Die geistlichen Obrigkeiten sind gehalten, nachdem sie die königliche Genehmigung zur Publication (Placet) erhalten haben, im Eingange der Ausschreibungen ihrer Verordnungen von derselben jederzeit ausdrücklich Erwähnung zu thun."

§ 59. „Ausschreiben der geistlichen Behörden, die sich bloss auf die ihnen untergeordnete Geistlichkeit beziehen und aus genehmigten allgemeinen Verordnungen hervorgehen, bedürfen keiner neuen Genehmigung."

[2] In Folge des durch Erlass des königlich preussischen Ministeriums vom 1. Januar 1841 in *Preussen* freigegebenen Verkehrs mit dem apostolischen Stuhle erschien folgendes ministerielle Ausschreiben: „Seine Majestät der König haben die Art, wie die Bestimmung im Art. XII, lit. e, des Concordates nach dem allgemeinen Ministerialausschreiben vom 18. April 1830 bisher zum Vollzuge gekommen ist, Allerhöchst in Erwägung genommen, und in Anbetracht, daß durch obenerwähnte, in dem Concordate gegebene verfassungsmässige Norm die älteren Verordnungen, insbesondere die vom 27. Februar und 26. November 1804, Dispensgesuche am päpstlichen Stuhle betreffend, als gänzlich derogirt zu betrachten sind, zu beschliessen geruht: es sei das auf die gedachten Verordnungen sich stützende Ministerialausschreiben vom 18. April 1830 ausser Wirksamkeit zu setzen und der Verkehr des bayerischen Episcopates mit dem heiligen Stuhle (welcher den des Klerus und des Volkes von selbst mit in sich begreift) in allen geistlichen Dingen und kirchlichen Angelegenheiten ohne Ausnahme von jeder Vermittlung und Controle der königlichen Gesandtschaft zu Rom und der übrigen weltlichen Behörden völlig frei zu geben, wie solches der klare Wortlaut des Concordates vorschreibt, wobei jedoch die Befugniss der Herren Erzbischöfe und Bischöfe zur ferneren Beibehaltung des bisherigen Communicationsweges in den ihnen hiefür allenfalls geeignet scheinenden Fällen sich von selbst versteht, und die königlichen Stellen und Behörden solchen Falles zur schleunigsten Vermittelung nach wie vor verpflichtet sind.

„Seine Majestät der König geben sich hiebei dem vollen Vertrauen hin, dass von den Herren Erzbischöfen und Bischöfen die Bestimmung in § 58 der II. Verfassungsbeilage in genaue Erfüllung werde gebracht und das landesherrliche Placet bezüglich jener oberhirtlichen Erlasse, welche den obenerwähnten verfassungsmässigen Bestimmungen unterliegen, in der bisherigen Weise erholt werden. München, 25. März 1841. Auf Seiner Königlichen Majestät Allerhöchsten Befehl v. *Abel*."

[3] § 57. „Da die hoheitliche Oberaufsicht über alle innerhalb der Grenzen des Staates vorfallende Handlungen, Ereignisse und Verhältnisse sich erstreckt, so ist die Staatsgewalt berechtigt, von demjenigen, was in den Versammlungen der Kirchengesellschaften gelehrt und verhandelt wird, Kenntniss einzuziehen."

**von §§ 60 und 61 des Religionsedictes[1] gefordert werden muss.** A

**4) Dass die Einmischung in die Bestellung der Decane, so wie die Bestätigung derselben von Seiten des Staates wegfalle, da die Decanalverfassung ein rein kirchlicher Organismus ist, und das Amt der Decane sich nur auf Kirchliches bezieht.**

5) Dass bezüglich der Besetzung aller kirchlichen Stellen, Aemter und Pfründen der Einfluss und die Mitwirkung des Staates sich lediglich auf das beschränken müsse, was in dieser Beziehung im Concordate festgesetzt ist.

6) Dass es den Bischöfen Bayerns nach Art. XII des Concordates freistehe, in der Regierung ihrer Diöcesen alles dasjenige auszuüben, was ihnen vermöge ihres Hirtenamtes kraft der Erklärung und Anordnung der canonischen Satzungen nach der gegenwärtigen vom heiligen Stuhle approbirten Kirchendisciplin zusteht, und dass, wie Art. XIV B desselben Concordates bestimmt, weder sie, noch ihre Delegirten in der Ausübung dieser ihrer Amtsgewalt gehindert werden; wonach

a) die Publication, die Anerkennung und der Vollzug ihrer kirchengesetzlichen Vorschriften und Anordnungen über Gegenstände ihrer kirchlichen Amtssphäre nicht mehr von dem in Tit. IV, § 9 der Verfassung und in den §§ 58 und 59 des Religionsedictes näher bezeichneten Placet abhängig gemacht werden können, vielmehr diese mit der Freiheit und Unabhängigkeit der kirchlichen Gewalt und mit der ausdrücklichen Bestimmung des Concordates im Widerspruche stehenden Gesetze aufzuheben sind;

b) das im Tit. IV, § 9 der Verfassung und § 57 des Religionsedictes erwähnte oberstheitliche Schutz- und Aufsichtsrecht nicht auf eine Weise verstanden und ausgeübt werden darf, wodurch C das den Bischöfen nach dem Wesen und der Verfassung der Kirche zustehende selbstständige und unabhängige Verwaltungsrecht in kirchlichen Angelegenheiten aufgehoben oder willkürlich beschränkt wird;

c) die geistliche Gerichtsbarkeit und richterliche Gewalt der Bischöfe, sie mögen dieselben in eigener Person oder durch von ihnen delegirte Richter zur Entscheidung kirchlicher Streitsachen, vornehmlich zur Entscheidung von Ehesachen, nach Art. XII, lit. c[2] ausüben, anerkannt, und ihre Ausübung frei und ungehindert sein und *bleiben* müsse.

Vermittelst dieser richterlichen Gewalt, welche nicht nur ein sogenanntes Correctionsrecht, sondern nach dem Wesen und der Natur der hierarchischen Regierung und den Bestimmungen der Canones auch eine wahre Strafgewalt ist, muss es den Bischöfen unbenommen sein, sowohl gegen die Kleriker wegen Amtsvergehen oder Verletzung der Canones nach kirchlichen Vorschriften zu verfahren, als auch bezüglich der Gläubigen jene geistliche Jurisdiction zu üben, welche ihnen Art. XII. lit. d des Concordates[1] zusichert, und sich dabei ausschliessend an die von der Kirche vorgeschriebenen und gebilligten Normen und Regeln zu halten.

Die Urtheile, welche in Sachen, die vor das bischöfliche Forum gehören, gefällt werden, müssen als Entscheidungen der competenten Behörde angesehen werden, gegen welche nur der canonische Recurs in dem von der Kirche nach hierarchischer Ordnung eingeführten Instanzenzug stattfinden kann. Desshalb muss gefordert werden, dass der in den §§ 52, 53 und 54 des Religionsedictes[2] gegen Missbrauch der geistlichen Gewalt zugelassene Recurs an den Landesfürsten um so mehr aufgehoben werde, als derselbe, wenn er als eigentliche Appellation anzusehen ist, die eine Bestätigung oder Aufhebung der Sentenz des geistlichen Richters zur Folge haben konnte, offenbar eine Jurisdiction in kirchlichen Angelegenheiten auf Seite des Staates voraussetzen würde, die ihm nicht zukommt; wenn er aber als einfacher Recurs betrachtet wird, schon desshalb weder als nothwendig noch als begründet erscheint, weil der Betheiligte nicht rechtlos gestellt ist, sondern durch den canonischen Recurs an den höheren kirchlichen Richter sowohl bezüglich materieller als formeller Beschwerden durch reformatorische Sentenz Abhülfe erlangen kann.

7) In der Ausübung dieser aus ihrem heiligen Amte hervorgehenden Befugnisse der Jurisdiction glauben die Bischöfe den im Concordate, besonders im Art. XIV desselben, stipulirten[3] und nach § 51 des Religionsdictes[4] zugesicherten Schutz in Anspruch nehmen und verlangen zu können, dass die geistliche Gewalt nicht nur, wie selbst Tit. IV, § 9 der Verfassungsurkunde einräumt, in ihrem eigentlichen Wirkungskreise nicht gehemmt, sondern dass ihr die Mitwirkung des weltlichen Armes zur Ausführung ihrer Verfügungen nicht vorenthalten werde,

[1] § 60. „Die Ausübung der geistlichen Gerichtsbarkeit kommt zwar nach § 38, lit. h, der Kirchengewalt zu; die dafür angeordneten Gerichte, so wie ihre Verfassung müssen aber vor ihrer Einführung von dem Könige bestätigt werden. Auch sollen die einschlägigen königlichen Landesstellen aufmerksam D sein, damit die königlichen Unterthanen von den geistlichen Stellen nicht mit gesetzwidrigen Gebühren beschwert oder in ihren Angelegenheiten auf eine für sie lästige Art aufgehalten werden."

§ 61. „Die vorgeschriebenen Genehmigungen können nur von dem Könige selbst, mittelst des königlichen Staatsministeriums des Innern, ertheilt werden, an welches die zu publicirenden Gesetze und Verordnungen eingesendet und sonstige Anordnungen ausführlich angezeigt werden müssen."

[2] *Art. XII.* „In Leitung der Diöcesen sind die Erzbischöfe und Bischöfe befugt, alles dasjenige auszuüben, was ihnen vermöge ihres Hirtenamtes kraft der Erklärung oder Anordnung der canonischen Satzungen nach der gegenwärtigen und vom heiligen Stuhle bestätigten Kirchendisciplin zusteht, und insbesondere: c) geistliche Sachen, und insbesondere Ehesachen, welche nach dem Canon XII, Sess. 24, des heiligen Conciliums von Trient vor den geistlichen Richter gehören, bei ihrem Gerichte zu verhandeln und zu entscheiden. Ausgenommen davon sind die rein bürgerlichen Angelegenheiten der Geistlichen, z. B. Verträge, Schuld- und Erbschaftssachen, worüber den weltlichen Richtern die Verhandlung und Entscheidung zusteht;"

[1] d) „gegen Geistliche, welche eine Ahndung verdienen oder keine ehrbare geistliche, ihrem Stande und ihrer Würde anständige Kleidung tragen, die von dem heiligen Concilium von Trient bestimmten oder ihnen sonst zweckmässig scheinenden Strafen unter Vorbehalt des canonischen Recurses zu verhängen, und dieselben in die Seminarien oder andere dazu bestimmte Häuser zu versetzen, auch gegen jeden der Gläubigen, welche sich der Uebertretungen der Kirchensatzungen und der heiligen Canonen schuldig machen, kirchliche Censuren anzuwenden;"

[2] § 52. „Es steht aber auch den Genossen einer Kirchengesellschaft, welche durch Handlungen der geistlichen Gewalt gegen die festgesetzte Ordnung beschwert werden, die Befugniss zu, dagegen den königlichen landesfürstlichen Schutz anzurufen."

§ 53. „Ein solcher Recurs gegen einen Missbrauch der geistlichen Gewalt kann entweder bei der einschlägigen Regierungsbehörde, welche darüber alsbald Bericht an das königliche Staatsministerium des Innern zu erstatten hat, oder bei *Seiner Majestät dem Könige* unmittelbar angebracht werden."

§ 54. „Die angebrachten Beschwerden wird das königliche Staatsministerium des Innern untersuchen lassen und, eilige Fälle ausgenommen, nur nach Vernehmung der betreffenden geistlichen Behörde das Geeignete darauf verfügen."

[3] Siehe oben (col. 422 D).

[4] § 51. „So lange demnach die Kirchengewalt die Grenzen ihres eigentlichen Wirkungskreises nicht überschreitet, kann dieselbe gegen jede Verletzung ihrer Rechte und Gesetze den Schutz der Staatsgewalt anrufen, der ihr von den königlichen einschlägigen Landesstellen nicht versagt werden darf."

wobei jedoch ausdrücklich bemerkt wird, dass hie- A bei von kein bürgerlichen Wirkungen ohnehin nicht die Rede sein kann.

Neben der richterlichen Vollmacht ist die zweite vorzüglichste Thätigkeit der in der Kirche eingesetzten Regierungsgewalt die Sendung zu geistlichen Stellen, die, wie oben im Allgemeinen bemerkt wurde, von ihr zu geschehen hat.

Dies gilt besonders auch dann, wenn diese Stellen den Charakter geistlicher Pfründen an sich tragen, da das ständige Recht, die Früchte aus kirchlichen Gütern zu beziehen, untrennbar an ein kirchliches Amt geknüpft ist, und beides, Amt und Bezug, von der Kirche ausgehen. Darum ist denn auch im canonischen Rechte der Grundsatz anerkannt: Der Bischof ist der natürliche Collator der Pfründen in seiner Diöcese.

Wenn daher auch die Kirche aus den von ihr in den Canonen anerkannten Gründen oder aus be- B sonderen Rücksichten Nominations- oder Patronatsrechte Andern neben dem Bischofe, namentlich auch dem Landesherrn, überlässt, so sind es immer nur von ihr verliehene Rechte, die nur in ihrem Geiste und Sinne und nach den von ihr vorgeschriebenen Normen ausgeübt werden können.

Vorzüglich behält sie sich dabei die canonische Prüfung der Tüchtigkeit und Würdigkeit des Benannten oder Präsentirten vor, so wie die eigentliche Verleihung der Pfründe durch die institutio canonica.

Diese kirchlichen Grundsätze sind im Concordate, Art. IX, X, XI, festgehalten, und es bilden letztere im Zusammenhange mit Art. XVII und mit den durch die bestehende und approbirte Kirchendisciplin geltenden übrigen canonischen Normen den einzigen giltigen Maassstab, nach welchem bei Verleihung kirchlicher Pfründen in Bayern zu ver- C fahren ist, weshalb der Episcopat nachdrücklichst die Aufhebung des § 64, litt. g, des Religionsedictes[1] fordern muss, worin der weltlichen Gewalt ausschliesslich die Bestimmungen über die Zulassung zu Kirchenpfründen vorbehalten werden.

Die Sorge für die Handhabung der kirchlichen Vorschriften bei Besetzung der bischöflichen Stühle der Weisheit des Oberhauptes der Kirche und dem Wohlwollen des Monarchen überlassend, werden es die Bischöfe als ihre heilige Pflicht erachten, bei den ihrer Respicienz unterliegenden Kirchenämtern und Pfründen zu wachen, dass nur Würdige und Tüchtige zu denselben gelangen. Diese Würdigkeit aber zu prüfen, ist nicht Sache des Staates, sondern der Kirche.

Die unterthänigst unterzeichneten Erzbischöfe und Bischöfe Bayerns sehen sich daher gedrungen, Eurer Königlichen Majestät zu erklären, dass der D in Bayern dermalen bestehende Pfarrconcurs mit kirchlichen Grundsätzen nicht vereinbar ist, insofern er vom Staate ausgeht und unveräusserliche Rechte der Kirche beschränkt.

Sollten Eure Königliche Majestät als Patron einer sehr bedeutenden Anzahl von Pfründen es zur zweckmässigen und gewissenhaften Ausübung dieses wichtigen Rechtes für nothwendig erachten, dass für diejenigen, die sich um Pfründen königlichen Patronates bewerben wollen, ein allgemeiner Concurs in jeder Diöcese abgehalten werde, so werden sich die Bischöfe dieser Aufgabe nicht entziehen, müssen aber vermöge ihrer Pflicht verlangen, dass diese Prüfung von ihrer Auctorität

[1] § 64. „Zur Beseitigung aller künftigen Anstände werden nach solchen Beziehungen als *weltliche Gegenstände* erklärt: g) Bestimmungen über die Zulassung von Kirchenpfründen."

ausgehe und von ihnen geleitet werde, so wie sie sich die *besondere* Prüfung und canonische Institution, die ihnen nach den Gesetzen der Kirche und nach Art. XI des Concordates[1] gebührt, ausdrücklich vorbehalten. Dagegen können die Bischöfe es nicht anerkennen, dass ihr freies Collationsrecht durch einen solchen Concurs eingeengt werde, wenn sie auch auf das Resultat dieses von *ihnen* zu leitenden Concurses Rücksicht nehmen, und darin einen Anhaltspunkt zur Beurtheilung der um Collationspfründen sich Bewerbenden finden werden, ohne sich jedoch dadurch die Befugniss zu schmälern, auch andere canonische Mittel hiezu anzuwenden.

Eurer Königlichen Majestät hat Gott der Herr durch Seine heilige Kirche die wichtige Aufgabe in die Hände gelegt, durch Allerhöchstdero ausgedehntes Patronat für das ewige Wohl so vieler katholischer Unterthanen mitzusorgen; es ist ein kirchliches, persönliches Recht Allerhöchstderselben, und seine Ausübung berührt kaum das Gebiet der Verantwortlichkeit der Staatsbehörden. Es ist indessen unmöglich, dass der Monarch, um für kirchliche Aemter würdige und tüchtige Männer auszuersehen, selbst in die unerschöpflichen Einzelheiten der Personal- und Localverhältnisse eingehe, während es auf der andern Seite doch höchst nothwendig ist, dass sowohl alle Eigenschaften und Verdienste der Bewerber um solche Stellen gerecht und wahrhaft gewürdigt, als auch zugleich die Bedürfnisse der betreffenden Gemeinden ernstlich erwogen und so nicht bloss abstract die Würdigkeit des Competenten, sondern concret seine Tauglichkeit zu dem bestimmten Posten beurtheilt werde. Ein solches Urtheil kann aber Niemand besser abgeben, als der Bischof, in dessen Diöcese die fragliche Pfründe liegt, der sich im Falle, dass Competenten aus anderen Diöcesen vorhanden sind, von seinen Mitbischöfen bezüglich der persönlichen Eigenschaften derselben die nöthigen Aufschlüsse erholen kann, die Localverhältnisse des Seelsorgspostens aber am gründlichsten kennen muss.

Die ehrfurchtsvollst unterzeichneten Erzbischöfe und Bischöfe bitten daher Eure Königliche Majestät, es möge bei Ausübung Allerhöchstderen Patronatsrechtes vorgängig das Gutachten der bischöflichen Behörde über die Besetzung der fraglichen Stelle, resp. über die Würdigkeit der Competenten und über die Erfordernisse des Postens vernommen und so dem Bischofe Gelegenheit gegeben werden, Allerhöchstdenselben die geeignetsten Individuen zu bezeichnen, womit denn auch für alle Zukunft der unangenehme und das gute Einverständniss zwischen geistlichen und weltlichen Behörden störende Fall vermieden würde, dass ein von dem Landesherrn Präsentirter von dem Bischofe aus pflichtmässiger Berücksichtigung der Kirchengesetze und wegen besonderer Verhältnisse in der betreffenden Gemeinde die canonische Institution nicht erhält. Diese Bitte wird Eurer Königlichen Majestät um so billiger erscheinen, als das protestantische Oberconsistorium stets in ähnlicher Weise sein Gutachten bei protestantischen Pfarreien abgibt, und als z. B. in dem benachbarten Oesterreich schon längst das landesherrliche Patronat in dieser Weise geübt wird.

Es wurde oben nach katholischer Lehre gesagt, dass nur die geistliche Behörde die kirchliche

[1] Art. XI. „Die Erzbischöfe und Bischöfe werden den präsentirten Geistlichen, wenn sie die erforderlichen Eigenschaften besitzen, nach vorgängiger Prüfung über Wissenschaft und Sitten, welche die Bischöfe selbst vorzunehmen haben, wenn es sich um Pfarreien oder Curatbeneficien handelt, die canonische Einsetzung ertheilen."

Tauglichkeit und Würdigkeit eines Individuums (A) zu einem Kirchenamte zu beurtheilen habe. Wenn daher die Kirche im Art. XI des Concordates[1] dem Monarchen das wichtige Zugeständniss gemacht hat, dass die freien Collationspfründen personis maiestati suae gratis verliehen werden müssen, so hatte sie dabei nur die politischen und bürgerlichen Eigenschaften im Auge, und es kann der Episcopat in der Uebung dieses Rechtes nur die landesherrliche Erklärung, dass die betreffende Person in den eben genannten Richtungen genehm sei, nicht aber eine Sanction der bischöflichen Uebertragung des Kirchenamtes oder eine Beurtheilung dieser Uebertragung und der geistlichen Eigenschaften des Gewählten erblicken.

Da die wirkliche Verleihung der Kirchenämter und Pfründen durch die canonische Institution oder Admission geschieht, und sonach von der Kirche ausgeht, so folgt hieraus, dass da, wo eine Immission in die Temporalien durch den Staat herkömmlich ist, dieselbe nicht so angesehen und in solchen Formen vorgenommen werden könne, als ob dadurch erst das Recht des Pfründegenusses verliehen werde, vielmehr nur eine Anerkennung des bereits verliehenen Rechtes sei und daher weder einem investirten Priester versagt oder aber einem nicht investirten oder nicht admittirten ertheilt, noch als ein Grund geltend gemacht werden dürfe, einem auf canonischem Wege der Pfründe Entsetzten ihren Genuss vorzubehalten.

Endlich muss der Episcopat verlangen, dass es bei Resignation der Pfründen ihm freistehe, dieselbe ohne Einsprache Dritter zu acceptiren, und dass mit geschehener bischöflicher Acceptation die resignirte Pfründe als vacant betrachtet werde, so wie dass bezüglich der Verwesung vacanter Pfründen im Hinblicke auf die Vorschriften des (C) Concils von Trient den Bischöfen das Recht gewahrt werde, die Verweser nicht bloss frei aufzustellen, sondern auch den Vicargehalt derselben zu bestimmen und die Intercalarien zu bereinigen.

II. Die Oberhirten Bayerns anerkennen mit freudigem Danke gegen Gott, den Urheber alles Guten, dass unser Volk, wie es sich in politischer Beziehung im Ganzen trefflich bewährte, so auch seiner überwiegenden Mehrzahl nach dem heiligen Glauben treu anhängt und die christlichen Elemente in Leben und Sitte erhalten möchte. Um so grösser aber ist andererseits die Bemühung Jener, die allen Glauben verloren und jeder von Gott gesetzten Auctorität den Untergang geschworen haben, dieses gute Volk zu beirren und zu verderben. Hiezu werden alle Mittel angewendet, von denen man eine Wirkung erwarten kann. Bald sind es Versammlungen, in denen aufregende (D) Reden gegen die Grundsätze des Glaubens und der christlichen Moral die Gemüther entflammen sollen; bald sind es Vereine, die in gegliederter Ordnung das religiöse und politische Gift verbreiten; die Presse verkündet laut jeden Irrthum, und ihr Wort dringt bis zur letzten Hütte, und da man wohl erkennt, dass der gesunde Sinn des Volkes durch gesprochene und gedruckte Angriffe und Verdächtigungen der Kirche nicht so leicht berückt werden kann, so sucht der Feind des Guten durch unendliche Vervielfältigung der die sinnliche Natur des Menschen im tiefsten Grunde aufregenden Lustbarkeiten und Gelegenheiten der Ausschweifung die Leidenschaften aufzustacheln und die sittliche wie ökonomische Wohlfahrt des Volkes zu untergraben — wohl wissend, dass eine entsittlichte und verarmte Menge allein das Werkzeug des Umsturzes sein kann. Der Erfolg dieser traurigen Einwirkungen ist an verschiedenen Orten verschieden — überall aber haben wir die Opfer der Verführung und die Zunahme von Fällen verbrecherischer oder zuchtloser Handlungen tief zu beklagen.

Keiner weltlichen Gewalt *allein* wird es möglich sein, diesem Verderben entgegen zu wirken; es greift in das Innere des Menschen, und muss (B) desshalb auch zuvörderst durch die das Innere umgestaltende Macht des Glaubens bekämpft werden. Die mit allen Mitteln des ewigen Heiles von ihrem göttlichen Herrn und Meister ausgerüstete Kirche besitzt die durch alle Jahrhunderte bewährte Kraft, jene Feinde zu überwinden und die Verirrten auf den Weg des Lebens wieder zurückzuführen; sie bedarf hiezu jedoch der vollen und ungestörten Freiheit, *alle* ihr von Gott gegebenen Heilmittel anzuwenden — sie muss heute mehr als je der unglaublichen Multiplication des Uebels und seiner Verbreitungscanäle gegenüber *alle* ihre Kräfte anstrengen, um zu retten, was gerettet werden kann und will. Aber der Staat, der jetzt die Unentbehrlichkeit ihrer Hülfe so deutlich erkennen muss, hat ihr Hindernisse gesetzt, die sie überall beengen; nicht ohne Misstrauen hat er das innerlichste Eigenthum der Kirche, den Cultus, so wie er sich im Leben äussern will, beschränkt und so der Kirche das Recht verkümmert, durch ihren erhabenen Gottesdienst, durch Verkündigung des göttlichen Wortes, durch Spendung der heiligen Sacramente, wo, wann und wie sie es für nöthig hält, ihre göttliche Mission zu vollbringen. Der Staat hat es sich angeeignet, zu entscheiden, welche Lebensformen der Kirche in Gottesdienst und Vereinen wesentlich und unwesentlich, gewöhnlich oder aussergewöhnlich sind, er hat dem Herrn des Hauses, Jesu Christo selber, und denen, die von Ihm gesendet sind, das Recht schmälern wollen, selbstständig über die Grenze einer willkürlich beschränkten Gottesdienstordnung hinaus freie Verfügung zu treffen; er hat, indem er Gewalten in seine Hände nahm, die nach göttlicher Ordnung der Kirche gebühren, seine wahre politische Macht nicht gemehrt, sondern gemindert, da auf solchen Dingen der Segen Gottes nicht ruhen kann. Der Episcopat Bayerns muss daher vermöge seiner göttlichen Sendung, deren volle Ausübung ihm im Art. XII des Concordates garantirt ist, wo es heisst: Episcopis id omne exercere liberum erit, quod in vim pastoralis eorum ministerii sive ex declaratione, sive ex dispositione sanctorum canonum secundum praesentem et a sancta sede approbatam ecclesiae disciplinam competit, und der ihm ebendaselbst sub litt. g gegebenen Zusicherung, und zugleich im Hinblicke auf die Art. I, XIV et XVII des Concordates, das Recht der freien Anordnung bezüglich des gesammten Cultus der katholischen Kirche in seinen verschiedenen Formen sich ausschliesslich vindiciren und erklären, dass es Niemandem als der kirchlichen Autorität zukomme, darüber zu entscheiden, was im Cultus wesentlich und unwesentlich, gewöhnlich und aussergewöhnlich sei, und kirchliche Feierlichkeiten anzuordnen

[1] Art. XI. Der betreffende Punkt lautet im lateinischen Original: „Reliqua vero beneficia omnia, tam parochialia quam curata ac simplicia, quae antecessores antistites octo ecclesiarum regni Bavariae conferebant, libere ab archiepiscopis et episcopis personis maiestati suae gratis conferentur;" in der officiellen Uebersetzung aber: „Alle übrigen Pfarreien, Curat- und einfachen Beneficien, welche die vorigen Bischöfe der nunmehrigen acht Kirchen in Bayern frei besetzt haben, werden von den Erzbischöfen und Bischöfen an Personen, die von Seiner Majestät genehmigt werden, frei vergeben."

oder zu erlauben. Es muss deshalb die Aufhebung aller hieher bezüglichen Paragraphen des Religionsedictes und namentlich der §§ 76 a und b, 77, 78 und 79[1], sowie aller darauf begründeten Verordnungen verlangt werden, wobei die allerunterthänigst Unterzeichneten jener Hindernisse mit besonderem Bedauern erwähnen, die leider noch in neuerer Zeit den Missionen entgegengesetzt wurden, was die unterthänigst Unterzeichneten zu der gerechten Bitte veranlasst, Eure Königliche Majestät möchten sogleich die auf Administrativweg geschaffenen Erschwerungen der Missionen beseitigen lassen und dieselben lediglich dem Ermessen des Episcopates anheimgeben. Es versteht sich von selbst, dass der Episcopat jederzeit auf billige Wünsche der Staatsgewalt und auf physische wie ökonomische Wohlfahrt des Volkes die möglichste Rücksicht nehmen und namentlich neue, ständige und bürgerlich anzuerkennende Feiertage nicht einführen wird.

Zugleich müssen aber auch die ehrfurchtsvollst Unterzeichneten im Hinblick auf das Concordat und auf die ältern, bezüglich der Feiertage mit dem Staate geschlossenen Übereinkünfte Eure Königliche Majestät dringend und nachdrücklichst bitten, dass von der Staatsregierung sowohl durch gänzliches Verbot jener Arbeiten, welche sich mit der Sonntagsfeier nicht vertragen, als auch durch Beschränkung und Verminderung der gerade diese Tage so oft entweihenden, bis in die tiefe Nacht dauernden Tanzmusiken, Gelage und Excesse eine der furchtbarsten Quellen des moralischen, physischen und ökonomischen Ruines des Volkes verstopft werden möge, wobei namentlich des Unfugs unzähliger Kirchweihtänze mit tiefem Schmerze gedacht werden muss.

Sind die dem Herrn geweihten Tage das wirksamste Mittel, um das in den Mühen des Tagwerks ermattende Volk von den irdischen Sorgen hinweg zu höherem Dasein zu erheben, seine moralischen Kräfte durch christlichen Unterricht und Gottesdienst zu stärken und ihm zugleich die nöthige körperliche Ruhe zu sichern, so wird leider der göttlichen Absicht bei Einsetzung des Ruhetages und dem ausdrücklichen Gebote der Kirche dermalen auf erschreckende Weise entgegengewirkt und dadurch unnennbarer Schaden veranlasst, der nur durch gemeinsames Handeln des Staates und der Kirche beseitigt werden kann.

Der Cultus in seinen verschiedenen Formen ist indessen nicht die einzige Kundgebung und Thätigkeit des kirchlichen Lebens, nicht das einzige Mittel, welches der Glaube dem Geiste dieser Welt gegenüber gebraucht.

A Vom Anfange des Christenthums an ist sein erhabener Zweck der Erziehung des Menschen zum ewigen Leben auf den verschiedenartigsten von der Kirche gebilligten Wegen verfolgt worden. Es haben sich im Laufe der Zeiten innerhalb des grossen Christenbundes zahlreiche, mit verschiedenen Namen von Bruderschaften, Bündnissen etc. bezeichnete Vereine gebildet, die in Ausübung frommer Werke, des Gebetes, der Wohlthätigkeit und sonstiger Christenpflichten, wie z. B. der standesmässigen Ehrbarkeit, sich durch gegenseitiges Beispiel und Hülfe aneifern, ohne dass sie durch Communleben in einem Hause verbunden sind, und ohne dass ihre Mitglieder ihre sonstige sociale Stellung aufgeben. Und wiederum hat die Kirche zur Erreichung höherer Vollkommenheit durch die dazu Berufenen und zur wirksamsten Bethätigung der christlichen Liebe nach allen Seiten des menschlichen Bedürfnisses hin auch B enger geschlossene geistliche Communitäten vom Sturz des Heidenthums an bis jetzt an allen Orten, unter allen Völkern erblühen lassen. Beides: kirchliche Vereine aller Arten und Klöster, sind Lebenstriebe des Christenthums, und es muss gesagt werden, dass da, wo diese Triebe nicht zur Entwickelung kommen können, jene kirchliche Freiheit mangle, die für die Wirksamkeit der Kirche wesentlich, und die darum auch auf Grund des Concordates zu fordern ist.

Wie aber das Bedürfniss, solche Genossenschaften und klösterliche Institute zur Förderung geistlicher und kirchlicher Zwecke zu bilden, mit dem Wesen der Kirche innigst in Verbindung steht, so gebührt es ihr allein, durch päpstliche oder bischöfliche Confirmation sie zu regeln, nach Vorschrift der Kirchengesetze zu leiten, zu beaufsichtigen und, wo es nöthig werden sollte, aufzuheben.

C Gab es je eine Zeit, welche der Kirche gebieterisch die Pflicht auflegte, diese eben genannten Lebensthätigkeiten durch Vereine und Klöster nach allen Richtungen hin zu erstrecken, so ist es die unsrige, in welcher durch das Vehikel der Association so viel zur Zerstörung gearbeitet wird; dass die Kirche durch christliche Association das Ihrige thue, ist im wohlverstandenen Interesse des Staates gleich sehr gelegen, und sie wird letzterem gewiss hinreichende Garantie bieten, dass politisch gefährliche Tendenzen in ihren Genossenschaften nicht aufkommen und von ihr selbst am entschiedensten und wirksamsten zurückgewiesen werden.

Nichtsdestoweniger sind in unserer bayerischen Gesetzgebung sowohl ältere und neuere Verordnungen, als insbesondere die §§ 76 b. und c. und 78 des Religionsedictes vorhanden, welche die Freiheit der Kirche in Bildung solcher Vereine D hemmen und ihre kirchliche Verfassung zum Gegenstand staatlichen Urtheils machen; eine erst kurz vergangene Zeit hat gezeigt, wie weit die Einwirkung des Staates, die sich auf jene Gesetze gründet, greifen und wie empfindlich sie das katholische Leben verletzen könne. Die ehrfurchtsvollst unterzeichneten Erzbischöfe und Bischöfe hoffen daher zuversichtlich, dass Eure Königliche Majestät, Allerhöchstwelche jene Hemmnisse auf dem Administrativ- und Gesetzeswege zum Theil schon zu beseitigen geruht haben, durch gänzliche Aufhebung der betreffenden Paragraphen des Religionsedictes und aller andern dahin bezüglichen Verordnungen die volle concordatmässige Freiheit der Kirche herstellen werden.

Bezüglich der klösterlichen Institute hat das Concordat nicht bloss durch seine allgemeinen Stipulationen Art. I, XII und XVII der Kirche ihr Recht zugesichert, sondern auch noch ins-

[1] § 76. „Unter Gegenständen gemischter Natur werden diejenigen verstanden, welche zwar geistlich sind, aber die Religion nicht wesentlich betreffen, und zugleich irgend eine Beziehung auf den Staat und das weltliche Wohl der Einwohner desselben haben. Dahin gehören: a) alle Anordnungen über den äussern Gottesdienst, dessen Ort, Zeit, Zahl etc.; b) Beschränkung oder Aufhebung der nicht zu den wesentlichen Theilen des Cultus gehörigen Feierlichkeiten, Processionen, Nebenandachten, Ceremonien, Kreuzgänge und Bruderschaften."

§ 77. „Bei diesen Gegenständen dürfen von der Kirchengewalt ohne Mitwirkung der weltlichen Obrigkeit keine einseitigen Anordnungen geschehen."

§ 78. „Der Staatsgewalt steht die Befugniss zu, nicht nur von allen Anordnungen über diese Gegenstände Einsicht zu nehmen, sondern auch durch eigene Verordnungen dabei alles dasjenige zu hindern, was dem öffentlichen Wohle nachtheilig sein könnte."

§ 79. „Zu ausserordentlichen kirchlichen Feierlichkeiten, besonders wenn dieselben an Werktagen gehalten werden, muss allezeit die specielle königliche Bewilligung erholt werden."

besondere Art. VII[1] die hohe Nützlichkeit der A Klöster ausgesprochen und den Staat zu einiger Genugthuung für die Aufhebung so vieler Klöster verpflichtet, mindestens eine Anzahl derselben zu Zwecken der Seelsorge, des Unterrichts und der Krankenpflege zu dotiren, womit natürlich dem Rechte der Kirche, aus eigenen Mitteln oder durch Wohlthätigkeit der Gläubigen weitere klösterliche Institute auch zu andern kirchlich approbirten Zwecken zu errichten, kein Eintrag geschehen sollte.

Der Episcopat will im Hinblick auf die Noth der Zeit die Errichtung von Klöstern aus Staatsmitteln hier nicht urgiren, obgleich der Staat sich der übernommenen Verpflichtung fast nur durch die grossmüthigen Privatstiftungen eines die religiösen Bedürfnisse seines Volkes gerechtest würdigenden Monarchen überhoben glauben kann. Um so nachdrücklicher müssen aber die allerunterthänigst Unterzeichneten besonders im Rückblicke auf Ereignisse der jüngsten Zeit erklären:

1) Dass es ein unveräusserliches Recht der Kirche sei, solche klösterliche Institute ohne Einmischung des Staates zu gründen und darüber zu urtheilen, welche Klöster für die Verhältnisse und Bedürfnisse der Kirche passend, wie viele und wo dieselben zu errichten, und für welche kirchliche Zwecke sie verwenden seien.

2) Dass die Kirche nach den Gesetzen der Gerechtigkeit fordern könne, dass die Klöster sowohl, als die vorgenannten ausserklösterlichen, kirchlichen Vereine und Genossenschaften von Seiten des Staates nicht mit einem nachtheiligeren Maassstabe gemessen werden, als andere Associationen nichtpolitischer Art, und dass daher die Verleihung corporativer Rechte an dieselben nicht an onerose, sich auf ihr kirchliches Wesen beziehende Bedingungen geknüpft und sie von allgemeinen Rechtswohlthaten nicht ausgeschlossen werden.

3) Dass alle inneren Angelegenheiten der Klöster, als da sind: Aufstellung oder Wahl der Obern, Aufnahme, Einkleidung, Gelübdeablegung und Austritt von Klosterindividuen, Ordensregeln und ihre Beobachtung und Handhabung, nur nach Maassgabe der canonischen Satzungen geordnet werden, und dass die Verfügung darüber ausschliesslich der Kirche zustehe, wesshalb der Episcopat die Aufhebung des § 76, litt. c., und der §§ 77 und 78[2] und aller darauf basirten Verordnungen, sowie hieher bezüglicher älterer Normen dringendst beantragt.

4) Dass, wenn klösterliche Institute zur Seelsorge, Krankenpflege und zu Erziehung und Unterricht zu verwenden sind, ihnen nicht Dinge zugemuthet werden, die sich mit den Ordensstatuten nicht vertragen oder mit denselben im Widerspruche stehen.

III. Die Grundbedingung des Bestandes der Kirche Gottes auf Erden ist die ununterbrochene Fortsetzung der apostolischen Sendung im Episcopat und, da letzterer der Hülfe von Mitarbeitern und einer Vervielfältigung seiner selbst durch ihm untergeordnete und auf gewisse Thätigkeiten beschränkte Organe bedürftig ist, im Presbyterate und den übrigen Weihen. Diese Fortpflanzung der Mission setzt aber vor Allem eine sorgfältige Auswahl und Vorbereitung der zu Sendenden voraus, wie sie schon der Völkerapostel in grossen Zügen angedeutet und die Kirche durch alle Jahrhunderte hindurch, insbesondere aber zuletzt durch das Concilium von Trient, mit höchstem Ernste angeordnet hat. Nichts gehört mehr zum innersten, ausschliesslich ihr vorbehaltenen Heiligthum der Kirche, als Vorbereitung und Ordination der Diener des Altares; keine Pflicht des Episcopates ist ernster und heiliger, und darum auch keines seiner Rechte wesentlicher und unveräusserlicher, weil auf göttlicher Anordnung beruhend, als dieses. Der Satz: *Dass Niemandem Anderen als dem Bischofe die Auswahl, Erziehung, Lehre und Prüfung Jener zukommt, die sich in seiner* B *Diöcese dem geistlichen Stande widmen*, ruht auf dem katholischen Dogma, und die Kirche ist da, wo diese Wahrheit nicht anerkannt und praktisch gehandhabt wird, einer Freiheit beraubt, die sie selbst zu den Zeiten des heidnischen Rom besessen hat, und desshalb mit Siechthum und allmählichem Verderben bedroht.

Es schmerzt die ehrfurchtsvollst Unterzeichneten innigst, Eurer Königlichen Majestät sagen zu müssen, dass der katholischen Kirche Bayerns in dieser Beziehung noch Vieles mangelt, und dass die so fühlbare Lücke baldigst ausgefüllt werden muss. Kein Artikel des Concordates hat der Kirche ihre Rechte so vollständig und mit so bestimmten Worten gewährt, als der fünfte im Zusammenhalte mit Art. XII, b.[1], und doch ist er nur ganz ungenügend vollzogen worden.

Man wird freilich einwenden, dass ja wohl überall C Klerikalseminarien bestehen — aber sie bestehen nicht, wie das Concordat ausdrücklich stipulirt, nach der Vorschrift des Tridentinums. Denn dieser heilige Kirchenrath (sess. XXIII, c. 18, *de ref.*) hat in Er-

[1] Art. VII. „Seine Königliche Majestät werden in Anbetracht der Vortheile, welche die religiösen Orden der Kirche und dem Staate gebracht haben und in der Folge auch noch bringen können, und um einen Beweis Allerhöchst Ihrer Bereitwilligkeit gegen den heiligen Stuhl zu geben, einige Klöster der geistlichen Orden beiderlei Geschlechts entweder zum Unterrichte der Jugend in der Religion und den Wissenschaften, oder zur Aushülfe in der Seelsorge, oder zur Krankenpflege, im Benehmen mit dem heiligen Stuhle mit angemessener Dotation herstellen lassen."

[2] § 76. Siehe oben (col. 429 D). Zu diesen Gegenständen gemischter Natur gehören c) Errichtung geistlicher Gesellschaften und sonstiger Institute und Bestimmung ihrer Gelübde. § 77 und 78, siehe oben (col. 431 A).

[1] Art. V. „In jeder Diöcese sollen die bischöflichen Seminarien erhalten und mit einer hinreichenden Dotation in Gütern und ständigen Fonds versehen werden; in jenen Diöcesen aber, in welchen solche Anstalten nicht vorhanden sind, sollen sie ehestens mit einer Dotation der nämlichen Art hergestellt werden.

„In den Seminarien werden jene Candidaten aufgenommen und darin nach Vorschrift des heiligen Conciliums von Trient gebildet und unterrichtet, deren Aufnahme die Erzbischöfe und Bischöfe nach dem Bedürfnisse oder Nutzen der Diöcese für gut finden werden. Die innere Einrichtung, der Unterricht, die Leitung und die Verwaltung der Seminarien werden nach den canonischen Formen der vollkommen freien Aufsicht der Erzbischöfe und Bischöfe untergeben.

„Die Vorsteher und Lehrer in diesen Seminarien werden von den Erzbischöfen und Bischöfen ernannt, und, so wie sie D es für nöthig oder nützlich erachten sollten, auch wieder entfernt werden.

„Da den Bischöfen obliegt, über die Glaubens- und Sittenlehre zu wachen, so werden sie in Ausübung dieser Amtspflicht auch in Beziehung auf die öffentlichen Schulen keineswegs gehindert werden."

Im Zusammenhalte mit

Art. XII. „In Leitung der Diöcesen sind die Erzbischöfe und Bischöfe befugt, alles dasjenige auszuüben, was ihnen vermöge ihres Hirtenamtes kraft der Erklärung oder Anordnung der canonischen Satzungen nach der gegenwärtigen und vom heiligen Stuhle bestätigten Kirchendisciplin zusteht, und insbesondere b) alle diejenigen in den geistlichen Stand aufzunehmen, und mit den canonischen Titeln zu den höheren Weihen zu befördern, welche sie für ihre Diöcese nothwendig und nützlich erachten, wenn dieselben vorher die von den Erzbischöfen und Bischöfen selbst oder von ihren Vicarien mit Beziehung der Synodalexaminatoren vorzunehmende Prüfung bestanden haben, dagegen diejenigen, welche sie unwürdig finden, vom Empfange der Weihen auszuschliessen, ohne dass sie hierin unter irgend einem Vorwande gehindert werden können."

wägung der Gefahren, welche der Jugend von allen A Seiten drohen, und des furchtbaren Uebels für die Kirche, wenn sittlich Verdorbene in ihren Dienst eintreten, anbefohlen, dass die vom Bischof zu leitende Erziehung des Klerus schon im Knabenalter mit dem zwölften Jahre beginnen und in dem bischöflichen Diöcesanseminar stattfinden, und dass der Bischof den Unterricht in dieser Anstalt von den Rudimenten an bis zur Theologie hinauf ordnen soll.

Dieser Vorschrift des Tridentinums, welche durch das Concordat staatsgrundgesetzliche Anerkennung hat, ist nirgends genügt. Die Dotation mancher Seminarien und die bisherige Einrichtung der Studien gestattete die Aufnahme der Candidaten des geistlichen Standes erst im letzten Jahre vor der Priesterweihe, oder höchstens zwei Jahre vorher, — ein Umstand, welcher dem Bischof die so streng von ihm zu verantwortende Erziehung des Klerus B geradezu unmöglich und es gegen seinen Willen unvermeidlich macht, dass sich Unwürdige und schlecht Vorbereitete in das Heiligthum einschleichen. In jenen Diöcesen aber, wo es durch milde Stiftungen von Privaten und durch die Wohlthätigkeit der Gläubigen gelungen ist, mit den mager dotirten Seminarien Convicte für die Studirenden der Theologie oder Knabenconvicte für die Schüler der Gymnasien und lateinischen Schulen zu errichten, da sind diese Anstalten für die Bedürfnisse der Diöcesen nicht ausreichend, und — was ganz besonders in's Auge zu fassen ist — die vom Tridentinum so nachdrücklich geforderte Anordnung des Unterrichts durch den Bischof besteht nirgends. Die Zöglinge der bischöflichen Seminarien machen ihre Studien an öffentlichen Anstalten, Gymnasien und Lyceen, auf deren Leitung und Doctrin die Bischöfe keinen oder nur sehr geringen C Einfluss haben, deren Professoren sie nicht ernennen oder nach Bedarf entfernen können, während das Concordat ihnen dieses Recht ausbedungen hat; ja selbst die Anstellung der Rectoren und Subregenten der Seminarien, die Aufnahme von Zöglingen in dieselben und die Verwaltung ihres Vermögens hat der Staat beaufsichtigen und beschränken wollen. Dieser Zustand der Dinge kann aber um so weniger fortdauern, als die beklagenswerthen Mängel der Erziehung und des Unterrichts an den öffentlichen Anstalten, welche wir Eurer Königlichen Majestät sogleich darstellen werden, es den Bischöfen von Tag zu Tag unvermeidlicher machen, selbst für die Bildung des Klerus zu sorgen. Das Oberhaupt der Kirche hat ebenfalls, wie Eure Königliche Majestät aus dem in Abschrift anliegenden Breve an die Erzbischöfe Bayerns zu entnehmen geruhen werden, diese Angelegenheit ernst- D lich in Erwägung gezogen, und es ist daher hohe Zeit, dass Art. V des Concordates ganz erfüllt werde. Zur Vermeidung von Missverständnissen möge die Bemerkung erlaubt sein, dass der Episcopat keineswegs die Aufhebung der an den bischöflichen Seminarien schon bestehenden Lehranstalten beabsichtigt, im Gegentheil deren Fortdauer und Hebung wünscht, aber zugleich verlangen muss, dass der concordatmässigen Verpflichtung des Staates zur Dotation der Seminarien durch Uebergabe dieser Anstalten an den Bischof, wo dies möglich ist, oder durch Freigebung der Errichtung solcher Studienanstalten in den bischöflichen Seminarien genügt werde. Auch dürfte zur Beseitigung allenfallsiger Bedenken zu erwähnen sein, dass es zur besseren Erreichung des Seminarzweckes namentlich in grösseren Diöcesen nach den Vorschriften des Tridentinums dem Bischofe unbenommen ist, die zur Erziehung des Klerus nothwendige Anstalt in mehreren Abtheilungen und in verschiedenen Häusern, jedoch im engsten moralischen Verband mit einander, zu errichten.

Nach diesen Vorbemerkungen erlauben sich die allerunterthänigst Unterzeichneten die auf das Concordat begründeten Postulate der Kirche in folgenden Sätzen niederzulegen.

1) Es ist eine heilige Pflicht der Kirche, zu fordern, dass der Art. V des Concordates ganz und ohne Rückhalt ausgeführt, und der entgegenstehende § 76 d[1] im Zusammenhalte mit den §§ 77 und 78 des Religionsedictes, so wie alle ältern und neuern Verordnungen, welche die Bischöfe in der Ausübung der ihnen durch Art. V des Concordates gewährleisteten Rechte hemmen, völlig aufgehoben werden;

2) dass es, um diese Seminarien nach dem Wortlaute des Concordates ad normam s. Concilii Trid. einrichten zu können, den Bischöfen freistehe und möglich gemacht werde, jene Lehranstalten, welche zur Bildung der zukünftigen Priester vom Knabenalter an bis zu den höheren Weihen nothwendig sind, das ist nach unserer Einrichtung lateinische Schulen, Gymnasium und Lyceum, mit diesen Seminarien untrennbar zu vereinigen, resp. in denselben zu errichten, die Seminarien sammt diesen Lehranstalten zu organisiren und den Unterricht darin anzuordnen, ohne alle Behinderung und Einmischung von aussen, und dass es den Bischöfen unbenommen sei, diese Seminarien je nach den Bedürfnissen ihrer Diöcesen in verschiedenen Abtheilungen und an verschiedenen Orten zu gründen.

3) Dass die Vorstände an diesen Anstalten ausschliesslich vom Bischofe ernannt und eine staatliche, an gewisse Bedingungen geknüpfte Genehmigung dafür nicht erfordert werde.

4) Dass die Lehrer und Professoren an den Seminarien, resp. an den damit verbundenen Lehranstalten, wie es das Concordat ausdrücklich zusichert, vom Bischofe völlig frei ernannt werden, ohne dass eine königliche Genehmigung erfordert wird, und dass die Bedingungen von Pfarr- oder reinstaatlichem Professorenconcurs wegfallen, wobei sich jedoch die Bischöfe das Recht vorbehalten, die für ein besonderes Lehrfach anzustellenden Lehrer oder Professoren entweder selbst zu prüfen oder durch eine von ihnen zusammengesetzte Commission prüfen zu lassen.

5) Dass die Aufnahme in diese Seminarien und die dafür anzuordnenden Prüfungen völlig frei seien, und zu ersterer eine königliche Genehmigung nicht mehr eintrete.

6) Dass die Erlangung des Tischtitels als Vorbedingung der Ordination dadurch vereinfacht werde möge, dass für jede Diöcese eine ergiebige Aversalsumme für die Tischtitel geleistet werde.

7) Dass der Staat seine Dotationspflicht der Seminarien erfülle, wobei jedoch um so weniger zu besorgen ist, dass ihm allzuschwere neue Lasten zugemuthet werden, als diese Dotation theils, wo es thunlich ist, durch Ueberlassung bestehender Gymnasial- und lateinischer Schulstiftungen oder Exigenzen, sowie von Lycealfonds und Exigenzen, theils durch Beiträge aus den Renten des Kirchenvermögens, theils durch Inanspruchnahme der Wohlthätigkeit der Gläubigen grossentheils herbeigeschafft werden kann, und man neue Dotationszuschüsse nur

[1] „Als Gegenstände gemischter Natur, über welche von der Kirchengewalt ohne Mitwirkung der weltlichen Obrigkeit keine einseitigen Anordnungen geschehen dürfen, erklärt nämlich § 76 d) organische *Bestimmungen über geistliche Bildungs-, Verpflegungs- und Strafanstalten.*"

dann begehren wird, wenn die genannten Mittel A nicht ausreichen oder benützt werden können.

8) Dass den Bischöfen die völlig freie Verwaltung der Seminarfonds nach Maassgabe der kirchlichen Gesetze ohne Curatel von Seite des Staates übergeben werde.

9) Dass jedenfalls die Lyceen, welche neben bischöflichen Seminarien bestehen, sogleich als bischöfliche Anstalten erklärt, mit den Seminarien untrennbar verbunden, und ihre Professoren nach Art. V des Concordates künftig von den Bischöfen ernannt werden, wobei es sich von selbst versteht, dass erworbene Rechte schon Angestellter unangetastet bleiben.

Die allerunterthänigst Unterzeichneten werden sich beeilen, Eurer Königlichen Majestät nach Maassgabe vorstehender Punkte Vorschläge zur Herstellung von Diöcesanseminarien ad normam s. Concilii Trid. nach den Bedürfnissen der einzelnen B Diöcesen zu unterbreiten, aus welchen sich Allerhöchstdieselben überzeugen werden, dass die Herstellung solcher Anstalten überall möglich ist oder wenigstens für die Zukunft angebahnt werden kann.

Es übrigt uns noch, einen höchst wichtigen Punkt bezüglich der Bildung des Klerus Eurer Königlichen Majestät gehorsamst vorzutragen. Ausser den Seminarien und den damit zu verbindenden Anstalten sind die theologischen Facultäten an den Universitäten die einflussreichsten und angesehensten Unterrichtsanstalten für den Klerikalstand, und sie sollen und werden dies immerhin bleiben, wie sie die Kirche von jeher besonders gehoben und mit reichen Privilegien ausgestattet hat. Trotz der im Obigen entwickelten katholischen Principien über die Erziehung des Klerus aber, und trotz des weitern auf dem katholischen Dogma von der Fortpflanzung und Be- C wahrung der Lehre Christi durch den Episcopat unter seinem Oberhaupte, dem Papste, beruhenden Satzes: dass Niemand in der katholischen Kirche das kirchliche Lehramt in seinen verschiedenen Formen von der Kinderlehre an bis zu den theologischen Disciplinen hinauf ausüben könne, es sei denn, dass er dazu durch die gesetzmässige Autorität der Kirche die im Falle der Noth nach canonischen Formen auch wieder entziehbare Mission erhalten habe, trotz dieser unumstösslichen Wahrheiten, sagen wir, ist in Bayern der Kirche der ihr gebührende Einfluss auf die Anstellung im theologischen Lehramt an den Facultäten und auf den Unterricht an denselben nicht gewährt; und so sehr wir Ursache haben, das Wohlwollen des Staates in der gegenwärtigen Besetzung dieser Anstalten und die kirchenwissenschaftlichen Leistungen an denselben dankbar anzuerkennen, so kann doch dem D Staate unmöglich das für die Kirche unveräusserliche Recht der Sendung zum theologischen Lehramt eingeräumt werden.

Die ehrfurchtsvollst Unterzeichneten müssen hier einer doppelten Missdeutung vorbeugen; sie wollen nämlich erstens das Recht Eurer Königlichen Majestät, die Professoren der Theologie an den Universitäten zu ernennen, keineswegs bestreiten, sondern verlangen nur, dass es mit Gutachten und Zustimmung der kirchlichen Autorität geübt werde, und der ernannte Lehrer von dieser die Mission erhalte, ein Zugeständniss, welches selbst das protestantische Preussen der Kirche gemacht hat. Zweitens aber verkennen wir nicht, dass die Kirche selbst zur ungehemmteren Wirksamkeit der theologischen Facultäten, und um sie zu allgemein anerkannten kirchlichen Anstalten zu erheben, dieselben unter die unmittelbare Aufsicht des Papstes A gestellt hat, der diese durch eigene Organe auszuüben pflegte. Etwas Anderes will der bayerische Episcopat nicht — aber er kann es nicht ferner für mit den Interessen der Kirche vereinbar halten, dass die theologischen Facultäten als solche keine kirchliche Stellung haben; er muss daher beantragen, dass dieselben wieder in den vollen kirchlichen Verband treten und in alter ehrenvoller Weise der obersten Aufsicht des Papstes unterworfen werden, welcher ohne Zweifel dazu bewogen werden könnte, diese Aufsicht durch Mitglieder des bayerischen Episcopates zu üben; dass ferner ohne Zustimmung der kirchlichen Autorität, welche die Mission zum Lehramt zu ertheilen hat, und ohne Gutachten der Facultät kein Professor der Theologie ernannt werde; dass endlich, sobald die Facultäten die vorgenannte volle kirchliche Stellung erlangt haben werden, der Doctorgrad an die Stelle des Professorenconcurses B trete, ohne dass jedoch dadurch die in Art. V des Concordates enthaltenen bischöflichen Rechte beeinträchtigt werden.

Solange aber die Verhältnisse nicht in der angegebenen Weise geordnet sind, müssen die Diöcesanbischöfe fordern, dass Niemand ohne ihre Zustimmung und Mission in das Lehramt trete; auch eine Feststellung der Ordnung der theologischen Studien kann nur mit Einwilligung der kirchlichen Autorität stattfinden.

Endlich glauben es die unterthänigst Unterzeichneten als ein in die Freiheit der Kirche bezüglich der Bildung des Klerus eingreifendes Hemmniss bezeichnen zu sollen, wenn theologische Studien im Ausland, und namentlich zu Rom, gehindert oder willkürlich beschränkt werden, weshalb die Beseitigung solcher Hemmnisse der Kirche nicht zu verweigern ist.

C IV. Indem die unterthänigst unterzeichneten Erzbischöfe und Bischöfe sich zu dem öffentlichen Schul- und Erziehungswesen wenden, sind sie vor Allem tief durchdrungen von dem Bewusstsein, dass hier ein Gegenstand berührt werde, von dessen Behandlung das künftige Schicksal unserer Nation wesentlich mit abhängt, und zugleich fühlen sie die schwere Last der Verantwortlichkeit, welche auf ihnen selbst so gut wie auf allen denen liegt, die mit der Ordnung und Leitung dieser unermesslich wichtigen Angelegenheit betraut sind. Es ist die traurigste Erscheinung unserer Zeit, das untrüglichste Zeichen eines grossen Verfalles, dass sich in so vielen Weisen mit mehr oder minder Bewusstsein das Bestreben kund gibt, das Christenthum aus den öffentlichen Einrichtungen wie aus der Sphäre des Privatlebens immer mehr zu verdrängen und seinen directiven Einfluss auf ein immer enger D werdendes Gebiet zu beschränken. Dieses Bestreben ist in Deutschland in den letzten Jahren offener und mit mehr Berechnung und Zusammenhang als jemals früher aufgetreten, und wirkt nirgends verderblicher als im Kreise der Erziehung und des Unterrichtes. Denn eine Wissenschaft, die sich loszureissen sucht von dem Fundamente der von Gott geoffenbarten Wahrheit, muss in dem Maasse, als ihr diese Losreissung gelingt, dem Geiste des Irrthums und der Lüge verfallen, und eine Erziehung, welche den Charakter der Jugend ohne die Hülfe der christlichen Lehre und Sitte zu gestalten unternähme, würde eine Generation heranbilden, welche, nur von Motiven der Selbstsucht und des Eigennutzes beherrscht, den Familien wie dem Staate unheilbares Siechthum bereiten müsste.

Die Bischöfe, berufen, die Pfleger und Beschützer des christlichen Elementes in allen Zweigen

und Beziehungen des öffentlichen wie des Privatlebens zu sein, müssen es zu ihren streng verbindenden Obliegenheiten rechnen, dahin zu wirken, dass die religiöse Grundlage des Unterrichtes und der Erziehung unversehrt bewahrt, und da, wo sie bereits geschwächt und verkümmert wurde, wieder belebt und gekräftigt werde. Das katholische Volk ist berechtigt und angewiesen, von ihnen als seinen geistlichen Vätern und Hirten zu verlangen, dass sie, soweit dies nur immer in ihren Kräften steht, von der Bildung und Unterweisung seiner Söhne und Töchter Alles abzuwenden trachten, was die Reinheit und Festigkeit des Glaubens zu trüben und zu erschüttern, das religiöse Bewusstsein der Jugend zu verwirren, die nur aus dem Glauben erwachsende und auf ihn zu stützende Sitte zu beflecken geeignet wäre. Das Recht der Bischöfe, wie es aus dieser ihrer Verpflichtung sich mit Nothwendigkeit ergibt, hat die Staatsgewalt im V. Artikel des Concordates ausdrücklich gewährleistet, aber die Zeitumstände, die Gefahren, welche auch der Schule und der in ihr zu bildenden Jugend drohen, die theils offenen, theils verdeckten Angriffe, welche auch auf die noch vorhandenen Reste und Bruchstücke des religiösen Charakters, den die Schule, namentlich die Gelehrtenschule, ehemals besessen, gegenwärtig gemacht werden — Alles dieses legt den Bischöfen die Nöthigung auf, hiemit feierlich zu erklären, dass sie in der Fürsorge für das gesammte Schul- und Erziehungswesen nach seiner religiösen und sittlichen Seite eine ihrer wichtigsten Amtspflichten erkennen, und sich ebenso feierlich zu verwahren, dass sie in der Ausübung dieser ihrer Amtspflicht sowohl an öffentlichen als an Privatanstalten in keiner Weise gehindert werden.

Es sind zunächst die *Universitäten*, nämlich jene beiden ihrer Stiftung und ursprünglichen Ausstattung nach dem katholischen Bekenntnisse vorbehaltenen und dieses ihres früheren Charakters noch nicht völlig entkleideten Lehrkörper, welche gemäss Artikel V des Concordates innerhalb des Kreises der bischöflichen Verpflichtung fallen. Denn jener Artikel unterscheidet nicht zwischen höhern und niedern Schulen, sondern lautet ganz allgemein von allen öffentlichen Lehranstalten. Ja, die Verpflichtung und Berechtigung der Bischöfe steigert sich mit der höheren Bedeutung und dem universellen Umfange der Schule, und da die Universitäten die eigentlichen hohen Schulen sind, in welchen die herrschenden Stände, die künftigen Leiter, Erzieher und Lehrer des Volkes ihre Bildung und Gesinnung empfangen, so lässt sich nicht leicht ein Gegenstand denken, bei welchem die Aufforderung an den Episcopat, sorgfältige Ueberwachung und Unheil abwehrende Fürsorge eintreten zu lassen, dringender wäre. Die sogenannten philosophischen Facultäten sind es, welche sämmtlichen Studirenden ihre allgemeine wissenschaftliche Bildung ertheilen sollen; innerhalb dieser Facultäten aber stehen insbesondere die Lehrfächer der Philosophie und Geschichte in einem unauflöslichen Zusammenhange mit der religiösen Ueberzeugung und Gesinnung, und müssen diese Ueberzeugung und Gesinnung je nach der Richtung und dem Geiste, in welchem sie vorgetragen werden, entweder begründen, läutern und befestigen, oder untergraben und zerstören. Wenn demnach die Bischöfe zur Wahrung des christlichen Glaubens in diesen Disciplinen ihre Stimme erheben zu müssen glauben, so könnte nur derjenige, der den erwähnten Zusammenhang absichtlich ignoriren wollte, etwas Befremdendes hierin finden; sie wer-

A den aber hiebei auch noch von folgenden Erwägungen geleitet:

*Erstens* empfängt hier ein grosser Theil der künftigen Theologie Studirenden und Priester seine wissenschaftliche Vorbildung;

*Zweitens* sind die Bischöfe die natürlichen Wortführer und Vertreter aller jener Väter und Mütter, welche, dem katholischen Glauben mit Ueberzeugung zugethan und für die Religiosität und Sittlichkeit ihrer an den Universitäten studirenden Söhne ängstlich besorgt, in ihrer Vereinzelung weder Gelegenheit noch Mittel besitzen, ihre Stimme laut werden zu lassen, und ihre Wünsche, Besorgnisse und Klagen vor den Thron zu bringen.

Der erste Wunsch und Antrag also, mit welchem die Bischöfe, eingedenk ihrer die Universitäten angehenden Sorge und Pflicht, im Namen der ganzen bayerischen Kirche und des katholischen Volkes
B vor dem Throne Eurer Königlichen Majestät erscheinen, ist der: dass an den beiden Universitäten bei Besetzung der philosophischen und geschichtlichen Lehrfächer auf Männer, welche ihre Wissenschaft in religiösem Geiste auffassen und vortragen, Bedacht genommen werden möge.

Ein zweiter Wunsch betrifft das Collegium, welches an der juridischen Facultät über *Kirchenrecht* lesen wird. In diesen Vorträgen pflegen die künftigen Staatsbeamten, wenigstens zum grossen Theile, ihre Ansichten über die Rechte und die Verfassung der Kirche, sowie über ihr Verhältniss zum Staate zu schöpfen. Würden nun diese Vorträge dazu benützt, den Studirenden falsche und kirchenfeindliche Grundsätze beizubringen, so würde damit ein Same des Unheils, der Zwietracht und endloser Zerwürfnisse ausgestreut, dessen Aufgehen und Wuchern zuletzt für den Staat ebenso nach-
C theilig werden möchte als für die Kirche. Die Bischöfe können daher nicht umhin, der Königlichen Staatsregierung gegenüber den Wunsch auszusprechen, dass sie hierauf ihr Augenmerk richten möge.

Sie knüpfen hieran noch den weitern Wunsch, dass das früher an den Universitäten eingeführte *Religionscollegium* für Studirende der philosophischen und anderer Facultäten da, wo man es factisch aufgehoben oder beseitigt hat, wieder hergestellt werden möge. Zugleich glauben sie für künftige Fälle erinnern zu sollen, wie es die kirchliche Ordnung mit sich bringe, dass die Aufstellung eines Universitätspredigers nicht ohne bischöfliche Genehmigung geschehe.

Wenn die Bischöfe endlich noch es nicht unerwähnt lassen, dass ihrer Wahrnehmung nach der Verfall der Religion und Sitte unter den Studiren-
D den und in natürlichem Zusammenhange hiemit der Hang zum Müssiggang und zur rücksichtslosen Befriedigung sinnlicher Leidenschaften auf eine wahrhaft erschreckende Weise seit den letzten drei Jahren zugenommen habe, so genügen sie hiemit nur einer schmerzlichen Pflicht. Die Thatsache selbst wird fast täglich von so vielen Seiten bestätigt und eröffnet zugleich eine so düstere und bedenkliche Aussicht in die Entwicklung unserer künftigen Zustände, dass die Bischöfe nicht zweifeln, die Königliche Staatsregierung werde selbst schon die Ursachen dieser beklagenswerthen Erscheinung und die geeigneten Mittel, denselben entgegenzuwirken, erwogen haben.

In Bezug auf die Gymnasien sind die Bestimmungen des Concordates, die doch zugleich feierliche Verpflichtungen des Staates enthalten, unerfüllt geblieben. Die Bischöfe sollen an allen öffentlichen Schulen ihr Amt als Wächter der

Glaubens- und Sittenlehre frei ausüben; aber an A den Gymnasien und Lateinschulen ist bisher nichts geschehen, um ihnen die damit verbürgte Stellung, ohne welche sie ihrer Verpflichtung schlechterdings nicht genügen können, einzuräumen. Alles, was die Religion der Zöglinge, den Unterricht sowohl als die gottesdienstliche und sacramentale Uebung betrifft, ist mit wenigen Ausnahmen ohne die gebührende Theilnahme der Bischöfe einseitig geordnet und festgesetzt worden.

Es kann aber der Königlichen Staatsregierung kaum verborgen sein, dass Unzufriedenheit und Misstrauen hinsichtlich der an den Staatsgymnasien gewährten Lehre und Erziehung unter den Familienvätern immer weiter um sich greift, dass viele Eltern mit Sehnsucht auf die Errichtung von solchen Anstalten hoffen, oder auch gegenwärtig schon ihre Söhne solchen fremden Anstalten anvertrauen, welche für Religion und Sittlichkeit ihnen volle B Bürgschaft gewähren.

Die Annahme liegt daher nahe, dass die Einräumung jener Befugnisse, ohne welche die Bischöfe nicht im Stande sind, die Glaubens- und Sittenlehre an den gelehrten Schulen zu überwachen, auf diese Anstalten selbst einen wohlthätigen Einfluss ausüben und das gesunkene Vertrauen zu denselben wieder beleben würde.

Um nun ins Einzelne einzugehen, ist es zunächst unverkennbar, dass die Stellung eines Religionslehrers an einem Gymnasium oder einer andern dem Gymnasium ähnlichen, für besondere Fächer oder einzelne Stände bestimmten Lehr- und Erziehungsanstalt (Gewerbs- und polytechnischen Schulen, Cadettencorps) eine mit eigenthümlichen Schwierigkeiten verbundene ist, und dass es keineswegs leicht ist, solche Männer auszuwählen, welche allen durch diese Stellung an sie gemachten Anforderungen C genügen. Es gehört hiezu eine so genaue Kenntniss der Individualitäten, wie sie in der Regel den Organen der Staatsregierung abgeht, und wie nur der Bischof sie besitzen kann.

Wenn daher auch fernerhin wie bisher bei Anstellung der Religionslehrer an den öffentlichen Anstalten der Staat mitwirken soll, so müssen doch die Bischöfe *mindestens* ein bestimmtes Vorschlagsrecht in Anspruch nehmen.

Zugleich können sie nicht unterlassen, auf die im Geiste und Buchstaben der kirchlichen Ordnung und Verfassung gegründete Forderung hinzuweisen, dass es dem Bischofe zukomme, dem ernannten Religionslehrer die kirchliche Mission zu seinem Lehramte zu ertheilen und sie ihm, falls er es für nothwendig hält, auch wieder zu entziehen. Ebenso ist es in der kirchlichen, verfassungsmässigen Ordnung und in der Natur des Sacramentes der Busse D gegründet, dass der Bischof die dahin bezüglichen Anordnungen zu treffen habe.

Auch die Behauptung darf ohne Besorgniss eines gegründeten Widerspruches aufgestellt werden, dass es der Beruf und das Recht der Bischöfe sei, Verfügungen über den regelmässigen Gottesdienst an den öffentlichen Schulen, allerdings nur mit Zustimmung der betreffenden Behörde, zu machen; dann aber auch zu Zeiten durch besonders ausgewählte Männer eigene religiöse Vorträge mit entsprechenden Uebungen verbunden für die an diesen Schulen studirende Jugend zu veranstalten. Die Bischöfe werden bei diesen und den vorhergehenden Forderungen von der Erwägung geleitet, dass die gesammte moderne Lehr- und Bildungsmethode auf die classische, also altheidnische Literatur gebaut ist, dass es die heidnischen Begriffe und Anschauungen sind, mit denen die Knaben und Jünglinge vorzugsweise vertraut gemacht werden, für welche ihnen Neigung und Bewunderung eingeflösst wird, dass endlich die Erfahrungen der jüngsten Zeit nur zu deutlich gezeigt haben, wohin diese einseitige, alles Gegengewichtes ermangelnde heidnische Bildung führt, welche Ideenverwirrung und welch eine krankhafte, selbst in politischer Beziehung gefährliche Vorliebe für antike Abstractionen sich der deutschen auf den Gelehrtenschulen erzogenen Jugend massenhaft bemächtigt hat. Der democratische oder republicanische Schwindel würde in dieser Jugend nicht so mächtig um sich greifen, nicht so viele Thorheit und Unheil erzeugt haben, wenn ein geistiges Gleichgewicht in den Staatsschulen hergestellt und bewahrt worden wäre, wenn der heidnischen Lehre und Richtung stets die christliche Doctrin und Uebung als Corrective an die Seite gestellt worden wäre. Dies ist häufig unterlassen worden, und nicht minder häufig hat man die Uebung und Pflege der Religion an den Gymnasien nicht nur auf das kleinste Maass beschränkt und in eine völlig untergeordnete, selbst dem arglosen Sinne der Jugend auffallende Stellung hinabgedrängt; man hat auch dieses höchst beschränkte Maass von Gottesdienst und Religionsübung noch in einen geistlosen Mechanismus und leeren Formalismus ausarten lassen und dergestalt schon das Gemüth des Knaben und des Jünglings mit dem Eindrucke erfüllt, dass die Religion nur ein Gegenstand der Missachtung und Geringschätzung sei, und dass es sich dabei nur um die Beobachtung gewisser conventioneller Formalitäten handle, die man eben desshalb mit dem Austritte aus der Schule als lästigen und nunmehr unnütz gewordenen Zwang von sich werfen könne.

Das ist der Zustand, angesichts dessen die Bischöfe sich die oben erwähnten Rechte und namentlich auch das Recht vorbehalten müssen, nöthigenfalls bei einreissender religiöser Lethargie oder weit um sich greifender sittlicher Corruption jene ausserordentlichen Heilmittel anzuordnen, wobei es sich von selbst versteht, dass sie nicht gesonnen sind, damit irgendwie störend in die bestehende Ordnung der Studien und des Unterrichtes einzugreifen, sondern nur im Einverständnisse mit den Vorständen der Anstalten derartige religiöse Uebungen anzuordnen gedenken.

Weiter werden die allerunterthänigst Unterzeichneten nicht im Stande sein, den Verpflichtungen, welche ihnen ihr Amt als Wächter der christlichen Erziehung und der Glaubens- und Sittenlehre auferlegt, gehörig nachzukommen, wenn ihnen nicht auch noch das Recht eingeräumt wird, die Lehrbücher der Religion, die Eintheilung des religiösen Unterrichtes und die Methode desselben an den genannten Anstalten zu bestimmen. Und wie sie dieses Recht hiemit in Anspruch nehmen, so sind sie auch von der Billigkeit des eben in jenem ihrem Berufe gegründeten Verlangens überzeugt, dass man sie hinsichtlich der Lehrbücher der Geschichte gutachtlich höre, und dass ihnen gestattet sei, darüber zu wachen, dass den katholischen Schülern nicht Bücher in die Hand gegeben werden, welche Glauben und Sittlichkeit irgendwie gefährden.

Die Bischöfe glauben indess nicht, indem sie die aus ihren Pflichten mit Nothwendigkeit sich ergebenden Rechte zur Sprache bringen, da, wo es sich um die öffentliche Erziehung und Bildung der Jugend handelt, innerhalb des rein religiösen Gebietes allein stehen bleiben zu dürfen; da es Thatsache ist, dass der Geschichtsunterricht fast in gleichem Maasse wie der Religionsunterricht die

religiöse Ueberzeugung des studirenden Jünglings A entweder untergraben, oder aber entwickeln und befestigen hilft, so müssen sie auch verlangen, dass man ihnen von dem Inhalte des historischen Unterrichtes in geeigneter Weise Kenntniss zu nehmen, die Entfernung eines verderblich wirkenden Lehrers zu beantragen und gegen die Anstellung eines als irreligiös schon bekannten Mannes sich zu erklären gestatte. Sie müssen ferner noch besonders darauf dringen, dass an nicht katholischen Anstalten der Geschichtsunterricht für katholische Schüler dem Religionslehrer derselben oder einem andern hiezu befähigten Geistlichen übertragen werde.

Wird das Princip, aus welchem die bisher erwähnten Postulate mit unabweisbarer Consequenz sich ergeben, als wahr anerkannt, so bedarf es keiner besonderen Beweisführung mehr, dass es auch in der Stellung der Bischöfe liege, an der Abfassung und Erlassung organischer Bestimmungen B über die Disciplin, die Bewahrung und Pflege der Religiosität und Sittlichkeit an den Gelehrtenschulen Theil zu nehmen. Ebenso selbstverständlich liegt es dann auch in dem Kreise der Befugnisse der Bischöfe, wie sie überhaupt bei dem grossen Umfange, der Mannigfaltigkeit und der Schwierigkeit ihrer Geschäfte und Rechte einzelne derselben durch delegirte Stellvertreter ausüben lassen, so auch die ihnen obliegende Obhut über den religiösen und sittlichen Zustand der gedachten Schulen durch geeignete Organe verwalten zu lassen. Endlich wird es auch keinem Anstande unterliegen, dass die Bischöfe zu geeigneter Zeit sich durch eigene Visitationen von dem Zustande jener Anstalten in Bezug auf Religion und Sittlichkeit überzeugen, wobei sie gerne bereit sind, der zunächst zuständigen Behörde die Vornahme einer solchen Visitation, falls es begehrt werden sollte, jedesmal C vorher anzuzeigen.

Wird die Stellung des Episcopats zu den Gymnasien und Lateinschulen, wie zu den übrigen diesen parallel laufenden öffentlichen Unterrichtsanstalten in der hier bezeichneten Weise geordnet, so ist damit vor Allem eine Pflicht der Gerechtigkeit erfüllt, es ist Gott gegeben, was Gottes ist, ohne dass damit dem Kaiser entzogen würde, was des Kaisers ist; und die Bischöfe sehen sich nun erst in die Lage versetzt, in welcher sie den ernsten Mahnungen und Pflichten ihres Gewissens Genüge thun, einem der wichtigsten Zweige ihres nicht durch menschliche Willkür, sondern durch göttliche Anordnung eingesetzten Amtes die gebührende Sorge und Thätigkeit widmen können. Dann aber wird auch — diese Hoffnung sprechen wir mit Zuversicht aus — dann wird das noch gläubige Volk den Staatsgymnasien sein Vertrauen wieder D zuwenden, so viele jetzt für den religiösen und sittlichen Zustand ihrer Söhne schwer bekümmerten und in ängstlicher Unruhe dahin lebenden Eltern werden in der der Kirche eingeräumten Obhut und Theilnahme eine beruhigende Bürgschaft für den guten Geist, für die gewissenhafte Pflege ihrer heiligsten Interessen an den öffentlichen Schulen erblicken. Der Episcopat selbst behält sich zwar vor, da, wo er es nöthig halten sollte, auch eigene den Gymnasien und Lateinschulen analoge Lehr- und Erziehungsanstalten zu gründen; er erwartet, dass man der Kirche, welche ehemals die Gründerin und Bewahrerin aller derartigen Schulen gewesen, auch jetzt das Recht, einzelne Schulen zu stiften und zu leiten, nicht werde absprechen wollen; aber wo auch ein Bischof dies zu thun sich veranlasst sehen sollte, würde derselbe doch von seinen Verpflichtungen gegen die Staatsinstitute A sich in keiner Weise entbunden glauben, und würde die Sorgfalt und wachsame Pflege, welche die letzteren von ihm erwarten, durch das Entstehen einer ähnlichen kirchlichen Anstalt nicht im Geringsten beeinträchtigt werden.

Näher noch als die gelehrte Schule steht die *Volksschule* dem Herzen des Bischofs; lauter, dringender, gebieterischer erklingt die Aufforderung, welche aus den Stadt- und Dorfschulen an ihn ergeht, sich ihrer mit der ganzen Kraft und Autorität seines oberhirtlichen Amtes anzunehmen; denn hier ist es vor Allem der religiöse Unterricht, die Erziehung der Söhne und Töchter des Volkes zu christlicher Frömmigkeit und Sitte, welche die Hauptbestimmung, den Mittelpunkt der ganzen Thätigkeit bildet; der übrige Unterricht ist im Vergleiche mit dieser ersten und vornehmsten Aufgabe nur Nebensache, und desshalb ist geradezu B undenkbar, dass der Gedanke oder Versuch, die Kirche aus der Volksschule zu verdrängen, aus einer andern, als einer religionsfeindlichen, mit Bewusstsein auf die Zerstörung des Volksglaubens gerichteten Gesinnung entspringen könne. Die Volksschule ist stets der eine Arm der christlichen Kirche gewesen; sie gehört als wesentliches Glied zum kirchlichen Organismus, jede Trennung zwischen ihnen würde für beide gleich verderblich sein und der Kirche zumuthen, ihrem Einflusse bezüglich der Volksschule zu entsagen oder sich aus derselben zurückzuziehen, hiesse nicht mehr und nicht weniger, als ihr einen Act des Hochverrathes gegen ihren Herrn und Meister, eine Handlung des Selbstmordes ansinnen. Ja würde es irgendwo unternommen, die Kirche aus der Schule hinauszudrängen, und gelänge dieses Unternehmen, so wäre das Erste, woran die Kirche mit Einsetzung aller ihrer noch C übrigen Kraft gehen müsste, neue ihr gehörige Schulen gegenüber den entchristlichten Staatsschulen zu errichten und jedem Gläubigen die Beschickung der kirchlichen Schule zur Gewissenspflicht zu machen.

Muss es nun einerseits anerkannt werden, dass in Bayern die Volksschule in so fern ihrem ursprünglichen und natürlichen Charakter und ihrer Bestimmung treu geblieben ist, als sie, wenigstens zum grossen Theile, unter unmittelbare Leitung und Beaufsichtigung der Geistlichkeit gestellt erscheint, so muss doch auch anderseits auf die sehr wesentliche Lücke, die hier noch besteht, und auf das störende Missverhältniss, welches dadurch in die hierarchische Ordnung des Klerus gebracht worden ist, aufmerksam gemacht werden. Die Verfassung der katholischen Kirche bringt es mit sich, dass jede einem Theile oder einer Klasse der Geist- D lichkeit übertragene, auf die Pastoration im weitesten Sinne bezügliche Function nur in stets einzuhaltender hierarchischer Unterordnung, also in Abhängigkeit von der bischöflichen Obergewalt, ausgeübt werde. Desshalb kann es nur als ein störendes Missverhältniss betrachtet werden, dass ein Theil des Klerus in der Person der Districts- und Localschulinspectoren zur Theilnahme an der Leitung des Schulwesens berufen, der andere aber, und zwar gerade der mit der kirchlichen Regierungsgewalt bekleidete, davon ferne gehalten ist; dass die Pfarrer als Priester und Seelsorger ihrem Bischofe unterworfen, als Schulinspectoren aber ihm nicht untergeben, sondern bloss Diener der Staatsgewalt, weltliche Beamten sein sollen. Die Staatsregierung scheint es in neuerer Zeit gefühlt zu haben, dass die Hülfe der Kirche für das Gedeihen der Volksschule unentbehrlich sei, und dass die ihr, der weltlichen Gewalt, zu Gebote stehenden

Mittel nicht ausreichen, und hat deshalb mehrfach A die geistlichen Oberbehörden zur Mitwirkung aufgefordert.

Allein es fehlt dabei die Hauptsache und das rechte Heilmittel für die Gebrechen der Volksschulen; nämlich die Anerkennung eines bestimmten autoritativen Rechtes des Episcopats, der nur dann durch seine Visitationen und seinen kirchlichen Einfluss mitwirken kann, wenn ihm hinsichtlich der Local- und Districtsschulinspectoren ein ähnliches Recht und eine Vollmacht eingeräumt wären, wie er sie hinsichtlich derselben Männer in ihrer Eigenschaft als Priester und Seelsorger hat.

Es dürfte nicht zu besorgen sein, dass hieraus Collisionen zwischen den bischöflichen Weisungen und den Anordnungen der weltlichen Behörde sich ergeben, und die Inspectoren in eine unhaltbare Doppelstellung gerathen möchten; denn die Bischöfe werden sich von selbst schon innerhalb der das Ge- B biet der Religion und Sittlichkeit umfassenden Schranken halten.

Dabei glauben die Bischöfe Eurer Königlichen Majestät den Wunsch und die Erwartung kundgeben zu müssen, dass neue organische Verordnungen hinsichtlich des Volksschulwesens nicht ohne Zuziehung und Zustimmung des Episcopats getroffen werden mögen, da derartige Verfügungen fast unvermeidlich das Gebiet des Religiösen und Sittlichen näher oder entfernter mitberühren. Da ferner der Unterricht und die Erziehung der Jugend in den Volksschulen nur solchen Lehrern anvertraut werden darf, deren sittliche und religiöse Befähigung keinem gegründeten Zweifel unterliegt und auf zureichende Weise constatirt ist, so müssen die Bischöfe pflichtgemäss das Recht in Anspruch nehmen, die anzustellenden Lehrer hinsichtlich ihrer Befähigung zum Religionsunterrichte und hinsicht- C lich ihrer religiösen und sittlichen Haltung einer Prüfung zu unterwerfen und zu fordern, dass ohne ihre Mitwirkung und Genehmigung kein Lehrer bestellt werde. Wenn ferner die Bischöfe noch die nachfolgenden Befugnisse bezüglich der Volksschule in Anspruch nehmen, so sind diese so augenscheinlich auf das über die Schule und die heranwachsende Jugend sich erstreckende Hirtenamt gegründet, dass eine specielle Motivirung derselben als überflüssig erscheint. Diese Befugnisse sind nämlich:

1) Das Recht, die Volksschulen in Person oder durch ihre Bevollmächtigten zu visitiren und auf Abstellung wahrgenommener Gebrechen zu dringen.

2) Das Recht, die Lehrbücher der Religion und der biblischen Geschichte zu bestimmen, und die übrigen in den Schulen zu gebrauchenden Bücher hinsichtlich der in ihnen bemerkbaren religiösen Tendenz oder auch einzelner bedenklicher Stellen D der bischöflichen Censur zu unterwerfen.

Hiemit verbinden die Bischöfe noch die bereits oben näher erörterte Erwartung, dass die Anstellung der Local- und Districtsschulinspectoren stets im Einverständnisse mit den Bischöfen erfolgen werde.

Die der Bildung der Volkslehrer gewidmeten Anstalten oder *Schullehrerseminarien* stehen ihrer Bestimmung gemäss zu der Kirche in demselben Verhältnisse, wie die Volksschulen. Die Staatsgewalt selbst hat dies dadurch anerkannt, dass sie dieselben unter die Leitung geistlicher Vorstände gestellt hat, und die Bischöfe sehen sich deshalb in der Lage, bezüglich dieser Anstalten im Wesentlichen dieselben auf die gleichen Principien gestützten Ansprüche zu erheben: sie beantragen nämlich, dass

1) organische Bestimmungen über die Einrichtung solcher Institute, namentlich bezüglich der religiösen Uebungen, des Religionsunterrichtes, der Sitten- und Hausdisciplin, nicht ohne Einvernehmen mit den Bischöfen erlassen werden mögen; dass

2) den Bischöfen zur Anstellung der Vorstände eine Mitwirkung eingeräumt, und kein Vorstand und Lehrer gegen ihren Willen bestellt werde; dass

3) das Recht der Bischöfe anerkannt werde, diese Anstalten besonders hinsichtlich ihres religiösen und sittlichen Zustandes zu visitiren und wahrgenommene Missstände zu entfernen; dass

4) die Vorstände verpflichtet werden mögen, den Bischöfen über diese Gegenstände auf Erfordern Bericht zu erstatten; dass

5) die Aufnahmsprüfung so wie die Jahresprüfung der Zöglinge in Gegenwart und unter Theilnahme eines bischöflichen Abgeordneten stattfinde.

Es leuchtet übrigens ein, dass jene Verschiedenheit, wonach die Volksschulen entweder Staatsanstalten oder Gemeindeanstalten sein, und demnach entweder unter der Leitung der Staatsorgane oder unter der der Gemeindebehörden stehen können, an der Stellung der Kirche und der Bischöfe zu denselben nichts Wesentliches ändert, und dass die Bischöfe bezüglich der einen wie der andern dieselben Befugnisse anzusprechen sich genöthigt sehen, so wie sie denn auch sich das Recht vorbehalten, wenn sie im Hinblicke auf ihre Sendung und Amtspflicht es für nöthig erachten sollten, auch durch eigens zu errichtende kirchliche Institute für den religiösen Unterricht Sorge zu tragen. Hieran knüpfen die Bischöfe noch eine Wahrung ihres Rechtes bezüglich der theils schon vorhandenen, theils künftig noch entstehenden, von Gemeinden oder Privaten gegründeten Lehr- und Erziehungsanstalten. Auch an diesen Instituten muss das Recht, den Religionslehrer zu bestellen und die religiösen und sittlichen Verhältnisse zu überwachen, dem Episcopate zustehen.

V. Wenn es irgend einen Punkt in unsern gegenwärtigen bayerischen Kirchenverhältnissen gibt, bezüglich dessen die Freiheit der Kirche beeinträchtigt erscheint, so ist es die Behandlung des kirchlichen Eigenthums. Hier ist gänzlich von den Principien der Kirche abgewichen worden, und hier muss gründlichst abgeholfen werden. Geruhen Eure Königliche Majestät aus dem Munde des Episcopates die katholischen Grundsätze über den Besitz der Kirche zu vernehmen.

Die göttliche Heilsanstalt bedarf zur Erfüllung und Durchführung ihrer Zwecke auch der zeitlichen Güter, weil sie, wenn sie auch nicht von dieser Welt, doch in ihr ist und ihre Sendung vollbringen muss. Die Kirche ist nach ihrem innersten, von Gott herstammenden Wesen ein Ganzes; sie ist, wie es das apostolische Glaubensbekenntniss ausspricht, nothwendig *eine*, und bildet in unzertrennlicher Verbindung mit ihrem unsichtbaren Haupte, Jesus Christus, unter Seinem Stellvertreter auf Erden *eine* moralische Person, *einen* mystischen Leib, der alle Gläubigen als Glieder in sich begreift, welche, wenn sie auch unter dem Einflusse der das Ganze umfassenden und in der Einheit erhaltenden kirchlichen Gewalt sich in gesonderte Gemeinden abtheilen, auch in dieser Sonderstellung Theile des einen Leibes bleiben, der ein unzertrennbarer Organismus ist, nicht ein Aggregat selbstständiger corporativer Vereinigungen.

Diesen ihren Grundcharakter der Einheit hat die Kirche auch in Hinsicht auf ihr zeitliches Gut immer festgehalten, und sich in ihrer Gesammtheit als *ein* Ganzes, als *eine* moralische Person für das Subject des Eigenthums des gesammten Kirchen-

gutes betrachtet, und auf diesen Grundsatz ihre A hieher bezügliche Gesetzgebung gebaut.

Insoferne nun dieses ihr Eigenthum die Bestimmung hat, ihr als Gesammtheit zur Erfüllung ihrer Bedürfnisse zu dienen, ist sie auch als solche sowohl Eigenthümerin als auch alleinige Nutzniesserin desselben. Wenn daher auch die einzelnen Theile dieses allgemeinen Kirchengutes für bestimmte kirchliche Zwecke oder für bestimmte Theile des grossen organisch gegliederten Ganzen durch canonische Gesetze, durch besondere von der Kirchenbehörde approbirte Statuten, durch stiftungsmässige Bestimmungen, privatrechtliche Verträge oder gesetzmässiges Herkommen gewidmet sind und für die besondern kirchlichen Bedürfnisse der einzelnen Theile verwendet werden müssen, so haftet doch an allem diesem particularen Kirchenvermögen die Eigenschaft des der *einen* Kirche als Gesammtheit zustehenden und nur zu ihrem Nutzen zu gebrauchen- B den Kirchengutes.

Hieraus folgt nothwendig, dass die einzelne Kirchengemeinde, in abstracto betrachtet, nicht Eigenthümerin des Kirchenvermögens ist, und dass sie nur in ihrer Verbindung mit der ganzen Kirche das Recht hat, ihre kirchlichen Bedürfnisse aus demselben bestritten zu sehen; ferner, dass alles Kirchenvermögen nur für kirchliche, nicht für andere weltliche Zwecke verwendet werden dürfe, und jede Disposition darüber nur der Kirche als Eigenthümerin und den sie rechtmässig vertretenden Organen der kirchlichen Gewalt zustehen könne, welche daher auch allein über die Rentenüberschüsse des particularen Kirchenvermögens, die nach Befriedigung aller Localerfordernisse erübrigen, zum Besten anderer Kirchenzwecke zu verfügen hat.

Mit diesem den legitimen Organen der kirchlichen Gewalt zustehenden und nach canonischen C Gesetzen auszuübenden Dispositionsrecht ist auch das Recht der Verwaltung verknüpft, welches die Kirche jederzeit für die Bischöfe und ihre Stellvertreter beansprucht hat, ohne dabei die billige Rücksicht zu versäumen, die auf stiftungsmässige Anordnungen, privatrechtliche Verträge oder rechtliche Gewohnheit genommen werden muss, wesshalb sie denn auch Dritte zur Verwaltung des für particulare kirchliche Zwecke bestimmten Kirchenvermögens zugelassen hat, jedoch mit stetem Vorbehalte jeder das Dispositionsrecht berührenden Verwaltungsmaassregel für die Träger der kirchlichen Gewalt, welchen stets jener Antheil und Einfluss und jene Aufsicht bezüglich der Verwaltung und Rechnungsablage eingeräumt werden müssen, die ihnen nach canonischen Satzungen auch bei aller Achtung der Rechte Dritter unveräusserlich gebühren. D

Ueber die Verwaltung des Pfründevermögens insbesondere, die, wo nicht particulare von der Kirche bestätigte Rechtsverhältnisse obwalten, regelmässig dem Pfründebesitzer selbst zukommt, bestehen kirchliche Gesetze, deren Beobachtung der Bischof zu überwachen verpflichtet und berechtigt ist.

Die Vermögensverhältnisse kirchlicher Corporationen sind nach den canonisch approbirten Stiftungen und Statuten derselben zu beurtheilen; wo diese aber nicht ausreichen, kommen die allgemeinen Kirchengesetze zur Anwendung.

Das bayerische Concordat hält alle diese Grundsätze fest, indem es im Allgemeinen Art. I et XII der Kirche und den Bischöfen alle Rechte und Befugnisse wahrt, welche ihnen nach göttlicher Anordnung und nach den canonischen Satzungen zukommen, und Art. XVII die vigentem et approbatam ecclesiae disciplinam als allgemeine Norm in Bezug auf *res* et personas ecclesiasticas vorscheibt, insbesondere aber Art. VIII[1] die vollständige Conservirung der geistlichen Güter stipulirt und sich namentlich bezüglich der Administration der im Art. IV et V bezeichneten besondern Theile des kirchlichen Vermögens ganz den Kirchengesetzen conformirt.

Der Staat hat sonach durch Abschliessung des Concordates die Grundsätze und Vorschriften der canonischen Gesetzgebung über das Kirchengut anerkannt und die Verpflichtung zum Schutz der Kirche auch in dieser Beziehung übernommen, wie denn auch die Staatsverfassung dem gesammten Stiftungsvermögen den besondern Schutz des Staates verheisst.

Indem die Bischöfe mit vollem Vertrauen diesen Schutz in Anspruch nehmen, müssen sie im Hinblick auf das Concordat und die durch es garantirte canonische Gesetzgebung, zu deren Aufrechthaltung sie sich durch strengste Gewissenspflicht verbunden fühlen, zugleich Eurer Königlichen Majestät ehrfurchtsvollst erklären, dass der Staat die aus der Schutzpflicht allenfalls abzuleitenden Rechte nicht auf eine Weise ausdehnen und ausüben dürfe, durch welche er im Widerspruch mit den canonischen Satzungen in die selbstständige Administration des Kirchengutes eingreifen, den kirchlichen Verwaltungsorganismus stören und die bischöflichen Amtsbefugnisse aufheben oder beschränken würde, vielmehr nur im Geist der Kirche und im Einklang mit ihren Behörden handhaben könne. Sie müssen freimüthig aussprechen, dass unser ganzes bisheriges Verwaltungssystem, welches der kirchlichen Autorität höchstens eine spärliche Mitwissenschaft ohne allen directen Einfluss gestattet, durchaus uncanonisch ist, und desshalb dringendst verlangen, dass bei Revision des Religionsedictes bezüglich des katholischen Kirchenvermögens die canonischen Grundsätze als normgebend zu Grunde gelegt werden, und die Vereinigung des ganzen katholischen Kirchenverwaltungswesens nach allen seinen Seiten hin concordatmässig und in stetem Einverständniss mit dem Episcopat stattfinde.

Insbesondere aber müssen die Bischöfe begehren:

1) dass der Art. VIII des Concordates, welcher der Kirche das Recht zusichert, neues Kirchengut zu erwerben, keinerlei Beschränkung von Seiten des Staates erleide;

2) dass das Recht der Kirche, Stiftungen zu kirchlichen Zwecken anzunehmen, die Bedingungen, unter welchen die mit der Stiftung verbundenen Obligationen von ihr acceptirt werden können, festzusetzen und die Stiftung selbstständig zu confirmiren, anerkannt werde;

3) dass die Bischöfe die ihnen auf Verwaltung des Kirchen- und Stiftungsvermögens nach den Canonen zustehenden Rechte da, wo sie dieselben nicht unmittelbar ausüben, durch Stellvertreter und Pfarrer ausüben lassen, und die Kirchenverwaltungen in Pflicht nehmen können;

4) dass den Bischöfen ihre Rechte bei Regulirung kirchlicher Bezüge aller Art gewahrt bleiben;

[1] Art. VIII. „Die Güter der Seminarien, Pfarreien, Beneficien, Kirchenfabriken und aller übrigen Kirchenstiftungen werden stets und ungeschmälert erhalten und können weder veräussert noch in Pensionen verwandelt werden.

„Die Kirche wird auch das Recht haben, neue Besitzungen zu erwerben, und was sie neu erwirbt, soll ihr Eigenthum und gleicher Rechte mit den ältern Kirchenstiftungen theilhaftig sein, welche so wenig als die künftig zu errichtenden ohne Zustimmung des apostolischen Stuhles jemals eingezogen oder vereinigt werden können, jedoch mit Vorbehalt der Rechte, welche den Bischöfen nach dem heiligen Concilium von Trient zustehen."

5) sie müssen endlich, da die kirchlichen Ge- A bäude einen Bestandtheil des Kirchengutes bilden und den Zwecken der Religion gewidmet sind, das volle Recht in Anspruch nehmen, die kirchlichen Bauten jeder Art, besonders wenn sie aus dem Kirchenvermögen bestritten werden, selbstständig und ohne andere Dazwischenkunft der Staatsbehörden, als die, welche etwa zur Feststellung und Erfüllung einer streitigen Bauverpflichtung nöthig werden mag, zu führen und führen zu lassen (wobei jedoch die Bischöfe ausdrücklich erklären, dass sie sich bei diesen Bauten jederzeit nur sachverständiger und bewährter Techniker bedienen und den für öffentliche Bauten bestehenden staatspolizeilichen Anordnungen unterwerfen werden), die Einrichtung und den Schmuck derselben zu überwachen, über heilige und geweihte Gegenstände, wie z. B. Paramente etc., zu verfügen und Alles ferne zu halten, was der Heiligkeit des Cultus B widerspricht. Hiebei ist namentlich zu erwähnen, dass es der Kirche vorbehalten sein muss, auch bezüglich der heiligen Orte, wie z. B. Kirchhöfe, ganz nach ihren Gesetzen Anordnungen zu treffen, wo aus Kirchenmitteln und Beiträgen der Gläubigen und nicht aus denen der politischen Gemeinden Begräbnissplätze angelegt werden, und dass es Pflicht des Staates ist, Kirchen und Kirchhöfe vor Entweihung zu schützen.

Die allerunterthänigst Unterzeichneten glauben Eure Königliche Majestät nicht mit Aufzählung aller der vielfachen einzelnen Klagen behelligen zu sollen, welche der bisherige Zustand des Kirchenverwaltungs- und Kirchenbauwesens veranlasst; diese können nach allen Richtungen hin aus den Acten der Ordinariate belegt werden, und beweisen genugsam, dass die Staatscuratel, wenn sie auch mit dem grössten Wohlwollen geübt wird, sobald C sie eine so ungemessene Ausdehnung erhält, statt nützlich, schädlich wirkt. Ein Blick auf die von der Kirche und ihren Corporationen während eines Jahrtausends unabhängig geübte Administration ihres Vermögens, auf die von ihr geführten staunenswürdigen Bauten und Denkmäler genügt, um sich zu überzeugen, dass sie in beiderlei Beziehung der Bevormundung nicht bedarf.

VI. Die katholische Kirche hat seit achtzehnhundert Jahren unter den verschiedensten Formen der Staatsgesetzgebung und des bürgerlichen Lebens, unter allen Abstufungen ihrer äussern Lage von blutiger Verfolgung oder feinberechneter Untergrabung an bis zur höchsten zeitlichen Begünstigung durch jene irdischen Mächte, die sie ausschliesslich walten liessen, das eine Ziel unverrückt verfolgt, Jene, die sie nach dem Wort des Apostels zunächst zu Bürgern des Himmels zu erheben hat, D auch zu treuen Bürgern der zeitlichen Ordnung zu erziehen: sie leistet dem irdischen Staate in rein bürgerlichen Dingen pünktlichen Gehorsam, und selbst da, wo ihr inneres und göttliches Recht verletzt wird, und wo sie sagen muss: „es geziemt Gott mehr zu gehorchen, als den Menschen", predigt sie nie Empörung, sondern nur standhafte Geduld und Beharrlichkeit.

Die Kirche versteht auch in der heutigen Gestaltung der Dinge in Europa vollkommen ihre Stellung und richtet desswegen an den Staat keine Forderung, die er nicht erfüllen kann. Was sie in Bayern auf Grund des Concordates verlangt, das liegt im wohlverstandenen Interesse des Staates selbst und kränkt nach keiner Seite hin die Rechte Dritter. Der Kampf, den sie gegen den Irrthum zu kämpfen hat, ist ein ausschliesslich auf das geistige Gebiet beschränkter; er darf nur mit den Waffen des Glaubens und der Liebe, die nicht verwunden, sondern retten wollen, geführt werden; strenge Achtung der bürgerlichen Rechte Anderer ist mit Achtung der eigenen innigst verbunden, und die christliche Nächstenliebe umfasst auch den Irrenden, während sie verbietet, seinen Irrthum zu billigen.

Wenn also der katholischen Kirche Bayerns ihre concordatmässige Freiheit gegeben wird, so kann der Friede mit dem Staat sowohl als mit andern in ihm bestehenden Confessionen nur befestigt werden; denn alle Reibungen kamen nur daher, dass man jene Freiheit nicht anerkennen und der Kirche Dinge zumuthen wollte, die sie nicht gewähren darf. Die katholische Kirche trägt in sich das auf ihren Glauben gestützte Bewusstsein, sie müsse das Heil, welches Gott in Seiner unendlichen Liebe durch Hingabe Seines eingebornen Sohnes bereitet hat, im Geist jener göttlichen Liebe allen Menschen bringen und an allen das grösste Werk der Barmherzigkeit dadurch üben, dass sie bekümmert um die Rettung ihrer unsterblichen Seelen, Alle des Glaubens und der Heilsmittel theilhaftig macht, die sie annehmen und ihr Heil wirken wollen. In der Erfüllung dieser ihrer Sendung, in diesem Werk wahrer Gottes- und Nächstenliebe kann sie sich nicht beschränken lassen; und so wie sie Niemand, wess Standes, Geschlechtes oder Alters er sei, der sich mit freier Ueberzeugung an sie wendet, um an ihren Glaubens- und Gnadenschätzen theilzunehmen, zurückweisen darf, so darf sie auch nicht dulden, dass ihr die Aufnahme eines solchen versagt werde. Hiebei steht es ihr allein zu, die Bedingungen der Aufnahme festzusetzen und entscheidend zu prüfen, ob derjenige, der um ihre Gemeinschaft bittend zu ihr kommt, jene geistigen Eigenschaften, jene höhere Berufung und jene Erfordernisse besitze, welche nach göttlicher Anordnung dazu nöthig sind, damit ein solcher Schritt ein Gott wohlgefälliger und ihn selbst zum Heile führender sei.

So wie sich aber die Kirche verpflichtet fühlt, Allen das Heil anzubieten und mit allen rechtlich und sittlich erlaubten Mitteln an der Verbreitung des Reiches Gottes zu arbeiten, so darf sie andererseits Jene, die nicht zu ihrer Gemeinschaft gehören und nach ihrem freien Entschluss nicht dazu gehören wollen, und somit auch von ihr nicht aufgenommen werden können, keinen Antheil an ihren Heilsmitteln, Segnungen, Suffragien, kirchlichen Einrichtungen und geweihten Gegenständen gewähren, aus welchem wahrheitswidrig gefolgert werden könnte, sie betrachte die ausser ihr Befindlichen für dennoch zu ihrer Gemeinschaft gehörig und befreie sie stillschweigend von der Erfüllung jener Bedingungen des Heils, die sie von ihren eigenen Kindern fordert.

Die beiden hier angeführten Grundsätze liegen im innersten Wesen der Kirche, und die Bischöfe müssen desshalb verlangen, dass, nachdem das Concordat alle jene Rechte der Kirche anerkannt hat, welche auf göttlicher Anordnung und allgemeinen Kirchengesetzen beruhen, dieselbe auch in dem Vollzug ihres gottgegebenen Berufes bezüglich ihrer Ausbreitung und Abgrenzung nicht gehindert werde.

Der Episcopat muss daher fordern, dass jene §§ des Religionsedictes, welche mit diesen Grundsätzen nicht übereinstimmen, vielmehr direct und indirect im Widerspruche stehen, und namentlich § 6 dieses Edictes[1], ausser Kraft gesetzt werden,

[1] Das zweite Capitel des Religionsedictes handelt „von der Wahl des Glaubensbekenntnisses", und lauten die beiden

und dass der Staat überhaupt in seine Gesetzgebung keine Bestimmungen aufnehme, welche in das Gebiet kirchlicher Freiheit hinübergreifen. A

In vorstehenden sechs Punkten haben die allerunterthänigst Unterzeichneten Eurer Königlichen Majestät einen möglichst gedrängten Ueberblick dessen gegeben, was die katholische Kirche Bayerns von Allerhöchstdero Gerechtigkeit zuversichtlich erwartet. Es wäre leicht gewesen, das hier Vorgetragene noch weiter theoretisch zu begründen, oder aus den seit dreissig Jahren über diese Gegenstände geführten Verhandlungen die Unhaltbarkeit der gegenwärtigen Zustände nachzuweisen; allein es genügt, die katholischen Principien aufgestellt zu haben, welche dem Concordat zu Grunde gelegt sind.

In alle Einzelnheiten der auf das Kirchenwesen sich beziehenden Staatsgesetze oder Verordnungen einzugehen, und namentlich alle Bestimmungen des B Religionsedictes, die direct oder indirect die kirchliche Freiheit verletzen, zu erörtern, ist hier unmöglich und muss desshalb der weiteren Austragung vorbehalten werden.

Sollte irgend ein Punkt dieser ehrfurchtsvollsten Darlegung weiterer Auskunft bedürfen, so sind die allerunterthänigst Unterzeichneten gehorsamst bereit, dieselbe zu ertheilen.

Es erübrigt uns nur noch eine ehrfurchtsvollste Bitte: es möge Eure Königliche Majestät geruhen, diese höchst wichtige und für die Wohlfahrt der Kirche so folgenreiche Angelegenheit wohlwollend und gerecht zu prüfen, und die dahin bezüglichen Verhandlungen mit möglichster Beschleunigung bewerkstelligen zu lassen, damit endlich nach einem Menschenalter der Kirche ihr Recht werde.

Zwei grosse Mächte Deutschlands: Oesterreich und Preussen, sind ehrenvoll vorangeschritten und C haben es mit ihren politischen Interessen nicht nur vereinbar, sondern ihnen förderlich erachtet, der Stimme des Episcopates Aufmerksamkeit zu schenken und die kirchliche Freiheit zu gewähren. Bayern war beiden durch sein Concordat längst vorausgeeilt und braucht nur selbstgeschaffene Hindernisse zu beseitigen, um der Religion ihr volles Gedeihen zu sichern. Vollenden Euere Königliche Majestät, unbeirrt durch den Widerspruch, den alles Gute finden muss, was Maximilian Joseph I. begonnen und Ludwig I. wohlwollend befördert hat, durch ein Werk des Friedens, welches, des Hauses Wittelsbach würdig, Allerhöchstdero katholische Unterthanen zu neuer innigster Dankbarkeit verbinden, die Anerkennung der Nachwelt ernten, den Segen Gottes über den Monarchen und sein Land herabrufen wird.

Wir aber werden, die Entschliessung Eurer D Königlichen Majestät erwartend, unsere Hände zu Gott erheben und vereint mit unsern Heerden unablässig bitten, dass Er Eure Königliche Majestät mit dem Licht seiner Gnade erleuchten, stärken und segnen möge, damit das grosse Werk durch Seine Kraft vollbracht werde!

Es verharren in tiefster Ehrfurcht Eurer Königlichen Majestät allerunterthänigst treugehorsamste

† Bonifaz, Erzbischof von Bamberg;
† Carl August, Erzbischof von München-Freising;
† Heinrich, Bischof von Passau;
† Georg Anton, Bischof von Würzburg;
† Valentin, Bischof von Regensburg;
† Nicolaus, Bischof von Speyer;
† Georg, Bischof von Eichstädt.

Freising, am 20. October 1850.

† Peter, Bischof von Augsburg; „für das Concordat — das ganze Concordat — nichts als das Concordat."

Augsburg, am 31. October 1850.

ersten §§ also: „Die Wahl des Glaubensbekenntnisses ist jedem Staatseinwohner nach seiner eigenen freien Ueberzeugung überlassen" (§ 5). „Derselbe muss jedoch das hiezu erforderliche Unterscheidungsalter, welches für beide Geschlechter auf die gesetzliche Volljährigkeit bestimmt wird, erreicht haben" (§ 6).

Pius papa IX.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Nihil nobis gratius vestris obsequentissimis litteris die 20 octobris superiori anno datis, quibus, venerabiles fratres, ad nos misistis exemplar petitionis, quam carissimo in Christo filio nostro Bavariae regi illustri dare existimastis. Summa enim animi nostri consolatione ex iis, quae de eiusmodi petitione ad nos relata sunt, novimus, qua concordissima animorum consensione, et qua episcopali sollicitudine, sagacitate, prudentia, doctrina apud ipsum regem iuxta ardentissima nostra desideria strenue instare et urgere studueritis, ut solemnis conventio inter hanc apostolicam sedem et idem regnum inita integra et inviolata observetur, et veneranda catholicae ecclesiae iura sarta tecta habeantur, atque ea omnia amoveantur, quae eidem ecclesiae eiusque libertati et iuribus adversari possunt. Itaque, venerabiles fratres, vobis de hac re vehementer ex animo gratulamur ac meritas tribuimus laudes, ea profecto spe freti fore, ut Deo bene iuvante, nostra ac vestra desideria optatissimum consequantur exitum. Plane autem non dubitamus, quin vos, venerabiles fratres, pro perspecta vestra pietate et sacerdotali zelo, vestra omnia studia atque consilia maiori usque alacritate et contentione ad hunc tam salutarem obtinendum finem collaturi sitis. Dum autem vehementer cupimus suo tempore agnoscere qui fuerit commemoratae vestrae petitionis exitus, pro certo habeatis velimus, nihil nobis potius, nihil optabilius esse posse, quam ea omnia praestare, quae ad maiorem sanctissimae nostrae religionis utilitatem prosperitatemque istic magis magisque procurandam pertinere noverimus. Interim vero hanc occasionem libentissime amplectimur, ut praecipuam, qua vos prosequimur, benevolentiam denuo testemur et confirmemus. Cuius studiosissimae nostrae in vos voluntatis testem et caelestium omnium munerum auspicem apostolicam benedictionem, ex intimo corde depromtam vobis ipsis, venerabiles fratres, cunctisque istarum ecclesiarum clericis laicisque fidelibus peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die 20 februarii anno 1851, pontificatus nostri anno quinto.

Pius papa IX.

Venerabilibus fratribus Bonifacio, archiepiscopo Bambergensi; Carolo-Augusto, archiepiscopo Monacensi et Frisingensi; Henrico, episcopo Passaviensi; Georgio-Antonio, episcopo Herbipolensi; Valentino, episcopo Ratisbonensi; Nicolao, episcopo Spirensi; Georgio, episcopo Eichstettensi, et Petro, episcopo Augustano in Bavaria.

# CONCILIUM PROVINCIALE CLAROMONTENSE

## 1850 octobris 6-21.

Concilium provinciae Bituricensis celebratum Claromonte in Gallia, a die 6 ad diem 21 octobris 1850, sub Iacobo-Maria-Antonio-Coelestino Dupont, cardinali archiepiscopo Bituricensi.

**Bibliographia:**


1) Decreta synodi provincialis Bituricensis, Claromontii in civitate Arvernorum celebratae, anno MDCCCL.

S. l. n. t. n. a. (1850), in-4°, 84 p. — Roma, Vittorio-Emanuele.

Editio ad correctionem.

2) Notice sur le concile de la province de Bourges, tenu à Clermont-Ferrand en octobre 1850; par M. l'abbé Bergier. Clermont-Ferrand, librairie catholique, 1850.

In-8°, 30 p. — Paris, Bibl. nat. B 18357.

3) Decreta concilii provincialis Bituricensis, Claromontii in civitate Arvernorum celebrati, anno MDCCCL, pontificatus Pii papae noni V. Bituricibus, typis P.-A. Manceron, typographi eminentissimi dd. cardinalis archiepiscopi, 1852.

In-8°, 180 p. — Autun, séminaire; Lucca, grande-chartreuse; Lyon, séminaire; Paris, Saint-Sulpice; Sens, séminaire.

4) Lettre synodale des pères du concile provincial de Clermont, au clergé et aux fidèles de la province ecclésiastique de Bourges. Bourges, imprimerie-librairie de P.-A. Manceron, 1852. — *[Sub data:]* 2 iulii 1852.

In-4°, 16 p. — Lyon, Fourvière.

5) Acta et decreta sanctorum conciliorum recentiorum, collectio Lacensis, auctoribus presbyteris s. J., e domo b. v. M. sine labe conceptae ad Lacum. Tomus quartus... Friburgi Brisgoviae, sumtibus Herder, MDCCCLXXIII, col. 1083-162.


### LITTERAE DE INDICENDO ET CONVOCANDO PROVINCIAE BITURICENSIS CONCILIO.

*Iacobus-Maria-Antonius-Coelestinus, tituli Sanctae Mariae de Populo sanctae Romanae ecclesiae presbyter cardinalis du Pont, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae gratia archiepiscopus Bituricensis;*

*Illustrissimis ac reverendissimis comprovincialibus nostris, episcopis Claromontensi, Tutelensi, Lemovicensi, Aniciensi, et Sancti-Flori, salutem in Domino.*

Quod, anno superiore, datis ad quosdam Galliarum antistites litteris apostolicis, maxime optare aiebat sanctitas domini nostri Pii papae IX, ut quisque archiepiscopus provincialem synodum a sacris canonibus tantopere inculcatam convocare velit, in quà cum coepiscopis suffraganeis suis, omni cura, industria ac studio ea vel agere, vel proponere contendat quae valeant ad catholicae ecclesiae causam tuendam, ad pietatem morumque honestatem fovendam et excitandam, ad catholicam solidamque institutionem promovendam, ad sanctissimae nostrae religionis bonum in universa Gallia procurandum, ac praesertim ad grassantes propulsandos errores ac funestissima vesanae incredulitatis exitia evertenda quae, luctuosissimis hisce temporibus, quasi torrens undique exundans, universum pene terrarum orbem submergit: illud iam vidimus in aliquibus provinciis feliciter evenisse, ubi, summo omnium bonorum plausu, celebrata sunt concilia ex quibus, Deo adiuvante, plurimi fructus sunt percipiendi. Nec minor fuit vobis ac nobis, fratres reverendissimi, cura et diligentia, ut ex pluribus liquet instrumentis, horum praesulum insistendi vestigiis, nec conveniendi moram fecimus, nisi, ob gravissimi momenti rationes quae animos omnium nostrum ad has inducias impulerunt, unde plus utilitatis cessurum videbatur. Re igitur mature perpensa, singulisque comprovincialibus consultis antistitibus, de eorum nostroque iudicio, non esse ulterius protrahendam dilationem decernimus, et in proximo indicimus agendam nostram provincialem synodum. Quapropter, cum id fore commodius plerique censuerint, et reverendissimus episcopus Claromontensis libentissime annuerit, omnes et singulos huius metropolitanae ecclesiae suffraganeos antistites, iam, ut par fuit, monitos, hisce litteris denuo monemus, ac rogamus in Domino ut in seminario Claromontensi die sexta octobris, dominica post pentecosten vigesima, qua fit solemnitas sanctissimi rosarii beatae Mariae virginis, adsint nobiscum provinciale celebraturi concilium. Quod insuper et notum facimus omnibus et singulis qui, de iure vel consuetudine, interesse debent tali synodo, et mandamus ac praecipimus ut, remoto quolibet praetextu vel causatione, in praedicto seminario, et ad praefatum diem, praesto sint; volumusque eos haud immemores esse poenarum canonicarum quibus obnoxii forent, mandato huic nostro obtemperare renuendo. Reverendissimos itaque coepiscopos fratres nostros deprecamur, ut quisque in dioecesi sua tum capitulum cathedralis ecclesiae, tum caeteros ad quos spectat admoneat, certosque faciat de mandato nostro, ne quis desit eorum qui convenire debent.

De cetero, unusquisque praesul adhortetur clerum suum ac populum fidelem ut adiuvent nos in orationibus suis ad Deum, cuius favente gratia non in vanum curramus, sed eamus et fructum afferamus. Quod eveniet nobis dum congregatos in unum illuminet Spiritus sanctus ad statuenda et decernenda quaecumque rei catholicae in partibus nostris tuendae et promovendae magis sint profutura. Fiat! fiat!

Datum Bituribus, in palatio nostro archiepiscopali, sub signo sigilloque nostris ac secretarii archiepiscopatus nostri subscriptione, anno millesimo octingentesimo quinquagesimo, die autem septembris secunda.

Loco sigilli.

† Coelestinus cardinalis du Pont, archiepiscopus Bituricensis.

De mandato eminentissimi ac reverendissimi domini domini cardinalis archiepiscopi Bituricensis:

Figier, canonicus secretarius.

### LITTERAE EMINENTISSIMI CARDINALIS concilii praesidis *ad sanctissimum dominum nostrum* PIUM PAPAM IX.

Beatissime pater.

Nostri erat officii decreta synodi nostrae provincialis examini sedis apostolicae et iudicio quam primum subiicere. Quod alacri utique animo hodie peragimus, confisi non omnino ingratum fore sanctitati tuae, quidquid, pro tuenda re catholica et eruendis erroribus, sollicitudinis et zeli contulimus. Agnoscet profecto beatitudo tua impensissimum illud studium quo et metropolitanus et comprovinciales, in tractandis quibuslibet quaestionibus, concorditer sumus ducti ut filiorum observantissimorum amorem et obedientiam piis ubique et in-

dubiis significationibus erga Christi vicarium ac totius familiae christianae patrem profiteremur. Ea autem, devotissimi obsequii unanimitas, quae mihi maximo fuit gaudio, haud mediocre afferet solatium amantissimo cordi paternitatis tuae quam tot ac tantae undequaque premunt curarum molestiae. Si quid vero minus recte aut indiligentius dictum irrepserit, minime tribuendum putes voluntati, beatissime pater; sed benigne condonet et emendet sanctitas tua, et iuxta placitum suum reformata et apostolica sancita auctoritate ac firmata dignetur remittere decreta quae exinde ad utilitatem totius huiusce provinciae rite valeant promulgari. Paternitatem tuam quae ita facilem ultro aurem precantibus accommodabit ut quam cito voti compotes faciat, optamus non fugiant summae illae quae ipsi intimis ex medullis sunt redhibendae gratiarum actiones. Interea diu ac noctu non cessamus orantes, ut salvator noster Deus ad promovendum totius gregis bonum pastoris sui saluti, incolumitati et prosperitati omnimodae clementer provideat.

Enixis autem precibus apostolicam benedictionem expostulo ad sacros pedes provolutus sanctitatis tuae, beatissime pater, humillimus, devotissimus et addictissimus servus et filius ac creatura:

† Coelestinus, cardinalis du Pont, archiepiscopus Bituricensis.

Biturigibus, die 30 octobris 1850.

## PII PAPAE IX

*litterae de concilio provinciali Bituricensi.*

Dilecto filio nostro Coelestino, sanctae Romanae ecclesiae presbytero cardinali du Pont, archiepiscopo Bituricensi.

PIUS PAPA IX.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Gratissimae nobis fuerunt tuae litterae III kalendas huius mensis ad nos datae, quibus, dilecte fili noster, provincialis synodi a te aliisque venerabilibus fratribus istius ecclesiasticae Bituricensis provinciae episcopis tuis suffraganeis nuper concelebratae acta nostro et huius apostolicae sedis iudicio subiicere properasti. Quae quidem acta statim ex more examinanda commisimus nostrae concilii congregationi, quae maiori, qua fieri poterit, celeritate congruum de ipsis actis dabit responsum. Etsi vero dubitare nullo modo poteramus de singulari tua, atque eorumdem comprovincialium antistitum erga nos et hanc Petri cathedram pietate, amore et observantia, tamen gratissimum nobis fuit idipsum ex tuis iisdem litteris denuo agnoscere. Ac summa quidem consolatione accepimus nihil tibi atque ipsis antistitibus in provinciali hac synodo habenda antiquius fuisse, quam concordissimis animis et intentissimo studio ea statuere, quae in hac tanta temporum asperitate ad sanctissimae fidei nostrae depositum integrum inviolatumque custodiendum, ad catholicae ecclesiae causam tuendam, ad cleri disciplinam fovendam, ad religionem et pietatem in populis excitandam; atque ad tot undique serpentium errorum colluviem propulsandam magis magisque conducere possint. Pro certo autem habemus nihil a te, atque ab iisdem venerabilibus fratribus intentatum umquam relictum iri, quo sanctissima nostra religio in istis dioecesibus magis in dies vigeat et floreat, ac fideles curae vestrae commissi crescant in scientia Dei, et alacriori usque pede incedant per semitas Domini. Ne desinas vero, dilecte fili noster, una cum iisdem venerabilibus fratribus assiduas fervidasque Deo optimo maxime adhibere preces, ut infirmitatem nostram gravissimo supremi apostolatus onere laborantem omnipotenti sua virtute adiuvet, roboret atque confirmet, cunctosque actus nostros ad maiorem sui nominis gloriam et ecclesiae suae sanctae utilitatem dirigere dignetur. Nos certe haud omittimus ab ipso clementissimo Domino humiliter exposcere, ut uberrima quaeque suae bonitatis dona super te atque eosdem venerabiles fratres propitius semper effundat, quae in dilectas quoque oves tuae et illorum vigilantiae concreditas copiose descendant. Cuius coelestis praesidii auspicem, nostraeque praecipuae benevolentiae testem apostolicam benedictionem ex intimo corde profectam, tibi ipsi, dilecte fili noster, eisdemque venerabilibus fratribus, cunctisque istarum ecclesiarum clericis laicisque fidelibus peramanter impertimur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die 25 novembris anno 1850, pontificatus nostri anno quinto

Pius papa IX.

## EMINENTISSIMI CARDINALIS MAI,

*litterae super approbatione decretorum concilii provincialis Bituricensis.*

Eminentissimo ac reverendissimo domino archiepiscopo Bituricensi caeterisque comprovincialibus episcopis Claromontensi, Tutelensi, Lemovicensi, Aniciensi, et Sancti-Flori.

Eminentissime ac reverendissime domine observandissime.

Inter multiplices gravesque curas, quibus afficitur sanctissimus dominus noster pro ea qua premitur omnium ecclesiarum sollicitudine, non exiguum eius animo solatium attulere fraternitatum vestrarum litterae, ex quibus intellexit miserrimae vitiorum errorumque contagioni hac tempestate grassanti opportunissimum adesse in instaurata istic synodalium conventuum ratione medicamentum. Itaque, iam per te ipsum, eminentissime ac reverendissime domine, assequi vales quanta animi iucunditate beatissimus pater acceperit acta synodi Bituricensis, quam omnibus istius provinciae coepiscopis tecum in unum convenientibus habendam curastis. Neque minori gaudio perfusi sunt patres cardinales, quibus eadem acta, ex praescripto constitutionis sacrae memoriae Xisti V *Immensa*, tradita sunt, ut singula decreta pro suo munere expenderent ac recognoscerent. Enim vero pergratum fuit praeclarum eminentiae tuae aliorumque provinciae Bituricensis antistitum obsequium, quo, antiquae traditionis exempla servantes, ecclesiasticae memores disciplinae, omnium ecclesiarum matri ac magistrae debita cum veneratione vestras synodicas sanctiones examinandas submisistis, in quibus conficiendis ea prudentiae, zeli et eximiae doctrinae luculenta argumenta praebuistis, ut vere dicendum sit, vestras mentes implevisse spiritum sapientiae et intellectus, spiritum scientiae et pietatis. Re quidem vera nihil vobis antiquius ac potius fuit quam fidei catholicae veritatem per cunctas vestras ecclesias firmiter constabilire, atque in primis, iuxta oecumenici Florentini concilii doctrinam, spiritualem in universam ecclesiam summi pontificis auctoritatem adserere, cuius libertati tuendae insuper civilem eiusdem principatum apprime inservire vestra declaratione palam edixistis. Optimo dein consilio monstrosa horum temporum deliramenta, quae, velut pestiferum exhalantia virus, hominum recte sentientium in deteriorem partem corda pervertunt, totamque veri dogmatis rationem subruunt, quaeque nedum christianae, sed et civilis societatis fundamenta misere convellunt, damnare ac profligare connitimini.

Praeterea, intelligentes *„quod omnis prophetia scripturae propria interpretatione non fit"*, contra vaferrimos biblicarum societatum propagatores pastoralem vocem extulistis, renovatis atque observantiae restitutis scitissimis synodi Bituricensis anni 1584 constitutionibus, quibus cautum fuit ne sacra scriptura privata auctoritate, vernacula lingua conscripta, a fidelibus legeretur.

Est etiam peculiariter commendatus vester ardor, tum ut clerici in utroque seminario commorantes christianae fidei dogmata et germanae pietatis praecepta, una cum humanioribus litteris severioribusque disciplinis, edoceantur; tum ut ii praeceptores moderatoresque iisdem seminariis praeficiantur, qui ecclesiasticam iuventutem apprime docendi artem calleant.

Gratulamur in Domino subinde multa sane salutaria decreta pro cultu divino a vobis sancita fuisse, ac in primis quod neglectam festorum dierum observationem sedulo restitui, regulasque liturgiae Romanae, quae generaliter in ecclesia universa ex summorum pontificum praescripto servanda est, quaeque ut iterum in omnes Galliae ecclesias introduceretur non semel sanctissimus dominus noster inculcavit, ubique vestrarum dioeceseon concorditer suscipere decreveritis.

Post haec, ne omnia enumerando longior sim, silentio praeteribo quae statuistis de sacramentorum administratione, de propagandis bonis libris, deque pravis prohibendis, de verbi divini praedicatione, de parochorum officiis, de catechizandis pueris, deque sapientissimis regulis circa clericorum honestatem rectamque disciplinam, qua profecto servata, totus ecclesiasticus ordo non solum pietatis et sacrarum scientiarum laude florebit, sed et populo in salutis viam per salubria fidei pabula procul a luporum morsibus secure perducendo idoneus ac C strenuus evadet.

Iam vero, ut hi vestrorum laborum conatus exoptatum omni tempore sortiantur effectum, allaborandum est ut, quemadmodum vos facturos A minime dubitamus, quae verbis prudenter decrevistis, vestris in ecclesiis re, prout temporum ratio postulat, praestetis. Praesertim quilibet episcopus, quantum commode fieri poterit, sine mora clerum suum in synodum dioecesanam congregandum curet, ut, collatis consiliis, omnes de clero viri, nominatim parochi, suarum singuli ovium morbos patefaciant, atque ad eos sanandos, ne longius animis irrepant, opportuna remedia suggerant.

Et quandoquidem *„non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei"*[1] omnia vobis fausta fortunataque profecto erunt, vestraeque ecclesiasticae provinciae bene vertent, si divinum adiutorium supplici cum prece imploraveritis, atque advocatum adieritis cum fiducia, quem habemus apud patrem Iesum Christum iustum, qui coeptis vestris gratiae coelestis rore det incrementum, et levatis insuper oculis vestris ad Virginem sanctam sine labe conceptam, B quam operum vestrorum sospitatricem elegistis, cuius in ista provincia plurima eaque insignia eius honori dicata templa recensetis, praesentissimum eiusdem patrocinium efflagitaveritis, cui freti et confisi, humanos poteritis vincere errores, vestraeque pastoralis vigilantiae uberes fructus colligere.

Quod superest, ea quae in recognoscendis Bituricensis synodi actis, communi huius sacrae congregationis concilii iudicio, animadversione digna sunt visa, ex pagella deprehendet eminentia tua, quam una cum hisce litteris accipiet. Atque hisce de sententia collegarum meorum, et summi pontificis auctoritate significatis, omnia mea officia et studia propensissimamque voluntatem profiteor eminentiae tuae, cuius manus humillime deosculor.

Eminentiae vestrae,

A. cardinalis Maius, praefectus.
Hieronymus d'Andrea, archiepiscopus Melitenus, secretarius.

Romae, 13 martii 1852.

[1] Rom. IX, 6.

# DECRETA CONCILII.

## DECRETUM
### *de aperienda synodo.*

In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

Nos, Iacobus-Maria-Antonius-Coelestinus, tituli sanctae Mariae de Populo, sanctae Romanae ecclesiae presbyter cardinalis du Pont, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae gratia archiepiscopus Bituricensis.

Cum in eo simus, ut, quod diutissime gravissimis de causis non licuit, tandem e voto iuxta pristinam ecclesiae consuetudinem peragamus, rem tanti momenti primo auspicati precibus ad Deum patrem luminum per Dominum nostrum ac salvatorem Iesum Christum effusis, et invocato Spiritu sancto paraclito qui docet omnem veritatem, nunc statuimus ac decernimus, de consilio et consensu reverendissimorum episcoporum comprovincialium nostrorum, hac ipsa die sexta octobris anni millesimi octingentesimi quinquagesimi inchoari atque adeo inchoatam esse hanc provincialem synodum nostram, in qua omni cura, studio et opera tractabimus quaecumque nobis circa fidei et morum integritatem et rectam ecclesiasticarum rerum ordinationem utilia et necessaria pro temporum circumstantiis videbuntur, ea posthac favente ope divina, laturi decreta quae in partibus nostris religionem catholicam tueantur, promoveant et amplificent.

Decernimus autem, omnes qui ad hanc synodum convenerunt, promissionem in hacce prima congregatione generali emissuros de secreto, in quantum charitas et prudentia exegerint, fideliter servando.

## DECRETUM
### *de modo vivendi in synodo.*

Reverendissimos comprovinciales episcopos, qui ad hanc synodum conveniunt, obsecramus in Domino, ut omni pietatis, doctrinae et virtutum qua pollent supellectile, commune totius huius provinciae bonum operari studeant et annitantur, nec cessent orantes D ut in toto concilii decursu vias nostras sua luce illuminet Spiritus sancti gratia, laboresque nostros sui roris intima aspersione foecundet. Cum autem oporteat semper et ubique episcopum esse irreprehensibilem, hoc magis ac magis incumbit antistitibus synodum agentibus, utpote iis, qui dum caeteris bene et religiose vivendi legem faciunt, ipsimet debent esse norma et exemplum.

Omnes et singulos monemus ecclesiasticos viros, et in charitate Christi obtestamur, ut sancta conversatione, quae fidem ac pietatem redoleat, sollicite curent se ipsos probabiles exhibere Deo, instantes orationi una voce et animo ad expostulandam opem supernam, qua freti, meliora admittamus consilia, utiliora decernamus, decretorumque perstemus observantissimi.

Volumus autem, et enixe rogamus, ut omnes et singuli nil aliud prae oculis habentes quam gloriam Dei et aedificationem corporis Christi, memores sint in omnibus et singulis huiusce synodi tum privatis

tum publicis actionibus istarum sancti apostoli Pauli A sententiarum: „*Omnia secundum ordinem fiant; omnia vestra in charitate fiant.*" Nec unquam salubrem illam praetermittent regulam a divo Ambrosio iis vocibus commendatam: „lingua tua menti subdita sit; ... ad mensuram ... sermones proferat libra examinatos iustitiae, ut sit gravitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus."[1] Quapropter, ut propositum finem tutius attingamus, salva cuiusque, quocumque ordine intersit ac sedeat, iura declarantes, in primis hortamur omnes et singulos ut diurnum vivendi ordinem teneant et custodiant, iuxta quod a nobis constitutum promulgatur.

Hora quinta cum dimidia, dabitur signum ad surgendum. Tum unusquisque vacabit orationi mentali, horarum recitationi, aliisve piis exercitiis.

Hora septima cum dimidia, missa synodalis, cui interesse debent quicumque ad concilium admittuntur. B

Hora nona, congregationes particulares.

Hora undecima cum dimidia, prandium quod sacris lectionibus condietur. Visitatio ad sanctissimum sacramentum, deinde animi relaxatio.

Hora prima cum dimidia post meridiem, signo indicabitur finis animi relaxationis.

Hora tertia, congregatio generalis, nisi aliter mandaverint reverendissimi patres.

Hora sexta cum dimidia, coena eadem ratione qua prandium; visitatio ad sanctissimum sacramentum et animi relaxatio.

Hora octava cum dimidia, oratio vespertina communis.

Statuimus autem, iuxta venerabilem patrum consuetudinem, neminem eorum ex quibus constat concilium nostrum, absque causa legitima et rite sibi concessa facultate, discedere posse antequam dimissa fuerit synodus. C

Afflante Spiritu sancto, praecepit gentium apostolus ut omnia secundum ordinem fierent; mandatum igitur apostolicum exsequentes, decernimus ut incedant et sedeant ordine et ritu congruo omnes adstantes concilio.

Sic igitur incedent et sedebunt:

*In sessionibus solemnibus.*

Eminentissimus cardinalis metropolitanus, cum vicariis generalibus et ministris assistentibus.

Reverendissimi domini domini episcopi cum vicariis generalibus et ministris.

Capitulum Claromontense, in cappis rubeis, capitulariter incedens et sedens.

Delegati canonici caeterorum capitulorum, amicti habitu chorali, procedentes secundum ordinem consecrationis sui respectivi episcopi.

Theologi, secundum eumdem ordinem. D

*In congregationibus generalibus.*

Reverendissimi patres, rochetto et mozetta amicti.

Delegati a capitulis, in habitu chorali.

Theologi, palliolo ecclesiastico supra talarem induti et bireto cooperti.

*In congregationibus privatis.*

Reverendissimi patres, rochetto et mozetta amicti.

Caeteri, palliolo ecclesiastico supra talarem induti et bireto cooperti.

Declaramus autem in huiusmodi ordinatione praetermitti et praetermissam manere omnem quaestionem, sive de dignitate cuiusvis ecclesiae, sive de propria uniuscuiusque assistentia dignitate.

[1] *Offic.*, libr. 1, cap. 8 [opp. s. Ambros., ed. Migne, III, 37 C].

Et quoniam ad huius concilii progressionem, nonnulli adiutores et ministri requiruntur, notum sit omnibus electos esse et constitutos a nobis:

Ad officium promotoris in concilio implendum: venerabilem virum Guillelmum Mercier, vicarium generalem illustrissimi ac reverendissimi domini domini episcopi Claromontensis.

Ad officium vices gerentis promotoris: venerabilem virum Ioannem-Baptistam-Leopoldum Dissandes de Bogenet, vicarium generalem illustrissimi ac reverendissimi domini domini episcopi Lemovicensis.

Ad officium secretarii: venerabilem virum Guillelmum Bouange, vicarium generalem illustrissimi ac reverendissimi domini domini episcopi Sancti-Flori.

Ad officium vices gerentis secretarii: reverendum patrem Antonium-Lazarum-Mariam Reynaud, societatis Iesu, domus Vallis Aniciensis.

Ad officium magistri caeremoniarum: venerabilem virum Petrum-Alfridum Grimardias, canonicum archipresbyterum cathedralis ecclesiae Claromontensis, et reverendum dominum Hilarium Jacquet, in maiori seminario Claromontensi directorem.

Mox vocabuntur reverendissimi patres domini episcopi, qui huic Bituricensi synodo provinciali intersunt et interesse debent. Qui ordine nominatim vocati, singuli respondebunt: *Adsum*.

Reverendissimus dominus Ludovicus-Carolus Feron, episcopus Claromontensis;

Reverendissimus dominus Fridericus-Gabriel-Franciscus de Marguerye, episcopus Sancti-Flori;

Reverendissimus dominus Ioannes-Baptista-Leonardus Berthaud, episcopus Tutelensis;

Reverendissimus dominus Bernardus Buissas, episcopus Lemovicensis;

Reverendissimus dominus Iosephus-Augustus-Victorinus de Morlhon, episcopus Aniciensis.

## DECRETUM
### *de professione fidei.*

Cum sine fide impossibile sit placere Deo quae est initium ac fundamentum salutis, nostrique sit officii invigilare ut in Bituricensi provincia teneatur incorrupta veritas catholica quam tenet mater et magistra sancta Romana ecclesia, inchoandam duximus synodum, palam faciendo ore quod corde credimus. Idcirco, iuxta sancti concilii Tridentini decretum, professionem fidei Pii papae IV constitutione acceptam atque promulgatam, a nobis et reverendissimis comprovincialibus episcopis caeterisque huic synodo assistentibus, publice emittendam decernimus.

*Forma professionis fidei catholicae, apostolicae et Romanae.*

[Vide supra, col. 36 A-38 A.]

In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti;

Nos, Iacobus-Maria-Antonius-Coelestinus, tituli sanctae Mariae de Populo, sanctae Romanae ecclesiae presbyter cardinalis du Pont, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae gratia archiepiscopus Bituricensis;

Cum in hanc nostrae Bituricensis provinciae synodum convenerimus, una cum reverendissimis comprovincialibus nostris omni alacritate, sollicitudine et vigilantia elaboraturi ut, erroribus depulsis, vitiisque radicitus evulsis, et fides, et pietas, et virtus maiora in dies inter concreditos regimini nostro populos suscipiant incrementa; de consilio et consensu venerabilium coepiscoporum nostrorum, quae sequuntur decrevimus, statuimus et sanximus, decernimus, statuimus et sancimus.

## TITULUS I.

### *De divina constitutione ecclesiae et hierarchia.*

Decretum *de summo pontifice.*

Primum quidem mentis oculos et cordis affectus convertimus ad sanctam illam apostolicam sedem beatissimi Petri, quem divinitatis suae assertorem egregium Christus Dominus posuit ecclesiae suae inexpugnabile fundamentum[1], cuius fidem nunquam defecturam promisit, mandans ut confirmaret fratres suos[2], cui claves regni coelorum et plenam ligandi atque solvendi commisit potestatem[3], atque pascendos totius ovilis sui agnos et oves concredidit[4]. Et quoniam tota a saeculis conclamat traditio Petrum per Romanum pontificem loqui[5], et semper in suis successoribus vivere et iudicium exercere[6], et ipsius cathedram omnium ecclesiarum matrem esse et magistram[7]: ideo, plena fide et ex intimis praecordiis cum sancto oecumenico concilio B Florentino profitemur „*sanctam apostolicam sedem et Romanum pontificem in universum orbem tenere primatum et ipsum pontificem Romanum successorem esse beati Petri, principis apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem ecclesiam a domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis conciliorum oecumenicorum et in sacris canonibus continetur*“[8]. Quaecumque igitur credenda, quaecumque servanda decernit summus pontifex, haec credenda et servanda amplectimur; quae damnat et respuenda iudicat, haec damnamus et respuimus, declarantes insuper sanctione quavis potestatis civilis nullatenus indigere apostolicas constitutiones, tum dogmaticas, tum disciplinares.

Summus ab omnibus Christi fidelibus et mi- C nistris rependatur honor: et plenum peramanter praestetur obsequium beati Petri successori quem omnium patrem et dominum fecit Christi charitas et auctoritas: et haeresis nota affecti maneant qui primatum eius figmentum humanum apostolicis saeculis ignotum ausi sunt asserere. Reprobata etiam maneat contumeliosa domini extranei appellatio qua beatissimum patrem nonnulli attentaverunt appellare.

Cum autem sanctae sedis apostolicae libertas et dignitas cum totius ecclesiae libertate et dignitate coniuncta sit, omnipotenti Deo gratias agentes agnoscimus singulari prorsus ipsius providentiae consilio factum esse ut, Romano imperio in plura regna variasque ditiones diviso, Romanus pontifex civilem principatum hac sane de causa haberet ut ad ecclesiam regendam eiusque unitatem tuendam plena illa potiretur libertate, quae ad supremi apostolici ministerii munus obeundum requiritur[9], D et externo praefulgeret decore quo circumdari decet et expedit Christi triumphantis vicarium.

Eos igitur qui principatum illum evangelicae normae seu perfectioni esse contrarium dicere non erubuerunt, erroris conflictos declaramus et redarguimus; prorsus quoque alieni sumus a quorumdam hodiernorum opinione asserentium opportunam esse sacri huiusce principatus abdicationem.

Nec sane praetermittendum ducimus summum A illud gaudium quo sumus affecti, amantissimo patre ac domino nostro Pio papa IX sedi suae, qua sacrilegis nefariorum hominum ausis pulsus fuerat, plaudentibus omnibus bonis, feliciter restituto. Vidimus utique etiamnum gesta Dei per Francos, et supra modum exultavimus quod eam nobiscum fecerit misericordiam ut ad debellandos impios pontificii dominii invasores et Romanae ecclesiae iura vindicanda, christianissimam gentem nostram praecipuam elegerit. Quin et maximae laetitiae quam inde perceperunt suffraganei Bituricensis archipraesulis episcopi, is accessit cumulus quod, divina providente gratia, ad moras omnes abrumpendas maturandosque optatissimos exitus sit directus eminentissimi cardinalis huiusce provinciae metropolitanus et synodi praeses, qui in tractando absolvendoque negotio tanto laudem omnium meruit et consecutus est.

Decretum *de episcopis.*

Episcopos apostolorum successores esse legitimos non ambigit, qui Spiritu sancto duce ecclesiae seriem ab ascensione Christi continuam agnoscit. Hi sunt enim quos Spiritus sanctus posuit regere ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo; hi sunt qui pro patribus apostolis nati sunt filii et constituti sunt principes super omnem terram ad ecclesiam in Christi doctrina regendam ac fovendam[1]. Ecclesiae salus in eorum dignitate pendet, quibus si non exors quaedam et ab omnibus eminens detur potestas, tot in ecclesia efficientur schismata quot sacerdotes[2].

Ex divina igitur institutione episcopi presbyteris et dignitate et potestate praestant: unde sacrosancta synodus Tridentina decrevit: „*Si quis dixerit in ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris, anathema sit. Si quis dixerit episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam quam habent illis esse cum presbyteris communem . . . anathema sit.*“[3]

Potestas autem illa tum ordinis est, tum iurisdictionis; et haec praecipua laudantur utriusque munera: sacramenta confirmationis et ordinis conferre, clericos et fideles dioecesis non exemptos regere, graviorum quorumdam criminum absolutionem sibi reservare, leges pro dioecesis bono condere, synodum dioecesanam celebrare, beneficia conferre, in crimina subditorum omnium animadvertere, etc.

Cum vero hisce temporibus, quibus acerrimum contra rem catholicam universam bellum conflatur et omnigena erronearum opinionum portenta e tenebris eruuntur et disseminantur, non defuerint homines potestatem episcoporum obscurare et minuere satagentes, istorum sancti Irenaei verborum iugiter erunt memores dilectissimi adiutores nostri: „*Eis qui sunt in ecclesia presbyteris obaudire oportet his qui successionem habent ab apostolis, qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt.*“[4]

Nec istud divi Hieronymi praetermittent: suscipiendos episcopos tanquam parentes animae; quanta enim ipsorum dignitas, tantum ipsis portandum incumbit officiorum onus vel angelicis humeris formidandum.

[1] Matth. XVI, 18.
[2] Luc. XXII, 32.
[3] Matth. XVI, 19.
[4] Ioan. XXI, 16.
[5] Concil. Chalced., act. 2, [Mansi, *Concil.*, VI, 971 A].
[6] Concil. Ephes., act. 3, [Mansi, *Concil.*, IV, 1295 C].
[7] Concil. Trid., sess. VII, *de bapt.*, can. 3.
[8] [Mansi, *Concil.*, XXXI, 1031 E].
[9] Alloc. Pii IX in consist. secr., Caietae habito die 20 aprilis 1849.

[1] Concil. Bituricense, 1584 [tit. 32, *de archiepisc.* et episc., [Mansi, *Concil.*, XXXIV, 912 C].
[2] S. Hieron., *Dial. adversus Luciferianos I* [n. 9, opp. s. Hieron., edit. Migne, II, 165 A].
[3] Sess. XXIII, *de sacram. ordinis*, can. 6 et 7.
[4] Lib. IV *adv. haeres.*, 26 [n. 2, opp. s. Iren., edit. Veneta, p. 262].

Etenim in episcopos, velut supra montem positos, A omnium oculi solent aspicere[1], ideoque eorum vita, ut praecepit apostolus uterque, totius gregis forma esse debet et exemplum. De sanctitate quoque conviventium ecclesiasticorum, de domesticorum moribus solliciti esse non omittent.

Istud beati Pauli prae oculis semper habentes: *„Ego autem libentissime impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris,"*[2] parati quoque animam suam pro ovibus suis ponere, nullum omnino quo Dei gloria procuretur salusque populorum, laborem formidabunt.

Depositum igitur fidei custodient[3], et omni ope atque opera multiformes inimicorum hominum errores et insidias fideli populo detegent, atque hunc ab haereticorum et incredulorum familiari consortio eorumque pestiferis libris diligenter avertent[4].

Et quoniam noverunt se pro Christo legatione fungi[5], praedicabunt verbum[6], evangelizantes pacem, B evangelizantes bona[7].

In promovendo ecclesiastici ordinis decore cupidissimi, elaborabunt episcopi ut in universo clero eluceat vitae integritas, doctrina atque ecclesiastica disciplina. Ab ipsis eligentur ad curam et regimen animarum presbyteri moribus et scientia atque prudentia commendabiles et qui magis idonei fuerint iudicati[8]. Nemini cito manus imponent[9], sed eos tantum sacris initiabunt ordinibus qui accurate exquisiteque fuerint explorati. Ideoque, omnes seli sui nervos in id potissimum intendent ut adolescentes clerici, vel a teneris annis, tum ad pietatem solidamque virtutem, tum ad litteras severioresque disciplinas, praesertim sacras, in seminariis per alios iam probatos et selectos sacerdotes rite informentur[10].

Sacrosanctae synodi Tridentinae praescriptis obsequentes, dioecesis suae latius patentis ut uno tractu tota perlustrari queat, partem haud exiguam, C quotannis, sedulo visitabunt sive per se, sive impediti per suum vicarium generalem aut alios ad id deputandos[11].

Quos in mandatis Domini delinquentes invenerint haud omittent paternis monitis corripere, obsecrare, increpare in omni bonitate, patientia et doctrina.

Ut autem torpentes renitentesque peccatores facilius ad poenitentiam excitentur et efficacius reducantur, et vinea Domini, eradicatis spinis ac tribulis, penitus instauretur, idoneos pro tempore mittent ad ecclesias verbi Dei praecones et confessarios extraordinarios.

Omnibus vero spiritualis misericordiae intenti operibus, charitatis in pauperes effundendae erunt aeque studiosi, animo reputantes eam sibi, utpote Christi Dei vices in hac lacrymarum valle gerentibus, mandatam peculiariter provinciam: *„tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor."*[12] Pia D igitur instituenda curabunt et instituta fovebunt tum virorum tum mulierum sodalitia quae colligendis et sapienter impertiendis eleemosynis sedulam navent operam, pauperum quibusvis necessitatibus tum corporeis tum spiritualibus pari studio provisura.

[1] Concil. Remense, anni 1583 [cap. 22, *de episc.*, n. 1, Mansi, *Concil.*, XXXIV, 708 A].
[2] II Cor. XII, 15.
[3] I Tim. VI, 20.
[4] Encycl. *Qui pluribus*, die 9 novembris 1846.
[5] II Cor. V, 20.
[6] II Tim. IV, 2.
[7] Rom. X, 15.
[8] Concil. Trid., sess. XXIV, *de ref.*, cap. 18.
[9] I Tim. V, 22.
[10] Encycl. iam cit.
[11] Sess. XXIV, *de ref.*, cap. 3.
[12] Psalm. IX (X), 14.

Et quoniam officiis tot ac tantis recte perfungi non valeant nisi in dioecesi resideant, praescripta super hoc a sacro concilio Tridentino fideliter servare pergent[1]. Viros quoque doctrina et vita venerabiles sibi advocabunt, qui vicariam praestent operam et quam gravissimum onus levius efficiant. Et quo melius primum sibi, deinde suis prosint ecclesiis, iuxta dictum apostolicum, attendent lectioni et doctrinae, orationi instantes erunt, divinisque officiis interesse et rem sacram quam frequentissime facere gaudebunt[2].

### Decretum *de metropolitano.*

Constat perantiquam esse in ecclesia dignitatem metropolitani, quae ab ipsismet apostolicis temporibus exordium sumpsisse videtur[3]. Praecipua autem quae ad hanc diem retinuit iura commemorare operae pretium est.

Ad metropolitanum spectat comprovinciales episcopos et alios qui de iure vel consuetudine interesse debent ad synodum provincialem convocare, locum et diem indicere et praeesse.

Ad eum etiam spectat ius dicere inter eos qui a suffraganeorum iudicio ipsum appellant, sed solummodo intra limites a iure statutos; nec non et sede episcopali vacante, vicarium capitularem, si intra octo dies a capitulo non provisum fuerit, nominare.

Ad eum tandem pertinet per quaevis loca etiam exempta suae provinciae facientem transitum, aut ad ea forsitan declinantem, ut crucem ante se libere portari faciat, benedicat populo, divina officia privatim vel publice ibidem audiat et ea etiam in pontificalibus celebret.

### Decretum *de synodo provinciali.*

Haud mediocre ex eo gaudium percipimus, quod saluberrimas synodos illas, quibus iam a tribus pene saeculis caruit Bituricensis provincia, tandem renovare contigerit, et nobis in voto est eas iuxta Tridentinum decretum, singulis trienniis, dummodo rerum et temporum circumstantiae permiserint, studio quam diligentissimo celebrare[4]. Plurimum enim utilitatis habent ad emendandos mores, corrigendos abusus, componendas controversias, retundendos errores, et ea statuenda quae pro tempore magis ac magis pietati faveant[5].

Ex ecclesiae disciplina indubium est quod synodi auctoritas uniuscuiusque episcopi auctoritati praestet; unde fit ut synodi decreta in provincia tota obligent, statim ac legitime fuerint promulgata.

Metropolitano legitime impedito, fit ab antiquiori provinciae episcopo convocatio[6]. Omnes autem episcopi, sub poenis a iure sancitis, interesse debent, sive per se, sive impediti per procuratores, et iis solis de iure ordinario competit vox decisiva. Convenient etiam consilii sui adminiculum synodi patribus praestituri, et si convenire renuant, poenis canonicis erunt obnoxii omnes qui de iure vel consuetudine interesse debent.

### Decretum *de synodo dioecesana.*

Antiquam et laudabilem synodi dioecesanae institutionem instaurare gestientes, sancimus ut, saltem quolibet triennio, celebretur huiusmodi synodus ad promulganda concilii provincialis decreta et ea statuenda quae dioecesi suae utilia arbitratus fuerit

[1] Sess. VI, *de ref.*, cap. 1.
[2] Concil. Remense, 1583 [cap. 22, *de episc.*, n. 5, 13, 16, Mansi, *Concil.*, XXXIV, 708-9].
[3] Devoti, *Ius can.* [l. I, t. 3, sect. 3, § 30, edit. Gand., I, 184].
[4] Sess. XXIV, *de ref.*, cap. 2.
[5] Comit. cleri Galliarum anno 1755.
[6] Concil. Trid. loco supra cit.

episcopus; huic autem satius erit praemitti sacri A secessus exercitia quae, prout fieri quotannis nostrum est solemne, synodi dioecesanae quotannis iuxta Tridentinum celebrandae[1] vices supplere possunt.

At vero, sicuti saepe saepius declaravit sacra congregatio concilii[2], ad episcopum pertinet non tantum indicere synodum dioecesanam et convocatos ad eam poenis canonicis cogere, sed etiam in ea leges condere et promulgare absque consensu et approbatione cleri. Falsa ergo est, temeraria, episcopalis auctoritatis laesiva, regiminisque hierarchici subversiva et ut talis a sanctae memoriae Pio papae VI damnata[3] propositio asserens: reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam in synodis dioecesanis ab episcopo et parochis aequaliter pendere ac stabiliri debere.

Decretum *de vicariis generalibus*.

Unum moraliter sunt cum episcopo vicarii gene- B rales; propterea, ordinarii nomine comprehenduntur. Ipsis tamen non competunt canonicorum iura, nec proinde incumbunt officia, nisi sint titulo canonici. Vicarii autem generales archidiaconorum dignitate insigniti, primi post episcopum, tam in choro quam extra chorum, sedebunt et incedent.

Decretum *de capitulis cathedralibus*.

Capitulum ad conservandam augendamque disciplinam, ad praebendum clero praecellentis pietatis, perfectae morum integritatis et virtutum omnium exemplum, ad episcopum opera et officio iuvandum antiquitus institutum est, et episcopi senatus dicitur[4]. Tales igitur esse debent qui ad canonicatus dignitatem assumuntur ut suo muneri respondere possint.

Canonici tenentur divina per se, non autem per substitutos, nisi legitime impediti fuerint, obire officia, episcopo celebranti aut alia pontificalia exer- C centi assistere et inservire, atque in choro hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare, et interesse missae conventuali quam quotidie, nisi adsit legitima dispensatio, unus ex eis, iuxta ordinem ab episcopo sancitum, offerre debet pro cathedralis ecclesiae fundatoribus et benefactoribus.

Quoniam vero, in praesenti rerum statu, paucioribus ecclesiae nostrae cathedrales gaudent canonicis qui integrum ad officium in choro decantandum minime sint pares, statuimus, postquam obtenta fuerit ab apostolica sede dispensatio, ut in omni provincia nostra singulis diebus capitularis missa vel sine cantu, vel si aliter statutum fuerit, cum cantu dicatur, praemissa tertiae et subsequente sextae psalmodia. Decernimus pariter ut in choro recitentur, vel, si visum fuerit, decantentur nona et vesperae cum completorio; dominicis et festis D de praecepto diebus, servato cantu tum missae tum officii vespertini.

Volumus tandem ut provisus de canonicatu non solum coram episcopo seu eius vicario generali, sed etiam in capitulo, orthodoxae fidei publicam faciat professionem iuxta praescriptum sacri concilii Tridentini[5] et formam a sanctae memoriae Pio papa IV assignatam: alioquin non admittatur.

Haec autem sunt capituli praecipua iura: ab episcopo consuli in casibus canonica sanctione vigente expressis, ad concilium provinciale accersiri eique interesse; sede vacante, unum vel plures, numero tamen paucissimos, praesertim si e capitulo assumantur, eligere vicarios capitulares ad quos transfertur quidquid episcopalis iurisdictionis ad capitulum sedis vacatione manavit, quique revocari non possunt, nisi iusta de causa a sancta sede probata.

Decretum *de parochis eorumque vicariis*.

In pascendis ovibus parochi sunt episcoporum cooperatores. Nullam alicuius momenti consuetudinem tollere aut inducere praesumant inconsulto ordinario, eiusque mandata et monita ad officium pastorale rite explendum attinentia prae oculis accurate habeant, ut servetur unitas tantopere a Christo et ab apostolis commendata, qua in singulis dioecesibus non minus ac in universali ecclesia unum erit ovile et unus pastor.

Parochos ad arbitrium episcopi, secundum hodiernam Galliae ecclesiarum disciplinam revocabiles, haud fugit hunc praesentem statum nihil prae se ferre quod divinae ecclesiae constitutioni contradicat, quidquid in contrarium affirmare ausi fuerint nonnulli prorsus certe improbandi, cum idem status prioribus ecclesiae saeculis legitime viguerit. Ideo declaramus, iuxta mentem sanctae memoriae Gregorii papae XVI, nullam immutationem in eo faciendam esse donec aliter ab apostolica sede sancitum fuerit. Nec erit sane unde querantur huiusmodi rectores de facultate qua utentur episcopi quam mature et moderate, nec ut dominentur in cleris, sed ut animarum saluti et ipsorum bono parochorum paterne consulant.

Declaratum autem volumus nec ipsos nec eorum parochias subiacere iurisdictioni parochorum regionalium: imo, citra inamovibilitatem, iisdem potiuntur iuribus. Quaedam honorifica tantum competunt regionalibus parochis, videlicet, convocare ad collationes ecclesiasticas iisque praeesse, olea sacra singulis distribuere, exequias peragere parochorum suae regionis, et de eorum obitu episcopum certiorem facere. Insuper, ad beneficium stabile promoti et peculiaris fiduciae testimonium ab episcopo consecuti, prae caeteris tenentur eius ad notitiam quae ad suam devenerint graviora perferre.

Visitationi totius parochiae frequentissimam pro posse dabunt operam parochi, munus obeuntes boni pastoris qui cognoscit oves suas et ab eis cognoscitur. Habeant autem libros ad formam ritualis Romani, in quibus notentur ii qui baptizati, confirmati et matrimonio iuncti sunt.

Zelum prudentia temperabunt et mansuetudine condient, Moysis vestigia insectantes, qui totius plebis, ut ait sanctus Ambrosius, mentes sibi devinxerat, ut plus eum pro mansuetudine diligerent quam pro factis admirarentur.

Ea autem non est praetermittenda parochorum obligatio, qua providere debent materialium ecclesiae suae bonorum administrationi, fabricas instituendas curare, legesque servare quae ad eas spectant et ecclesiasticis legibus non adversantur, ne supradicta bona detrimentum patiantur, et maximae oriantur difficultates quae sacro muneri obsint. Statuto tempore conficiatur quotannis tabula redituum et expensarum ab episcopo approbanda.

Sed et eos meminisse volumus ipsis cooperatores in ministerio esse vicarios, fratres ordine, ideoque benigne et honorate tractandos, et ad munia pastoralis officii sedulo informandos. Vicarii autem nunquam obliviscantur quod sint adiutores tantum; ideo parochorum auctoritati in sacro ministerio subsint, nec absque licentia eorum, quorum est exclusive regimen paroeciarum, quidquam innovare queant.

[1] Concil. Trid., loco supra cit.

[2] Bened. XIV, *De synodo dioec.*, (libr. II, cap. 5 et l. XIII, cap. 1).

[3] Bulla *Auctorem fidei*, prop. damn. 9.

[4] Concil. Trid., sess. XXIV, *de ref.*, cap. 12.

[5] Sess. XXIV, *de ref.*, cap. 12; constit. Pii IV *In sacrosancta*, die 13 novembris 1564.

Notum tamen iis faciant quidquid scitu utile ad bonum promovendum arbitrati fuerint. Ponant custodiam ori suo et ostium circumstantiae labiis suis, ne quid unquam de parochis vitio vertant, maxime audientibus laicis. Omni ope adnitantur ut cum parochis efficiant cor unum et animam unam: et contentione, dissensione, invidia omnique scandalorum semine reiectis, provideant bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus [1].

Quod ut facilius pleniusque attingatur, magnopere optandum est cohabitent vicarii cum parochis, eidem assideant mensae, una honestis relaxationibus indulgeant.

Decretum *de eleemosynariis, capellanis, aliisque sacerdotibus sine titulo.*

Eleemosynarii, capellani quascumque facultates spirituales ab episcopo solo mutuantur.

Nisi detineantur in obeundis propriis muniis, iuxta praescriptum superioris concilii Bituricensis, publicis parochialis aut cathedralis ecclesiae officiis interesse debent, necnon et sacerdotes titulo carentes et clerici.

Instauramus prohibitionem a concilio Claromontensi anno 1095 latam [2]: „*Nullus presbyter capellanus alicuius laici esse possit, absque concessione sui episcopi.*"

Nullus itidem presbyter sacrum in oratoriis facere praesumat diebus paschatis et natalis Domini, pentecostes, assumptionis et omnium sanctorum.

Sacerdotes titulo carentes videbunt ut, excusso otio, indubiam vitae sacerdotalis notam prae se ferant. Opem suam roganti parocho ad divini cultus amplitudinem libentissime praestent, nec sacrum faciant nisi tempore quod ipse indixerit.

Sacerdotes infirma valetudine aut provecta aetate fractos constanti sollicitudine paterne prosequemur, et nihil non aggrediemur ut ipsis levamen afferatur. Profecto totus clerus in idem consilium nobiscum conveniet. Suadent ordinis ecclesiastici decor et ipsamet religio, ut ex propriis, quantumlibet modicis fortunis, quisque detrahat unde fratribus egenis auxilietur. Dum in singulis dioecesibus exstat aerarium quoddam subsidiarium, omnes ad illud sustentandum concurrent; quidquid morae aut repugnantiae quis interponeret, magno nobis esset moerori.

In signum unionis et animarum levamen, quotannis, die ab unoquoque episcopo praefixa, celebrabitur sacrum ab universis provinciae sacerdotibus pro presbyteris in praelaudata provincia anno superiore defunctis.

Eos autem sacerdotes, quos propter lugendam inordinationem a sacris removere muniis compulsi fuerimus, non praetereat remedium infortunii sui in promptu esse dummodo charitati nostrae se penitus committant.

## TITULUS II.

### *De congregationibus religiosis.*

Decretum *de congregationibus religiosis.*

I. Religiosas congregationes, utpote eximiam dominici gregis partem, singulari semper affectu, peculiari et cura, prosecuta est sancta mater ecclesia. Istae enim ex iis coalescunt personis, quae non modo omnia divinae legis praecepta fideliter adimplere nituntur, sed et praecipua Christi domini consilia, quippe quae ad christianam perfectionem spectant, sedulo exsequi studio, congruis se obstrinxerunt votis. In id ergo totae incumbant ne-
A cesse est, ut, quae emiserunt paupertatis scilicet, castitatis et obedientiae vota, diligenti accuratione persolvant. In his namque rite persolvendis posita est evangelicae, quam ambiunt, summa perfectionis, sicut et ab his rite persolutis tota pendet promissae ipsis, cum ampliori gloria, salutis aeternae ratio.

Hic abs re non est admonere animarum directores maxima utendum esse prudentia in definienda adolescentium vocatione, ne forte, cum gravissimo salutis periculo, aut vocati ad religionem accedere renuant aut non vocati accedere praesumant. Caveant ipsimet parentes, ne minime aptos inducant filios ad amplectendum religionis institutum, neque idoneos ab eo capessendo avocent: id enim in filiorum simul et parentum perniciem vergeret.

Ex concilio Tridentino, statuendum ducimus „*ne de caetero loca religiosa erigantur sine episcopi, in cuius dioecesi erigenda sunt, licentia prius obtenta*" [1].
B Nova autem probare non intendimus nisi maturo examine praemisso, quia satius nobis videtur iam constituta florescere quam nova constitui; neque etiam congregationis in aliena dioecesi consistentis filialem domum admittemus, quin prius et congregationis huius regulas viderimus et moderatorem audierimus.

II. Ante votorum emissionem, novitiae puellae serio subiicientur examini ab ipso episcopo vel a delegato sacerdote instituendo.

Noverint conventuum moderatores domos sibi creditas ita esse regendas, ut et gloria Dei promoveatur, et ecclesiae decus et civilis ipsius societatis bonum cui, tum precibus, tum charitatis operibus, tam feliciter consulunt religiosae familiae, et animarum saluti provideatur, et circumstantium populorum procuretur aedificatio.

Confessarius ordinarius, isque unicus, ab epi-
C scopo constituendus est ad excipiendas monialium confessiones, neque alius sacerdos potest absque expressa eiusdem episcopi licentia earum sacramentalem confessionem excipere. Bis etiam aut ter in anno iis concedendus est confessarius extraordinarius, quem omnes et singulae adire tenebuntur, etsi sacramentalem apud eum confessionem peragere iussae non sint.

Si quae identidem hunc extraordinarium expetant confessarium, iis facile concedatur, sed non adeo frequenter ut ordinarius evadere censeatur.

Moniales claustri lege adstrictas monemus, ut hanc ipsae religiosissime servent et, quantum in eis fuerit, ab exteris violari non patiantur. Easdem episcopo immediate subditas et parochorum iurisdictioni prorsus alienas declaramus.

Religiosas communitates, quae parochialem ecclesiam frequentant, sedulis rectorum curis commen-
D datas volumus.

De his omnibus consulendae et prae oculis habendae sunt praescriptiones sacrae congregationis Romanae.

## TITULUS III.

### *De fide.*

Decretum *de erroribus qui religionis et societatis fundamenta convellunt.*

„*In novissimis diebus instabunt tempora periculosa: erunt homines se ipsos amantes, elati, superbi, blasphemi, voluptatum amatores magis quam Dei, semper discentes et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes, errantes, et in errorem mittentes.*" [2]

Quis hodie non terreatur quasi adsint praedicta ab apostolo tempora? Unusquisque enim in via

[1] II Cor. VIII, 21.
[2] Can. 18, (Mansi. *Concil.*, XX, 817 E).

[1] Sess. XXV, *de regularibus et monialibus*, cap. 3.
[2] II Tim. III, 1, 2, 4, 7, 13.

sua erraverunt, *„quia cum cognovissent Deum (omni* A *creaturae ab ecclesia praedicatum) non sicut Deum glorificaverunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et volucrum et quadrupedum, propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam."* [1]

Propterea, attendant nunc populi fluctuantes, et fidem amplectantur ecclesiae Dei vivi, quae est columna et firmamentum veritatis. Quod credit ecclesia credant, quod damnat damnent, ut, occurrentes omnes in unitatem fidei et agnitionis filii Dei, ex huius miserae peregrinationis itinere ad coelestem patriam feliciter pervenire valeant. Caveant a falsis prophetis qui veniunt ad eos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

Praecipuos eorum errores notamus simul ac B damnamus:

*„Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis,"* pravi homines, *„paria Deo sentire gloriantes,"* [2] qui hominem non regi aut informari nisi a sua sola et pura quidem ratione audacter affirmant; apostatae qui, sublata omni supernaturalis ordinis lege, cum recesserint a Deo, ipsi sibi sunt lex, sed diabolico sensu. Damnamus hunc *rationalistarum* errorem, ex quo, velut spurco fonte, scaturierunt omnia malorum genera.

Damnamus illos qui omnipotentem Deum summum et viventem in saecula, unum universorum principium, creatorem omnium visibilium et invisibilium negare aut minuere ausi sunt, dum affirmant mundum aut esse ab aeterno, aut sinu Dei emanasse, aut saltem non a Deo e nihilo factum, aut Deum esse omnia et omnia esse Deum.

Decreto Lateranensis concilii IV ore et corde C adhaerentes, damnamus odibiles sophistas, qui Deum verum, aeternum, immensum, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, tres quidem personas consubstantiales et coaequales et coomnipotentes et coaeternas, sed unam essentiam, substantiam, seu naturam simplicem omnino respuunt, et, dolose explicatione elucubrata, affirmant sanctissimam Trinitatem nihil aliud esse quam metaphysicam infiniti, finiti et mutuae eorum relationis abstractionem.

Damnamus etiam eos qui unigeniti Dei Filii Iesu Christi incarnationi totam Trinitatem cooperatam esse, eumdemque Iesum Christum, ex Maria semper virgine, Spiritus sancti cooperatione conceptum, verum Deum et hominem pro salute humani generis in ligno crucis passum et mortuum negantes, et hoc magnum pietatis sacramentum, quo verbum caro factum est, metaphorice accipientes, in quamdam rationis divinae in nobis emanationem D pervertunt; hypocritae, qui, subintroductis profanis vocum novitatibus, adulteratoque verbo Dei, sanctae ecclesiae, cuius symbolum perfido ore tenent, fidem abnegant.

Dolendum magis quam mirandum ab istis impiis nil nisi naturale detegi in miraculis et in praeclaris sanctorum virtutibus, omniaque supernaturalis ordinis explicari quodam sensu allegorico, vi cuius tota veteris et novi testamenti historia, facta nempe et homines, sicut mera phantasmata, evanescunt.

Damnamus proinde hoc historicum et quasi universale dubium, ex quo plurima errorum monstra, inter quae indifferentia circa res religiosas, nec non lugenda tolerantia nuper exorta sunt. Inde fit, sicuti pontifex maximus ait, ut *„omni virtutis et vitii, veritatis et erroris, honestatis et turpitudinis sublato discrimine, homines in cuiusvis religionis cultu aeternam salutem assequi posse comminiscantur, perinde ac si ulla unquam esse posset participatio iustitiae cum iniquitate, aut societas luci ad tenebras, et conventio Christi ad Belial"* [1].

Damnamus insuper omnes qui hominum genus in dies perfectibile perpetuoque terrenis defixum proclamantes, mundum incepisse, hominem fuisse lapsum ab origine, existere infernum et paradisum negant; idololatriamque religionem fuisse relative veram, mundo nascenti et imperfecto accommodatam, divinam autem Christi legem aeque perfectibilem et caducam, proindeque catholicam ecclesiam nihil aliud esse quam humani generis aetatem, perfectiorem quidem, sed modo defecturam, ficte dolentes, ubique scriptis et dictis disseminant.

Piis igitur summi pontificis cohortationibus moniti, caveant fideles ab his infensissimis christiani nominis hostibus, qui, ut facilius populis illudant atque incautos praesertim et imperitos decipiant, sibi unis prosperitatis vias notas esse mentiuntur. Ii sunt enim mali homines et seductores, qui infandam ac vel ipsi naturali iuri maxime adversam propugnant de *communismo*, uti vocant, doctrinam, qua semel admissa, omnium iura, proprietates, sanctae matrimonii leges, ac vel ipsa humana societas funditus everterentur.

Damnamus et reprobamus hos perturbatores, qui suos de societate errores nihil aliud esse nisi primaevae ecclesiae constitutionem autumant. Caeci, qui non intelligentes hanc castissimam et spontaneam christianorum communitatem, minime de praecepto, sed de consilio tantum fuisse; inde ecclesiam, divitiarum studio corruptam, hominum iura turpiter dereliquisse blaterant. At vero, quaecumque ignorant, blasphemant. Nimia enim quae eos movet conditionum imparilitas, non est paucorum hominum scelus, multo minus ecclesiae Christi iniquitas, sed naturae humanae labes, quam omnino tollere irrito conatu laboraverimus.

Meminerint ergo populi grave iugum istud quod est super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum usque ad diem sepulturae in matrem omnium [2], iustam esse poenam inobedientiae per quam peccatum in mundum intravit, et per peccatum mors; sed id quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate, aeternum gloriae pondus operari in nobis [3].

Itaque, etsi Deus sanabiles fecerit nationes, nullatenus sperandum ut unquam morbi, paupertas, aerumnae, omniaque malorum genera penitus terra exulent. At vero ecclesiae est pie singulis providere, pauperibus ac divitibus aeque consulendo. Nonne illa est immaculata sponsa quae egenum Christum in paupere veneratur, pias congregationes virorum et mulierum ad obeunda omnia pietatis christianae munia instituit ac fovet, esurientibus panem, nudis vestimentum, aegris medelam, flentibus solatium, maternam omnibus curam praebet? Nonne illa est fidelis eleemosynarum exactrix, quae divitum conscientiam urget et exagitat, ut redundantem pecuniam in pauperum sinum effundant? Beneficentissimae igitur et integerrimae Christi ecclesiae confisi, formidandisque perversarum doctrinarum edocti tandem periculis, pusilli et magni, peritura contemnere, sursum corda erigere, fraternitatem deligere incipiant, ut qui flent tanquam non flentes, et qui possident tanquam non possi-

[1] Rom. I, 21-4.
[2] I Ioan. II, 19; II Mac. IX, 12.

[1] Encycl. Pii IX *Qui pluribus*, die 9 nov. 1846.
[2] Eccli. XL, 1.
[3] II Cor. IV, 17.

dentes, omnes simul integra fide, spe firma divinaque A Christi charitate locupletes fieri gaudeant in salute.

Decretum *de miraculis et prophetiis non recognitis et temere vulgatis, et de iis qui opiniones quasi fidei dogmata propugnant.*

I. In memoriam tum fidelium, tum Christi sacerdotum, praesertim divini verbi praeconum, revocanda iudicamus quae de miraculis non recognitis decrevit sanctissima synodus Tridentina, videlicet: nulla admittenda esse nova miracula nisi recognoscente et approbante episcopo, qui, simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium theologis et aliis piis viris, ea faciat quae veritati et pietati consentanea iudicaverit. Quod si aliqua de iis rebus gravior quaestio incidat, episcopus antequam controversiam dirimat, metropolitani et comprovincialium episcoporum in concilio provinciali sententiam exspectet, ita tamen ut nihil, in- B consulto sanctissimo Romano pontifice, novum aut in ecclesia hactenus inusitatum decernatur[1].

Quoad privatas revelationes, visiones, prophetias, sive admittendas, sive praesertim propagandas, summa utantur prudentia, monita apostolica prae oculis habentes: „*Spiritum nolite extinguere,*“ et: „*Nolite omni spiritui credere.*“[2]

II. Omnibus, qui de divinis disserunt, mandat synodus ut quaestiones nondum definitas a definitis veritatibus accurate secernant, et in controversiis memores sint istorum sancti Augustini verborum: „*in necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus charitas.*“ Solliciti ergo servare unitatem in vinculo pacis, nec sapientes plus quam oportet[3], propositiones nondum damnatas nulla contumeliosa nota afficiant.

Decretum *de lectione et usu scripturae sacrae.*

Omnis scriptura divinitus inspirata utilis [est] ad C docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus[4].

I. Hoc autem primum, ut ait princeps apostolorum, intelligentes, quod omnis prophetia scripturae propria interpretatione non fit[5], summopere studeant Christi fideles hanc saluberrimam prae oculis semper habere regulam, quae sine magno animarum dispendio praetermitti nequit. Quapropter, eos commonemus ut caute abstineant a legendis illis tum veteris tum novi testamenti libris gallice versis qui pretio vili aut nullo passim circumferuntur; agnoscant lupum in ovina pelle, angelum satanae transfiguratum in angelum lucis; hoc enim fecit inimicus homo, et istos foetus nocivos, venenata dona, proferunt vaferrimae biblicae societates quae, veterum haereticorum artem renovantes, divinarum scripturarum libros contra sanctissimas ecclesiae regulas D vulgari lingua translatos, ac perversis saepe explicationibus interpretatos, maximo exemplarium numero ingentique expensa, omnibus cuiusque generis hominibus, etiam rudioribus, gratuito impertiri et obtrudere non cessant; ut, divina traditione, patrum doctrina et catholicae ecclesiae auctoritate reiecta, omnes eloquia Domini privato suo iudicio interpretentur, eorumque sensum pervertant, atque ita in maximos elabantur errores[6].

Tantae malorum labis avertendae causa, quod anno millesimo quingentesimo octogesimo quarto ab antecessoribus nostris in synodo Bituricensi sapientissime statutum est, renovamus; et volumus ut omnia biblia sacra vernacula lingua scripta respuantur, nisi quae ecclesiae catholicae vel episcopi auctoritas probaverit.

Maximi autem momenti ducimus, et a fidelibus ducendum peroptamus, ut neutiquam legant huiusmodi biblia nisi versio probatis explanationibus sit illustrata.

II. Propter debitam eloquio Dei reverentiam, omnino damnandam iuxta Tridentinum censemus illam temeritatem, qua ad profana quaeque convertuntur et torquentur verba et sententiae sacrae scripturae, vel ad usus malos impie adhibentur[1].

Damnamus denique et reprobamus sacrilegam divini verbi usurpationem et interpretationem, qua quorumdam errorum fautores, ita fucum simplicibus facturi, sua horrenda ausi sunt systemata commendare. Ut autem fideles nullatenus exitiali laqueo innectantur, saepe saepius ab iis, qui de animabus illorum rationem sunt reddituri, monebuntur quod sanctorum librorum interpretatio facienda non sit sola ratione, quemadmodum a socinianis et hodiernis rationalistis contenditur, nec revelatione immediata, uti somniavit quaedam illuminatorum secta, neque, veluti a protestantibus asseritur, peculiari ope Spiritus sancti privatim et singulatim concessa: sed ea sit interpretandi lex, illud quod credit aut tenet ecclesia catholica, divinarum scripturarum custos et interpres ab ipsomet Domino et salvatore nostro Iesu Christo constituta.

Decretum *de propagandis bonis libris et de approbandis scriptis quae ad religionem spectant.*

I. „*Ad reprimendam pravorum librorum contagionem perutile erit ut quicumque penes vos sint insignis sanaeque doctrinae viri, alia parvae item molis scripta, a vobis scilicet antea probata, edant in aedificationem fidei ac salutarem populi instructionem. Ac vestrae hinc curae erit, ut eadem scripta, uti et alii incorruptae pariter doctrinae probataeque utilitatis libri ab aliis conscripti, prout locorum ac personarum ratio suggesserit, inter fideles diffundantur.*“[2]

Hucusque verba sunt beatissimi patris nostri Pii papae IX, quibus toto corde adhaerentes, exoptamus ut in singulis provinciae paroeciis publicae instituantur bibliothecae, in quibus pii vel saltem incorruptae doctrinae libri pro uniuscuiusque utilitate inveniantur. Quod omni zelo et ope rectores ecclesiarum aggrediantur. Sodalitatibus itaque iam existentibus utantur; quin imo, si magis expedire visum fuerit, novas condant ad normam earum quae nuper in aliis provinciis ortae, et a sanctissimis Romanis pontificibus indulgentiis ditatae, uberiores salutis fructus in dies proferunt. Sedulo invigilent parochi, ut caute et ordinate distribuantur libri.

Sed quo abundantius lux fidei diffundatur, solliciti erunt insuper Christi sacerdotes ut, sive in scholis, sive in catechesum exercitiis, sive in congregationibus quarum cura ipsis commissa est, libri doctrina maxime conspicui praemio sint virtuti et scientiae.

II. Nemini liceat libros precatorios in lucem edere, absque episcopi approbatione.

Ea autem quae clero addicti scripta vel libros ad religionem spectantia componere satagunt, monemus ne typis mandent quin examinata probataque fuerint ab ordinario.

Quoad autem scriptores laicos, qui virtute magna proeliantur proelia Domini, dogmatum fidei et ecclesiae iurium assertores et vindices, illos laudat haec provincialis synodus. Eos tamen non lateat quod

[1] Sess. XXV, *de invoc. sanctor.*
[2] I Thess. V, 19; I Ioan. IV, 1.
[3] Eph. IV, 3; Rom. XII, 3.
[4] II Tim. III, 17.
[5] II Petr. I, 20.
[6] Encycl. die 8 dec. 1849.

[1] Sess. IV, *de edit. et usu s. libr.*
[2] Encycl., 8 dec. 1849.

in christiana societate, omnis ordinationis, emendationis et sententiae principatum teneant ii quos Spiritus sanctus posuit regere ecclesiam Dei. Ne ergo montem sanctum proplus accedant; periculum vitent suis ausis fovendi hanc effrenam scribendi libertatem, quam summa religionis ratio et sacra ecclesiae iura pariter explodunt. In materia adeo ardua nihil inconsulti faciant, ordinarii praesertim auctoritatis observantissimi.

Decretum *de libris prohibitis et de mediis contra acatholicum proselytismum adhibendis.*

I. „*Inter diversa insidiarum genera quibus vaferrimi ecclesiae humanaeque societatis inimici populos seducere annituntur, illud certe in praecipuis est, quod nefariis consiliis suis iamdiu paratum, in novae artis librariae pravo usu invenerunt. Itaque in eo toti sunt, ut impios libellos et ephemerides, ac pagellas mendacii, calumniarum et seductionis plenas, edere in vulgus ac multiplicare quotidie non intermittant.*“[1]

Haec sanctissimi patris Pii papae IX gravissima verba, cunctis animarum pastoribus attente meditanda commendamus; quippe quae eo efficaciora videntur ad illos excitandos inflammandosque, ut a Christi fidelibus perniciosos procul amendent libros, quod eo ipso tempore prolata sint, quo perditissimi homines, sacrilegis factiosisque scriptis sollicitati, almam Urbem invadebant disturbabantque, ipse vero Urbis dominus, totiusque orbis pastor et doctor supremus, in terra aliena, exul ac profugus consistebat.

Ista etiam monita eorumdem animis infixa volumus quod multo studio curare debeant, ut removeantur a suis ovibus libri obsceni aut de vitioso amore tractantes. Iure naturali sunt per se vetiti, propter grave damnum quod legentibus inferunt. In ipsis enim virus, quanto minus patet, tanto magis nocet[2].

II. Pastores ergo animarum totis viribus lethali obsistant proselytismo, et quo efficacius illum cohibere valeant, plebes sibi commissas sacris dogmatibus salubribusque religionis christianae praeceptis non minus clare quam solide erudire non desinant, iisdemque simul demonstrare studeant quam securum, quam et necessarium sit sanctae matris ecclesiae auctoritati dicto audientem esse firmiterque adhaerere.

Instituendas curent, si fieri potest, sacras catecheses *perseverantiae* nuncupatas, quibus, peracta prima communione, intersint adolescentes, et unde ampliorem solidioremque christianae doctrinae notitiam adipiscantur.

Scholas identidem visitare non negligant et quos deprehenderint pueros addiscendae religionis magis studiosos, hos benignis incitent verbis, et, si facultas suppetierit, praemiis quibusdam munusculisque decorent.

Decretum *de docendis ac discendis, tum in minoribus tum in maioribus seminariis.*

**Et primo, de docendis et discendis in minoribus seminariis.**

Hominem in ordine ad suum finem educandum esse compertum est. Ideo, prima aetas timore Domini, qui est sapientiae fons et initium, quam primum imbuatur, et quotidie piis exercitationibus in omni patientia amanter a directoribus excolatur. Tota enim christianae et civilis reipublicae spes, iuventutis educatione proxime nititur.

In nostris igitur minoribus seminariis ea quae ad religionem spectant, doceri, laudari, et principem locum tenere volumus. Documenta fidei gradatim et pro captu ingenii caute ita tradantur, ut non antea pueri cibo solido quam lacte pascantur.

Nihil aliud prius discant quam memoria teneant catechismi catholici compendium. Dein simplex catechismi explanatio addatur ad primam synaxim praeparatoria. Postea aetate provectiores utantur prolixiori catechismo qui, ordinem rerum sacrarum referens a principio, integram religionis historiam revolvet, iuxta sancti Augustini methodum de catechizandis rudibus.

Alumnis vero humaniores litteras assecutis, completam collationum de religione seriem omni cura enucleabunt directores, et singillatim de fundamentis fidei, legis divinae praeceptorum necessitate et sapientia, divitiis vitae, gratiae et gloriae in sacramentis absconditis, cultus divini et caeremoniarum ecclesiasticarum maiestate disserentes, potius oratoria quam syllogistica demonstratione utentur.

Superiores et magistri minoris seminarii, discipulorum mores semper et ubique efforment, illisque aut ludentibus aut deambulantibus, quocumque perrexerint, misceri non dedignentur. Iuniores alumnos urbanitatem, necnon christianam maiorum reverentiam, verbo et exemplo doceant.

Ex methodo iam dudum probata et excolendis puerorum ingeniis perutili, immorandum in edocendis linguis graeca praesertimque latina, utpote ecclesiae catholicae propria. Invigilandum autem ne profana veterum scripta magis moribus noceant quam ingeniis prosint studiosorum, qui uberiori doctrinae fructu in sanctorum patrum excerptis versabuntur.

Studio priscae et recentis historiae operam dent, quo plenius religionem a mendaciis et calumniis, quibus quotidie impetitur, vindicent, quin et idoneo geographiae cursu historiam illustrare non negligant.

Eatenus iuniores minoris seminarii alumni mathematica et naturalium rerum elementa ediscant, quatenus laicis scientia cedere non reputentur, nec ad probationes graduum praestandas confutandave incredulorum sophismata impares iudicentur.

Pueri etiam ad nitide, distincte et alta voce legendum, et ad recte scribendum gallice sedulo exerceantur, et legentes latine servent syllabarum quantitatem.

Denique, ut alumnorum maior sit ad laborem alacritas, examen publicum semel saltem quotannis, aut, si libet, ludi academici instituentur, et, exeunte anno, qui diligentia et progressu caeteros in qualibet classe superaverint, praemiis donabuntur.

**Secundo, de docendis et discendis in maioribus seminariis.**

Cum eiusmodi plerumque esse solet populus cuiusmodi sunt sacerdotes[1], summa cura elaborandum est ut, in maioris seminarii alumnis sicut in sacerdotibus, morum gravitas, sanctitas atque doctrina formentur, et maturo explorentur examine. Cumque saepius religiosa etiam corda de mundano pulvere sordescant, ad has virtutes instituentur, quibus hodierno praesertim tempore mundus abhorret et adversatur, carnis scilicet et mentis mortificationem, humilemque sui ipsius subiectionem.

De caetero, temporum necessitatibus consulentes, haec statuimus et decernimus:

1. Nullus in seminario admittatur, nisi de vita et moribus bonum habeat testimonium. Volumus quoque ut, praevio orali et scripto examine, idonea candidati scientia comprobetur.

2. Quadriennium studio dabunt alumni maioris seminarii, si unius tantum; triennium autem, si

[1] Encycl. 8 dec. 1849.

[2] S. Liguori. 2 append. de prohib. libr. n. 8 et 9.

[1] Litt. encycl. Pii IX *Qui pluribus*, die 9 nov. 1846.

duorum annorum spatium philosophiae cursui im- A pensum fuerit.

3. Is erit studiorum ecclesiasticorum ordo: collationes scripturae sacrae, theologiae dogmaticae et moralis, necnon rubricarum expositio ad sacramenta rite ministranda, et sacras vices recte fungendas, quod laudabiliter actum iam, non minori laude peragent pii et docti directores.

Verum, cum accreverit iniquitas saeculi, et iam reveletur homo peccati secundum operationem satanae in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus et omni seductione iniquitatis, oportet ex adverso sacerdotem maiori pollere doctrina, ut potens sit eos qui contradicunt arguere. Ideo, dum omnes in hoc consentiunt ut studiorum ecclesiasticorum ratio sit absolutior, et cursus maioris seminarii de more habiti accessionibus compleantur, satius ducimus addi quam proxime, consuetis theologiae praelectionibus, historiae ecclesiasticae, iuris canonici, B bene dicendi et instruendi artis, temporalisque paroeciarum administrationis praelectiones.

4. Lex latine loquendi constanter servetur in collationibus theologicis, ut levitae linguae ecclesiae assuefiant, eamque, quasi nativam habeant.

5. Quo in sermone et vernaculo, ut aeque perficiantur, latine et gallice alternando, theses bene multas e tractatibus iam habitis desumendas exarari expediet.

6. Exercitia vulgo dicta theses dominicales utilissime usurpabuntur.

7. Singulis semestribus, examini serio et solemni coram episcopo subiiciendi theologiae alumni et qui segnius studuisse deprehensi fuerint, a sacris ordinibus arcendi, donec denuo examinati satisfecerint.

**Tertio, communia utrique seminario.**

Quod attinet ad cursum philosophicum, qui tantopere valet ad stabiliendas omnes alias disciplinas, hunc episcopus, pro opportunitate, vel in minori, vel in maiori, vel in utroque simul instituet seminario.

In utroque autem seminario, Gregorianum cantum edocebuntur alumni.

Decretum *de directoribus et magistris seminariorum informandis*.

Omnipotenti Deo rependimus grates quod in tam arduo informandae seminariorum iuventutis negotio, nobis adiutores elegerit sive ex piissimis congregationum religiosarum coetibus, sive ex variis cleri saecularis ordinibus, viros tum virtute, tum doctrina conspicuos, sui abiectione et impensissimo in alios studio egregios, quibus non modicae vertetur gloriae quod in pristinum splendorem restitutae Galliarum ecclesiae pars magna fuerit. Non praetermittemus quin, quotiescumque se dederit occasio, de eorum in ecclesiam meritis memorem animum effectu significemus.

Ne autem unquam deficiat in minoribus clericorum seminariis commendabilium pietate et scientia magistrorum semen, omni ope annitendum erit ut mature instruantur, tum in sublimium disciplinarum gymnasiis, tum in ipsis minoribus seminariis, iuvenes iis dotibus praediti quae spem afferant fore utrecedentibus moderatoribus idonee sufficiantur.

Nobis autem est in optatis, ut quaedam ab episcopis ad mutua superioris et professorum minoris seminarii officia praefinienda ordinentur, unde firmetur paterna praesidis auctoritas, filialis subditorum obedientia, omnia ad unitatem vergant et in locuplete pace conserventur.

## TITULUS IV.

### *De cultu divino.*

Decretum *de sanctificatione diei dominicae et festivitatum de praecepto*.

In ipso mundi exordio septimum quemque diem Deus ipse sanctificavit et sanctificandum mandavit, quod cum Moyses ad populi Israelitici memoriam revocare iussus fuerit, „*memento*," inquit, „*ut diem sabbati sanctifices*.[1]"

Unde factum est ut, quotquot ab orbe condito exstiterunt gentes, alicuius numinis haud prorsus ignarae, diem cultui divino dicatum nonnullis ritibus sacris celebrare minime praetermiserint.

Id igitur valde luctuosum est atque uberrimis prosequendum lacrymis, quod, inter christianos catholicosque populos, praeceptum tot nominibus commendandum de diebus dominicis festisque solemnioribus sanctificandis, despiciatur, contemnatur et ausu nefario proteratur. Hisce quippe diebus, multi Christi fideles, quos potius infideles dixerimus, et sacris deesse et servilia exequi opera non verentur.

Hinc tot tantaeque calamitates, quibus spretae legis ultor Deus, nos ad meliorem frugem compellendos afficere non desinit. Experientia namque constat supremum sceleris vindicem saepe saepius in hac ipsa vita, in eos graviter animadvertere, qui dies sacros violare non metuunt.

Cuncti igitur parochiarum rectores omni ope atque opera enitentur, ut Christi fideles, diebus dominicis ac festis de praecepto, a servilibus operibus omnino abstineant, sacrosancto missae sacrificio pie ac devote intersint, et, quantum ipsis licuerit, sacram audiant concionem.

Vivida suasione inducendi sunt omnes fideles ad audiendam missam parochialem, quia haec pro C ipsis speciatim celebratur, in eaque verbum divinum ac utilia monita ad eos diriguntur, necnon iisdem festa praenuntiantur diesque ieiunii et abstinentiae; sed tamen ut huic missae potius quam alii intersint, non sunt sub gravi constringendi: nunc enim in confesso est illos satisfacere praecepto qui sacro adsunt in quacumque ecclesia, maxime vero si concioni captui suo accommodatae interesse non negligant. Ad haec sedulo attendant parochi et concionatores, ne animas iniecto laqueo in gravia peccata pertrahant.

Plurimum refert ut quisque parochus, pro suo divinae gloriae animarumque salutis studio, sodalitatem *de tollenda blasphemia et dominica die sanctificanda* instituenda curet, et institutam foveat et prosperam efficiat.

Vesperae semper, nisi, attentis peculiaribus locorum circumstantiis, aliter visum fuerit episcopo, a D missa parochiali separentur, quibus ut intersint fideles caeterisque piis exercitiis, pro temporis opportunitate, crebra et enixa utendum erit adhortatione.

Porro, ut populus pie simul et assidue sacris adsit officiis, diligentissime caveant ecclesiarum rectores, ne scandalum nimia festinatio, nec taedium pariat prolixitas, praesertim in concionibus.

Decretum *de unitate liturgica inducenda*.

Liturgicae, quae in provinciam nostram inducta est, varietati mederi et periculosissimae commutandi libros liturgicos facilitati obviam ire sollicitis[2], nec non et constitutionibus immortalis memoriae sanctissimi Pii papae V prorsus obsequi[3], et quod in

[1] Exod. XX, 8.
[2] Litterae Gregorii XVI ad archiepisc. Remens., 1842.
[3] Constit. *Quod a nobis*, 1568, et constit. *Quo primum*, 1570

votis est sanctissimo ipsius successori domino nostro Pio papae IX, corde toto adimplere, sic iteratum amantissimo patri et pietatis testimonium et solamen et gaudium allaturi; sanctae Romanae ecclesiae liturgiam antiquitate, stabilitate et universalitate venerabilem, apostolica auctoritate sacram, quam citissime et in perpetuum suscipiendam statuimus.

Extantibus autem quibusdam nunc pro locorum diversitate difficultatibus, curabunt synodi patres quorum in dioecesibus hactenus non viget praelaudata liturgia, ut, ubi opportuna occurret idoneaque videbitur occasio, breviarii missalisque Romani usus in omnibus suis ecclesiis salubri ordinatione instauretur.

Decretum *de reformandis ritibus passim contra regulas introductis.*

Quoniam caeremoniae ritusque ab ecclesia adhiberi consueti in sacris officiis celebrandis, necnon in sacramentis conficiendis aut dispensandis, ad cultum divinum quasi substantialiter pertinent, plurimumque valent ad Christi fidelium pietatem movendam animosque in coelestia erigendos, iis apprime addiscendis incumbere tenentur sacrorum ministri; ne autem memoria elabantur, iisdem reminiscendis novum identidem navare studium ipsa rerum natura iubentur.

Rituum legitimorum et ab ecclesiae praescriptorum probe gnari, insolitos procul dubio ac peregrinos, suis in paroeciis induci non patientur, multoque minus committent, ut vel rubricae auctoritate competenti probatae atque indictae, sacrilego ausu proterantur, vel, quod peius est, nonnullae partes sive officii canonici, sive missae tam privatae quam solemnis, sive tandem earum precum, quae, tanquam de praecepto recitandae, sacramentorum dispensationi annexae sunt, parvipendantur et omittantur. Haec enim prohibita declaramus et, quatenus opus sit, praesenti decreto denuo prohibemus.

Decretum *de cantibus in lingua vernacula intra officiorum solemnia et de musica in ecclesiis.*

I. Quanto oblectamento quantaeque utilitati sit fidelibus perita et religiosa Gregoriani cantus modulatio synodus provincialis attendens, valde optat ut hanc artem omnes aemulatione pia exercere glorientur.

Omnibus ergo parochis praescribit ac mandat ut, sive per se, sive per alios, ad rite cantandum et psallendum in ecclesia informent idoneos iuvenes et erudiant.

Cantus in vernacula lingua cantus liturgici vel minimae parti nequaquam sufficiantur; nec etiam intra missarum solemnia inducantur.

Arceantur pariter hi musicae profanae modi qui a piis ad prava vel extranea animum revocant.

Caeteris praeponantur cantica populo notiora vel ea quae facile addiscuntur; nova autem non admittantur nisi ordinarii auctoritate approbata.

II. Musica, suadente psalte regio, templis sacris Dei laudibus adhiberi potest, sed ea tantum quae mentes sursum erigat et pietatem inflammet.

Ideo, curandum servetur omnino decretum Tridentini, quo ab ecclesiis arcentur musicae illae ubi organo sive cantu lascivum aut impurum aliquid miscetur[1]. Imo attendendum ad monita Benedicti XIV cupientis, ita institui musicos concentus, ut nihil profanum, nihil mundanum aut theatrale resonent.

Decretum *de habitu chorali clericorum.*

Unicuique hierarchiae ordini distincta insignia et sacro cuique ministerio convenientem habitum sapientissime tribuendo, indubitanter voluit ecclesia clericos suae dignitatis semper esse memores, nec non suae potestatis gradum visibiliter prae se ferre, ut facilius populorum reverentiam sibi concilient.

Sint igitur clerici regularum observantissimi, in induendis sacris vestibus, praesertim cum in choro divinis officiis interesse debent.

Ut autem sit unus in tota provincia choralis habitus, haec statuenda iudicavit et statuit synodus.

Hiemali tempore, a festo scilicet omnium sanctorum usque ad sanctissimum diem paschae, iuniores seminarii alumni omnesque de clero, tum in choro, tum in processionibus, induantur lineo superpelliceo, cuius ampliores manicae, sed nullatenus acu picto nec denticulato. Superinduant etiam humerale oblungum, formae rotundae, cuius grandis cucullus demissus, confectum ex panno laneo nigro, cui textura eiusdem coloris, minime serica, sit intrinsecus assuta.

Aestivali vero tempore, supradicto superpelliceo solo utantur. Biretum ex panno extrinsecus et intrinsecus nigro confectum sit.

Superpelliceum sine manicis, cantorum duntaxat et laicorum sit proprium, sed neutiquam ipsius sacerdotis, nisi forte, cum ad audiendas confessiones, aut ad sacramenta rusticanis longius deferenda, accersitur.

Episcopi, de habitu chorali pro totius provinciae capitulis uniformi quam citissime providebunt. Interea, canonici habitu cuique capitulo peculiari utentur.

Decretum *de reliquiis sanctorum et de sacris imaginibus.*

I. Iuvat Tridentini concilii verba clero ac fidelibus in mentem revocare: „*Sanctorum (nempe) martyrum et aliorum cum Christo viventium corpora, quae viva membra fuerunt Christi et templum Spiritus sancti, ab ipso ad aeternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus veneranda esse, per quae multa beneficia a Deo hominibus praestantur, ita ut affirmantes sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandae causa sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse, prout iampridem eos damnavit et nunc etiam damnat ecclesia.*“[1]

Idcirco, ecclesiarum rectoribus studendum ut tum ab ipsis tum a ceteris debitus honor sacris illis pignoribus tribuatur, ac providendum ut thecis mundis et condignis includantur. Si in altari non remanserint, loco decenti et obserato asserventur. Pro temporis autem opportunitate, fidelium venerationi, qua par est reverentia et pompa exhibeantur; sed in altari non exponantur in quo sanctissimum expositum est sacramentum. Nullae vero venerandae exhibeantur reliquiae quin fuerint ab ordinario rite recognitae, nec in supplicationibus publicis ferantur, nisi obtenta licentia; fracto autem sigillo quam cito iterum obsignandae praebeantur.

II. Hic etiam de sacris imaginibus referre est Tridentina verba: „*Imagines (nempe) Christi, deiparae Virginis et aliorum sanctorum in templis praesertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus propter quam sint colendae, vel quod ab iis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant, sed quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quae illae repraesentant.*“[2]

[1] Sess. XXII. *de observ. et evit. in celebr. missae.*

[1] Sess. XXV. *de reliq. sanctor.*

[2] Sess. XXV. *de s. imaginibus.*

Accurate seligantur imagines sculptae vel depietae quae in ecclesiis sint ponendae. Requiratur ut nihil mundanum, profanum et carneum referant, sed quid pium, castum ac divinum spirent. Posthabenda siquidem arte voluptaria venustius formosiusque confícta, potiora autem ducenda christiana solertia verius et sanctius elaborata. Iuxta ultimae synodi nostrae provincialis praescriptum, fractae imagines, mutilatae aut vetustate vitiatae in sacrario reponantur, aut, si fieri potest, reficiantur et restituantur; novae autem non exponantur, nisi rite fuerint benedictae.

Crebro et lucide enucleanda sunt praelaudata Tridentina decreta, et palam faciendum quid intersit discriminis in cultu tum Deo, tum deiparae Virgini, tum sanctis eorumque reliquiis, tum imaginibus praestando.

### Decretum *de reverentia iis qui sunt Deo consecrati debita.*

Meminerint fideles sibi in honore habendos esse Christi ministros, missos ad se quos erudiant, sanctificent, vitae aeternae parturiant. Iis itaque redhibendum quasi Dei hominibus obsequium. Unusquisque veluti de animarum pastore, de eo cui docendi regendique incumbit cura, dictum putet: *„Mittam angelum meum, qui praecedat te et custodiat in via, et introducat in locum quem paravi. Observa eum et audi vocem eius.“* [1] Promptior sit observantia, dum animo recolitur series beneficiorum quae ex divino ministerio percipiuntur. Sint igitur grati erga dispensatorem mysteriorum Dei, et si quid humanius gesserit, facile condonent quod parum cavit natura. Non abesset utique a gravi culpa qui, lingua et invidia pruriens, amplificaret admissa, proderet tacenda, et contumeliosis probris sacerdotem Dei infamaret, minime veritus maximum inde scandalum C iis qui sunt fide infirmi oriturum. Memores autem sint sui officii sacerdotes: sciant se praeesse non tam honoris quam oneris causa, et ministerium curent obeundum in ostensione spiritus et virtutis. Reprehendant non dure, non aspere, nec iracunde, sed in omni patientia et doctrina, et ita dent unicuique monita salutis, ut nunquam ab apostoli sententia recedant: *„seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem; iuvenes ut fratres, anus ut matres, iuvenculas ut sorores, in omni castitate.“* [2] Si se tales praestiterint, facilius ampliusque sui reverentiam facient fidelibus. Eam autem efficacius commendent exemplo, invicem praevenientes honore, alieni a cachinnis, a scurriloquiis, ab omni gestu habituque parum decoro, sedulo vitantes quidquid, cum in comperto sit, videntium audientiumque parit contemptum. Confabulantium sit semper sermo in numero plurali, et caute abstineatur a singulari D qui, ut familiarior, sacerdotem dedecet. Consacerdotes, aetate aut dignitate maiores, in primis diligenti obsequio et observantia omnimoda prosequendi; itaque, quod suadet fides, praestet humilitas.

## TITULUS V.
### *De sacramentis.*

Cum per novae legis sacramenta, ab ipso Christo domino instituta, omnis vera iustitia, iuxta sacrosanctam synodum Tridentinam, vel incipiat, vel coepta augeatur, vel amissa reparetur [3], summopere interest ut digne recipiantur et sancte dispensentur. Quo autem efficacius id utrumque contingat, non- A nullas de singulis praescribendas ducimus regulas ad eorum sive receptionem sive dispensationem spectantes.

### Decretum *de baptismo.*

Baptismi sacramentum est ad salutem, ex ipsius Christi domini testimonio, omnino necessarium. Igitur, diligentissime curabunt tum animarum pastores, tum christiani parentes, ut recens nati infantes quantocius ad ecclesiam, salutari aqua intingendi, deferantur.

Prohibitum autem declaramus ne privatim et sine caeremoniis ab ecclesia praescriptis abluantur, nisi instante mortis periculo aut accedente episcopi licentia, quam raro et legitima tantum de causa impertiendam volumus.

Profana nomina baptizandis non imponantur, et in actis ecclesiae publicis fidelium praenomina nominibus semper praeponantur.

B Patrinos edocere non praetermittent ministri sacramenti spiritualem quam contrahunt cognationem sive cum baptizato sive cum baptizati parentibus, simul et obligationes quibus erga filium aut filiam spiritualem obstringuntur.

Porro ad patrinorum officium admitti prohibentur infideles, haeretici, schismatici, excommunicati et interdicti nominatim, necnon et ii qui contractu mere civili innodati, coniugum more vivere non erubescunt.

Peccatores autem publici, doctrinae christianae nimis rudes, ipsique pueri sufficientem rationis usum nondum adepti, admittentur vel recusabuntur, prout statuta dioecesana providerint, religionis zelus vel prudentia suggesserint.

Hoc onus non suscipient votis religionis constricti, nec clerici in sacris constituti, absque licentia ordinarii.

Denique, decernimus baptismum esse sub conditione iterandum, quotiescumque, praemisso maturo examine, aliquod remanet dubium de ipsius valore, sed ne sub conditione quidem iterari posse, quando eiusdem valor est moraliter certus.

### Decretum *de confirmatione.*

Cum vita hominis militia sit super terram, quotquot regenerati sunt ad vitam, confirmandi sunt ad pugnam. Moneant ergo parochi commissos sibi fideles quanti ipsorum referat ut illud chrismatis sacramentum nec praetermittant nec protelent, hac nostra praesertim aetate, qua infirma christianorum fides tot tantisque est obnoxia periculis.

Non offerantur tamen ad sacramentum confirmationis qui praecipua fidei mysteria et divinae religionis rudimenta non fuerint sufficienter edocti.

Disponantur autem ad plenam huius consecutio- D nem non solum humili peccatorum confessione, sed etiam crebris catechesibus, piisque adhortationibus. Tanti sacramenti dotes, vis et dignitas frequentissime commendentur, eo potissimum tempore quo illius administrationem episcopus indixerit.

Schedulae admissionis, parochi vel confessarii chirographo munitae, prudenter extra tribunal tradentur.

### Decretum *de eucharistia.*

In sanctissimo eucharistiae sacramento, salvator noster divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, sicut ait Tridentina synodus, memoriam faciens mirabilium suorum, . . . sumique voluit sacramentum hoc tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur, viventes vita illius qui dixit: *„qui manducat me et ipse vivet propter me.“* [1] Ideo rectores animarum nihil non

[1] Exod., XXIII, 20.
[2] I Tim. V, 1-2.
[3] Sess. VII, *de sacram.*, in prooem.

[1] Sess. XIII, *de ss. euch.*, cap. 2.

conabuntur ut fideles rite probati ad id percipiendum sancte et pie accedant.

A

Praescribimus ut omnes quibus incumbit animarum cura, ab ineunte quadragesimali tempore, moneant plebes sibi commissas ea de lege qua *„omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata solus confiteri fideliter, semel saltem in anno, proprio sacerdoti, tenetur, suscipiens reverenter ad minus in pascha eucharistiae sacramentum“*. Attamen parochus pro prudentia et caritate, licentiam communicandi in alia ecclesia petentibus facile concedet.

Optavit sacrosancta synodus Tridentina *ut in singulis missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam eucharistiae perceptione communicarent quo ad eos sanctissimi huius sacrificii fructus uberior proveniret*[1]. Frequentem igitur usum sacrae synaxis valde commendent animarum rectores.

B

Volumus pueros, nisi catecheses in ecclesia parochiali, saltem duobus annis frequentaverint ad primam communionem, paucissimis iusta de causa exceptis, non admitti. Sacro autem muniendi erunt viatico pueri vita periclitantes, qui sufficienter edocti et parati iudicabuntur.

Ultimo plectendis supplicio non deneganda, imo ad solamen et tutamentum concedenda est sacra communio, dummodo omne irreverentiae periculum removeatur.

Dum huius venerabilis sacramenti ministri, viva fide eumdem Deum praesentem in eo adesse credunt quem Pater aeternus introducens in orbem terrarum voluit adorari ab angelis suis, non dubium est quin omni cura satagant ut, pro locorum et temporis opportunitate, reverenter et honorificentissime infirmis viaticum asportetur.

C

### Decretum *de poenitentia.*

Omnibus ecclesiarum rectoribus onus incumbit exhortandi Christi fideles ad frequentem saluberrimi poenitentiae sacramenti usum, eosque praesertim admonendi de pracepto annuae confessionis, quod nemo catholicus transgredi potest absque periculo, et cui satisfieri declaramus per confessionem, apud quemlibet sacerdotem ab episcopo approbatum rite peractam.

Meminerint iidem rectores ipsos parvulos, ubi primum ad annos discretionis pervenerint, lege confessionis sacramentalis obstringi ac proinde identidem per annum ad sacrum tribunal esse vocandos et ad absolutionem omni studio disponendos. Sic enim fiet ut a peccatis commissis liberentur et a patrandis serventur.

D

Nullum praetereat confessarium a sacrosancto concilio Tridentino definitum esse episcopis competere potestatem sibi ipsis reservandi peccata. Sic enim sancta synodus: *„Si quis dixerit episcopum non habere ius reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere quominus sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit.“*[2] Qui autem episcoporum auctoritatem ea de re non negaret, sed cum synodo Pistoriensi asserere non vereretur *„reservationem casuum nunc temporis aliud non esse quam improvidum ligamen pro inferioribus sacerdotibus et sonum sensu vacuum pro poenitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem*, is propositionem proferret, quam Pius papa VI damnavit tanquam *falsam, temerariam, male sonantem, perniciosam, concilio Tridentino contrariam et superioris hierarchicae potestatis laesivam“*[1].

Nobis tandem minime praetereundum videtur quod poenitentes a suis respective confessariis sint monendi, in sacro tribunali, de casibus reservatis in quos incurrerunt.

### Decretum *de extrema unctione et sepultura ecclesiastica.*

I. Dolemus sacramentum extremae unctionis fere ignorari a multis, aut certe ingrato animo ab eis suscipi. Discant fideles a rectoribus suis saluberrimos huius sacrae unctionis effectus, et ita edoceantur ut vanam, qua detinentur, depellant formidinem. Prompti sint rectores animarum ad offerendum istud supremum languoris spiritualis remedium, et, quantum in eis est, mature ministrent illud. Immerito denegaretur pueris eucharistico cibo nondum refectis, si in extremo vitae positi, huius indolis et aetatis sint ut intelligantur mali capaces.

Enixe commendamus ut oleum infirmorum cum summa reverentia tractetur. Recondatur in thecis argenteis vel stanneis, reponatur in loco decenti et obserato; asportandum non tradatur laicis et statis temporibus diligenter renovetur.

Iuxta praescriptum ritualis Romani, collationem viatici subsequetur extremae unctionis ministratio. Ita manifestius apparebit infirmorum unctionem esse sacramentum exeuntium, ut adnotat Tridentinum[2]. Huic ritui in dioeceses, ubi opus fuerit, inducendo, quam citissime poterunt, providebunt episcopi.

II. Sepultura ecclesiastica est quid sacrum. Non est igitur mirandum quod denegetur notorie certo indignis. In natura rerum posita erat vetus regula: *„quibus non communicamus viris, non communicemus defunctis.“*

Verum iniquitas temporum exigit ut ius ecclesiae intra strictissimos limites contineatur. Igitur sepultura ecclesiastica non est deneganda nisi in casibus infra scriptis et quidem minime dubiis:

1. Infidelibus quibuscumque et pueris absque baptismate defunctis.
2. Haereticis, et nominatim excommunicatis, si contumaces usque ad extremum vitae permanserint.
3. Iis qui pertinaciter et publice respuerunt ecclesiae sacramenta in supremo morbo quo e vivis sublati.
4. Morientibus in actu criminoso, praesertim duellantibus, et sibi violentas manus, dum compotes sui sunt, inferentibus, si signa poenitentiae non dederint.

Procurent parochi, quotiescumque commode fieri potest, ut episcopi certi fiant de difficultatibus occurrentibus, ne ex temeraria praeiudicandi festinatione damnum oriatur toti dioecesi.

Clero recedendum est prius a tumulo, si quae a laicis personis instituendae sint laudes defuncti. Id enim nihil attinet ad ecclesiasticum ritum, et plerumque minus religioso modo perficitur. Ipsis clericis non licebit huiusmodi encomia facere.

### Decretum *de ordine.*

Ecclesiasticos viros hortamur valde ut sedulam ponant operam in inquirendis et dignoscendis *quorum „indoles et voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis aliquando inservituros“*[3], et a teneris annis ad pietatem et religionem informatos ad adeundum seminarium minus disponant.

Parochi, in parochia degentibus seminariorum alumnis, memores officii sui, culturam omnem impendant, verbo et exemplo nihil praetermittentes

[1] Sess. XXII, *de sacr. missae*, cap. 6.
[2] Sess. XIV, *de poenit.*, can. 11.

[1] Const. *Auctorem fidei*, prop. damn. 44.
[2] Sess. XIV, *de extr. unct.*
[3] Trid. sess. XXIII, *de ref.*, cap. 18.

quod tironum animis maximam tractandi aliquando A ministerii reverentiam incutiat.

Parochorum conscientiam in eo oneramus ut teneantur fideliter, aeque et confidenter aperire quid sentiant circa iuniorum clericorum vitam et mores vocationemque divinam, habita tantum ratione notitiae extrinsecus acquisitae.

In posterum, nullus ad officium subdiaconi admittatur, nisi sub aliquo titulo ecclesiastico, ad normam Tridentini[1]. Ad singulos ordines sacros praemittentur banna.

### Decretum *de matrimonio.*

„*Gratiam quae coniuges sanctificat, ipse Christus venerabilium sacramentorum institutor atque perfector sua nobis passione promeruit.*"[2] Itaque parochus apprime curet ut fideles de sacramenti dignitate rite edocti, ad illud suscipiendum pie accedant; sancta enim res est matrimonium sancteque tractanda. B

Denuntiationes a synodo Tridentina praescriptae fieri debent in ecclesia parochiali:

1. Domicilii utriusque contrahentis;
2. Quasi domicilii utriusque etiam contrahentis.

Quod si contrahentes in paroecia domicilii vel quasi domicilii sex abhinc mensibus nondum permanserint, fiaut etiam denuntiationes in paroecia praecedentis habitationis; nullatenus vero, si sex menses iam habitaverint, sive ex eadem sive ex aliena dioecesi veniant.

3. In ecclesia parochiali simplicis habitationis, si matrimonium in ea sit ineundum.

4. Banna minorum proclamentur insuper in domicilio parentum vel eorum sub quorum potestate versantur in ordine ad matrimonium.

Dum supersunt ascendentes, minor est, in ordine etiam ad matrimonium, vir qui annum vigesimum quintum, mulier quae vigesimum primum non com- C pleverit. Defunctis ascendentibus, uterque, anno vigesimo primo exacto, maior evadit.

Sex mensibus elapsis ab ultima denuntiatione, ante matrimonii celebrationem, iteranda est proclamatio.

Populum christianum de sibi iniuncta obligatione matrimonii impedimenta, si quae noverint, revelandi edoceat parochus, nec attestationem tradat de bannorum proclamatione, nisi altera die post ultimam denuntiationem.

Admoneantur matrimonio iungendi ut, antequam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur.

Decretum concilii Tridentini de parochi praesentia in matrimonio fidelibus explicent animarum pastores et animo inculcent non sufficere, nec rationem veri coram Deo matrimonii ullatenus habere contractum civilem, matrimonii nomine immerito decoratum.

Proprius parochus, quoad matrimonium, est 1. parochus domicilii; 2. parochus quasi domicilii; a prima die qua quis in paroecia domicilium vel quasi domicilium suum aliquo facto sensibili manifestatum constituit, statim ad illius matrimonium procedere potest parochus; 3. parochus simplicis habitationis, dummodo contrahens unum saltem mensem in paroecia commoratus fuerit; 4. proprius parochus minorum est insuper parochus domicilii parentum aut eorum quorum subsunt potestati.

Provideant pastores ut fiat benedictio nuptialis cum celebratione missae ab aurora usque ad meridiem, nunquam vero noctu, absque licentia ordinarii rarissime et propter gravem tantum causam concedenda.

A Si contrahentes impedimento dirimente ligati, sint e diversis provinciae dioecesibus, volumus ut sufficiat dispensatio ab uno tantum concessa episcopo auctoritate apostolica suffulto. Hanc dispensationem ab ordinario mulieris iuxta constantem curiae Romanae praxim concedi decet.

Tandem attendant parochi ad ea quae lege civili praescripta sunt ad contractum matrimonialem, ne matrimonium careat effectibus civilibus.

## TITULUS VI.

### *De disciplina.*

### Decretum *de foro episcopali.*

I. Ad bonum ecclesiae regimen, Christus dominus dedit potestatem ligandi atque solvendi omnibus apostolis, et episcopis qui in locum apostolorum successerunt. Proinde, iure divino episcopi, et ipsi B soli, sunt iudices in rebus spiritualibus; et presbyteri nullam, nisi ex mera delegatione, iudicandi facultatem habere possunt.

II. Cum autem, labentibus saeculis, tum per se, tum per iudices a se constitutos et ad nutum revocabiles, ius dixerint episcopi, etiamnum uniuscuiusque prudentiae permittitur, ut iudicium causarum spiritualium sibi retineat, vel officialitatem mere ecclesiasticam constituat.

Quod si episcopus iudicium in spiritualibus causis sibi retinuerit, maximam impendat curam in instruendis causis, praesertim in selectu et scrutatione probationum. Nihil omittat quo veritas manifestetur; insimulatis criminum capita innotescant, unico testi fides non adhibeatur. Defensio omnino permittatur et benevole excipiatur; non praetermittatur consilium eorum qui in partem sollicitudinis episcopalis vocati sunt.

Si autem cui episcopo videatur utilis ad bonum regimen ecclesiae et ad tutamentum disciplinae, cuiusdam tribunalis institutio, ipse summam cautionem afferat ad superandos omnes obices in constitutione huius curiae ecclesiasticae, in describenda processus iudicialis forma, in assignandis poenis ubi ius commune silet et deficit, in quacumque tandem specie ordinationis, nisi iam utiliter provisum fuerit in iure.

III. Quaecumque sit officialitatis constitutio, nihil detrimenti inde emergere potest potestati iudiciariae episcoporum, qui, stante officialitate, non amittunt ius sedendi in auditorio, officialis loco, causas evocandi et sententias ferendi; et etiam, teste Tridentino, extraiudicialiter, et ex informata conscientia, inquirendi et poenas decernendi[1].

IV. Datur equidem appellatio ab episcopo ad metropolitanum vel ad summum pontificem, a metro- D politano ad papam, modo suspensiva, modo mere devolutiva; datur etiam nonnullis in circumstantiis extraiudicialis recursus ad papam.

Ab officiali autem ad episcopum non datur appellatio, multo minus ab episcopo ad officialem, quia unicum tribunal efficiunt.

Tandem à foro ecclesiastico non interponi posse appellationem ad forum saeculare, omnibus compertum esse debet.

### Decretum *de vita et honestate clericorum et de iis quae clericis prohibentur.*

„*Quoniam qui se divino ministerio dedicarunt, a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciuntur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos coniiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur. Quapropter, sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos,*

[1] Sess. XXI, *de ref.*, cap. 2.
[2] Conc. Trid., sess. XXIV, *de sacram. matrimonii.*

[1] Sess. XXIV, *de ref.*, cap. 14.

*vitam moresque suos omnes componere, ut habitu,* A *gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nihil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant.*"[1]

Ea autem legis novae sacerdotes praecipua sanctitate, quam sibi tum divina eloquia tum sacri canones adeo commendant, revera indigent, ut sancta sancte tractent, fideles inveniantur dispensatores mysteriorum Dei, et mediatores apud eum efficaciores effecti, verboque et opere potentes, ad lucrandas animas plurimum valeant. Idcirco, sine crimine esse debent, et levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugere, atque, omnibus virtutibus ornati, „*se praebere in omnibus exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate et gravitate.*"[2]

Verum, ut digne ambulent ea vocatione qua vocati sunt, omnia eorum secundum ordinem fiant[3]. Vitae rationem haud dissimilem instituant illius qua B vixere regulae, dum in seminario sacris ordinibus suscipiendis informabantur.

„*Modesta supellectili et mensa, ac frugali victu contenti sint; verum etiam in reliquo vitae genere ac tota eorum domo caveant ne quid appareat quod a sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum ac vanitatum contemptum prae se ferat.*"[4]

Iuxta sanctorum exempla et conciliorum praecepta, clerici conviviis raro et non nisi rationabili causa intersint, eum modum semper tenentes qui aedificet. Sedulo autem vitandae epulae quae minus deceant, quibusque participare minime possint sine aliquo dignitatis suae ac famae detrimento. A conviviis vero quae nuptiarum die aut subsequente fiunt, omnino abstineant, praesertim in loco suae residentiae, nisi fratris vel nepotis, sororis neptisve nuptiae celebrentur. C

A sacrosancto concilio Lateranensi IV et ab ultima synodo provinciali nostra sancita renovantes, volumus ut clerici tabernas et diversoria, praeterquam in itinere, devitent, ac prohibemus ne in sacris constituti bibant vel edant in cauponis, popinis, locis quibuslibet ubi veneunt varia potionum genera, eorumque pomariis ac caeteris appendicibus, extra casus determinatos et sub poenis in statutis dioecesis cuiusque latis.

Tabaci fumum hauriendi morem a clericis frequentatum improbamus; si cui tamen id sanitatis causa necessarium fuerit, privatim eo utatur, numquam autem publice, vel aliis confluentibus aut spectantibus.

Iteratis prohibitionibus eiusdem Lateranensis necnon et Tridentinae synodi, ac praelaudati concilii Bituricensis, clerici nullatenus publice ludant; imo nec privatim alea mera et pecuniam committentes. D Lusibus autem non prohibitis, unde et graviora aliquando emergunt damna, utantur ad animi tantum relaxationem, nec ardore ludendi, nec lucri cupiditate abrepti, longius absumant tempus cum detrimento sui et proximi scandalo.

Ex sancitis a pluribus conciliis dioecesanisve statutis, venationem cum armis omnibus clericis interdicimus; ac renovantes decretum praefati concilii Bituricensis, quo praescribitur ut mercatus et nundinas devitent, morem contrarium damnamus utpote omni reprehensione dignum, cum vergat in contemptum et vilitatem ministerii sacri et in offensionem fidelium.

Iuxta canones, iubemus abstineant ab omni mercatura vel negotiatione. Curent etiam ne incautius pro alio spondeant, aut mutuentur pecuniam, nec ulli inferant litem nisi de licentia ordinarii.

Parochi vero, absque eiusdem consensu, nulla intra parochiae suae limites coemant bona immobilia, nisi ad hoc ut sibi domum parochialem comparent vel angustiorem necessariis amplificent accessionibus.

Decretum *de personis apud clericos commorantibus.*

Sacerdotem suae domui bene praepositum, oportet ita domum suam regere ut nullam suspicionem incurrat et testimonium bonum habeat ab iis qui foris sunt. Propinquos nisi iusta de causa commorari apud se [ne] permittat, operamque impendat ut sibi sint vitae integritate in bonum adiutores, et ab omni parochiali negotio vel ministerio alieni maneant.

Vetera canonum de castitate clericorum praescripta omni zelo renovantes, prohibemus ne clerici ullam famulam sibi mancipent nisi quadraginta annos natam et bene moratam, nec ullam aliam mulierem retineant nisi matrem, vel sororem, vel amitam, seclusoque scandali periculo.

Ita conviventibus advigilent sororibus ut non culpae tantum, sed etiam omnis culpae suspicionis immunes serventur. Cum adventitiis mulieribus nullum privatum colloquium misceant, nisi utilitatis causa, rarum quidem, breve et austerum.

Decretum *de agendi ratione clericorum circa res politicas.*

Pro religionis honore, sacerdotii dignitate, bonoque animarum, clerus eam semper circa res politicas habebit agendi rationem quae vocationi sanctae sublimique ministerio sit consentanea.

Oculo fidei eventa omnia ipsi prospicienda, iudicandaque, et inter varias rerum vices et conflictationes quibus obversatur humana societas, id unum consilio et opere intendendum quod regnum Dei stabiliat, exaltet ecclesiam, propriae saluti aeternaeque hominum felicitati conducat.

Sacerdotum ex animo nunquam excidet quod ministri Christi sint et pro eo legatione fungantur. Idcirco, semper se vere Dei homines praestabunt, omnibus omnia facti, ad instar apostoli, ut omnes Deo lucrifaciant. Videbunt igitur ut stent prorsus alieni a partibus, iisque favendi suspicionem minime incurrant, et curabunt in comperto sit se nihil aliud quam religionem tuendam ac societatem intendere, ut integram sibi asserant sacerdotalis officii libertatem, et auctoritati suae, suorum omnium parochianorum, licet diversa sentientium, gratiam concilient. Neutiquam expers criminis foret quicumque de clero opiniones fidei documentis adversantes et societatis deletrices palam profiteri non vereretur. Prae oculis autem et pro regula ab omnibus semper habeatur quidquid circa libertatem tum conscientiae tum artis librariae, et propositum ecclesiae a regno penitus separandae, Gregorius papa XVI, suis litteris encyclicis 15 augusti 1831 datis, declaravit.

Sacerdos, in utendo iuribus suis civilibus politicisve, conscientiam rectam sequetur ducem, et utilitati ecclesiae ac societatis duntaxat consulet, attendens non committere ut minus caute dictis factisve odia in se conflet quae ministerium suum difficultatibus plenum ac fructu vacuum faciant. De iisdem iuribus obeundis si quis eum forsan interrogaverit, ita custodite respondeat, ut aeque prudentem sicut serpentem et simplicem sicut columbam se praestet.

Clerici nullatenus participent coetibus mere politicis, quos adire non est necesse iuribus civium satisfaciendi causa; et si quando ex gravibus improvi-

[1] Sess. XXII, *de ref.*, cap. 1.
[2] Tit. II, 7.
[3] Ephes. IV, 1; I Cor. XIV, 40.
[4] Conc. Trid., sess. XXV, *de ref.*, cap. 1.

sinque circumstantiis oriatur huiusce ad tempus A participationis necessitas, ubi non licuerit consulere episcopum, non eam rem, nisi consulto prudenti viro, aggrediantur.

Clerici de selectu ephemeridum a se recipiendarum consiliariam adhibeant fidem; respuendas autem meminerint tum illas quae a summo pontifice vel ab episcopo fuerint damnatae, tum illas quae doctrinas religioni et societati infensas praedicant aut incessunt ecclesiae instituta. Ephemeridum autem pagellas fabulosis refertas narrationibus, scriptionis genus quod depravandae societati hodierno tempore adeo inserviit, minime legent ubi religioni et moribus inimicas et cupiditatibus inflammandis idoneas deprehenderint. Ut ab ea corruptela fideles arceantur, parochi et confessarii omni cura et severitate invigilabunt.

Legendis diariis tempus non protrahatur, nec fervor afferatur nimius; diligenti etiam studio attendendum ne diariorum praedicamentis ita imbuatur animus legentis ut non aliter sentiendum ac iudicandum quam senserint et iudicaverint, ipse autumet brevi et proclamet.

Cui opportunum et utile visum fuerit in ephemeridibus aliquid vulgare, praesertim circa res politicas, ille circumspectius se gerat, ne quid detrimenti inde in religionem et societatem redundet.

Christi tantum doctrina quae de coelo est, e pulpito nuntianda. Esset igitur quid profanum, indecorum ac prope sacrilegum politicis commentis evolvendis et fovendis partibus sermonem detorquere.

Idcirco, verbi Dei praecones ullatenus de politicis tractare omnimode vetamus: sed non interdicimus quin cum omni prudentia et caritate systemata fidei documentis adversantia confutent; ac inprimis eos exhortamur ut veritates tum dogmaticas tum morales ad haec spectantes et crebrius acriusque impetitas, menti fidelium saepe saepius inculcent, caute tamen, ne inflammatis animis detur occasio blasphemandi.

Si quis autem concionator, quod Deus avertat, non sine ingenti ecclesiae et Christi fidelium scandalo, profiteatur e suggestu commendetque opiniones fidei contrarias seu ordinis civilis deletrices, poenis canonicis ab episcopo latis, pro gravitate delicti subiaceat.

Decretum *de clericali habitu et tonsura.*

„*Etsi habitus non facit monachum*, inquit sacrosancta synodus Tridentina, *oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant. Tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas religionisque contemptus, ut, propriam dignitatem et honorem clericalem parvipendentes, vestes etiam deferant publice laicales.*“ [1]

Porro, praecipuam vestem, ordini clericali congruentem, talarem nigrique coloris debere esse decrevit postremum concilium provinciale Biturigibus celebratum, et ipsa palam testatur omnium piorum sacerdotum consuetudo. Hanc igitur perpetuo deferre in residentiae suae loco tenentur omnes clerici, strictius autem ii qui sacris ordinibus sunt initiati, prout iam sancitum declaramus iterumque sub poenis a sacro concilio Tridentino propositis sancimus.

Praeterea, poenas statutis dioecesanis in eos latas qui sacras obeunt functiones absque talari veste, stare semper ac valere decernimus, simulque districte prohibemus ne quis, sacrum faciens, utatur sive crepidis e panno confectis, sive calceis vel ligneis vel partim ligneis partimque coriaceis.

[1] Sess. XIV, *de ref.*, cap. 6.

Statuimus etiam ut in loco domicilii sui, praeter vestem talarem, gerere non intermittant zonam laneam vel sericam, collarem amictum, galerum clericalem, etc. Ocreae autem, longiores braccae, pilei de more graecorum, pallium apud trabes usitatum, necnon catenae ac funiculi supra vestem talarem oculis subiecti, et quidquid tandem laicale indumentum referre videtur, procul amandentur.

Iisdem clericis commendamus usum pallioli talaris et calceorum non corrigiis, sed fibulis adstrictorum.

Caetera quae superinduuntur, ea sint, optamus, sive quoad formam, sive quoad colorem, quibus uti consueverunt in sua, respective, dioecesi, probi piique sacerdotes.

Caveant imprimis omnes clerici ab hoc novitatum studio quo in leviticum ordinem usus moresque saeculares invehuntur, ac plane respuant novos vestium modos, qui mundanis quidem hominibus congruere B possunt, Christi autem ministros omnino dedecent. „*Denique, tale temperamentum adhibeant*, inquit postremum Bituricense concilium [1], *ut sordes aeque ac immoderatam elegantiam vitent.*“

Optandum quidem foret, ut omnes clerici, sanctiorum sectantes exemplum, iisdem vestibus, quibus in loco residentiae, induti iter agant, sed in concessa sibi a sacris canonibus facultate uti maluerint, ea saltem gerant vestimenta, quae nigri existant coloris, summam prae se ferant modestiam, et fideles ecclesiae catholicae ministros ubique prodant.

A pluribus conciliis et speciatim ab ultimo in hac provincia celebrato praescriptam, iterum, quatenus opus fuerit, praescribimus coronam clericalem, cuique ordini convenientem, et ita frequenter renovatam ut semper appareat.

Insuper, canonum prohibitiones instaurantes, vetamus ne clerici more saecularium, vanitatem prorsus C redolente, capillos componant atque concinnent.

Decretum *de obligatione pro clericis studio vacandi et de selectu librorum.*

I. Nisi strenue ad studium se accinxerit, quomodo sacerdos unquam assequetur ut fiat lux mundi et divinae legis interpres? [2] Caveat igitur ad haec scripturarum verba: „*quia tu scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris mihi,*“ [3] aut satius ad illa inardescat: „*qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates.*“ [4]

II. Opus est studio ut sacerdos eam doctrinam adipiscatur qua occurrentibus sui muneris difficultatibus congrue satisfaciat, ut concionetur sapide, discrete absolvat, ut sibi comparet existimationem et fidem bonorum, a conviciis improborum se redimat, ut effugiat otiositatem, quorumcumque vitiorum D magistram, suique a mundano tumultu recessus exornet silentium.

III. Quoniam ius naturale, ius divinum et ecclesiasticae constitutiones in eo conveniunt ut praecipiant studium, cum res agatur ecclesiae, sacerdotii et sacrarum disciplinarum, monemus sacerdotum confessarios ut instent tantae obligationi.

IV. Nullus integram diem transmittat inoffensis libris, si tamen ex munere licuerit; caveant omnes ne inanibus negotiis a studio revocentur. Ab ipso seminarii egressu, iunior sacerdos ad privatim studendum se accommodet, nihil autem inconsulto faciat.

V. Argumenta studiorum ecclesiasticorum haec sunt, scriptura sacra, theologia dogmatica, moralis et ascetica, ius canonicum, liturgia, historia eccle-

[1] Tit. XXV, can. 5, (Mansi, Concil., XXXIV, 807 B).
[2] Conc. Mediol. VI.
[3] Osee IV, 6.
[4] Dan. XII, 3.

siastica, statuta dioecesana, administratio temporalis ecclesiarum.

VI. Clerici nullatenus obliviscantur sibi non licere indiscriminatim legere aut apud se retinere libros religioni vel moribus infensos, haereticos aut ab ecclesia damnatos.

Qui licentiam libros prohibitos legendi et apud se retinendi obtinuerint, praecaveant ne, post obitum suum, in vulgus diffundantur. Curent potius comburendos vel in bibliothecas seminariorum deponendos.

### Decretum *de collationibus ecclesiasticis.*

Collationes ecclesiasticae quarum commoda nemo non videt, in eo praesertim se commendant, quod studii foveant amorem, scientiae augeant supellectilem, eumdem regendarum animarum inducant modum, arctiorique vinculo mutuae charitatis sacerdotalem ita astringant familiam ut iam oculis fidelium appareat quasi cor unum et anima una. Dum autem adeo salutaria attendimus, vehementer optamus ut in unaquaque Bituricensis provinciae dioecesi vel instituantur vel institutae serventur.

Mandamus itaque, ut a prima die maii usque ad ultimam octobris, ubique unoquolibet mense praefatae habeantur collationes, quibus teneantur adesse parochi, vicarii, eleemosynarii et quilibet alii sacerdotes, etiam quibus nullum sacri ministerii munus incumbat.

Donec quid agendum sit suo tempore statuat episcopus, sint hae generales regulae a quibus nemo se eximere praesumat:

Collationibus praemittetur missa sine cantu cui intererunt omnes sacerdotes, seroque non discedent quin antea paululum oraverint coram altari. Parva et brevi mensa utentur, et die qua collationes fuerint habitae, lusus nullos, sive in ipso congressus loco, sive in alio, exercebunt.

Imparatus nemo veniat: praeviis vero studiis unusquisque tum ad enodandas quae occurrent difficultates, tum ad alias quaestiones maturius expendendas se reddat aptiorem. Unus eligatur, qui, variis variorum sententiis expositis, caeterisque de quibus dissertum fuerit rite et clare coaptatis et coadunatis, omnia chartae mandet, quae ad episcopum mittetur. Constituatur ab episcopo concilium, viris scientia ecclesiastica commendabilibus coalescens, cuius examini labores subiiciantur, cuiusque iudicium, anni decursu, ordinario providente, in lucem prodeat.

Gratum nobis foret haberi in minoribus provinciae seminariis, una vice per mensem, tota tempestate hiemali, collationes, in quibus, superiore praeside, directores ac professores de rebus disceptarent ecclesiasticis.

Charissimi nostri cooperatores totis viribus in unaquaque regionali paroecia ecclesiasticae bibliothecae institutionem procurare satagent, rati [eam] plurimum facturam ut optime cedant collationes. Ad eam informandam quisque pro sua parte concurrat. Pluribus autem cito voluminibus locuples fiet, dummodo singuli presbyteri e vita migraturi libros sibi sumptu magno paratos et pretio vili iam venum ituros, ad illam bibliothecam dirigendos curaverint.

### Decretum *de iuniorum sacerdotum examine.*

Plurimis in dioecesibus sapienter ac utiliter institutum fuit iuniorum sacerdotum examen, nec sine magno ecclesiae proventu. His enim examinibus aluntur studia, parta servatur ampliaturque scientia, ac superioribus ecclesiasticis sacerdotum doctrina et ingenium magis ac magis innotescunt.

Quapropter, haec indicavimus statuenda:

1. Iuniores sacerdotes, a die suscepti sacerdotii, semel in anno, saltem per quinquennium, die ab episcopo praefinita, coram ipso vel deputatis ab eo sacerdotibus stent responsuri circa varias quaestiones prius designatas.

2. Qui, ut par est, quaestionibus non satisfecerit, elapso quinquennio, tot iteratis subiicietur examinibus quot nulla et insufficientia fuerint ab examinatoribus declarata; idem statuimus erga eos qui, quacumque de causa, tempore definito, examen praedictum adire non potuerint.

3. Diligenter custodiatur horum examinum ratio, quae ad eligendos pastores valde proderit, et thesis publicae olim habitae vices praestabit.

### Decretum *de clericis qui, inconsulto ordinario, scholas aut gymnasia instituunt aut regunt.*

Uniuscuiusque est episcopi in dioecesi locum et munia singulis assignare presbyteris. Eos ideo promissa obedientia vetat se inferre ultro et obtrudere in aliquod negotium ab officio sibi constituto diversum. Scholam igitur vel gymnasium non aperiant, imo nec a potestate civili postulent scholae primariae vel municipalis magisterium, nisi, patefacto prius consilio, episcopus consenserit. Nullus insuper, nisi cum eiusdem consensu, sive moderatoris aut professoris in quolibet publico instituto, sive liberorum educatoris in domo privatâ vices suscipere praesumat. Praefata autem volumus intelligantur de omnibus indiscriminatim clericis ac praesertim de iis qui in sacris sunt constituti. Nec erit abs re pios parentes moneri eos nobis minime acceptos et probatos fore clericos aliunde oriundos, qui in dioecesibus nostris, eo obtentu quod, circa hanc partem, nostrae non subiaceant iurisdictioni, inconsultis nobis, scholas vel gymnasia aperire aut regere non dubitaverint. Expedit neminem fugere quod hi litterarum ludi sint prorsus commendabiles omnique dignandi fiducia, quos episcopi subesse moderamini vel ipsi esse pretio liquet.

### Decretum *de praedicatione verbi divini.*

I. Verbi divini praedicatio, quae, teste novissimo concilio Lateranensi [1], ipsum Christum auctorem et institutorem agnoscit, quaeque, iuxta divum Paulum, fons est uberrimus divinae fidei et salutis [2], ad sacerdotes spectat, maxime autem ad episcopos, quorum est, ex Tridentino, munus praecipuum [3].

II. Nullus eorum qui non tenentur ex officio, ad pulpitum sacrum accedet, nisi annuente loci ordinario.

Nihilominus, parochis caeterisque ecclesiarum rectoribus fas erit adscire quoslibet sacerdotes in dioecesi approbatos ad habendas conciones, exceptis tamen iis quae stationum missionumve nomine nuncupantur. Extraneos autem non admittent inconsulto episcopo, nisi sint doctrinae et pietatis indubiae, ipsis penitus noti, idque licebit ad unam alteramve, nec ultra tertiam concionem.

III. Praecepto divino, a Tridentino iterum promulgato, mandatum est omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas verbi divini praedicatione pascere. Istud agent per se, vel si fuerint legitime impediti, per alios idoneos, singulis saltem dominicis diebus et festis solemnioribus, in missa parochiali et in altera ubi plures celebrantur, saepius etiam tempore adventus et quadragesimae. — Quolibet anno, sex hebdomadarum spatio, instantibus agricolarum operibus, quam brevissimo sermone

[1] Sess. XI [const. *Supernae maiestatis*, 19 dec. 1516].
[2] I Cor. I.
[3] Sess. XXIV, *de ref.*, cap. 4.

nonnulla tantum salutis monita ad populum dirigantur. De caetero, memores sint officii sui, summae animarum indigentiae et censurarum, quibus ius tum universale tum locale sancit remissiorum cognitionem.

IV. Praecones verbi divini non accedant ad tale ministerium imparati. Praesertim qui iuniores sunt, habeant conciones suo marte confectas, plerumque scripto mandatas aut saltem adumbratas.

V. Sermo frequentius fiat de Christo eiusque doctrina, de ecclesia, ipsius origine divina, constitutione et potestate, non omissa defensione institutionum eius, propulsis autem temerariorum obtrectatorum insultibus; de veritatibus ad salutem necessariis, nulla ex iis pusillanimi timore praetermissa; de credendis quibuscumque et agendis, de sacramentis quibus uti operae pretium est; de mirabili altaris sacrificio; de festis et caeremoniis cultus divini, profligatis interea erroribus qui insidiantur fidei, ac vitiis quae corrumpunt mores, ut fideles ab omni contagione serventur, ad virtutum autem exercitium accendantur.

Recte atque ordine praeconcepto id fiat. Ordo autem potior, ille quem delineat catechismus concilii Tridentini. Adhibeatur, praesertim in priori missa, quae matutina dicitur, utilis valde forma catechetica.

Omnino autem aequum est et necessarium, ubicumque plebs aliter instrui nequit, concionem fieri vulgari idiomate quod pastores animarum addiscent, nisi iam illius usum calleant.

VI. Praeco verbi divini agnoscat dignitatem muneris sui; illud commendet et decoret crebra oratione et sanctimonia vitae; sui immemor, devitet assentationem sermonum evangelicae simplicitati inimicam, abstracta quaeque et ultra modum speculativa, communem captum superantia, convicia acerbasque obiurgationes absque commodo animos incendentia, plebeias voces cum maiestate argumenti minime congruas. Lucide nec prolixe, cum zelo et suavissimo pietatis sensu ita eloquatur, ut amorem simul et reverentiam verbo divino comparet, fideles non minus moveat quam erudierit, eosque e coeno vitiorum eruat, ad integritatem autem vitae praemiumque aeternum perducat.

VII. Cum liqueat ordinarium pastoris animarum impar esse ministerium cohibendis incredulitatis et indifferentiae progressibus, avertendis quae imminent ecclesiae totique societati humanae periculis, provideant ii, quibus cura incumbit, consulto tamen episcopo eiusque obtento consensu, ut identidem plebes sibi commissae extraordinariis missionum aut secessuum exercitiis ad meliorem frugem revocentur.

VIII. Inanis foret cura ministrorum verbi, nisi praesto esset populus ad sacrum congressum vocatus. Hunc etiam cohortamur ut, saltem dominicis diebus et festis, ad ecclesias praesertim parochiales confluat, audiendi divini eloquii causa. Discedens enim a templis ansam dedit invalescenti irreligionis sensui; ad templa revertens culpam suam redimeret, imminentia mala deprecaretur, et societatis incolumitate vindicata, seipsum ad aeternae gaudia civitatis accingeret.

### Decretum *de catechizandis pueris.*

Pueros quorum ex christiana institutione pendet pene totum religionis et societatis bonum, a teneris ad pietatem informare in primis studebunt pastores. In partem istius operis advocent parentes quos quanta sibi erga filios incumbant officia crebro monitos faciant. Auxiliarios sibi addant illos omnes quibus in parochiis cura est pueros edocendi, pias que mulieres, vel congregationum sodales in pagis variis degentes, praesertim ubi tractu longo dissociantur pagi, ita ut, ope communi et labore, semina fidei quae in baptismate pueri susceperunt, tempore suo in fructus excrescant.

Sedulo invisant parochi quas pueri frequentant scholas, de eorum profectu ultro inquirentes, maxime circa earum rerum scientiam quae ad religionem spectant, invigilentque ut, prout admiserit aetas, dogmatum et praeceptorum imbuantur cognitione.

Quin et memores sint parochi domino Iesu in terris agenti nihil acceptius fuisse quam circumdari a parvulis, quos amplexu et benedictione fovebat. Frequenter ergo pueros etiam infantulos ad ecclesiam accersant, praesertim ubi, parentum incuria, negligentiave magistrorum, quae sunt religionis omnino nesciant.

Catechistae partibus strenue fungantur, et stato pro disponendis proxime ad primam communionem tempore, multiplicent catecheses, quas secundum dioeceseon statuta quisque teneatur adire.

Quia vero usu constat nihil ad bonum paroeciarum spirituale magis proficere quam catecheses egregie factas, valde commendatur parochis, ut serio matureque eas praeparent, et ea solerter et industrie adhibeant incitamenta quae libentius assiduos faciant auditores. Ita vero res dilucident catechistae ut vel mentibus obtusis sint intelligibiles, idiomate vulgari in paroeciis vigente, si opus fuerit, usurpato.

Profecto valde exoptandum foret, sicut requirit Tridentina synodus, unaquaque dominica die, singulis in paroeciis haberi publicas catecheses. Hortamur ergo ut, ubi non existit mos ille, si fieri queat, inducatur; et ad illas invitentur catecheses, accurate paratas, non tantum pueri, sed et caeteri fideles.

Sciant autem parochi per se et per vicarios catechizandi in ecclesia munus obeundum esse, non autem ad laicos transmittendum.

Hic vero non abs re visum est palam facere id nobis esse in voto, ut ad Tridentini formam unus exaretur catechismus ab omnibus Galliarum ecclesiis recipiendus.

### Decretum *de cura et visitatione infirmorum.*

In primis meminisse debent ovium Christi pastores non postremas esse muneris sui partes, aegrotantium curam habere. Nam, ut ait Tridentina synodus, „*etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quaerat et captet ut devorare animas nostras quoquo modo possit, nullum tamen tempus est quo vehementius ille omnes suae versutiae nervos intendat ad perdendos nos penitus, et a fiducia etiam, si possit, divinae misericordiae deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitae perspicit.*“[1]

Quapropter, parochum non pigeat visitare infirmos, sed ut primum noverit quempiam ex suis aegrotare, ultro ad illum accedat, idque non semel tantum, sed saepius, quatenus opus fuerit, omnemque diligentiam in eo ponat ut ipsius fiduciam sibi prius comparet, qua facilius et efficacius illum in via salutis deinceps dirigere possit; humanis vero auxiliis destituto ipse de suo succurrat aut de alieno curet succurrendum.

Interea, qua par est prudentia et charitate, infirmum ad sacram confessionem inducat, et confitentem audiat etiam si velit totius vitae peccata confiteri, illum adhortans ut sacramenta, dum sana mens, integrique sensus, religiose suscipiat, citra fallaces illas et perniciosas procrastinationes quae plurimos ad aeterna supplicia perduxerunt.

His omnibus diligenter peractis, aegrum pastor inconsulto non deserat, sed potius, durante praesertim et invalescente morbo, quatenus opus fuerit, audiat

[1] Sess. XIV, de extr. unct.

et iterato absolvat, ac octo vel quindecim interiectis diebus, rite dispositum rursus communicet.

Quamvis autem deceat viaticum, lucente die, manifeste et honorifice deferri, verumtamen, instante morte, noctu ministretur, ne quis illo tanto bono privatus decedat.

Quod si primum infirmus piis adhortationibus ad confitenda peccata induci non potuerit, aut aditu intercluso sacerdos invitus recesserit, tunc etiam res omnino desperanda non est, sed ad Deum totius misericordiae fontem effusis precibus, nullas pereuntem ovem reducendi vias pastor bonus intentatas relinquat, ipsiusque sermo sit vivus et efficax, pertingens ad divisionem spiritus et animae ita ut salutari divinorum iudiciorum timore perculsus aut amore attractus, aeger propriae tandem consulat saluti.

Mysteria quae scire necesse est et dispositiones sacramentorum receptioni praevias ignaros infirmos Christi minister brevius et solerter edoceat.

Prohibuit Mediolanense concilium anno 1565 habitum, et nos iterum prohibemus ne clericus artem medendi faciat; si autem necessitas aut charitas suaserit innoxia quaedam indicare remedia, id rarius, prudenter et cum salutari fiat moderamine.

Vetamus insuper ne sacerdos temporalibus aegrotantium se implicet negotiis, nisi ipsius operam postulent et laesa proximi iura et conscientiae leges.

### Decretum *de residentia.*

I. Cum sit partium nostrarum ut sacrosancti concilii Tridentini sanctionibus omnimode satisfiat providere, decernimus cathedralium ecclesiarum canonicis nequaquam licere, vigore cuiuslibet statuti aut consuetudinis, ultra tres menses, ab eisdem ecclesiis, quolibet anno, abesse, salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus quae longius servitii tempus requirunt. Itaque nec diutius, etiam utilitatis causa, nisi probante episcopo, abesse poterunt, nec tandem eo simul numero ut a praesentibus sacra officia consentanea dignitate expleri nequeant.

Porro non materialis tantum residentia iis praescribitur, sed plane formalis quae nimirum in eo posita est, ut canonici choro assidue intersint divinisque laudibus celebrandis corde et ore operam praestent.

II. Statuimus etiam ut ecclesiarum rectores a commissis sibi parochiis, ultra duos menses sive continuos sive intermissos, singulis annis, abesse non praesumant, nisi ex gravi causa et cum praevia scriptaque ordinarii licentia, ac suffecto sibi sacerdote approbato.

Prohibemus insuper ne, intra concessos menses, quindecim diebus continuis abeint sine expresso episcopi consensu, in quo exposcendo discedendi rationes proferent et iam praeteritas absentias commemorabunt.

Ipsos demum instanter monemus ne breves absentias multiplicent absque iusta causa et cum animarum detrimento.

III. Etsi rectorum vicarii iure communi residere non teneantur, ipsis tamen pariter non licebit, quindecim diebus continuis e parochia abscedere absque ordinarii permissu. Quinimo, eos admonemus ne vel una die e parochia discedant sine praevio parochorum assensu.

IV. Volumus ut capellani nosocomiorum, monasteriorum, et caeteri ad quos attinet cura animarum, iisdem quoad residentiam legibus subiaceant, quibus ipsi parochi.

### Decretum *de oblationibus fidelium et casuali.*

Pensioni quae a gubernio Christi ministris solvenda manet bonorum a Galliarum ecclesiis olim possessorum in locum suffecta, adduntur oblationes quae fiunt a fidelibus, celebrandae missae aut aliorum sacrarum functionum occasione, unde casualis nomen assumpserunt; earum autem quaedam cultus variis sumptibus impendendae praestantur. Morem hunc tota probavit traditio, quin imo vox apostolica commendavit et sanxit, unde erroris ac temeritatis et iniuriae damnati sunt a sanctae memoriae Pio papa VI, qui turpis abusus crimine notare ausi sunt usum illum, et pietatis et iustitiae fundamento innixum; qui autem illum omnino tollendum arbitrantur, eos prorsus improbamus.

Ut autem inimicis ecclesiae nulla praebeatur in hoc calumniarum ansa, fidelibus nulla iustae querimoniae causa, et honorabile semper maneat ministerium sacrum, quidquid simoniacam labem, vel illiberalem quaestum et temporalium cupiditatem sapit, devitabunt Christi ministri. Oblationes vero quae, iuxta dioecesanam regulam aut legitimam consuetudinem, ipsis obveniunt, cum moderatione semper et humanitate percipient ne fidelis ullus, praesertim pauper, sacra derelinquendi, dolendi, maledicendi praetextum nanciscatur.

Cum vero piis fundationibus exequendis ut invigilemus et religio et charitas iubeant; parochiarum rectoribus mandatum volumus ut quam citissime rationem episcopo reddant et de reditibus annuis huiusmodi et de iis annexis oneribus; nec non et praecipimus insuper ut in sacrario appensa maneat accurate descripta fundationum praelaudatarum tabella.

### Decretum *de promulgatione decretorum huius concilii eorumque executione, ac beatae virginis Mariae sine labe conceptae, pro concilii laboribus et profectu, invocatione.*

Quaecumque autem in hacce nostra provinciali synodo decreta sunt, nemo praelo subiiciat aut promulget, antequam a sede apostolica, iuxta constitutionem sanctae memoriae Sixti papae V[1] expensa fuerint. Apostolica autem recognitione habita, typis committantur et ab unoquoque episcopo in synodo dioecesana, vel extra hanc synodum, si celebrari nequeat, promulgentur, executioni ab omnibus ad quos spectant sincera et prompta obedientia mandentur, et his in sua dioecesi fideliter servandis invigilet ordinarius quisque, rationem ea de re in proxime futuro concilio redditurus.

Sed ut copiosa, qua in adimplendis iis omnibus indigemus, descendat super nos et super concreditum sollicitudini nostrae clerum ac populum fidelem quae desursum est benedictio et maneat semper, fiducia maxima in inchoando hocce concilio imploratam, in consummando imploramus immaculatam virginem Dei genitricem gloriosam, quae meritorum verticem supra omnes angelorum choros ad solium deitatis evexit[2], quae via misericordiae, mater gratiae, humani generis consolatrix, pro salute fidelium sedula oratrix et pervigil, ad regem quem genuit intercedit[3], in qua totius boni plenitudinem posuit Deus qui totum nos habere voluit per Mariam[4]. Cultum ipsius in hacce nostra, qua late patet, provincia, primaevis a saeculis percelebrem[5] magis ac magis omni ope atque opera promovendum cunctis

[1] Const. *Immensa aeterni*, die 22 ian. 1588.

[2] S. Greg. magn., *De exp. in libr. reg.* [l. I. c. 1, n. 5, opp. s. Greg., ed. Migne, V, 25 C].

[3] Sixtus IV, constit. *Cum praeexcelsa*, anno 1476.

[4] S. Bernard., *De aquae ductu*, in nativ. b. V. [n. 7, opp. s. Bern., ed. Migne, II, 441 B].

[5] Exstant in provincia, fidelium veneratione illustria, beatae virginis Mariae antiquitus dicata permulta templa, quorum praecipua hic memorare operae pretium est: In dioecesi Bituricensi, sub titulis N. D. de Vaudouant, N. D. de Déols, N. D. de Cluis. — In dioecesi Claromontensi: N. D. du Port, N. D. d'Orcival.

animarum rectoribus commendamus, et quam supplicibus litteris a sancta sede iam postulavimus, pio desiderio desideramus exaltationem beatissimae Virginis et de eius immaculata conceptione definitionem, plurimum inde sperantes fore ut alma redemptoris mater, stella maris, et cleri regina inter ecclesiam et Christum instituta, malorum procellas quibus iactatur ecclesia, compescere et dissipare, christianissimam gentem amplissime, uti consuevit, materni amoris affectu fovere dignetur, et tristitiam nostram convertere in gaudium.

Fiat, fiat!

Decretum *promulgationis testium synodalium.*

Nos, Iacobus-Maria-Antonius-Coelestinus, tituli Sanctae Mariae de Populo presbyter cardinalis Du Pont, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae gratia archiepiscopus Bituricensis;

Antiquum atque probatum de testibus synodalibus institutum secuti, ad hoc officium, de consilio et consensu reverendissimorum coepiscoporum nostrorum, deligimus, instituimus atque pronuntiamus eos quorum nomina sequuntur.

Pro Bituricensi archidioecesi: dominos Pélicat et Marandon, canonicos ecclesiae metropolitanae;

Pro dioecesi Claromontensi: dominos Boucard et Bergounioux, canonicos ecclesiae cathedralis;

Pro dioecesi Sancti-Flori: dominos Fouilhoux et de Pompignac, canonicos ecclesiae cathedralis;

Pro dioecesi Tutelensi: dominos Duroux et Porte, vicarios generales;

Pro dioecesi Lemovicensi: dominos Brunet, vicarium generalem et canonicum ecclesiae cathedralis, et Venassier, vicarium generalem et parochum Sancti-Michaelis;

Pro dioecesi Aniciensi: dominos Peala, canonicum archipresbyterum, et de Morlhon, canonicum, vicarium generalem.

N. D. de Vassivière. — In dioecesi Sancti-Flori: N. D. des Miracles, N. D. de la Font Sainte, N. D. de Lescure. — In dioecesi Tutelensi: N. D. d'Aiguerande, N. D. du Roc de Servière, N. D. de Belpeuch, N. D. de Corrèze. — In dioecesi Lemovicensi: N. D. du Pont, N. D. de Sauvagnac, N. D. du Puy, N. D. des Places. — In dioecesi Aniciensi: praeter caeteris inclyta ecclesia sub titulo N. D. du Puy aedificata, N. D. de Lavoute, N. D. de Pradelles.

Decretum *pro subscriptione concilii.*

Nos, Iacobus-Maria-Antonius-Coelestinus, tituli Sanctae Mariae de Populo presbyter cardinalis Du Pont, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae gratia archiepiscopus Bituricensis:

Admonemus reverendissimos patres omnes qui huic synodo iure intersunt et interfuerunt, ut, post nos, singuli loco et ordine suo, ad altare accedant et iis quae in hac synodo decreta sunt subscribant.

Nos, Coelestinus cardinalis Du Pont, archiepiscopus Bituricensis, omnibus et singulis huiusce nostri concilii provincialis Bituricensis decretis subscripsimus et subscribimus.

† Coelestinus cardinalis Du Pont, archiepiscopus Bituricensis.

† Ego Ludovicus-Carolus, episcopus Claromontensis, subscripsi.

† Ego Fridericus-Gabriel-Maria-Franciscus, episcopus Sancti-Flori, subscripsi.

† Ego Ioannes-Baptista-Petrus-Leonardus, episcopus Tutelensis, subscripsi.

† Ego Bernardus, episcopus Lemovicensis, subscripsi.

† Ego Augustus-Iosephus-Victorinus, episcopus Aniciensis, subscripsi.

Decretum *indictionis proxime celebrandae provincialis synodi Bituricensis.*

Sacrosanctae synodi Tridentinae praescriptum pleno obsequio ad maiorem Dei gloriam et provinciae nostrae utilitatem exequi intendentes, de consilio et consensu reverendissimorum episcoporum comprovincialium, proxime futurum anno millesimo octingentesimo quinquagesimo tertio, die et loco per nos designandis, concilium nostrum provinciale indicimus et omnibus qui de iure vel consuetudine interesse debent, indictum decernimus.

Decretum *de fine concilii.*

Quoniam placuit patribus, nos Iacobus-Maria-Antonius-Coelestinus, tituli Sanctae Mariae de Populo presbyter cardinalis Du Pont, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae gratia archiepiscopus Bituricensis, declaramus huic provinciali nostro concilio finem fieri et iam factum esse.

## LETTRE SYNODALE

*des pères du concile provincial de Clermont, au clergé et aux fidèles de la province ecclésiastique de Bourges.*

Jacques-Marie-Antoine-Célestin du Pont, cardinal-prêtre de la sainte église Romaine, du titre de Sainte-Marie du Peuple, par la miséricorde divine et la grâce du saint-siège apostolique, archevêque de Bourges;

Louis-Charles Féron, par la miséricorde divine et la grâce du saint-siège apostolique, évêque de Clermont;

Jean-Baptiste-Pierre-Léonard Berteaud, par la miséricorde divine et la grâce du saint-siège apostolique, évêque de Tulle;

Bernard Buissas, par la miséricorde divine et la grâce du saint-siège apostolique, évêque de Limoges:

Auguste-Joseph-Victorin de Morlhon, par la miséricorde divine et la grâce du saint-siège apostolique, évêque du Puy;

Jean-Paul-François-Marie Lyonnet, par la miséricorde divine et la grâce du saint-siège apostolique, évêque de saint-Flour;

## LITTERAE SYNODICAE [1]

*patrum concilii provincialis Claromontani ad clerum et fideles provinciae ecclesiasticae Bituricensis.*

Iacobus-Maria-Antonius-Coelestinus, tituli Sanctae Mariae de Populo presbyter cardinalis du Pont, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae gratia archiepiscopus Bituricensis;

Ludovicus-Carolus Féron, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae gratia episcopus Claromontanus;

Ioannes-Baptista-Petrus-Leonardus Berteaud, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae gratia episcopus Tutelensis;

Bernardus Buissas, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae gratia episcopus Lemovicensis;

Augustus-Iosephus-Victorinus de Morlhon, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae gratia episcopus Aniciensis;

Ioannes-Paulus-Franciscus-Maria Lyonnet, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae gratia episcopus Sancti-Flori;

[1] Versio editorum Collectionis Lacensis.

**Au clergé et aux fidèles de la province ecclésiastique de Bourges, salut, grâce, bénédiction et paix en notre seigneur Jésus-Christ.**

C'est, nos très-chers frères, au sortir même de ce cénacle où il nous a été donné de nous réunir, il y a bientôt deux ans, que nous aurions voulu pouvoir vous faire part du résultat de toutes nos sollicitudes et de tous nos travaux pour le salut de vos âmes. Mais quelque vive que fût à cet égard notre impatience, nous devions la comprimer pour obéir à un devoir sacré que nous nous sommes empressés de remplir. Aujourd'hui nous sommes heureux de pouvoir la satisfaire, et comme il y a, selon le sage, temps pour se taire et temps pour parler, nous voici arrivés au moment de rompre ce silence dont jusqu'ici notre conscience nous faisait une loi. En effet notre premier soin avait été de soumettre au jugement du siège apostolique tous les décrets que nous avions formulés, et nous devions attendre qu'ils eussent reçu la sanction sans laquelle ils ne pourraient avoir une légitime autorité. Maintenant donc qu'ils nous sont revenus, approuvés et confirmés par la décision suprême du vicaire de Jésus-Christ, nous avons hâte de les publier et de les promulguer, en nous réjouissant dans le Seigneur de vous offrir ainsi un nouveau témoignage de notre zèle pastoral et de notre paternel intérêt.

Ces saintes assemblées prescrites par le concile de Trente et instamment réclamées par l'église, nous ont enfin été rendues; le Seigneur a brisé les entraves qui ne nous permettaient point de nous réunir, et nous avons pu rentrer dans le libre exercice d'un droit que d'ombrageuses susceptibilités nous contestaient. Aussi, à l'exemple de nos vénérables collègues, nous sommes-nous empressés d'en profiter, et la divine bonté a daigné bénir notre empressement: elle connaissait la pureté de nos intentions, la droiture de nos vues. En effet, que nous proposions-nous? C'était d'abord de constater, pour notre ministère pastoral, l'indépendance même qui fait sa force et sa dignité.

Pour accomplir le bien, il nous faut cette liberté que nous avons toujours revendiquée: liberté dont Jésus-Christ a doté son église, liberté qui émane du ciel et qui y conduit, liberté dont l'action est toute bienfaisante, sans avoir jamais aucun danger, et qui n'a rien de commun avec un nom qui n'a été inscrit sur tant de bannières que dans le but d'amonceler des ruines. Il est impossible de prendre ici le change: nous ne voulons qu'édifier et constituer, tandis que les hommes dont nous parlons, dénaturant cette liberté qu'ils préconisent tant, ne rêvent qu'asservissement et tyrannie; leur règne ne serait marqué que par la dévastation: à l'œuvre, ils ne sauraient rien de plus. On peut bien leur appliquer cette parole du prophète, ils ne la justifient que trop: „*Quasi leo vastator generatio vestra.*“ [1] Car, pour eux, la société est une proie qu'ils menacent d'engloutir dans leur fureur. Qu'on nous laisse toute notre liberté sans la circonscrire injustement, et l'usage que nous en ferons ne sera jamais que salutaire. On ne tardera pas à en recueillir les heureux fruits. Notre action d'ailleurs est toute du domaine spirituel; elle ne s'exerce que sur les cœurs et sur les intelligences. Tous nos efforts ont pour objet de conserver intact le dépôt de la foi, de maintenir la discipline ecclésiastique, d'extirper les vices, de réformer les abus, de faire fleurir les vertus chrétiennes. Il est des gens qui ne voudraient point précisément

[1] Jer. II, 30.

**Clericis et fidelibus provinciae ecclesiasticae Bituricensis, salutem, gratiam, benedictionem et pacem in domino nostro Iesu Christo.**

Egredientibus nobis ex illo coenaculo, quo abhinc annis ferme duobus convenimus, erat sane in votis, carissimi fratres, continuo de iis ad vos referre, quae tanta sollicitudine ac tanto labore, salutis vestrae causa, egeramus. Verum, hoc quamvis ardens, quo tenebamur, desiderium contineri tamen a nobis oportuit, dum, id quod studiosissime fecimus, sanctum expleremus officium. Nunc tandem licet, quod cupiebamus, exsequi; et quoniam, ut ait sapiens, tempus est tacendi et tempus loquendi, silentii, quo nos religio adhuc uti iubebat, iam finem facimus. Illud enim ante omnia nobis curae fuerat, ut, quaecumque essent in concilio decreta, iudicio sedis apostolicae subiiceremus; ideoque exspectandum fuit, donec sanctione, sine qua legitima auctoritate carerent, firmata essent. Quae nunc, quoniam suprema vicarii Christi sententia approbata et confirmata ad nos sunt remissa, sine mora edimus ac promulgamus, gaudentes in Domino, vos novum hoc a nobis pastoralis studii nostri et paternae voluntatis habere documentum.

Aliquando tandem reddita nobis sunt haec sancta comitia, quae et Tridentina synodus praescripsit et ecclesia cupidissime requirebat. Confregit Deus compedes, quae, quominus conveniremus, obstabant, rursusque libere exercere potuimus illud ius, cui adversabantur inanes quorumdam suspiciones ac metus. Quare, venerabilium collegarum exemplo, hac opportunitate studiose utendum esse existimavimus; neque studiis nostris defuit divina benignitas, quippe quae sciret quam recta quamque iusta esset ratio nostra et voluntas. Quid enim agebamus? nimirum illud imprimis, ut pastoralis nostri ministerii libertatem, in qua eius posita est vis et dignitas, re ipsa confirmaremus.

Et profecto ad bonum operandum ea nobis libertate opus est, quam semper vindicavimus; quae libertas, a Christo ecclesiae suae impertita, fluxit e cœlo eodemque ducit; quae semper usu saluberrima est et omnis periculi prorsus expers, neque commune quidquam habet cum illo nomine, quod toties quasi quoddam vexillum usurpatum est ad res publicas evertendas. Neque hic ullus est omnino errori relictus locus: nos enim aedificare tantum et constituere volumus; cum isti, de quibus loquimur, libertatem, quam tantopere iactant, depravantes, nihil nisi servitutem et tyrannidem somnient; qui si regno potirentur, vastarent perderentque omnia: neque enim, cum ad rem ipsam ventum est, aliud quidquam efficere possunt. In quos plane convenit illud prophetae, quod in se ipsis nimium comprobant: „*Quasi leo vastator generatio vestra.*“ [1] His enim tanquam praeda est humana societas, cui furentes imminent atque inhiant. Proinde, integra nobis relinquatur nostra libertas, neque iniuste circumscribatur; ea enim nunquam non salubriter utemur, nec longo sane intervallo felices eius fructus percipere licebit. Quid, quod nostrum munus continetur religionis finibus et in solis animis ac mentibus exercetur? Id unum enim contendimus, ut fidei thesaurus integer conservetur, ut vigeat ecclesiastica disciplina, exstirpentur vitia, corrigantur pravi usus, christianae virtutes reflorescant. Non desunt, qui evangelicum lumen, etiamsi nollent pror-

[1] Ier. II, 30.

éteindre la lumière évangélique, mais qui tâchent de la mettre sous le boisseau pour l'empêcher de jeter au loin sa vive clarté; ils ne comprennent point qu'elle doit luire à tous les regards. Que ceux qui en redoutent l'éclat, ferment les yeux tant qu'il leur plaira, pour s'y dérober; qu'ils se fassent aveugles volontaires, nous le déplorerons sans doute, mais nous n'entendons nullement les contraindre à sortir malgré eux des ténèbres qu'ils préfèrent à la lumière. Laissez librement briller le flambeau qui, selon la parole évangélique, doit éclairer toute la maison. Si vous vous obstinez à rester dans une obscurité profonde, vous ne le pourrez toujours que trop; mais n'y condamnez point les autres, et permettez à la clarté qui vous offusque d'arriver jusqu'à eux. C'est moins pour nous que pour vous, nos très chers frères, que nous réclamons une sainte indépendance; car sans elle, nous ne pourrions travailler avec la même efficacité à la sanctification de vos âmes, produire le même bien, obtenir les mêmes résultats. Aux termes de l'évangile, nous sommes le sel de la terre; mais pour que ce sel agisse, il faut qu'il pénètre: là où il n'a point d'accès, il est sans vertu. Il importe donc que rien ne s'oppose à sa diffusion, pour que le divin remède opère. Plus notre ministère est libre, plus vous y trouvez d'avantages; car le but que nous nous proposons est alors mieux atteint, et ce but le voici: c'est, comprenez-le bien, de ranimer votre foi, de vous porter à la pratique de tous les devoirs du christianisme, et de vous former à une vie digne en tout du titre auguste d'enfants de Dieu.

Notre patrie nous est chère, et nous voulons la servir. Il nous semble que notre influence ne saurait être inutile dans un temps où il y a tant de besoins à satisfaire, tant de plaies à fermer. Mais cette influence que nos avons à cœur d'exercer dans l'intérêt de la société, est toute morale et religieuse. Loin de nous la pensée de vouloir une part quelconque dans la direction des affaires du pays; mais, sans entrer dans le domaine de la politique, nous pouvons être de puissants auxiliaires pour la reconstruction de l'édifice social, en rappelant aux peuples les principes éternels qui en sont comme la pierre fondamentale, en leur signalant l'action dissolvante de tant d'erreurs funestes, et en ranimant partout ce feu sacré que le Sauveur a apporté à la terre, et que l'irréligion et l'indifférence menacent d'étouffer et d'éteindre. Nous remplissons donc à cet égard une grande et salutaire mission; nous coopérons largement à une œuvre réparatrice, et nous avons la conscience de tout ce que vaut notre concours. Aussi, disons-nous avec assurance que sans lui toutes les tentatives seraient impuissantes, tous les efforts infructueux; on aurait beau bâtir à grands frais, ce serait toujours sur un sable mouvant: on ne ferait par conséquent qu'amasser des matériaux pour de nouvelles ruines.

Nous avons, dans nos travaux, porté d'abord nos regards pleins de respect et d'amour vers le centre de l'unité catholique pour rappeler toutes les prérogatives du prince des apôtres, et proclamer tous les devoirs de la grande famille chrétienne envers le père commun. Nous avons été heureux de donner ce solennel témoignage de notre foi et de notre obéissance à celui que le seigneur Jésus a établi pour paître les brebis et les agneaux, pasteurs et troupeaux, comme parle Bossuet après saint Bernard, et dans lequel nous reconnaissons le chef visible de son église, le dépositaire de son autorité suprême. Nous avons réprouvé, avec le

quae exstinguere, tamen *sub modio* retinere conantur, ne clarissimam lucem suam late diffundat; neque intelligunt, illud omnibus conspicuum esse oportere. Cuius, si qui sunt, qui fulgorem reformident, hi claudant oculos quantum libet, ne illud videant, fiantque sua sponte caeci: deflebimus id nos quidem, nec tamen cogere illos ullo modo volumus, ut ex tenebris quas luci praeferunt, egrediantur inviti. At sinite lucernam, quae, ut est in evangelio, *omnibus qui in domo sunt* lucere debet, libere collucere. Si decretum vobis est in spissa caligine versari, scilicet id semper erit in vestra potestate; at nolite caeteros in eamdem detrudere, neque iis lucem, a qua ipsi abhorretis, eripere. Neque vero tam nostra causa, quam vestra, fratres carissimi, sanctam repetimus libertatem; sine qua nec tam efficacem operam in vestram salutem impendere, nec tantum boni praestare aut tam uberes laborum fructus capere possemus. Evangelica sententia *sal terrae* nuncupamur: hoc vero sal, ut prosit, subeat ac penetret necesse est; cui nisi pateat accessus, exercere vim suam non potest. Refert igitur plurimum nihil obstare, quominus quam latissime diffundatur, ut divinum remedium valeat ad salutem. Quo liberiore utimur ministerio, eo salutarius illud experimini; hic enim certius id, quod nobis propositum est, assequimur: propositum vero nobis est illud, quod probe intelligi a vobis velimus, ut excitemus vestram fidem, ut vos ad explenda omnia christianae religionis officia provocemus, et ad vitam augusto filiorum Dei nomine plane dignam instituamus.

Enimvero ducimur patriae nostrae caritate, eique operam navare cupimus. Nec supervacaneam esse opem nostram putamus hoc tempore, cum tot levandae necessitates, tot sananda sunt vulnera: quanquam haec vis atque opera, quam ad societatis humanae salutem conferre volumus, tota in moribus et religione versatur. Longe enim abeumus ab ea cogitatione, ut partem ullam reipublicae administrandae nobis vindicemus. Verum, ut hunc civilium negotiorum campum non attingamus, plurimum tamen possumus ad instaurandum sociale aedificium, cum immortales leges, quibus illud tanquam fundamentis constat, populis praedicamus, cum eis tot exitiales errores, quibus idem dissolvi necesse est, denuntiamus, cum ubique sacrum illum excitamus ignem, quem salvator detulit in terram, religionis vero inimici et contemptores opprimere et exstinguere conantur. Quod cum facimus, profecto gravi et salutari munere fungimur, opemque nostram ad rem publicam reparandam cumulate conferimus: neque sumus ignari, laboris nostri societas quanti sit aestimanda. Itaque, non dubitamus profiteri, hoc unum si desit, caetera frustra tentari, omnesque irritos esse conatus. Nihil agerent, qui sic aedificare quantalibet molitione vellent; omnis enim huiusmodi fabrica mobili arenae insisteret, nec aliud quidquam nisi nova congereretur materia ruinarum.

Sed nos, in actionibus nostris, primum omnium ad unitatis catholicae sedem ac domicilium plenos reverentiae et amoris oculos convertimus, ut omnia cum principis apostolorum privilegia, tum amplissimae christianae familiae in communem parentem officia profiteremur. Singulari animi gaudio solemne hoc fidei nostrae et obedientiae testimonium ei detulimus, quem dominus Iesus constituit ad oves et agnos, pastores et greges pascendos, quemadmodum ait post sanctum Bernardum Bossuetius, et in quo Christi ecclesiae caput visibile summaeque eius auctoritatis ministrum veneramur. Quidquid ad minuendam sedis apostolicae maiestatem pertinere

zèle de fils soumis et dévoués tout ce qui tendrait A à diminuer la puissance et abaisser la majesté du siège apostolique, nous montrant jaloux du maintien de ses droits temporels qui assurent mieux son indépendance et sa dignité, et rendant par conséquent des actions de grâces à la souveraine bonté qui s'est servie de nos braves armées pour essuyer les larmes de l'église, en ramenant en triomphe au Vatican le magnanime pontife, devenu en quelque sorte plus auguste et plus cher par tout ce que ses infortunes ont révélé en lui de grandeur d'âme et de sublimes vertus.

Nous avons dû rappeler aussi les droits de l'épiscopat; ils ne sont, hélas! que trop souvent méconnus. C'est une autorité la plus faible en apparence, la plus forte en réalité, parce qu'elle a un cachet tout divin. Le dépôt en a été fait entre nos mains, et nous ne saurions apporter trop de vigilance pour le conserver intact. Mais nous B sommes principalement attachés à nous rappeler tous les devoirs, toutes les obligations que nous impose notre charge pastorale. Quelle immense responsabilité! Elle exige des soins sans bornes comme sans repos: sollicitude persévérante, travail incessant, dévouement qui ne connaît point de limites et qui est prêt a tous les sacrifices pour le bien du troupeau. Nous avons particulièrement à nous préoccuper de l'éducation de la jeunesse, qui exige si justement notre plus tendre intérêt, puisque c'est sur elle que repose tout l'avenir de la religion et de la société. Mais que pouvons-nous à cet égard sans votre concours? Aidez-nous donc de tout votre pouvoir pour préserver la génération naissante du double fléau de l'incrédulité et de la corruption, en lui assurant le bienfait d'un enseignement moral et religieux. C'est là le seul moyen vraiment efficace pour opérer dans le monde un C renouvellement salutaire, et reconstituer sur de solides bases l'ordre social si fort ébranlé et compromis. Nous avons revendiqué aussi un de nos plus beaux privilèges, le soulagement de toutes les misères qui nous est spécialement dévolu: nous sommes les premiers ministres de la providence à l'égard du pauvre. Nous avons à cet effet un mandat tout divin, nous ne saurions y renoncer: nous avons été en quelque sorte établis les avocats et les tuteurs de tous ceux qui sont dans la souffrance et le dénûment. Nous réclamons donc contre toutes les téméraires assertions qui ont prétendu nous enlever cet apanage. La tendre compassion que le Sauveur a mise dans nos entrailles pour toutes les infortunes et tous les besoins, n'acceptera jamais la stérile inaction à laquelle on voudrait la condamner. Nous n'abandonnerons point des intérêts qui nous sont spécialement con- D fiés; nous provoquerons toujours en leur faveur les libéralités des fidèles, et nous ne négligerons rien pour apporter quelque remède et quelque adoucissement aux maux de toute sorte dont nous avons constamment sous les yeux l'affligeant spectacle. Nous accomplirons ainsi une tâche qui nous est bien chère.

Nous nous étions entourés de ce sacerdoce si recommandable par sa science et par ses vertus, dans lequel nous avons trouvé tout le concours que nous attendions de son zèle et de ses lumières. Vous les connaissez ces hommes de Dieu qui ont tant de titres à votre vénération. Avec quel dévouement ils nous consacraient leurs journées et leurs veilles! Nous n'avons pu que nous féliciter d'avoir appelé des coopérateurs qui ont si bien justifié notre confiance. C'est avec le concours de ces prêtres fidèles que nous avons retracé tous les

potest, ut pios obsequentesque filios decebat, studiose reiecimus, palam testantes quam sancte conservata vellemus temporalia illa iura, quibus communitur eius libertas et dignitas; eoque nomine gratias egimus divinae bonitati, quod fortissimorum militum nostrorum opera, abstersis ecclesiae lacrymis, triumphantem in Vaticanum reduxit magnanimum pontificem, tanto iam augustiorem quodammodo carioremque, quanto clarius in afflicta fortuna eluxit eius animi et virtutum magnitudo.

Episcoporum quoque iura commemorari a nobis oportuit; quae nimium saepe heu! negligi videmus. Quorum auctoritas specie quidem infirmissima, re autem vera omnium firmissima est, utpote plane divinis notis insignita. Haec in nostris manibus deposita est, ut ad eam tuendam ac conservandam nulla a nobis nimia cura possit adhiberi. Quanquam illud imprimis cordi fuit, ut pastoralis nostri muneris omnia onera, omnia recoleremus officia. O rem gravissimi periculi plenam! Requirit enim infinitas neque intermissas curas, constantem sollicitudinem, perpetuum laborem, voluntatem gregi prorsus devotam eiusque causa omnia pati et facere paratam. Antiquissima vero nobis cura esse debet educatio iuventutis, quae, cum religionis et societatis in ea spes omnis atque exspectatio consistat, merito summum a nobis studium exposcit. Verum, quid nos tandem in hac parte sine vestra opera facere possimus? Itaque, omni ope incumbite nobiscum ad surgentem hominum progeniem ab utraque hac labe impietatis et licentiae defendendam, idque ei comparandum bonum, ut honesta et religiosa imbuatur disciplina. Nam haec una est efficax ratio, qua res humanae salubriter renovari et societas ex tanta perturbatione in suam sedem ac statum restitui possit. Illud quoque praecipuum et pulcherrimum ius nobis vindicavimus, miserorum omnium curam, quae ad nos, tanquam primos providentiae pro pauperibus administros, proprie pertinet. Hoc enim accepimus a Deo mandatum, a quo discedere nullo modo possumus; nos patroni quodammodo et tutores omnium calamitosorum et egenorum sumus constituti. Itaque, reiicimus eorum hominum temeritatem, qui hanc nostri patrimonii partem nobis auferre voluerunt. Pietas et misericordia pectoribus nostris a salvatore indita in eos omnes, qui malis et necessitatibus premuntur, nunquam se ad istam sterilis otii conditionem redigi patietur. Non deseremus eorum causam nobis potissimum creditam; pergemus porro fidelium beneficentiam in illos provocare, nec quidquam praetermittemus, quo remedium aliquod et levamentum afferatur tot ac tantis miseriis, quarum luctuosam colluviem assidue cernimus; atque ita carissimum nobis officium exsequemur.

Aderat nobis in concilio ordo ille sacerdotalis, doctrinae et virtutum laude ornatissimus, in quo tantum auxilium nacti sumus, quantum ex eius religione atque prudentia exspectandum erat. Nostis illos homines Dei, tot nominibus vestra veneratione dignissimos. Qui quanta voluntate ac fide et diurnum laborem et nocturnum nobis dicaverunt! plane ut simus iure laetati, eos esse a nobis adhibitos curarum socios, qui nostrae exspectationi tam egregie responderint. Horum igitur fideli opera adiuti, omnia vitae sacerdotalis officia in diversis muniis

devoirs de la vie sacerdotale dans les diverses fonc- A tions et les différents ministères; mais en posant ou renouvelant les règles qui doivent assurer la sainteté du clergé et l'édification des peuples, nous ne faisions, pour ainsi dire, qu'énoncer ce qui est déjà admirablement pratiqué partout, pour l'honneur du sacerdoce et le bien des âmes. Zèle, régularité, dévouement, voilà ce que vous pouvez reconnaître comme nous dans les ministres du Seigneur chargés, à divers titres, de vous évangéliser et de vous faire entrer comme autant de pierres dans la construction de la cité céleste. Quoique le succès ne réponde pas toujours à leurs efforts, vous ne sauriez leur refuser un témoignage qui leur est aussi glorieux qu'il est consolant pour nous, et nous en appelons à cet égard avec confiance à votre justice et à votre impartialité. Il faut des yeux aveuglés par la prévention, pour ne point se rendre à l'évidence.

Nous n'entrerons ici dans aucun détail des B différents points de discipline sur lesquels nous avons insisté pour établir plus d'ensemble, plus de concert, et pour atteindre ainsi, avec plus d'efficacité, le but de notre commune sollicitude. Ces prescriptions s'adressent plus directement au clergé, quoiqu'elles aient la plupart pour objet le bien de vos âmes. Vos pasteurs vous expliqueront à cet égard tout ce qui vous concerne. Ils ne vous laisseront point ignorer les décrets qui témoignent de tout notre ardent désir d'imprimer une direction forte aux études ecclésiastiques, de pourvoir par le soin des vocations à l'avenir du sacerdoce, et de multiplier tous les élémens d'une éducation chrétienne. Mais nous croyons à propos de reproduire ici le texte même du décret relatif à la liturgie.

*Décret du concile de la province de Bourges, pour établir l'unité liturgique.* C

Jaloux de remédier à la variété de liturgie qui s'est introduite dans la province et de couper court à la facilité, toujours pleine d'inconvénients, de pouvoir changer les livres liturgiques; jaloux aussi de nous conformer aux constitutions de saint Pie V, d'immortelle mémoire, et de réaliser en même temps le vœu exprimé par son très-digne successeur, le pape Pie IX, sûrs de donner par là à notre bien-aimé père un nouveau témoignage de notre piété filiale, et de procurer à son cœur un sujet de consolation et de joie, nous décrétons que la liturgie de la sainte église romaine, vénérable par son antiquité et son universalité, et consacrée par l'autorité du saint siège, sera adoptée, le plus tôt possible et pour toujours. Toutefois, comme il existe des difficultés locales dans les diocèses où cette liturgie n'est pas actuellement en vigueur, les évêques demeurent juges de l'opportunité du moment, et D aussitôt qu'ils trouveront l'occasion favorable, ils s'empresseront d'introduire, par de salutaires ordonnances, dans toutes leurs églises, l'usage du bréviaire et du missel Romains.

Ce changement, une fois effectué, préviendra de nouveaux changements; il détruira la variété, amènera l'uniformité, assurera de nombreux avantages. C'est d'ailleurs, en soi, moins un changement qu'un retour; car nous répéterons alors les mêmes prières, les mêmes chants que nos pères ont redits pendant tant de siècles. C'est une tradition, malheureusement interrompue, que nous aurons ainsi la consolation de renouer et de perpétuer.

Maintenant, nos très chers frères, il nous paraît nécessaire de vous signaler les erreurs que notre concile a particulièrement condamnées. Puissiez-vous en bien comprendre tout le danger, et vous

ministeriisque descripsimus; quanquam in statuendis aut renovandis iis legibus, quibus continetur cleri sanctitas et cultura populorum, nihil paene fecimus aliud nisi ea ediximus, quae iam ubique, pari cum sacerdotii gloria et animarum fructu, mirifice usu ipso frequentantur. Sanctum animi studium, integerrimam vitam, impensissimam caritatem, haec licet vobis pariter ac nobis in his Dei ministris agnoscere, quorum diversis nominibus munus est, vos evangelica erudire doctrina, et tanquam totidem lapides in structuram coelestis civitatis inserere. Quod si haud semper eorum conatibus respondet eventus, tamen fieri non potest, ut iis testimonium ipsis gloriosum, nobis iucundissimum, denegetis; neque hac in re dubitamus ad vestram aequitatem ac fidem provocare; caecus enim pravo studio sit necesse est, qui id, quod clarius est luce, non videat.

Supersedemus hoc loco singula persequi disciplinae capita, quae tractanda esse putavimus, quo maior exsisteret in consiliis et conatibus consensio, idque, quo nititur communis noster labor, certius obtineretur. Haec enim clero potissimum praescribuntur, quamvis pleraque ad vestrarum animarum utilitatem spectent. Ex his, quidquid vestra scire interest, pastores vobis exponent; a quibus ea imprimis decreta cognoscetis, ex quibus apparet, quantopere cupiamus cum ecclesiastica urgere et excitare studia, tum providere, ut colendis novis surculis propagetur sacerdotium, eaque omnia, quae ad christianam institutionem pertineant, quam copiosissime comparare. Quod vero de liturgia conditum est decretum, hic visum est totidem verbis adscribere.

*Decretum concilii provinciae Bituricensis de unitate liturgica inducenda.*

[Vide tit. IV, col. 476 D - 477 A.

Haec mutatio, cum semel facta fuerit, novis occurret mutationibus, et, dissimilitudine ad unitatem redacta, plurimas utilitates afferet. Quanquam non tam mutatio haec quam restitutio dicenda est; sic enim iisdem precibus iisdemque cantibus rursus utemur, quae maiores nostri tot saeculis frequentarunt; moremque a vetustate traditum, sed infeliciter intermissum, revocatum a nobis et porro propagatum esse laetabimur.

Nunc necessarium esse arbitramur, fratres carissimi, errores, quos nominatim damnavit concilium, vobis declarare; qui quam sint periculosi, utinam plane intelligatis, ut, adversus exitiales praestigias

tenant en garde contre de funestes illusions, échap- A per à tous les pièges qui vous environnent! Nous vous montrons l'écueil: daigne la divine bonté vous préserver du naufrage, et vous conduire heureusement au port à travers les abîmes!

*Décret du concile de la province de Bourges sur les erreurs qui sapent les fondements de la religion et de la société.*

„*Dans les derniers jours, il viendra des temps périlleux; il y aura des hommes amateurs d'eux-mêmes, fiers, superbes, ayant plus d'amour pour la volupté que pour Dieu, apprenant toujours, sans parvenir jamais à la connaissance de la vérité, des hommes voués à l'erreur et y entraînant les autres.*“ [1] Qui ne serait aujourd'hui saisi d'épouvante, en voyant en quelque sorte se réaliser les jours prédits par l'apôtre? „*Ils se sont tous égarés dans leurs voies, parce qu'ayant connu Dieu,* (tel que l'église B l'annonce à toute créature), *ils ne l'ont point glorifié comme Dieu, mais ils se sont évanouis dans leurs pensées, et leur cœur a été obscurci. En se disant sages, ils sont devenus fous, et ils ont changé la gloire du Dieu incorruptible en l'image de l'homme corruptible, en l'image d'oiseaux et de quadrupèdes. C'est pourquoi Dieu les a livrés aux désirs de leur cœur, à l'impureté.*“ [2] Que les peuples ballottés par le doute ouvrent donc les yeux, et embrassent, comme leur refuge, la foi de l'église du Dieu vivant. Car cette église sainte est la colonne et le boulevard de la vérité. Qu'ils croient donc ce qu'elle croit; qu'ils condamnent ce qu'elle condamne, afin que, parvenus tous à l'unité de la foi et de la connaissance du fils de Dieu, ils puissent, au terme de ce pénible pèlerinage, arriver heureusement à la céleste patrie. Qu'ils se défient des faux prophètes qui viennent à eux avec une peau de bre- C bis, et qui sont au dedans des loups ravissants. Nous signalons et nous condamnons leurs principales erreurs.

Ils sont sortis du milieu de nous, mais ils n'étaient pas de nous, ces hommes pervers qui osent effrontément s'égaler à Dieu, et qui, dans leur audace, affirment que l'homme ne se régit et ne se forme que par sa raison toute seule, apostats qui, supprimant toute loi d'ordre surnaturel, et rompant avec Dieu, sont à eux-mêmes leur loi, mais dans un sens diabolique. Nous condamnons cette erreur des rationalistes, de laquelle sont sorties, comme d'une source impure, toutes sortes de maux.

Nous condamnons ceux qui ont osé nier ou amoindrir le Dieu tout-puissant, suprême, éternel, principe unique de toutes choses, créateur de tous les êtres visibles et invisibles, en avançant que le monde est éternel, ou une émanation de Dieu même, D ou du moins que Dieu ne l'a point tiré du néant, ou que Dieu est tout, et que tout est Dieu.

Adhérant de cœur comme de bouche au décret du quatrième concile de Latran, nous condamnons les détestables sophismes qui rejettent le Dieu vrai, éternel, infini: Père, Fils et Saint-Esprit, en trois personnes consubstantielles, égales en toutes choses, ayant même toute-puissance, et coéternelles, mais avec unité d'essence, de substance et de nature; et qui, par des interprétations artificieusement élaborées, affirment que la Trinité n'est autre chose que l'abstraction métaphysique de l'infini, du fini et de leur relation mutuelle.

Nous condamnons aussi ceux qui, niant que la Trinité tout entière a concouru à l'incarnation du

[1] II Tim. III, 1, 2, 4, 7, 13.
[2] Rom. I, 21-4.

canti, omnes laqueos, qui vos circumstant, effugere possitis! Scopulum vobis ostendimus: faxit divina bonitas, ut vos a naufragio servet et per medios gurgites in portum feliciter adducat.

*Decretum concilii provinciae Bituricensis de erroribus, qui religionis et societatis fundamenta convellunt.*

[Vide tit. III, col. 468 D-471 A.

Fils unique de Dieu Jésus-Christ, et que ce même A
Jésus-Christ a été conçu dans le sein de Marie,
toujours vierge, par l'opération du Saint-Esprit;
que, Dieu et homme tout ensemble, il a souffert
sur la croix, et est mort pour le salut du genre
humain; et prenant dans une acception métaphysique
ce grand mystère d'amour du verbe fait chair, le
dénaturent en une émanation de la raison divine
en nous: hypocrites, qui, introduisant de profanes
nouveautés de paroles, et altérant les écritures,
rejettent la foi de l'église dont leurs lèvres trom-
peuses répètent le symbole. Il y a plus encore à
s'affliger qu'à s'étonner, quand on voit ces impies
ne trouver rien que de naturel dans les miracles
et les vertus héroïques des saints, et expliquer tout
ce qui est d'un ordre surnaturel, dans un sens allé-
gorique, au moyen duquel toute l'histoire de l'ancien
et du nouveau testament, actions et personnages,
n'est plus qu'un rêve. Nous condamnons en con- B
séquence ce doute historique et presque universel
qui a enfanté tant de monstrueuses erreurs, parmi
lesquelles l'indifférence en matière de religion, et
le tolérantisme, double fléau de ces derniers temps.
Il résulte de là, ce sont les paroles du souverain
pontife, que n'admettant plus de différence entre
le vice et la vertu, le mensonge et la vérité, le
juste et l'injuste, les hommes s'imaginent pouvoir
arriver au salut éternel dans quelque religion que
ce soit, comme s'il pouvait y avoir jamais quelque
rapport entre la justice et l'iniquité, quelque union
entre la lumière et les ténèbres, quelque accord
entre Jésus-Christ et Bélial.

Nous condamnons en outre ceux qui, proclamant
l'espèce humaine à jamais perfectible et éternelle-
ment liée à la terre, nient la création du monde, le
péché originel, l'existence de l'enfer et du paradis,
et répandent partout, et par leurs écrits et par C
leurs discours, que l'idolâtrie a été une religion
relativement vraie, accommodée à un monde naissant
et imparfait; que la loi divine de Jésus-Christ est
également susceptible de perfectionnement et bornée
dans sa durée, et que, en conséquence, l'église
catholique n'est qu'une époque du genre humain,
plus parfaite, il est vrai, mais prête à finir, comme
ils le disent en exprimant d'hypocrites regrets.

Qu'instruits par les charitables avertissements du
souverain pontife, les fidèles soient en garde contre
les implacables ennemis du christianisme qui, pour
mieux séduire les peuples et faire tomber dans le
piège surtout les imprudents et les ignorants, se
donnent impudemment comme ayant seuls connais-
sance des voies qui mènent au bonheur. Car ce
sont des hommes pervers et des séducteurs qui
propagent une doctrine funeste, réprouvée même
du droit naturel, doctrine qu'ils désignent sous le D
nom de communisme, et qui, une fois admise,
détruirait tout droit, toute propriété, la sainteté
du mariage, et jusqu'au fondement de toute
société.

Nous condamnons et réprouvons ces perturba-
teurs qui présentent toutes leurs erreurs sur l'ordre
social comme une reproduction fidèle de ce qui se
pratiquait dans la primitive église. Aveugles qui,
ne comprenant point que cette communauté de
biens si pure et si spontanée chez les chrétiens,
n'était point obligatoire, mais simplement conseillée,
accusent hautement l'église de s'être laissé corrompre
par l'amour des richesses et d'avoir indignement
déserté la cause de l'humanité. Mais ils blasphè-
ment ce qu'ils ignorent; car cette grande inégalité
de conditions qui les choque n'est point le crime
de quelques hommes, encore moins la faute de
l'église: mais elle tient à l'infirmité même de la

nature humaine, et nos efforts, pour y apporter un A remède complet, seront toujours impuissants.

Que les peuples n'oublient donc point que le joug qui pèse sur les enfants d'Adam, depuis le jour où ils sortent du sein de leur mère jusqu'au jour de leur sépulture dans le sein de notre mère commune, est la juste punition de la désobéissance qui a introduit le péché dans le monde, et par le péché la mort; mais que les afflictions si courtes et si légères de la vie présente produiront en nous le poids éternel d'une sublime et incomparable gloire. Quoique Dieu ait fait guérissables toutes les nations, il n'est point permis d'espérer que les maladies, la pauvreté, les accidents et tous les genres de souffrances soient à jamais bannis de la terre. Mais il appartient à l'église d'embrasser toutes les conditions dans sa tendre sollicitude, en prenant, avec un égal soin, les intérêts du pauvre et du riche. N'est-elle pas cette épouse sans tache qui, dans l'indigent, B honore la pauvreté de Jésus-Christ, qui forme et soutient de pieuses associations d'hommes et de femmes, dans le but d'accomplir toutes les œuvres de la charité chrétienne; qui donne du pain à ceux qui ont faim, des vêtements à ceux qui sont nus, du soulagement à ceux qui souffrent, des consolations à ceux qui sont affligés, et témoigne à tous une affection toute maternelle? N'est-elle pas cette fidèle collectrice d'aumônes, qui sans cesse sollicite fortement la conscience du riche pour l'obliger à verser son superflu dans le sein des malheureux? Que tous, se confiant dans le dévoûment si parfait de la sainte église, et instruits enfin de tous les terribles dangers que renferment de perverses doctrines, apprennent, quelle que soit leur condition, à dédaigner des biens périssables, à élever leur cœur vers Dieu, à aimer leurs frères, afin que désormais ceux qui pleurent étant comme s'ils ne C pleuraient point, et ceux qui possèdent comme ne possèdant point, tous ensemble, par l'intégrité de leur foi et la fermeté de leur espérance, ainsi que par la divine charité de Jésus-Christ, aient le bonheur de devenir riches en grâce pour le salut.

Il était de notre devoir de flétrir toutes ces déplorables aberrations de l'esprit humain et de vous prémunir contre l'invasion de ces désastreuses doctrines, qui ne se renferment plus dans les ténèbres d'un enseignement dont l'obscurité même atténuait le danger. Aujourd'hui elles empruntent toutes les formes pour se mettre à la portée de tous. C'est un poison qui s'insinue, s'infiltre, pénètre partout. Que de ravages n'a-t-il pas faits! Où s'arrêtera son action meurtrière? Écoutez de salutaires avertissements, et défiez-vous de toutes ces tentatives criminelles qui ont pour but de vous pervertir et de vous perdre. Nous sommes comme D des sentinelles préposées à votre garde; nous poussons le cri d'alarme; ne vous laissez point surprendre et vaincre; mais déjouez les projets de l'ennemi, rendez ses efforts impuissants, fermez-lui tout accès, et ôtez-lui par là tout moyen de faire désormais des dupes et des victimes. Croyez donc au zèle et au dévouement qui vous parlent par notre bouche; suivez la voie qui vous est tracée par des guides sûrs: vous éviterez les pièges qu'on vous tend, les abîmes vers lesquels on se fait un jeu cruel de précipiter vos pas. Vous vous sauverez ainsi, et votre propre salut sera celui de la société. Ravivons dans les cœurs toutes les semences de foi, et appliquons-nous à faire fleurir la religion, source féconde de tous les vrais et solides biens. Puissent tomber tous les préjugés, toutes les préventions qui, trop souvent, font redouter l'influence même qu'on devrait appeler de tous ses

Nostrum erat munus, luctuosa haec humani ingenii deliramenta palam notare, vosque ab huiusmodi pestilentium doctrinarum contagione munire; quae iam non se continent tenebris, ut perobscurae, ita minus periculosae disciplinae. Nunc enim in omnes se vertunt formas, ut ad omnium se captum accommodent. Venenum est, quod latenter serpit, influit, pervadit omnia. Quas iam edidit strages? Quousque progredietur eius mortifera vis? Audite bene monentium voces; cavete ab his sceleratorum hominum machinationibus, qui nihil aliud quam vos pervertere ac perdere meditantur. Nos, tanquam pro vestra salute excubantes, periculum denuntiamus: videte, ne vos hostis occupet atque opprimat; eludite eius consilia, frustramini conatus: omni illum aditu excludite, ne quem omnino locum reperiat cuiusquam in posterum decipiendi atque perdendi. Credite igitur studio et amori, quo permoti loquimur; inite viam, quam fidi duces demonstrant: sic insidias, quas vobis parant inimici, certamque perniciem, ad quam vos per crudele ludibrium impellunt, vitabitis; sic vestrae consuletis saluti, quam ipsius societatis salus consequetur. Demus operam, ut in animis hominum reviviscant omnia fidei semina, et fecunda stirpe omnis veri ac solidi boni religiosi reflorescat. Utinam evanescant sinistrae illae persuasiones, quibus, nimis saepe praeoccupati homines, illam vim et auctoritatem potissimum timent, quam omnibus votis expetere et omni ope tueri debebant. Nam regnum Dei in animis mortalium stabilire, id esset plane omnia

vœux, et favoriser de tous ses efforts! Établir le A règne de Dieu dans les âmes, ce serait terminer toutes les luttes, toutes les dissensions. Alors, comme le disait autrefois Lactance aux païens[1], les hommes se regarderaient tous comme les enfants de Dieu, un lien sacré et inviolable les unirait entr'eux: la charité divine formerait ce lien. Tous les crimes et tous les désordres seraient bannis de la terre, du moment que le christianisme y régnerait dans toute sa pureté. Les passions seraient enchaînées, la cupidité et l'ambition ne soulèveraient plus tant d'orages. Il n'y a de remède à tous les maux qui nous travaillent que dans les enseignements pratiques de la foi. Le moyen de guérir, c'est d'appliquer le remède. Apportons-y tous de la bonne volonté et de la persévérance, et, avec le secours de la divine bonté, les heureux résultats ne tarderont point à se faire sentir.

Pour appeler plus particulièrement sur cette B province les souveraines miséricordes, nous l'avons consacrée au sacré cœur de Jésus, le conjurant d'épancher de ce riche trésor tous les dons de son amour, comme un fleuve qui portera la fécondité dans une terre desséchée, et y fera germer des fruits de paix. Réunissons-nous dans ce cœur adorable comme dans un refuge assuré contre le torrent de l'iniquité qui menace de tout engloutir, et cherchons dans cette source vivifiante les eaux salutaires qui purifieront toutes les souillures, guériront toutes les langueurs, fermeront toutes les plaies, développeront tous les principes de vie, tous les germes de vertu, tous les éléments de bonheur.

Nous avons aussi tourné nos regards et vous tournerez aussi les vôtres vers Marie, la priant d'abaisser sur cette portion de l'héritage de son divin fils, des yeux pleins de cette tendre compassion dans laquelle se fondent notre confiance C et notre espoir. Daigne cette souveraine dispensatrice de toutes les grâces accueillir nos supplications et combler nos vœux!

Sera, la présente lettre synodale, lue au prône de toutes les églises et chapelles de nos diocèses, el dimanche qui en suivra immédiatement la réception.

Fait le deux juillet, jour de la Visitation de la sainte Vierge, de l'an de grâce mil huit cent cinquante deux.

† Célestin, cardinal du Pont, archevêque de Bourges.

† Louis-Charles, évêque de Clermont.

† J.-B.-Pierre-Léonard, évêque de Tulle.

† Bernard, évêque de Limoges.

† Auguste-Joseph-Victorin, évêque du Puy.

† Jean-Paul-François-Marie, évêque de Saint-Flour[2].

[1] *Div. inst.*, libr. V, cap. 8, [*Patr. lat.*, ed. Migne, VI, 578 A].

[2] Ce prélat, dont la nomination est postérieure au concile, a adhéré à cette lettre synodale, et y a apposé sa signature.

bella et dissensiones extinguere. Tum enim quemadmodum paganis dicebat olim Lactantius[1], „*scirent homines unius se Dei filios esse, ideoque divinae necessitudinis sacro et inviolabili vinculo copularentur ... Non essent haec omnia in terris mala, si ab omnibus in legem Dei coniuraretur, si ab universis fierent, quae unus populus noster operatur.*" Tum cupiditates refrenarentur, neque avaritia et ambitio tot procellas concitarent. Denique, omnium malorum, quibus affligimur, una medicina est bene vivendi tradita divinitus disciplina; una ad salutem via, hanc adhibere medicinam. Quam ad rem omnes alacrem et constantem animum afferamus, nec longa erit mora, quin, Deo bene iuvante, operae fructus appareat.

Quo vero certius in hanc provinciam coelestem misericordiam vocaremus, dedicavimus illam sacratissimo cordi Iesu, enixe precantes, ut ex hoc copiosissimo thesauro omnia suae caritatis dona effunderet, tanquam flumen, quo arida haec terra fecundaretur et fructus pacis afferret. Concurramus in illud sanctissimum cor, tanquam in tutissimum perfugium contra hos iniquitatis fluctus, qui perniciem rebus humanis minantur; hauriamus ex illo vitali fonte aquas salutares, quae maculas omnes eluant, omnes languores sanent, omnibus vulneribus medeantur, omnia denique vitae, virtutis, felicitatis semina foveant atque augeant.

Ad Mariam quoque animos ac preces convertimus, idemque vos facite nobiscum, ut hanc partem haereditatis filii sui respiciat oculis pia illa misericordia plenis, in qua fiducia et spes nostra consistit. Utinam potentissima gratiarum omnium dispensatrix nostras supplicationes suscipere et vota cumulare dignetur!

Atque hae litterae synodicae legentur pro concione in omnibus ecclesiis et sacellis nostrarum dioecesium, proxima die dominica postquam acceptae fuerint.

Datum die secunda mensis iulii, Visitationi virginis Mariae sacra, anni salutis supra millesimum octingentesimi quinquagesimi secundi.

† Coelestinus, cardinalis du Pont, archiepiscopus Bituricensis.

† Ludovicus-Carolus, episcopus Claromontanus.

† I.-B.-Petrus-Leonardus, episcopus Tutelensis.

† Bernardus, episcopus Lemovicensis.

† Augustus-Iosephus-Victorinus, episcopus Aniciensis.

† Ioannes-Paulus-Franciscus-Maria, episcopus D Sancti-Flori[2].

[1] *Div. inst.*, l. V, c. 8.

[2] Hic praesul, post absolutum concilium nominatus, his litteris synodicis accessit et nomen suum adscripsit.

## ACTA CONCILII.

Anno reparatae salutis millesimo octingentesimo quinquagesimo, pontificatus sanctissimi domini nostri Pii papae IX quinto, episcopatus in metropolitana sede Bituricensi eminentissimi ac reverendissimi cardinalis du Pont nono, a celebratione novissimi concilii Bituricensis ducentesimo sexagesimo septimo, ab ultimo habita synodo Claromontensi quingentesimo quinquagesimo quinto, dominica XX post pentecosten quae [est] prima octobris, in solemnitate sanctissimi rosarii beatae et immaculatae virginis [illegible] divina favente misericordia, quae statuit procellam in auram et asseruit ecclesiae suae libertatem, inchoatum est in aedibus seminarii maioris Claromontii Arvernorum optatum illud iamdudum et tam vehementer provinciae Bituricensis concilium.

Litteris autem die secunda septembris superioris, Biturici, datis, eminentissimus cardinalis metropolitanus concilium celebrandum indixerat, et comprovinciales suos et omnes qui de iure vel consuetudine interesse deberent, designatis loco ac die convocaverat.

Suis vero litteris pastoralibus et mandatis illu- A strissimi ac reverendissimi domini suffraganei episcopi Claromontensis, Sancti-Flori, Tutelensis, Lemovicensis et Aniciensis, clerum ac populum fidelem de proxime habenda synodo monuerant, sacrorum huiuscemodi comitiorum antiquam institutionem et summam utilitatem commemorantes, et ad impetrandam Spiritus sancti gratiam omnium suffragia requirentes.

Iam venerabilis antistes Claromontensis, ea qua pollet eximia caritate, reverendissimis synodi patribus eorumque adiutoribus in seminarii sui maioris Montis-Ferrandi aedibus hospitium paraverat. Exultabat Arverna civitas, eiusque praepositi quam honorificentissime synodi patres excipere gestiebant.

Die ergo quarta octobris eminentissimus ac reverendissimus cardinalis metropolitanus advenit una cum illustrissimo et reverendissimo domino episcopo Sancti-Flori, eademque die, illustrissimi ac reveren- B dissimi domini episcopi Aniciensis et Lemovicensis; postera autem die illustrissimus ac reverendissimus dominus episcopus Tutelensis.

Advenerunt quoque canonici a capitulis tum metropolitanae ecclesiae, tum cathedralium provinciae ecclesiarum delegati, necnon theologi a reverendissimis patribus advocati, qui omnes ab antistite Claromontensi atque a seminarii moderatore caeterisque directoribus perbenigne excepti sunt.

PRIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Sic igitur paratis omnibus, die sexta octobris, mane hora nona, convenerunt primam suam privatam habituri congregationem reverendissimi patres, videlicet, eminentissimus cardinalis Du Pont metropolitanus, et illustrissimi ac reverendissimi domini Ludovicus-Carolus Feron, episcopus Claromontensis; Fridericus-Gabriel-Maria-Franciscus de Marguerye, C episcopus Sancti-Flori; Ioannes-Baptista-Petrus-Leonardus Berteaud, episcopus Tutelensis; Bernardus Buissas, episcopus Lemovicensis; et Augustus-Iosephus-Victorinus de Morlhon, episcopus Aniciensis.

Qui in hacce praeparatoria congregatione tractaverunt de prima congregatione generali, de prima sessione, de decretis ibidem promulgandis, de recognoscendis capitulorum procuratoribus; de assumendis theologis seu canonistis, de eligendis synodi officiariis, et de instituenda serie congregationum privatarum. Statuerunt autem reverendissimi patres:

I. Quoad primam congregationem generalem:

Primam congregationem generalem habendam esse hac eadem die sexta octobris, hora tertia pomeridiana, et in ea celebrandam synodi inchoationem minus solemnem, translata ad feriam tertiam eiusdem hebdomadis solemni prima sessione et concilii inchoatione, iuxta postulatum reverendissimi D domini episcopi Claromontensis enixis cleri sui precibus in hoc annuentis.

II. Quoad sessionem primam:

Sessionem primam celebrandam esse, iuxta ritum sanctae Romanae ecclesiae in pontificali et caeremoniali episcoporum descriptum, die octava mensis octobris, in ecclesia cathedrali Claromontensi; septima hora matutina profecturos e seminario maiori ad seminarium minus Claromontense reverendissimos patres omnesque concilio assistentes, et illinc processionaliter ad ecclesiam cathedralem progressuros.

III. Quoad decreta in prima congregatione generali promulganda:

Proposita sunt ab eminentissimo cardinali metropolitano decreta: *De aperienda synodo*, *De modo vivendi in concilio*, quae unanimi reverendissimorum patrum consensu accepta fuere.

IV. Quoad decreta in prima sessione promulganda:

Praeter duo supra enuntiata, proposita sunt ab eminentissimo cardinale metropolitano et accepta a reverendissimis patribus: decretum *de professione fidei*; et decretum *de indictione secundae sessionis* dominica XXI post pentecosten, die scilicet decima tertia octobris, in ecclesia parochiali Montis-Ferrandi celebrandae.

V. Quoad capitulorum procuratores: rite recognito delegationis titulo, admissi sunt a reverendissimis patribus procuratores:

Pro capitulo metropolitanae ecclesiae Bituricensis: venerabiles viri: Marianus Pélicat; Ludovicus Marandon.

Pro capitulo cathedralis ecclesiae Claromontensis: venerabiles viri: Franciscus Boucard, vicarius generalis; Guillelmus Bergounioux.

Pro capitulo cathedralis ecclesiae Sancti-Flori: venerabiles viri: Petrus-Ioannes Fouilhoux, vicarius generalis; Antonius-Theodorus Lamouroux de Pompignac, vicarius generalis.

Pro capitulo cathedralis ecclesiae Tutelensis: venerabiles viri: Ioannes Lavergne, canonicus archipresbyter; Petrus Fournet.

Pro capitulo cathedralis ecclesiae Lemovicensis: venerabilis vir: Ioannes-Baptista Chavastelon.

Pro capitulo cathedralis ecclesiae Aniciensis: venerabilis vir: Petrus Péala, canonicus archipresbyter.

VI. Quoad assumendos ad synodum theologos seu canonistas:

Electi sunt:

Ab eminentissimo cardinali metropolitano: venerabiles viri: Carolus-Adrianus de Lutho, vicarius generalis; Ioannes-Franciscus-Xaverius Caillaud, vicarius generalis.

A reverendissimo domino domino episcopo Claromontensi: venerabiles viri: Guillelmus Mercier, vicarius generalis; Nicolaus Déjardin, societatis Sancti-Sulpitii, vicarius generalis et superior seminarii maioris; Petrus-Alfridus Grimardias, canonicus archipresbyter; reverendi viri, praelaudatae societatis Sancti-Sulpitii, directores in seminario maiori: Petrus-Ioannes-Adrianus Malzac; Stephanus Anglaret; Hilarius Iacquet; Dionysius-Ludovicus-Arsenius Vincent; Firminus Gamon; Carolus-Maria-Edmundus Voirdye.

A reverendissimo domino domino episcopo Sancti-Flori: venerabiles viri: Guillelmus Bouange, vicarius generalis; Ioannes-Baptista Vidal, vicarius generalis.

A reverendissimo domino domino episcopo Tutelensi: venerabiles viri: Ioannes-Petrus Duroux, vicarius generalis; Dionysius Porte, societatis Sancti-Sulpitii, vicarius generalis et seminarii maioris superior.

A reverendissimo domino domino episcopo Lemovicensi: venerabiles viri: Ioannes-Baptista-Leopoldus Dissandes de Bogenet, vicarius generalis; Prosper Brunet, canonicus, vicarius generalis; Petrus Brun, societatis Sancti-Sulpitii, vicarius generalis et seminarii maioris superior; Alexius Venassier, vicarius generalis et parochus ecclesiae Sancti-Michaëlis; reverendi viri: Theobaldus Neveu, superior generalis congregationis virginum de Sancta-Maria et de Sancto-Ioseph nuncupatarum; Iacobus-Remigius Texier, seminarii minoris Doratensis superior.

A reverendissimo domino domino episcopo Aniciensi: venerabilis vir Florentius-Franciscus de Morlhon, canonicus, vicarius generabilis; reverendus vir: Petrus Vernière, societatis Sancti-Sulpitii, director in seminario maiori; reverendus pater Antonius-Lazarus-Maria Reynaud, societatis Iesu, domus Vallis Aniciensis.

VII. Quoad electionem officiariorum concilii:

Electi sunt a reverendissimis patribus:

Promotor, venerabilis vir Guillelmus Mercier; promotoris vices gerens, venerabilis vir Ioannes-Baptista-Leopoldus-Dieudoné de Bogenet;

Secretarius, venerabilis vir Guillelmus Bouange; secretarii vices gerens, reverendus pater Antonius-Lazarus-Maria Reynaud;

Magistri caeremoniarum, venerabilis vir Petrus-Alfridus Grimardias, et reverendus vir Hilarius Jacquet.

VIII. Quoad instituendam congregationum specialium seriem:

Ut facilius et accuratius expendantur quaecumque tractanda sunt in synodo, ordinandas esse varias congregationes à reverendissimis patribus indicatum est.

Sic autem ordinatae sunt:

### Prima congregatio.

Huic praeses erit reverendissimus dominus dominus pater episcopus Claromontensis.

Praesidis absentis vices gerendas habebit venerabilis vir Caillaud, Bituricensis; secretarii munus adimplebit venerabilis vir Vincent Claromontensis; assistent theologi: venerabilis vir Lavergne, Tutelensis; venerabilis vir Venassier, Lemovicensis; venerabilis vir de Morlhon, Aniciensis; reverendus vir Vernière, Aniciensis.

Hae sunt quaestiones tractandae in hac prima congregatione *de divina constitutione ecclesiae et hierarchia, necnon de congregationibus religiosis nuncupata;* videlicet:

1. De summo pontifice; 2. de episcopis; 3. de metropolitano; 4. de concilio provinciali; 5. de synodo dioecesana; 6. de vicariis generalibus; 7. de capitulis cathedralibus: 8. de parochis eorumque vicariis; 9. de eleemosynariis, capellanis, C aliisque sacerdotibus sine titulo; 10. de consensu ordinarii ad instituendam quamlibet congregationem aut domum religiosam; 11. de votis monialium, clausura, superioribus, confessariis in praesenti rerum statu.

### Secunda congregatio.

Inquiret de fide et de studiis ecclesiasticis.

Huic praeses erit reverendissimus dominus dominus episcopus Sancti-Flori;

Praesidis absentis vices gerendas habebit venerabilis vir Déjardin, Claromontensis; secretarii munus adimplebit reverendus vir Texier, Lemovicensis; assistent theologi: venerabilis vir Pélicat, Bituricensis; venerabilis vir Bergounioux, Claromontensis; venerabilis vir de Pompignac, San-Floranus; venerabilis vir Porte, Tutelensis.

Quaestiones expendendae, hae sunt:

1. De erroribus qui religionis et societatis funda- D menta convellunt; 2. de miraculis ac prophetiis non recognitis et temere vulgatis, et de iis qui opiniones quasi fidei dogmata propugnant; 3. de lectione et usu scripturae sacrae; 4. de propagandis bonis libris, et approbandis scriptis quae ad religionem spectant; 5. de libris prohibitis et mediis contra acatholicum proselytismum adhibendis; 6. de docendis et discendis tum in maiori tum in minoribus seminariis; 7. de directoribus et magistris seminariorum informandis; 8. de iunioribus alumnis seligendis et praeparandis, ut in seminario recipiantur; 9. de clericis qui, inconsulto ordinario, scholas aut gymnasia instituunt vel regunt.

### Tertia congregatio.

Operam dabit cultui divino et sacramentis:

Sub reverendissimo domino domino episcopo [illegible] venerabili viro Brunet, Lemo-

A vicensi, vices praesidis gerente, venerabili viro Grimardias, Claromontensi, secretarii munus obeunte; theologis assistentibus: venerabili viro Marandon, Bituricensi; venerabili viro Fouilhoux, San-Florano; venerabili viro Fournet, Tutelensi; reverendo viro Jacquet, Claromontensi; reverendo viro Veirdye, Claromontensi.

Quaestiones hae sunt:

1. De sanctificatione diei dominicae, et aliarum festivitatum de praecepto; 2. de festis suppressis aut translatis; 3. de ieiunio et abstinentia; 4. de reformandis ritibus passim contra regulas introductis; 5. de unitate liturgica inducenda; 6. de cantibus in lingua vernacula intra officiorum solemnia; 7. de musica in ecclesia; 8. de habitu chorali clericorum; 9. de ordine servando inter clericos tam in choro quam in processionibus; 10. de reliquiis et sacris imaginibus, iisque ad- B hibenda reverentia, praecavendisque ea de re abusibus; 11. de reverentia his qui Deo consecrati sunt debita; 12. de baptismo; 13. de confirmatione; 14. de eucharistia; 15. de poenitentia; 16. de extrema unctione, et sepultura ecclesiastica; 17. de ordine; 18. de matrimonio; 19. de oblationibus fidelium et casuali.

### Quarta Congregatio.

Nomen habebit *de decretis* et iis circa seriem totam quaestionum concinnandis allaborabit:

Praeses erit huius congregationis reverendissimus dominus dominus episcopus Lemovicensis; vices praesidis aget venerabilis vir de Lutho, Bituricensis; secretarii partibus fungetur venerabilis vir Brun, Lemovicensis; assistent theologi: venerabilis vir Boucard, Claromontensis; venerabilis vir Bouange, San-Floranus; venerabilis vir Vital, item; venerabilis vir Neveu, Lemovicensis; reverendus pater Reynaud, Aniciensis: reverendus vir Gamon, Claromontensis.

### Quinta Congregatio.

Revolvet quaestiones de disciplina:

Sub reverendissimo domino domino episcopo Aniciensi, praeside; praesidis vices supplente venerabili viro Duroux, Tutelensi; secretarii munus adimplente venerabili viro de Bogenet, Lemovicensi: assistentibus theologis: venerabili viro Chavastelon, Lemovicensi; venerabili viro Péala, Aniciensi; venerabili viro Mercier, Claromontensi; reverendo viro Malzac, Claromontensi; reverendo viro Anglaret, Claromontensi.

Expendet quaestiones infra positas:

1. *De residentia;* 2. *de praedicando verbo divino;* 3. *de catechizandis pueris;* 4. *de cura ac visitatione infirmorum;* 5. *de agendi ratione circa res politicas;* 6. *de habitu clericali et tonsura;* 7. *de personis apud clericos commorantibus;* 8. *de vita et honestate clericorum, et de iis quae clericis prohibentur;* 9. *de obligatione pro clericis studio vacandi, et de selectu librorum;* 10. *de collationibus ecclesiasticis;* 11. *de iuniorum sacerdotum examine;* 12. *de officialitate.*

Electi sunt tandem a reverendissimis patribus pro texenda serie solemnium acclamationum, quibus concludendum est concilium, domini: de Lutho, Bituricensis; Mercier, Claromontensis; Bouange, San-Floranus; Duroux, Tutelensis; Brunet, Lemovicensis; Reynaud, Aniciensis.

His autem expletis, postulante eminentissimo cardinali metropolitano, concionem ad populum se habituros promiserunt in prima sessione reverendissimus dominus dominus episcopus Tutelensis, in ultima reverendissimus dominus dominus episcopus Sancti-Flori.

PRIMA CONGREGATIO GENERALIS.

Die ergo supra dicta, hora post meridiem tertia, habita est prima congregatio generalis et celebrata est minus solemnis, ut sancitum erat, synodi inchoatio.

Convenerunt in scholam alumnorum philosophiae capitulorum procuratores, chorali vestimento amicti, et concilii theologi, palliolo ecclesiastico supra vestem talarem induti. Super tabulam exornatam et facibus circumdatam eminebat sancti Stremonii Arvernorum protopraesulis et apostoli, lipsanotheca, sanctissima evangelia et liber canonum sacrosanctae synodi Tridentinae; parata erant reverendissimis patribus faldistoria et tabellae concilii officiariis.

Processerunt igitur rite ordinati theologi et procuratores ad aulam eminentissimi cardinalis metropolitani, cui assidebant reverendissimi domini episcopi, synodi patres, et, inchoante eminentissimo cardinali metropolitano, decantatus est hymnus *Veni creator*, dum processionaliter pergeretur ad congregationis generalis atria.

Genuflectentibus omnibus, eminentissimus concilii praeses orationem *Adsumus* recitavit; et ea qua praestat doctrina, pietate et animi lenitate, synodale comitium allocutus est, breviter exponens quae agenda in synodo, quae speranda de synodi laboribus.

Mox vero reverendissimus dominus episcopus Sancti-Flori electos nominavit concilii adiutores seu officiarios, et ad sibi assignatas sedes deducti sunt promotor ac secretarius eorumque vicem gerentes.

Dein, iubente eminentissimo cardinali, lecta sunt decreta de aperienda synodo, et de modo vivendi in synodo quae placuerunt reverendissimis patribus de more interrogatis; et declaratum est ab eminentissimo praeside inchoari et iam inchoatum esse concilium.

Pergens autem secretarius recognitos procuratores capitulorum et electos a reverendissimis patribus theologos proclamavit; et notam fecit seriem variarum congregationum.

Proposita est tandem ab eminentissimo cardinali metropolitano et ab eo atque ab omnibus emissa promissio de secreto, iuxta primi decreti praelaudati praescriptum, fideliter servando.

Et absoluta est, oratione ad beatissimam virginem *Sub tuum praesidium* et benedictione ab eminentissimo cardinali data, haec prima congregatio generalis et minus solemnis inchoatio concilii.

Et statim initium habuerunt, secundum reverendissimorum patrum placitum, congregationes variae.

SECUNDA CONGREGATIO PRIVATA.

Die septima octobris, hora matutina sesqui-nona, convenerunt ad eminentissimum praesidem reverendissimi patres, varia dubia et proposita in hesternis congregationibus emissa perpensuri.

Effusis ideo ad Spiritum sanctum et beatissimam Virginem consuetis precibus, maturo examine libratis omnibus et singulis, haec sanxerunt, videlicet:

1. Secretarius uniuscuiusque congregationis gallico idiomate exarabit brevem singularum de quibus actum est quaestionum relationem, mentione facta, de unanimi vel maioris partis assensu et de rationibus quae fuerunt allatae, necnon de dissentientis minoris partis quae momenti essent observationibus: huiusce relationis conclusio decreti formam aliquam induere debet.

2. Conclusionis huiusmodi quinque exemplaria scribet idem secretarius, quorum unum eminentissimo cardinali, caetera aliarum congregationum reverendissimis praesidibus tradenda, et ab iisdem legenda in congregatione privata antequam fiat congregatio generalis.

3. In congregatione generali legentur a respectivo secretario relationes, de quibus supra, et deinde penes secretarios concilii deponentur.

Quibus lectis, assistentium procuratorum et theologorum unusquisque interrogatus, iudicium suum de pertractata qualibet quaestione plena libertate aperiet, sed absque strepitu verborum et seclusa quacumque contentione.

Interim vero concilii secretarii exposita singula adnotabunt.

4. Absoluta congregatione generali relationes et adnotata a secretariis concilii tradenda sunt eminentissimo archipraesuli, ab eodem et reverendissimis patribus examinanda.

Haec autem deinde ab eminentissimo dabuntur reverendissimo praesidi congregationis peculiaris *de decretis* nuncupatae. Elaborata ab ista congregatione decreta in congregatione generali legentur, et quatenus opus sit, redarguentur, demum a reverendissimis patribus absolvenda.

Statuerunt tandem in hacce secunda sua privata congregatione reverendissimi patres nota facienda esse statim congregationi cuique quae modo sanxerant, ut rite in laborando et disserendo procedatur.

SESSIO PRIMA.

*Pro solemni inchoatione concilii.*

Quam diligentissimam navante operam venerabili archipresbytero cathedralis Claromontensis, admodum solemni cultu celebrandae primae sessioni synodi omnino provisum fuerat. Splendide exornatum altare, expositae sacrae lipsanothecae, sanctorum evangeliorum liber supra tabulam congrue decoratam et cereis circumdatam positus post gradus altaris, velis purpureis involutae sanctuarii columnae, ad eas appensa sancta vexilla; necnon reverendissimorum synodi patrum pontificiae tesserae, ordine disposita sedilia magistratibus et clero, faldistoria reverendissimis dominis dominis episcopis et thronus eminentissimo cardinali metropolitano.

Claromontium autem confluebat e tota dioecesi necnon e vicinis regionibus fidelium multitudo quanta nunquam a seculis convenerat. Die autem septima octobris, iterato campanarum sonitu nuntiata est proxime celebranda solemnitas.

Feria ergo hebdomadis tertia, octava supradicti mensis die, mane hora septima egressi e seminario maiori Montis-Ferrandi reverendissimi patres eorumque presbyteri adiutores, chorali vestimento amicti, Claromontium, ad seminarii minoris aedes perrexerunt, rhedis pia Claromontensium liberalitate praestitis devecti. Mox autem processionaliter ad cathedralem ecclesiam accesserunt per plateas J. de Lille et Hispaniae, et per viam Tabellionum, litanias sanctorum cantantes et ordine congruo dispositi, videlicet: Fratres scholarum Doctrinae christianae, cathedralis ecclesiae cruciger, acolythis subsequentibus, cantores, presbyteri plures forte sexcentis, sive vicarii, sive parochi, sive canonici, episcoporum theologi, dein capitulorum procuratores, capitulum Claromontense in cappis aureis, episcopi suffraganei, Aniciensis, Lemovicensis, Tutelensis, Sancti-Flori et Claromontensis, in cappis supra rochetum et stolam rubris, mitram et baculum gerentes, vicariis generalibus comitantibus, praeeuntibus autem officiariis, tandemque eminentissimus cardinalis metropolitanus rubra cappa super albam et stolam indutus, praecedente crucigero caeterisque ministris, stipatus vicariis generalibus in rubris pluvialibus, et solus benedicens. Aderant copiae tum equestres, tum pedestres, tum concentum facientes, et innumera toto decursu fidelium frequentia quae domorum usque tecta invaserat.

Cum autem ad pulsum campanarum et organorum nuperrime structorum, cathedralem ingressi, loco suo singuli sedissent, decantata est missa votiva solemnis de Spiritu sancto, cuius inter solemnia pacis osculum ab eminentissimo cardinali celebrante cum pallio, in pontificalibus, datum reverendissimo domino domino episcopo Claromontensi et eiusdem capituli decano; episcopus autem singulis dedit coepiscopis et capituli decanus uni e canonicis ab altero alteri communicandum. Mox, quotquot aderant concilii tum patres tum adiutores, sacra communione refecti sunt ab eminentissimo cardinali.

Absoluta oratione *Placeat*, cantatae sunt statae preces et servati ritus omnes iuxta pontificale et caeremoniale Romanum pro inchoatione concilii. Cantum autem evangelii subsecuta est allocutio eminentissimi cardinalis:

„Reverendissimi praesules comprovinciales nostri; honoratissimi presbyteri adiutores nostri in Christo:

„Benedictus dominus Deus, qui nos voti compotes tandem efficit, dum celebrandae huic synodo ansam dedit. Optatus illuxit dies quo saluberrima pristini temporis consuetudo, quae diutius cessavit, sublatis iam impedimentis ac difficultatibus, initur iterum ac reviviscit. Unde, in primis bonorum omnium auctori summae exhibendae sunt gratiae, cum non possimus non agnoscere maximum, largiente divina providentia, collatum in ecclesiam beneficium. Quod utique iuxta spem conceptam proficiet, dummodo quae nos congregavit gratia congregatos prosequatur, ut opus pari qua coeptum est perficiatur felicitate. Quapropter, Deum enixe precemur qui inhabitare facit unius moris in domo, nec cessemus orantes, ut, fidelis in omnibus verbis suis, et promissi memor, prope sit omnibus nobis in ipsius nomine convenientibus, et in medio stans sanctae huius synodi, oculos mentis nostrae illuminet claritate superna, et indutos virtute ex alto adimpleat spiritu sapientiae et intellectus. Non valebimus utique eam adhibere medicinam, quae sanet tot tantasque contritiones, turbinum et tempestatum diuturna vi illatas, et obducat cicatricem filiae populi nostri, nisi, ipso duce et auspice, ea quae magis polleant ad depellendam luem rei tum catholicae tum civilis in exitium late grassantem, inveniamus remedia. Quod fore confidimus dum aemulatores antistitum illustrium qui in pluribus Galliarum provinciis sua iam habuere concilia, pari pietate ac zelo allaboraverimus, strenuam navantes operam ad corroborandam fidem, purgandos mores, instaurandam disciplinam, retundendos errores, et sanctae matris ecclesiae promovendam auctoritatem. Ea igitur mente opus aggrediamur, reverendissimi praesules comprovinciales nostri, et honoratissimi presbyteri adiutores nostri in Christo, singulisque et omnibus pro gravitate quaestionibus sedulo enucleatis ac maturius perpensis, ea, de hoc scientiae, doctrinae ac virtutis singulari promptuario, proferantur decreta quae apostolicae sedis magistra auctoritate sancita in lucem postea prodeant, tum rei catholicae ampliationi, tum sacerdotalis dignitatis decori, tum saluti fidelium totiusque populi christiani quieti ac prosperitati plurimum factura. Quem fructum laboris et studii amplissimum reportabimus, praestante gratia salvatoris nostri Dei, qui de nobismetipsis minime praesumentes exaudiet clamantes ad se, et deducet ad portum voluntatis nostrae, nempe ad finem illum quem indesinenter toto sanctae huius synodi decursu prae oculis habebimus, gloriam Dei et spiritualem uniuscuiusque nostrum, gregisque singulis praesulibus commissi divinitus proventum. Fiat! Fiat!"

Deinde concionem piam et luculentam habuit Tutelensis, de divina institutione et auctoritate ecclesiae, conciliumque omnium precibus commendavit, Claromontensi civitati gratulatus de antiquarum synodorum gloria et de huiusce concilii gratia.

Absoluto autem hymno *Veni creator*, postulatis promotoris annuens, eminentissimus cardinalis iussit legi decreta de aperienda synodo, de modo vivendi in concilio et de professione fidei; quae e suggestu promulgata sunt a concilii secretariis, et a reverendissimis patribus consueto verbo *Placet*, accepta.

Lecta deinde formula fidei professionis a sanctae memoriae Pio papa IV praescripta: quam fidem professi sunt, flexis genibus, singulatim, et super sancta evangelia iuraverunt concilii patres, et post eos bini et bini omnes synodales sacerdotes.

Facta fidei professione, secretarius e suggestu promissionem secreti postulavit, dicens: „Eminentissime pater et reverendissime domine, promittere dignetur eminentia vestra se nihil ex eis quae dicentur sive in generalibus sive in privatis congregationibus concilii esse revelaturam quod possit detrahere vel reverentiae concilio debitae vel honori cuiusvis personae; nec ulla decreta concilii scriptis publicis divulgaturam antequam typis mandata fuerint legitima auctoritate.

Eminentissimus cardinalis respondit: *Promitto.*

Pergens autem secretarius: Eminentissime pater et reverendissime domine, dignetur eminentia vestra a reverendissimis patribus et ab omnibus qui synodo intersunt eamdem promissionem postulare.

Respondit eminentissimus: *Fiat promissio.*

Surrexerunt, omnes et facie ad altare versa, elata voce responderunt: *Promitto.*

Indicta tandem ad dominicam diem proxime futuram secunda sessione, benedictionem impertivit eminentissimus cardinalis centumque dierum indulgentiam concessit, et processionaliter, ordine supra descripto, reditum est ad seminarium minus per viam Sancti-Genesii, plateas Desaix et Michaelis de l'Hospital, et per decursum Sablon dictum, decantando hymnum *Te Deum*, et circumastante densissima fidelium corona. Omnibus autem expletis erat hora sesquisecunda pomeridiana.

### CONGREGATIONUM GENERALIUM SERIES PRIMA.

A sessione autem prima ad secundam quatuor habitae sunt congregationes generales, nempe diebus octobris nona, decima, undecima, et duodecima.

Hora tertia vespertina, in atria philosophiae alumnorum, conveniebant patres et capitulorum procuratores in habitu chorali, theologi vero palliolo ecclesiastico supra talarem induti: recitabatur ante crucem archiepiscopalem, quae post evangeliorum librum eminebat, oratio *Adsumus*, legebantur a secretariis concilii decretorum adumbrationes (in congregatione de decretis exaratae; mox autem aliarum congregationum secretarii relationes et conclusiones de quaestionibus ibidem agitatis et pertractatis legebant; et adstantium concilii adiutorum unicuique sententiam suam aperire licebat; quod summa animi atque eloquii modestia, Deo favente, semper factum est. Omnibus autem perlectis et perpensis finem faciebat oratio *Sub tuum praesidium*; et, si tempus suppeteret, succedebant congregationum privata comitia, mane habitis superaddita. Patres vero tum decreta in congregatione generali proposita perficiebant, tum relationes et conclusiones de quibus supra accurato iudicio emendabant, et ad congregationem de decretis transmittebant. Quibus curis studio indefesso incumbebant, cum opus urgeret, mane et post meridiem aeque convenientes, davidicae [illegible] *Domine, dilexi decorem*

*domus tuae*; et de singulis ea sapientia disserentes quae apostolorum successores decet de quibus ait beatus Paulus: *Oportet episcopum doctorem esse modestum, non litigiosum*.

Hae sunt autem de quibus actum est in supradictis quatuor congregationibus generalibus quaestiones, videlicet:

In prima, *de summo pontifice; de residentia*.

In secunda, *de episcopis, de metropolitano, de synodo provinciali, de baptismo, de confirmatione, de eucharistia, de poenitentia, de extrema unctione et sepultura ecclesiastica*.

In tertia, *de iunioribus alumnis seligendis et praeparandis ut in seminario recipiantur; de ordine, de matrimonio, de oblationibus fidelium et casuali*.

In quarta, *de miraculis et prophetiis non recognitis et temere vulgatis, et de iis qui opiniones tanquam fidei dogmata propugnant; de lectione et usu scripturae sacrae; de propagandis bonis libris et approbandis scriptis quae ad religionem spectant, de libris prohibitis et mediis contra acatholicum proselytismum adhibendis*.

Propositae sunt etiam formulae decretorum quae a patribus absolutae in sessione secunda solemniter latae sunt.

## SESSIO SECUNDA.

Dominica post pentecosten vigesima prima, die octobris decima tertia, in festo sancti Geraldi confessoris, Auriliacensium comitis, et Arverniae protectoris, celebrata est secunda sessio concilii.

Hora matutina sesquioctava, processionaliter adierunt parochialem ecclesiam Montis-Ferrandi synodi patres necnon adiutores, rite ordinati, sanctorum litanias decantantes, praeeuntibus plurimis de clero, et concentum faciente militari agmine. Ecclesia autem concinne exornata, fidelium multitudine exundabat.

Sederunt reverendissimi patres et synodales sacerdotes et clerus omnis in choro, et, missa privata ab eminentissimo cardinali celebrata, absolutisque cantibus et ritibus pro hac concilii sessione praescriptis, postulante promotore, et iubente metropolitano, lecta sunt e suggestu a synodi secretariis decem decreta, scilicet: *de summo pontifice*, de episcopis, de metropolitano, de synodo provinciali, de baptismo, de confirmatione, de eucharistia, *de poenitentia, de residentia*, et *de indictione tertiae sessionis* ad feriam quintam proxime futuram, diem nempe decimam septimam octobris.

Cum autem secretario sciscitanti respondissent reverendissimi patres decreta sibi placere, eminentissimus metropolitanus Deo gratias agendas de more pronuntiavit, et dixerunt omnes: *Deo gratias*.

Tunc reverendissimus dominus episcopus Tutelensis, ea qua pollet eloquii facilitate et vigore, adstantes commonuit, tuendae fidei, sacramentorum vindicandorum et fovendae disciplinae gratia, concilia celebrari, et Montis-Ferrandi fideles adhortatus est ut intra eorum moenia celebratae synodi nunquam ex eorum animo excidat memoria.

Benedictione ab eminentissimo data, et centum dierum indulgentia ab ipso concessa, processionaliter ad seminarium hora undecima reditum est, hymnum *Te Deum* decantando.

### CONGREGATIONUM GENERALIUM SERIES SECUNDA.

Eadem die, necnon tribus subsequentibus, hora tertia pomeridiana, quinta autem feria, videlicet decima septima octobris, mane hora nona, habitae sunt congregationes generales.

In prima tractatum est de erroribus qui religionis et societatis fundamenta convellunt, de synodis dioecesanis, de vicariis generalibus, de capitulis, de praedicando verbo divino, de catechisandis pueris, de cura ac visitatione infirmorum, de agendi ratione circa res politicas.

In secunda, de reformandis ritibus contra regulas passim introductis, de cantibus in lingua vernacula intra officiorum solemnia, et de musica in ecclesiis, de parochis eorumque vicariis, de sanctificatione diei dominicae et festivitatum de praecepto, de festis suppressis aut translatis, de ieiunio et abstinentia, de clericis qui, inconsulto ordinario, scholas instituunt vel regunt.

In tertia, lectae sunt relationes de eleemosynariis, capellanis, aliisque sacerdotibus sine titulo, de habitu clericali et tonsura, de personis apud clericos commorantibus.

In quarta, argumento fuerunt quaestiones de unitate liturgica inducenda, de ordine servando inter clericos tam in choro quam in processionibus, de reliquiis et sacris imaginibus, iisque adhibenda reverentia praecavendisque ea de re abusibus, de reverentia his qui Deo sunt consecrati debita, de docendis ac discendis tum in maiori tum in minoribus seminariis, de directoribus et magistris seminariorum informandis.

In quinta, de consensu ordinarii ad instituendam quamlibet congregationem aut domum religiosam, de votis monialium, clausura, superioribus, confessariis in praesenti rerum statu, de vita et honestate clericorum et de iis quae clericis prohibentur.

Interea, advocati sunt a reverendissimis patribus in auxilium secretariorum concilii, domini Gabriel Virevaux, Antonius Rallière, Antonius-Paulus Faure, et Ludovicus-Maria Tardif, clerici dioecesis Claromontensis, qui diligentem navantes operam, quatuor exemplaria describerent actorum historicorum synodi a secretario exaratorum, necnon decretorum in sessionibus lectorum, unum autem ex his exemplaribus in archiepiscopali Bituricensi cancellaria, alterum in archivis episcopatus Claromontensis servandum; duo autem ad summum pontificem mittenda.

Statuerunt etiam reverendissimi patres quaestionem de iunioribus alumnis seligendis et praeparandis ut in seminario recipiantur, quaestionibus de sacramento ordinis iungendam. Consilium autem habuerunt de precibus emissis a congregatione cui tractandae obtigerant quaestiones de festis suppressis aut translatis, de ordine servando inter clericos tam in choro quam in processionibus, de ieiunio et abstinentia; isti enim congregationi minime de his quaestionibus decretum efficiendum arbitranti, satius visum fuerat rogare patres ut ea quae opportuna iudicaverint tum a sancta sede postulent, tum uniformiter pro tota ordinent provincia.

Consuluerunt etiam synodi patres de uniformi habitu chorali in capitula sua inducendo.

## SESSIO TERTIA.

Die octobris decima septima, celebrandae tertiae sessioni assignata, hora post meridiem tertia, convenerunt in aulam eminentissimi cardinalis, reverendissimi patres, rocheto et mozetta amicti, cappa autem magna et stola rubris indutus erat eminentissimus; adiutores vero concilii in habitu chorali steterunt prope atria; mox autem recitantes psalmum *Salvum me fac, Deus*, processerunt omnes ad sacellum seminarii ubi aderant plurimi de clero, praeibant autem reverendissimis patribus ministri ceroferarium et baculum pastorale eminentissimi archipraesulis gestantes.

Sederunt patres in choro, synodales autem sacerdotes in navi, et, recitatis precibus praescriptis,

cantatum est evangelium a diacono; mox autem ab omnibus hymnus *Veni creator*. A

Deinde ritu consueto, lecta sunt in praecedentibus congregationibus generalibus proposita et a reverendissimis patribus absoluta decreta, numero decem et septem, scilicet de synodo dioecesana, de vicariis generalibus, de capitulis, de miraculis et propheticis non recognitis et temere vulgatis, et de iis qui opiniones quasi fidei dogmata propugnant, de lectione et usu scripturae sacrae, de propagandis bonis libris, et de approbandis scriptis quae ad religionem spectant, de libris prohibitis et de mediis contra acatholicum proselytismum adhibendis, de reformandis ritibus passim contra regulas introductis, de cantibus in lingua vernacula intra officiorum solemnia, et de musica in ecclesiis, de habitu chorali clericorum, de extrema unctione et sepultura ecclesiastica, de ordine, de oblationibus fidelium et casuali; de clericis qui inconsulto ordinario scholas B instituunt vel regunt, de agendi ratione cleri circa res politicas, de praedicatione verbi divini, et de indictione sessionis quartae ad diem dominicam proxime sequentem.

Quae omnia decreta ab eminentissimo cardinali caeterisque patribus accepta fuerunt solemni placito.

Sessioni finem fecit benedictio ab eminentissimo cardinali data et concessae centum dierum indulgentiae publicatio; et processionaliter reversi sunt omnes ad aulam eminentissimi, recitando hymnum *Te Deum*.

## CONGREGATIONUM GENERALIUM SERIES TERTIA.

Altera, post celebratam sessionem tertiam, die, habita est, hora decima matutina, congregatio generalis in qua proposita sunt nonnulla decreta lectaeque relationes et conclusiones quae supererant legendae de obligatione pro clericis studio vacandi et de C selectu librorum, de collationibus ecclesiasticis, de iuniorum sacerdotum examine, de officialitate.

Statuerunt autem in congregatione privata reverendissimi patres provinciam in ultima sessione sacratissimo cordi Iesu solemniter consecrandam, conciliique labores et profectum patrocinio beatissimae Virginis deiparae sine labe conceptae rite commendandos.

Die octobris decima nona, in congregationibus generalibus mane hora decima, vespere autem hora quinta habitis, lectae sunt decretorum formulae. Iam laborum finem assecutae erant pridie omnes, citra eam quae de decretis, congregationes privatae.

Dominica vigesima secunda post pentecosten, die octobris vigesima († secunda), hora decima matutina, habita est decima quarta et ultima congregatio generalis, in qua lectae sunt quae supererant expendendae formulae decretorum. Qua D lectione peracta, synodales sacerdotes humanissimis verbis allocutus est eminentissimus cardinalis pro laboribus gratias rependens, et servanda concilii decreta commendans; atque fausta omnia a Domino precatus, effuso corde benedictionem impertivit.

Hora autem post meridiem secunda, in congregatione privata, reverendissimi patres decreta quae supererant omnia absolvenda compleverunt.

Decretum autem de docendis et discendis in seminario maiori perficientes, attenderunt quanti foret momenti pro ecclesiasticae scientiae incremento et ecclesiae honore ac bono peculiare, seminarium institui, in quo ingenio praestantiores clerici, iam studiorum theologicorum consuetum curriculum emensi, ecclesiasticis disciplinis perfectius comparandis nonnullos annos impenderent: sed propter temporum angustias alioque obices grave istud

## SESSIO QUARTA.

Hora eiusdem diei quinta vespertina, celebrata est, eodem ritu quo sessio tertia, in sacello seminarii maioris, quarta synodi sessio, adstantibus plurimis de clero, necnon quibusdam fratribus scholarum Doctrinae christianae, et hora septima absoluta est.

In ea lecta sunt decreta viginti, nempe: *de parochis eorumque vicariis; de eleemosynariis, capellanis aliisque sacerdotibus sine titulo; de reverentia iis qui sunt Deo consecrati debita; de congregationibus religiosis, de docendis et discendis tum in minoribus tum in maioribus seminariis; de directoribus et magistris seminariorum informandis; de sanctificatione diei dominicae et festivitatum de praecepto; de unitate liturgica inducenda; de reliquiis sanctorum et sacris imaginibus; de matrimonio; de catechisandis pueris; de cura et visitatione infirmorum; de habitu clericali et tonsura; de personis apud clericos commorantibus; de vita et honestate clericorum et de iis quae clericis prohibentur; de obligatione pro clericis studio vacandi, et de selectu librorum; de collationibus ecclesiasticis; de iuniorum sacerdotum examine; de officialitate, et de indictione quintae et ultimae sessionis ad crastinam diem.*

## SESSIO QUINTA ET ULTIMA.

Die vigesima prima octobris, finem habuit concilium. Hora septima, rhedis e seminario maiori ad seminarium minus, necnon et propter ingruentem vim imbrium, inde ad ecclesiam cathedralem Claromontensem perrexere synodi patres et sacerdotes adiutores.

Eodem, quo in prima sessione, ornatu fulgebat ecclesia, et aderant plurimi de clero et innumeri fideles.

Missa synodalis privata ab eminentissimo cardinali metropolitano celebrata est, sacraque synaxi ab eo refecti sunt et reverendissimi patres ac synodales sacerdotes. Precibus vero praemissis et ritibus servandis servatis, perlegerunt e suggestu secretarii concilii decreta *de erroribus qui religionis et societatis fundamenta convellunt, et de decretorum executione, promulgatione, atque beatissimae virginis Mariae sine labe conceptae, pro concilii laboribus et profectu, invocatione*; quae a patribus *Placet* respondentibus accepta fuerunt.

Mox lectum est, et placito reverendissimorum patrum acceptum, decretum *de testibus synodalibus et de vocandis nominatim cunctis concilii patribus et adiutoribus* qui vocati responderunt: *Adsum*.

Tunc lecto et accepto decreto *pro subscriptione decretorum*, singuli post eminentissimum cardinalem ad altare accedentes, illustrissimi ac reverendissimi domini domini episcopi ibidem subscriptionis testimonium collectioni decretorum celebratae synodi apposuerunt.

Lecta sunt deinde et approbata decreta *pro indictione proxime futuri concilii* ad annum millesimum octingentesimum quinquagesimum tertium, et *de fine praesentis concilii*; et declaravit eminentissimus cardinalis metropolitanus huicce concilio finem fieri et iam factum esse.

Postea, synodi patres et huic assistentes sacerdotes iis humanissime compellavit verbis:

„Reverendissimi praesules, comprovinciales nostri, honoratissimi presbyteri, adiutores nostri in Christo:

„Deo gratias, qui opus feliciter inchoatum felicius absolvit; nostro propitius adfuit labori, quem ipsius gloriae animarumque saluti omnino impensum non sinet abire fructu vacuum. Sed ea freti ope, quae [illegible] fecit, confidimus haud mediocria

bona ex hac nostra tam pie, tam unanimiter peracta A synodo proveatura. Una transactos tractandis tot tantisque ecclesiasticarum rerum negotiis dies haud immerito dixerimus, favente suprema misericordia, plenos fuisse coram Domino qui omnem sollicitudinem vestram, doctrinam, charitatem intuitus est, fovit et ampliavit, auctor idem et remunerator meritorum. Quae utiliter decrevimus pro temporum necessitate, pari vigilantia et zelo in dioecesibus nostris servanda singuli curabimus, quae maiorem sui observantiam ex auctoritate synodi sibi conciliabunt. Cum autem nullam vim habere queant, nisi a Romano pontifice approbata et confirmata, acta synodi quantocius dirigemus ad vicarium Christi examinanda et emendanda, ut, iuxta quod apostolico iudicio statuerit, prelo mandentur et promulgentur. Beatus ille pater acceptam utique habebit fidei nostrae obedientiam et pietatem, et ea in nos utetur, qua mirum in modum praecellit, benignitate; unde addentur uni- B cuique vires et animi ad faciendum strenue opus Dei. Ipsi vero praestabimus haud tenue solatium dulcissimae paternitati quae devotissimis filiis est corona gloriae et sertum exultationis.

„De caetero, patres reverendissimi et honoratissimi fratres, gratiarum actio et vox laudis Deo optimo qui consolatus est Sion et omnes ruinas eius, et adimplevit in nobis misericordiam cum, eo donante, tantam habuerimus fortunam. Non excidet animo gaudium quo perfusi sumus et etiam nunc perfundimur, ex ea praedulci societate quae omnia fecit communia, studium, laborem, affectum, mentem omnium idem sentientium, idem orantium, idem optantium. Nec reticebimus quod nobis pudori est, veritati testimonium perhibituri, quod sciet omnino verum vestra fraternitas, nisi prae nimia charitate coecutiat, nec diffitebimur metropolitanum, qui ex instituto ecclesiae praeesse debet, multum cedere C coepiscopis qui tanta virtutis ac doctrinae praestantia supereminent, totius provinciae decus et lumen. Det nobis Dominus tam praeclara subsequi vestigia horum antistitum, quos ut patres colimus, reveremur ut magistros, diligimus ut fratres. Iam revertemur omnes ad propria; sed corpore tantum disiuncti, animo non recedemus ab invicem. Memores igitur estote nostri semper et ubique in Domino, ea memoria qua unumquemque vestrum pectori nostro insitum iugiter habebimus, et adiuvantes nos mutuo in orationibus nostris ad Deum, in excolenda vinea nostra minuemus laborem, augebimus fructum."

Mox autem reverendissimus dominus dominus episcopus Sancti-Flori e suggestu, egregio sermone evolvit collatam omnem concilii operam in profligandis exitialibus istius temporis erroribus, et firmanda auctoritate, et emendandis fidelium mo- D ribus et fovenda ecclesiastica disciplina, ad Dei gloriam et totius populi christiani salutem.

Peracta concione, omnibusque genu flectentibus, eminentissimus cardinalis provinciam totam sacratissimo Iesu, et immaculato beatissimae virginis Mariae cordi ea oratione devovit.

„O cor amantissimi Iesu, in quo sunt omnes thesauri bonitatis et misericordiae divinae, cor dulce, cor amabile, ex quo prodiit et efformata est sancta quae nos peperit ecclesia, humilis congregationis nostrae suscipe novissima vota. In nomine tuo convenimus et sub influxu gratiae tuae operati sumus, consiliis nostris et propositis regnum aeterni patris tui in dies promoturi. Spiritus tuus requievit super nos, quos et sui roris intima aspersione foecundavit. Perennes sint tibi gratiae quod non despexeris deprecationem nostram. Nunc autem, o benignissimum cor Iesu, ad quid leges istae quas condidimus, et consilia quae comparavimus, nisi interna lex tui amoris flectat corda subditorum et acceptam faciat ordinationem nostram? Tu es ille cordium dominator et custos qui aperis et nemo claudit, claudis et nemo aperit. Accipe corda nostra et occupa plebem nobis commissam, ut quod infirmitas nostra non valuit, id efficiat unctio omnipotentis charitatis tuae. Te unicum regem volumus, te ducem, te pastorem omnium ovium nobis concreditarum. Episcopatum nostrum in te refundimus. Accipe has amplissimas dioeceses, quibus sponsa tua et mater nostra ecclesia humilitatem nostram praeposuit, has civitates, regiones has, totam hanc provinciam Bituricensem quae nobis obtigit. Hanc tibi penitus dicatam intendimus et unanimi voto solemniter consecramus.

„Effunde super nos famulos tuos divitias misericordiae tuae, ut ecclesiae sanctorum digne praeesse valeamus, et paternae charitatis in filios viscera induamus. Unum simus, o mitissime Iesu, sicut pater tuus et tu unum estis, unum etiam nobiscum sint fideles cooperatores nostri in regimine animarum, universus clerus ille quem benignitas tua nobis comparavit et inexhausta sanctitas perficiet. Extende ad totum populum fidelem effusionem tuae gratiae. O amantissimum cor Iesu, serva illum ab ingruentibus malis; serva a perfidissima errorum pernicie, ab impurissima vitiorum colluvie. Arce a lateribus eius inimicum hominem; arce impietatis contagium, indifferentiae lethale frigus. Esto nobis omnibus refugium et virtus, et in altitudine sacratissimi vulneris tui reconditi, simus ab omni periculo liberi, ab omni labe immunes, accendamur mundo tui amoris igne, et ita te redamemus, ut frustra nos amasse non doleas, salvasse in aeternum exultes.

„Adsis etiam, o cor immaculatum beatissimae matris; tibi quoque dicatam volumus provinciam Bituricensem: in hanc dominare, huic faveas, ad perfectum divini filii tui cultum hanc perducas. Amen."

Tunc, e suggestu cantatae sunt a secretario concilii, respondentibus omnibus, solemnes acclamationes:

1. Omnipotenti Deo, substantialiter uni, trino personaliter, a quo et per quem omnia, * sit ab omni creatura honor et gloria in saecula.

Sit . . . .

2. Sacratissimo cordi salvatoris nostri Dei, ad omnes patenti ut super omnes effundat immensae charitatis suae inaestimabiles divitias, et cui ultro se vovet, consecrat tota cum hac synodo provincia, * sit cordium nostrorum pie redamantium devotio plena et arcta coniunctio.

Sit . . . .

3. Immaculatae virgini deiparae matri nostrae ac dominae, quam summo pietatis affectu venerabundi prosequimur, * sit ore consono, mente concordi, canticum laudis et devotionis praeconium.

Sit . . . .

4. Summo hierarchae nostro sanctissimo Pio papae IX, quem, Gallorum ope fretum, almam in Urbem feliciter reduxit dextera Domini, * sit ad bonum totius ovilis Christi regimen, abundantia pacis et diuturnitas vitae.

Sit . . . .

5. Eminentissimo et reverendissimo cardinali archiepiscopo Bituricensi, metropolitano provinciae, qui tantam sollicitudinem coadunandae synodo exhibuit, et coadunatae tanta praefuit sapientia, * sit ab omnibus gratiarum actio, et a Deo retributio multa.

Sit . . . .

6. Illustrissimo ac reverendissimo Claromontensi A episcopo qui comprovinciales antistites et ecclesiasticos viros ad concilium convenientes humanissimo excepit ac fovit hospitio, necnon et illustrissimis ac reverendissimis praesulibus qui, unanimes in domo, curam omnem et operam contulerunt ad promovendum in hacce provincia regnum Dei, * sit omnimoda consolatio, larga meritorum copia, merces laborum amplissima.

Sit . . . .

7. Omnibus et singulis presbyteris quos laboris in partem reverendissimi patres adsciverе, * sit salus, benedictio, plurimus in diem messis aeternae proventus.

Sit . . . .

8. Dilectissimae Galliae nostrae, tot procellarum exagitatae turbinibus, ac tot errorum morbis laboranti, oriatur a Domino sanitas et tranquillitas magna, et * sit cum augmento fidei et charitatis, B perennis prosperitas et iugis gloria.

Sit . . . .

9. Nobili et christianae Arvernorum civitati, conciliis suis percelebri et sanctis suis venerabili, quae cum inclytis viris illis qui ad eam tuendam et moderandam in sublimitate sunt, se tam religiose, tam pie gessit erga hanc provincialem synodum, * sit altissimi protectio, sanctorum tuitio, bonorum omnium adeptio.

Sit . . . .

10. Haec provincialis synodus feliciter absoluta multos tum in clero tum in populo faciat fructus, sancitasque leges pari studio et observantia complectamur:

Fiat, fiat, favente Dei gratia, qui hanc nobis dedit voluntatem.

11. Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia: C

Pax et misericordia in saecula saeculorum. Amen. Amen.

Completis acclamationibus, osculo pacis se vicissim osculati sunt eminentissimus cardinalis et reverendissimi episcopi et sibi dixerunt vale in Domino.

Benedictione quam solemnissima ut in pontificali describitur, benedixit omnibus eminentissimus synodi praeses, et a se concessam centum dierum indulgentiam denuntiari iussit.

Dein, adstantibus reverendissimis episcopis occidentalem portam pertransiens, benedixit solemniter primarium lapidem ad perficiendam, multis a saeculis interruptam, ecclesiae cathedralis aedificationem: benedictum lapidem posuit de more malleo percutiens; quod et post eum omnes et singuli episcopi.

Eodem modo quo ventum fuerat reditum est. D

Exeunte hora undecima, seminarium Montis-Ferrandi omnes receperat.

Prandio finem imposuit lectio martyrologii quae sic incepit:

Duodecimo calendas novembris, anno Christi millesimo octingentesimo quinquagesimo, in aedibus seminarii maioris Claromontensis, absolutum est quam solemnissimo ritu, praesidente eminentissimo cardinali archiepiscopo Bituricensi, assistentibus illustrissimis ac reverendissimis dominis dominis patribus episcopis Claromontensi, Sancti-Flori, Tutelensi, Lemovicensi, Aniciensi, concilium provinciale Bituricense.

Deo gratias qui hanc restituit ecclesiae suae libertatem. Benedicat ipse de Sion synodi huiusce eminentissimo praesidi et reverendissimis patribus, et videant bona Ierusalem omnibus diebus vitae suae, et videant pacem super Israel.

Sit ab eo retributio gratiae et coelestis gloriae hominibus virtute magnis et prudentia praeditis qui ad hanc synodum convenerunt. In viam pacis et prosperitatis perducat omnes omnipotens et misericors Dominus, ut cum salute et gaudio revertantur ad propria. Et utinam, favente Deo, et intercedentibus beata virgine Maria sine labe concepta cunctisque provinciae protectoribus, iterum elapso triennio, praesidente praelaudato eminentissimo cardinali, archiepiscopo Bituricensi, et iisdem assistentibus reverendissimis episcopis, celebretur concilium ad maiorem Dei gloriam et ecclesiae suae utilitatem.

Concilii secretarii laboribus suis sero finem imposuerunt, codicibus omnibus tum actorum tum decretorum synodi confectis, et cui tradendi erant traditis, combustis vero eorumdem codicum chartis praeparatoriis.

Eminentissimus cardinalis, necnon reverendissimi domini domini episcopus Tutelensis Claromontio profecti sunt postera die, caeteri autem episcopi die subsequenti.

Et absolutum est concilium provinciale Bituricense, sex et decem diebus celebratum, habitis quatuordecim congregationibus generalibus, quinque autem sessionibus, et elucubratis sex et quadraginta decretis quae ad sanctissimum Dominum nostrum papam ipsius examini subiicienda, per eminentissimum cardinalem metropolitanum mittentur; et ab ipso emendata et probata in universa provincia promulgabuntur et servabuntur, favente Dei gratia, qui concilii inchoandi auctor fuit, et Spiritum sapientiae et intellectus, charitatis et pacis super omnes ibidem congregatos effudit, cui benedictio et claritas et gratiarum actio pro tanto beneficio in saecula saeculorum. Amen.

## SYNODUS DIOCESANA CATALAUNENSIS

1850, ante octobris 18.

Synodus dioecesana Catalaunensis in Gallia, celebrata anno 1850, ante diem 18 octobris, sub Maria-Iosepho-Francisco-Victore Monyer de Prilly, episcopo Catalaunensi.

De hac synodo confer opus cui titulus:

Statuts synodaux et règlements du diocèse de Chalons, publiés par monseigneur M.-J.-F.-V. Monyer de Prilly, évêque de Châlons. Châlons, imprimerie de T. Martin, place du Marché-au-Blé, 54. 1850. In-8°, IX-39 p. — Lyon, abbé Martin.

Pag. IX, haec statuta edita sunt Catalauni, sub die 18 octobris 1850, post synodum dioecesanam.

## CONVENTUS EPISCOPORUM PROVINCIAE MEDIOLANENSIS

1850 novembris 27.

Conventus episcoporum provinciae Mediolanensis, sub Bartholomaeo Romilli, archiepiscopo Mediola-

Milano, li 27 novembre 1850.

## PRIMA SEDUTA.

Dietro grazioso invito di sua eccellenza l' arcivescovo di Milano, comunicato ai vescovi comprovinciali con lettera in data 19 settembre anno corrente, si riunirono gli illustrissimi e reverendissimi suffraganei, menò gli illustrissimi e reverendissimi monsignori di Lodi e di Bergamo, a conferenza privata nel palazzo arcivescovile, il giorno 27 novembre 1850. Dopo avere invocato i lumi dello Spirito santo colla recita del *Veni Creator* fatta in comune nella cappella privata, raccoltisi da soli nella sala a ciò destinata, si aprì la seduta con un discorso latino, tenuto da sua eccellenza l' arcivescovo, nel quale il metropolita ringraziando i suoi reverendissimi suffraganei del loro volonteroso intervento alla conferenza, felicitossi con loro di questa bella unione, e ne trasse argomento di liete speranze pel bene della chiesa.

Prima poi di entrare nella discussione delle materie, trovarono tutti conveniente di nominare un segretario della conferenza; i reverendissimi prelati a voti unanimi hanno scelto il molto reverendo signor don Giuseppe Torchio, rettore attuale del seminario maggiore di Milano, ritenendo i rispettivi segretarj come cancellieri secondo il bisogno.

Gli illustrissimi e reverendissimi vescovi hanno pur trovato opportuno di mandare una deputazione dei due vescovi decani a sua altezza il principe di Schwarzenberg, per presentargli gli ossequii dei vescovi radunati.

Indi, in base al programma stato spedito da sua eccellenza il metropolitano a tutti gli illustrissimi monsignori, cominciossi la discussione delle materie, proponendosi in primo luogo:

I. *Se sia effettivamente e prontamente a mandarsi a Vienna una deputazione dell' episcopato Lombardo, per chiedere l' applicazione delle leggi sovrane in favor della chiesa, anche prima della pubblicazione dello statuto. — E, nel caso affermativo, come effettuare tale deputazione, se in unione ai vescovi delle provincie Venete, e principalmente con quale mandato e istruzione.*

Dopo varie osservazioni, convennero tutti nel sentimento che, prima di spedire la deputazione, si stendesse un ricorso all' imperatore, diretto ad ottenere l' applicazione delle leggi sovrane in favor della chiesa anche prima della pubblicazione dello statuto; che detto ricorso fosse mandato al nunzio pontificio di Vienna, pregandolo di presentarlo a sua maestà, e poi riferire ai vescovi, se, oltre il ricorso, egli trovi conveniente che venga inviata la suddetta deputazione; che una copia del ricorso medesimo si spedisse pure ai vescovi delle provincie Venete invitandoli ad aderirvi; ed un' altra a sua santità per tenerla informata delle presenti determinazioni dell' episcopato Lombardo. Quando poi la deputazione avesse effettivamente a spedirsi, fu unanime sentimento di dare alla medesima un mandato con ampie attribuzioni.

II. Fu proposto il secondo quesito del programma. *Se la convocazione del concilio provinciale debba farsi anche prima delle nuove leggi dello statuto.*

Su questo punto convennero tutti i prelati nella risposta negativa, trovandosi da tutti conveniente di aspettare a tempo più opportuno. Perciò fu omessa la discussione dell' altro articolo indicato nel programma risguardante la *commissione da istituirsi per lo studio e la disposizione dei preliminari di esso concilio.*

III. In terzo luogo fu proposto, e da tutti assentito, che si avesse a redigere un *memoriale al santo* A *padre sull' amministrazione dei beni ecclesiastici, e sulle leggi matrimoniali in prevenzione al concordato, che, come annunciò il ministero, sta per conchiudersi tra la santa sede e sua maestà l' imperatore.*

Poi sull' osservazione, che le materie sono diverse, si convenne di stendere due distinti memoriali, l' uno risguardante le leggi matrimoniali, l' altro l' amministrazione dei beni ecclesiastici. Quanto al primo fu suggerito di toccare i diversi punti in cui il codice Austriaco trovasi o in diretta opposizione colle leggi canoniche, come sarebbero i paragrafi risguardanti l' impedimento dei minorenni, e la gravidanza scoperta nella moglie posteriormente al matrimonio, o non in perfetta consonanza colle medesime, come in ciò che riguarda l' effetto dei sponsali.

Quanto al secondo si stabilì di esporre al santo padre lo stato in cui trovasi attualmente presso di noi l' amministrazione dei beni ecclesiastici, accen- B nando in particolare quanto ai subeconomi, che sebbene siano nominati dall' imperiale reale governo, sono però proposti dai vescovi.

La redazione di questi due memorali al santo padre, come pure del ricorso a sua maestà l' imperatore, venne affidata al segretario della conferenza con facoltà di valersi dell' opera dei segretarii vescovili, intervenuti essi pure alla conferenza.

IV. Fecesi quindi la proposta: *Se e quali provvedimenti siano in via d' urgenza, anche prima del detto concilio, da adottarsi in comune dell' episcopato Lombardo, allo scopo di reprimere gli abusi della stampa, e promuovere la diffusione die buoni libri.*

Si osservò dapprima non convenire nelle attuali circostanze il domandare la soppressione della libertà della stampa. A diminuirne tuttavia possibilmente i danni e i pericoli trovossi conveniente che i vescovi in una circolare al clero e al popolo raccomandassero C caldamente il rispetto e l' osservanza delle leggi ecclesiastiche sulla proibizione dei libri; accennando particolarmente alla bibbia del Diodati, intorno alla quale essendosi proposto se convenisse stabilire qualche pena o censura particolare, o farne oggetto di riserva, i prelati sospesero la decisione per maturar meglio la cosa.

Quanto al promovere la diffusione dei buoni libri, essendosi da tutti riconosciuta l' importanza, ed apprezzati gli ottimi effetti che si potrebbero sperare da siffatto provedimento, si accennarono diversi autori ed opere giudicate più opportune in questi tempi, oltre le quali si convenne che ciascuno in seguito proponesse quelle che gli venissero suggerite migliori per farne poi di comune accordo un elenco, e di mano in mano stamparle e diffonderle al minor prezzo possibile, e nel modo che si troverebbe più conveniente.

D V. Venne, per ultimo, letto dal segretario il paragrafo risguardante gli accordi di pratica condotta in linea di disciplina ecclesiastica nelle presenti circostanze. Essendo però l' ora già tarda, si trovò più opportuno di differire la discussione di questa ampia materia alla seguente seduta.

Milano, li 28 novembre 1850

## SECONDA SEDUTA

Riunitisi anche oggi in seduta gli illustrissimi e reverendissimi prelati, meno ancora gli illustrissimi e reverendissimi monsignori di Bergamo e di Lodi, e premesse le consuete preci in principio della congregazione, si cominciò dal leggere il processo verbale delle cose trattate nella seduta antecedente, il qual processo venne approvato.

Essendosi quindi da sua eccellenza reverendissima proposto il dubbio, se il ricorso debba dirigersi

all' imperatore o al ministro del culto, si trovò più A conveniente d' indirizzarlo a sua maestà, unendovi però due accompagnatorie, l' una al ministro del culto, pregandolo dei suoi buoni uffizj, l' altra al nunzio pontificio, a cui sarebbe spedito il ricorso stesso colla preghiera di presentarlo, se così trova opportuno, e poi riferire, se oltre il ricorso, come già si disse, abbiasi anche a spedire a Vienna una deputazione dell' episcopato Lombardo.

I. Si passò in seguito alla discussione jeri soltanto annunziata sugli *accordi di pratica condotta in linea di disciplina ecclesiastica da adottarsi nelle presenti circostanze.* — Su di che, essendosi in primo luogo proposto di stabilire qualche cosa intorno all' abito ecclesiastico, dopo varie osservazioni dell' uno e dell' altro prelato in senso diverso, si convenne, che si avessero a chiamare in vigore le leggi di ciascuna diocesi, promovendone l' esatta osservanza in quei modi più efficaci che la prudenza dettasse B a ciascun vescovo.

II. Venne in secondo luogo proposto di richiamare in vigore l' osservanza delle leggi ecclesiastiche intorno alla convivenza dei sacerdoti con persone di sesso diverso. E per meglio promovere questa osservanza si stabilì di obbligare con apposito editto tutti e ciascun sacerdote a notificare le persone di servizio colle quali convivono, producendone la fede di nascita e di moralità al superiore, per riportarne il relativo permesso.

III. Si parlò dipoi delle sagre, a cui intervengono in dì festivi i sacerdoti in cura d' anime abbandonando la propria parrocchia, e si decise di obbligarli a provvedere in tali occasioni che nelle loro parrocchie non siano omesse le funzioni tanto della mattina che del dopo pranzo, raccommandando loro in modo speciale il buon andamento della dottrina cristiana.

IV. Su questo punto della santificazione delle feste si convenne d' indirizzare a sua altezza il principe luogotenente una lettera, onde pregarlo a far osservare le leggi già promulgate su questo proposito, accennando in particulare il bisogno di far vegliare le osterie, massimente nella campagna, nei tempi destinati alle sacre funzioni.

V. Essendosi proposto in seguito se, ad ottenere nei seminarj teologici un insegnamento più sicuro ed uniforme, convenisse obbligare i professori a stampare il proprio testo; trovandosi in questo diverse le opinioni a norma delle diverse circostanze di ciascuna diocesi, si conchiuse che ciascun vescovo si attenesse a quello, che più trovasse opportuno.

VI. Si lesse quindi una supplica a sua eccellenza e ai vescovi radunati, di monsignor Corridori, arciprete del capitolo di Santa Barbara in Mantova, tendente ad implorare i buoni uffizj dei vescovi D stessi per la conservazione di esso capitolo e dei suoi privilegi. Su di ciò i vescovi pregarono sua eccellenza a presentare la stessa supplica a sua altezza, raccomandandola a nome di tutti per quei riguardi che saranno trovati del caso.

VII. Fu letta pure una supplica del direttore e di due sacerdoti del seminario per le estere missioni eretto in Saronno, colla quale si domandava: 1. la formale erezione del collegio per mezzo del voto espresso di tutti i vescovi, in esecuzione del decreto ministeriale; 2. che la nomina del superiore della casa venga approvata dalla sacra congregazione di Propaganda; 3. che si designi alla casa di Saronno una determinata provincia da evangelizzare, e preferibilmente la Micronesia; 4. che si ottengano dalla Propaganda di Roma lettere commendatizie presso i consigli centrali di Parigi e di Lione; 5. se le in Milano; 6. finalmente, che gli alunni del seminario per le missioni sieno considerati dai proprj vescovi come appartenenti alle proprie diocesi.

Ai primi due capi di questa supplica fu assentito per acclamazione; al 3. fu pure assentito per quanto spetta ai vescovi, purchè sia dato il voto dalla Propaganda; al 4. affermativamente; riguardo al 5. la cosa fu rimessa al giudizio di sua eccellenza e di monsignor di Pavia; al 6. fur pure assentito per acclamazione.

VIII. Essendo stato da poco tempo spedito dal governo ai vescovi il progetto d' un piano d' organizzazione dei ginnasii e delle scuole tecniche nell' impero Austriaco, fu incaricato il molto reverendo segretario di monsignore di Crema di fare un estratto dei punti, che vi si trovassero in collisione coi diritti dei vescovi, e riferire le sue osservazioni.

IX. Si fece rimarcare l' abuso non infrequente che havvi nell' amministrazione di beni ecclesiastici e di cause pie per parte degli amministratori subeconomi, i quali applicano alle volte arbitrariamente, e senza la dovuta dipendenza le rendite di un beneficio a vantaggio di un altro, e si stabilì di fare anche su questo espresso reclamo all' autorità competente.

X. Anche riguardo ai sacerdoti che sono dall' autorità civile presi in cattivo aspetto, e rimossi o impediti dal libero uso ed esercizio dei loro diritti e doveri si trovò necessario di fare di nuovo presso l' imperiale reale luogotenenza un riclamo concorde di tutti i prelati, onde nel procedere contro sacerdoti siano osservate le forme legali.

XI. Propostosi quindi quali tra i vescovi si dovessero scegliere per la deputazione a Vienna, nel caso che il nunzio pontificio riferisse essere opportuno spedirla, dopo varie osservazioni si rimise la decisione all' indomani.

XII. Trovandosi conveniente l' informare dell' operato i vescovi della provincia Veneta, ed interpellarli della loro adesione e consenso ai provvedimenti e alle misure che si adottano dall' episcopato Lombardo, fu scelto il segretario di monsignor di Mantova per recarsi in deputazione al patriarca di Venezia, onde consegnargli copia dell' indirizzo a sua maestà, e interrogarlo se i vescovi Veneti vi aderiscano, e consentano o di scegliere uno fra loro per recarsi a Vienna insieme al vescovo Lombardo, o in caso diverso far conoscere ai due deputati Lombardi le loro intenzioni da significarsi a sua maestà.

XIII. Per ultimo si fecero alcune osservazioni sulla convenienza e sul modo di procurare al clero un facile mezzo di farsi laureare in teologia e diritto ecclesiastico; e si conchiuse per ora doversi differire la decisione su tal materia. Affine poi di premunire il giovane clero contro gli errori del giorno, si convenne che i vescovi debanno raccomandare ai rispettivi professori di dogmatica nei seminarj, che ne trattino espressamente nelle loro spiegazioni.

Con ciò venne chiusa la seconda seduta.

Milano, li 29 novembre 1850.

## TERZA SEDUTA.

Premesse, come jeri, le consuete preghiere in principio della congregazione, unironsi per la terza seduta gli illustrissimi [e] reverendissimi prelati, meno quelli di Lodi e Bergamo.

I. Si lesse dapprima il processo verbale della seduta antecedente, e fattevi alcune poche rettificationi venne approvato.

II. In seguito fu letto l' indirizzo da spedirsi a sua maestà, il quale nella sostanza e in massima

venne approvato. Essendosi però manifestato il desiderio, che questo indirizzo venisse maturamente esaminato da un'apposita commissione, sua eccellenza reverendissima, col voto degli altri prelati delegò a questo oggetto i reverendissimi monsignori di Mantova e di Pavia coi loro secretarj.

III. Si lesse in terzo luogo la lettera da indirizzarsi a sua altezza il principe luogotenente sulla santificazione delle feste, e fattevi alcune aggiunte dal comun voto desiderate, venne approvato.

IV. Seguì poi la lettura del rapporto sulle leggi matrimoniali contenute nel codice Austriaco in confronto alle leggi canoniche. Fu approvato in massima, ma si convenne di esaminarlo di nuovo e maturamente.

V. Sentite quindi le osservazioni del molto reverendo segretario di monsignor di Crema sul progetto governativo per le scuole ginnasiali e fattasi publicamente lettura del rapporto del ministro Thun sull'istruzione, fu convenuto che ciascun vescovo delegasse il rettore o prefetto degli studj del proprio seminario per le opportune osservazioni, le quali verranno trasmesse a sua eccellenza reverendissima, onde quando vi sia d'uopo, fare su questo un comune rapporto.

VI. Avendo la commissione delegata terminato l'esame dell'indirizzo all'imperatore, sene fece di nuovo lettura, e dopo qualche discussione sopra alcuni punti, che furono ritoccati, l'indirizzo venne approvato.

VII. Si rilesse parimente il memoriale sul matrimonio, e si esaminò diligentemente in tutti i punti, ritoccandolo dove parve opportuno, convenendo da ultimo di sottoporlo di nuovo ad esame.

Così ebbe fine la terza seduta.

Milano, li 30 novembre 1850.

## QUARTA SEDUTA.

I. Apertasi, come di solito, la seduta, alla quale ancora non intervennero gli illustrissimi e reverendissimi monsignori di Lodi e di Bergamo, si lesse dapprima e si approvò il processo verbale della seduta precedente.

II. Si lesse in seguito e si approvò il memoriale da dirigersi a sua santità sull'amministrazione dei beni ecclesiastici.

III. Indi, si passò a leggere il voto del signor professore Vegezzi sul punto di discussione, se convenisse o no stabilire qualche censura o riserva contro quelli, che senza legittima facoltà leggono o ritengono libri proibiti e massime la bibbia del Diodati; e si convenne di stendere e firmare in comune una circolare di tutti insieme i vescovi al clero, con cui raccomandare caldamente l'esatta osservanza delle prescrizioni pontificie sulla detenzione e lettura dei libri proibiti in generale e in special modo delle bibbie non approvate, accennando tra queste particolarmente quella del Diodati, e impegnando altresì lo zelo e la vigilanza dei sacerdoti a impedire con ogni sforzo possibile la diffusione dei cattivi libri.

IV. Propostosi quindi di stabilire, quali tra i vescovi dovranno spedirsi in deputazione a Vienna, nel caso che vi fossero chiamati o dal nunzio, o dall'imperatore, si convenne che prima s'avesse a determinare il mandato da darsi ai vescovi deputati. Ciò fatto, di comune accordo, vennero scelti per la deputazione monsignor vescovo di Como quale anziano dei vescovi radunati, e monsignor di Pavia come conoscente la lingua tedesca. I due prelati accettarono colla condizione richiesta dal primo ed assentita dall'altro, che vi si recassero entrambi, anche nel caso che si unisse alla deputazione un vescovo della provincia Veneta. Fu poi convenuto, che i due inviati verrebbero muniti di apposita lettera di mandato per parte degli altri vescovi, e che in questa lettera sarebbero indicati i titoli sopra accennati per cui furono scelti.

V. Seguì la lettura dell'accompagnatoria al nunzio pontificio, con cui si prega a presentare l'indirizzo all'imperatore e copia del medesimo al ministro del culto, e in pari tempo a riferire se giudichi opportuno di spedire a Vienna la suddetta deputazione dei vescovi. Ritoccata questa accompagnatoria in alcuni punti, venne approvata.

VI. Essendosi richiamato ad esame se convenisse inoltrare al ministero il riclamo intorno ai diversi abusi sull'amministrazione dei beni ecclesiastici per parte dei subeconomi, di cui si parla al paragr. 9 della seconda seduta, ponderatasi meglio la cosa, si trovò più opportuno di astenersene.

VII. Fu letta ed approvata la lettera al patriarca di Venezia che accredita il molto reverendo segretario di monsignore di Mantova a presentare al medesimo gli atti della conferenza, e a richiederlo dell'adesione e consenso dei vescovi Veneti alle misure adottate dall'episcopato Lombardo per ottenere le libertà religiose.

VIII. Monsignor di Pavia lesse in seguito l'atto di fondazione del collegio per le estere missioni, eretto in nome e col voto di tutti i vescovi Lombardi, e la supplica in nome dei medesimi alla congregatione di Propaganda in Roma, per ottenere al collegio suddetto quelle domande, di cui si parla al paragr. 7 della seduta del giorno 28; e tanto al primo che alla seconda i prelati assentirono pienamente.

IX. Venne poi letta ed approvata la lettera di mandato pei due vescovi che dovessero partire in deputazione per Vienna.

X. Seguì poi la lettura della circolare al clero intorno all'osservanza delle prescrizioni pontificie sui libri proibiti, e massimamente sulle bibbie, e, fatte alcune modificazioni, fu approvata.

XI. Fu pure letta, ritoccata ed approvata la lettera al principe luogotenente, con cui lo si interessa a terminare le pendenze politiche sugli ecclesiastici presi dall'autorità in sospetto e rimossi o impediti dal libero esercizio dei loro uffici.

XII. Per ultimo, letta e ritoccata parimenti la lettera al ministro del culto, onde impegnarlo ad interporre i suoi buoni uffici presso l'imperatore, coi quali agevolare il prospero esito dell'indirizzo spedito a sua maestà, fu pur essa approvata, e conchiuso di farla tenere al ministro suddetto per mano del nunzio.

Con ciò si sciolse la quarta seduta.

Milano, il 1 dicembre 1850.

## QUINTA ED ULTIMA SEDUTA.

I. Premessa, giusta il consueto, la lettura del processo verbale della precedente seduta, ed approvatolo, i prelati intervenuti a quest'ultima seduta convennero dapprima, che per agire conformemente, pubblicassero tutti la circolare intorno all'abito ecclesiastico nel medesimo tempo, e stabilirono di pubblicarla in principio del prossimo gennajo, accennando nella circolare medesima che dessa si pubblica per determinazione presa concordemente dai vescovi nella conferenza.

II. Venne in secondo luogo letta, ritoccata ed approvata la lettera al pontefice accompagnatoria dei memoriali e degli altri atti della conferenza.

III. Furono in seguito dai reverendissimi prelati apposte le firme ai sottoindicati pezzi di cui si conserva una copia autentica negli atti della conferenza, e di comune accordo fu stabilito di spedirli anche agli illustrissimi e reverendissimi e monsignori di Lodi e di Bergamo non intervenuti alla conferenza medesima, proponendo loro che se aderiscono agli atti, li onorino della loro firma.

IV. I pezzi firmati dai reverendissimi prelati sono i seguenti:

1. Accompagnatoria degli atti della conferenza al pontefice.

2. Memoriale al pontefice sul matrimonio. (Allegato A.)

3. Altro memoriale al pontefice sulle proprietà ecclesiastiche in Lombardia. (Allegato B.)

4. Indirizzo a sua maestà. (Allegato C.)

5. Circolare al clero sulla lettura delle bibbie e dei libri proibiti. (Allegato D.)

6. Atto di fondazione del collegio per le missioni estere. (Allegato E.)

7. Mandato ai due vescovi da spedirsi in deputazione a Vienna.

8. Lettera a sua altezza il principe luogotenente sulla santificazione delle feste. (Allegato F.)

9. Lettera al patriarca di Venezia, con cui presentare gli atti della conferenza.

10. Lettera al nunzio, con cui gli si accompagna l'indirizzo da presentarsi all'imperatore.

11. Lettera al ministro del culto interponendo i suoi buoni ufficj presso l'imperatore.

12. Lettera a sua altezza il principe die Schwarzenberg sui preti presi in sinistra parte dall'autorità politica. (Allegato G.)

Essendo già stati esauriti tutti gli argomenti, sui quali i prelati intendevano conferire, il metropolita dichiarò sciolta la conferenza. Allora si recarono tutti nella cappella per rendere in comune le dovute grazie al Signore, e implorare le benedizioni del cielo sulle disposizioni da loro prese in questa conferenza a bene delle anime, e *ad maiorem Dei gloriam.*

*Sottoscritti:* Bartolomeo Carlo, arcivescovo.
Carlo, vescovo di Como.
Giuseppe, vescovo di Crema.
Giovanni, vescovo di Mantova.
Angiolo, vescovo di Pavia.
Antonio, vescovo di Cremona.
Girolamo, vescovo di Brescia.
Gaetano, vescovo di Lodi.

*Firmato:* Sacerdote Giuseppe Torchio, segretario della conferenza.

Il sottoscritto, in adempimento dell'espresso incarico degli illustrissimi e reverendissimi prelati D adunati nella conferenza, presentò gli atti della medesima all'illustrissimo e reverendissimo monsignor conte Gaetano Benaglio, vescovo di Lodi, il quale presane cognizione consideratamente, vi aderì pienamente, apponendovi, in segno di questa adesione la propria firma; e ciò il giorno quattro dicembre 1850, nel palazzo vescovile di Lodi.

In fede

*Sottoscritto:* P. Carlo Candiani, secretario arcivescovile.

*Concorde:* † Bartolomeo Carlo, arcivescovo.

Beatissimo padre.

Adunati un'altra volta in privata conferenza, pieno lo spirito nostro dalla gravezza degli episcopali doveri, sentimmo il conforto della unione [illegible]

A beatitudine vostra. Fu sulla parola della santità vostra, a cui noi professiamo ogni ossequio ed obbedienza, come al vicario di Gesù Cristo, fu sulla parola di vostra beatitudine che noi ritornammo in argomento per la prosperità della chiesa, per l'onore dell'episcopato, per ricondurre a miglior condizione le ecclesiastiche cose nelle nostre diocesi.

Ella vedrà, beatissimo padre, dal protocollo delle nostre sedute, del quale ci facciamo un dovere di presentarle copia, quali fossero gli oggetti che più ci interessano, e come abbia trovato di svolgerli la nostra pochezza. Si degni la santità vostra di scorgere in questa presentazione il desiderio sincero di ricevere dalla santa sede apostolica quelle istruzioni e quei lumi, che essa sola può autorevolmente dispensare.

Che se, di tutte le cose nella nostra conferenza ragionate, alcuna dobbiamo specialmente raccomanB dare alla paterna sollecitudine di vostra beatitudine, si è il conseguimento delle libertà religiose, e la conclusione di un concordato col governo di sua maestà imperiale reale apostolica negli affari del matrimonio e delle proprietà ecclesiastiche. Per questi ultimi due argomenti ci siamo permesso di raccogliere in due distinti rapporti le principali differenze delle leggi austriache di fronte alle canoniche; e la santità vostra li aggradisca siccome una prova di più per mostrare la necessità in cui siamo di un cambiamento per tali peculiari bisogni.

Noi abbiamo altre volte espressa la nostra partecipazione più viva in tutto quanto sta a cuore alla santità vostra. Ora, ci compiaciamo nel solennemente ripeterlo, e nel protestare che noi ci onoreremo sempre grandemente della pronta obbedienza e del figliale ossequio, col quale, prostrati ai vostri C piedi, imploriamo sopra di noi e sopra le nostre diocesi l'apostolica benedizione.

Milano, 1 dicembre 1850.

Di vostra santità obbedientissimi, ossequiosissimi, devotissimi servi e figli:

Bartolomeo Carlo, arcivescovo; Giovanni, vescovo di Mantova; Carlo, vescovo di Como; Angiolo, vescovo di Pavia; Giuseppe, vescovo di Crema; Antonio, vescovo di Cremona; Gaetano, vescovo di Lodi; Girolamo, vescovo di Brescia.

N. B. Il santo padre si degnò rispondere il 13 gennajo 1851.

### Allegato C.

*Maestà imperiale reale apostolica.*

Gli ordinarj diocesani di Lombardia unitisi a privata conferenza nel maggio dello scorso anno 1849 per avvisare al provvedimento di bisogni spirituali del loro gregge, coglievano volonterosi quell'occasione per indirizzare una collettiva attestazione del loro profondo ossequio e fedelissima sudditanza a vostra maestà imperiale reale apostolica, invocando pur con unanimi voti i favori del cielo sulla vostra già gloriosa giovinezza. Non lasciavano essi inoltre, obbedendo all'impulso del sacro loro dovere, di sollecitare con umili e vive istanze dalla vostra giustizia e religiosità l'alleggerimento di quelle legislative disposizioni che, vincolando e imbarazzando la salutare azione del vescovile ministero, ne impedivano o limitavano di troppo la benefica influenza. E se le eccezionali circostanze dei tempi tolsero ai vescovi di Lombardia di essere aggregati personalmente ai loro confratelli dell'impero convocati in codesta metropoli centrale, essi però vi si associarono [illegible] con perfetta uniformità di desiderj [illegible]

vrane 7 e 18 aprile 1750, in relazione a questi A voti dell' episcopato, aprivano un' era novella di pace e libertà alla cattolica chiesa in tutta la Austriaca dominazione. Questo atto grande, che basterebbe già solo a illustrare e immortalizzare un regno, destò, com' era debito, l' ammirazione e la più ardente gratitudine non pur ne' vostri sudditi cattolici, ma in tutti i cuori dei figli della chiesa; e ne fan fede i tanti indirizzi di lode e riconoscenza portivi dalle rappresentanze cattoliche di tutto l'orbe. Il nome di Francesco Giuseppe fu scritto accanto ai più insigni proteggitori della chiesa.

Ma il grande atto vostro, attende ancora (ci sia lecito il dirlo) per queste provincie Lombarde una mano esecutrice. Mentre lo straniero invidia la sorte de' cattolici vostri sudditi, e va meritamente magnificando la libertà ridonata alla chiesa in tutto l' impero Austriaco, noi siamo costretti a gemere in una dolorosa umiliazione, vedendoci esclusi di fatto B dal sovrano beneficio, e mantenuto il clero nella condizione antica, se non anco peggiorata. Dove un giornalista potrebbe pubblicare, senza preventiva censura, massime erronee, ingiurie e calunnie, come pur avvenne non di rado a danno della fede e del buon costume (il qual abuso continuato può certo formare l' oggetto di serie nostre considerazioni da umiliarsi alla maestà vostra per ispeciali provvedimenti sulla stampa), la voce del vescovo invece è tuttora legata; tuttora la comunicazione tra la santa sede e i vescovi non è sciolta da vincoli; tuttora il *placito regio* è in vigore riguardo agli atti vescovili. Alla vista di queste e simili gravezze qui perduranti e tolte in altre parti dell' impero, ci sentiamo tentati a dubitare dolorosamente, che siasi per avventura rappresentato a vostra maestà od ai dicasteri ministeriali con troppo sinistre tinte il clero di queste provincie Italiane, quasi inquieto, C non amante dell' ordine, e men rispettoso delle leggi, talchè si dimostrasse non suscettibile o immeritevole delle già sancite disposizioni sovrane.

Quanto a noi sottoscritti, ci giova ripetere al vostro cospetto, o sire, la più sincera protesta di nostra fedeltà, cui sapremo anche guardare da ogni sorpresa, adempiendo fermamente tutto il nostro dovere nel promovere sia nel rispettivo clero subalterno, sia nelle populazioni, la obbedienza al nostro legittimo sovrano. Crederemmo far torto al nostro sacro carattere, se avessimo ad insistere più oltre in siffatte dichiarazioni; e non ci sembra dopo ciò temerità il chiedere che sia interamente dissipata ogni ombra di diffidenza sulla lealtà de' nostri sentimenti di sudditanza. Riguardo al nostro clero, godiamo di poter coscienziosamente attestare a vostra maestà che esso è nella generalità ben disciplinato, amante e promotore della pace, del buon D ordine e della osservanza delle leggi divine ed umane, e che i più di quelli medesimi, i quali sgraziatamente illusi in addietro e trascinati dagli eventi, perdettero di vista il loro dovere, si sono già ricreduti e rinsavirono. Per coloro poi che ancora abbisognano di emendazione, qual mezzo più proprio allo scopo, che di concedere ai vescovi quelle franchigie per le quali la loro autorità fosse più rispettata e valida?

Radunati pertanto i sottoscritti in questa metropoli Lombarda a privata conferenza, dirigono a vostra maestà imperiale reale apostolica le più umili e ardenti istanze, onde, anche prima della pubblicazione dello statuto pel regno Lombardo-Veneto sia reso comune anche ad essi il beneficio delle anzidette leggi sovrane; e ciò, diremo, a bene non men dello stato che della chiesa. Imperocchè i tempi esigono la più spiegata ed amichevole cospirazione di tutte le forze morali e di tutte le autorità contro quello spirito di anarchia che tenta in oggi penetrare dapertutto, e invadere la intera società. Ora più che mai importa che i popoli s' avvedano per via di fatto che i due poteri reggenti la società, lo spirituale e il temporale, anzichè avversarsi e impedirsi l' un l' altro, agiscono con reciproca confidenza e perfetto accordo. Solo uomini di rivoluzione, comechè mascherati sotto diverse forme, possono rallegrarsi delle diffidenze e differenze suscitate tra le due autorità ecclesiastica e civile, sperando essi nella dissensione o isolamento di trovar ciascheduna meno forte.

Nè merita certo alcuna fede quel giornalismo irreligioso che, con subdola arte per seminare discordia, pretese rappresentare la pubblica opinione del clero stesso siccome contraria alle franchigie della chiesa; prova ancor questa, tramutarsi facilmente la libertà della stampa in funesta licenza.

Maestà, la storia di tutti i secoli, ma in particolare la contemporanea, attesta luminosamente che la irreligione conduce all' anarchia, che ben poco o nulla possono i principi contare sulla fedeltà di coloro che si ribellano alla chiesa e a Dio, e che proteggere e favorire la libera azione del ministero ecclesiastico non è soltanto un atto di pietà, ma insieme di saggia politica, così a sanare come a prevenire le piaghe della società. E quanto più pronto, tanto più efficace riescirà il rimedio.

Gli ordinarii diocesani di Lombardia, se credettero prudente il non allontanarsi finora spontaneamente dalle loro sedi, tengonsi però prontissimi ad accorrere ad ogni chiamata di vostra maestà, o dell' eccelso suo ministero, per aggiungere all' uopo quegli schiarimenti che mai potessero da loro desiderarsi; e sarebbe questa una pur fausta occasione per essi di riconfermare presenzialmente que' sentimenti di ossequio e fedeltà che qui ripetono nell'atto medesimo che si pregiano di professarsi.

Di vostra maestà imperiale reale apostolica umilissimi sudditi

*Firmati:* Bartolomeo Carlo, arcivescovo ecc.

Milano, 29 novembre 1850.

### Allegato D.

**I vescovi della provincia ecclesiastica di Lombardia uniti a conferenza privata in Milano, ai molto reverendi parrochi ed al dilettissimo clero delle loro diocesi, pace e benedizione.**

Dei travagli ai quali il Signore ci ha serbati in questi ultimi tempi, o venerabili fratelli e figli carissimi in Gesù Cristo, quello torna amarissimo al nostro cuore, di vedere inondate queste nostre contrade da un torrente di libri e di giornali d' ogni maniera, che o gettano il disprezzo sopra quanto di più caro deve avere il cristiano, o volgono in ridicolo le cose più sante, o insidiano alla purità della cristiana morale e persino alla integrità della nostra santissima fede. Voi pure ne siete testimonii, e speriamo avrete pianto innanzi a Dio sui figli della sua chiesa, che traviati dai pascoli della vita, non possono, come prenunziava l' apostolo, patire la santa dottrina, ma, secondo le proprie passioni, per prurito di udire, moltiplicano a se stessi i maestri, e si ritirano dall' ascoltare la verità, e si volgono alle favole [1].

Ed ad aggravare il pericolo dei fedeli ed il rammarico dei vescovi, i nemici della comun nostra fede, sempre vigilanti per muoverle guerra, seppero

[1] „Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur." II Tim. II, 3, 4.

cogliere il tempo dei politici sconvolgimenti, per A introdurre in queste nostre provincie una moltitudine di bibbie corrotte, per insidiare alla buona fede dei semplici, e tentare anche tra noi l'opera tenebrosa di corrompere la sana dottrina. E non lasciarono intentata alcuna arte, sia col lenocinio dei tipi e delle legature, sia colla modicità del prezzo, per diffonderle e riuscire nel loro intento. Ci duole il dirlo: fosse per prova della nostra costanza nella fede, fosse per castigo dei nostri trascorsi, il Signore ha permesso che l'opera loro non fosse del tutto vana: mentre in alcune famiglie cattoliche non solo delle città, ma delle borgate e dei villaggi, questa sorte di bibbie corre impunemente nelle mani persino delle donne e dei giovanetti.

E il male crebbe sì innanzi, perdonate, o venerabili fratelli, il sospetto alla tenera sollecitudine che ci stringe pel gregge di Gesù Cristo, da farne temere che taluni del nostro clero abbiano man- B cato o di vigilanza nel prevenire il pericolo delle loro pecore o dei loro penitenti, o di sollecitudine nell'istruire i fedeli nelle sante leggi della chiesa, o di fermezza nel correggere e riprendere gli indocili e inobbedienti.

Il nostro cuore è ricolmo d'amarezza al vedere disconosciute e calpestate le salutari proibizioni della chiesa, da molti che le si professano figliuoli. E crederemmo di mancare ad un gravissimo de' nostri doveri, se non usassimo di tutti i mezzi che ci porge il nostro ministero, per arrestare un tanto male ed allontanare, per quanto è da noi, il pericolo, e mettere in guardia i fedeli a noi affidati, contro le insidie che loro si tendono da scaltri nemici della fede.

Gli è per questo, o venerabili fratelli, che radunati nel nome del Signore in privata conferenza per avvisare di comune accordo ai mezzi di pro- C movere il bene delle nostre diocesi, tra i molti bisogni che riclamano l'opera del nostro zelo pastorale, questo ci parve urgentissimo, di farvi udire la nostra voce, prima di ritornare alle nostre sedi, scongiurandovi per l'amore del nostro signor Gesù Cristo, a raddoppiare con noi la vigilanza e le cure, perchè il nemico non abbia a gloriarsi d'aver fatto conquiste in questa parte del campo evangelico, che a noi è toccatta da custodire e coltivare.

Non è d'uopo che noi vi ricordiamo, quanto ripetutamente la chiesa, per bocca dei Romani pontefici, abbia interdetta ai suoi figli la lettura delle bibbie in qualsivoglia lingua volgare, e non abbia permesso giammai neppure le versioni di autori cattolici e non sospette, se prima non fossero state approvate dalla sede apostolica, o corredate di annotazioni desunte dalle opere de' santi padri o di autori dotti e cattolici[1].

Anzi il pontefice Clemente VIII ha dichiarato, essere tolta ai vescovi ogni facoltà di permettere la detenzione e la lettura di sì fatte bibbie[2].

Vi è poi notissimo con quanto provvide e più rigorose proibizioni, i Romani pontefici abbiano in ogni tempo procurato che non venissero alle mani dei fedeli le bibbie d'ogni maniera che escono dall'officina degli eretici, quale appunto è in tutte le sue parti quella mutilata e in molte guise erronea del Diodati tanto diffusa anche tra noi, con danno lagrimevole dei fedeli e rammarico nostro acerbissimo.

[1] „Nisi quae fuerint ab apostolica sede adprobatae aut editae cum adnotationibus desumptis ex sanctis ecclesiae patribus vel ex doctis catholicisque viris." Decr. sacrae congr. indicis, 13 iunii 1757 et 7 ianuarii 1836.

[2] Vide observationem, Clementis VIII iussu factam, super [illegible]

Alle savie disposizioni della chiesa e dei Romani pontefici ossequiosi ed obbedienti, a voi ci rivolgiamo, o venerabili fratelli e figli carissimi in Gesù Cristo. Voi, cui il signore ha chiamati a coadiuvarci in diverse maniere nelle fatiche del pastoral ministerio, e coll'esempio, e colla parola, nelle istruzioni, nelle prediche, nei tribunali di penitenza, nei privati colloquii, zelate l'osservanza delle savie proibizioni dei Romani pontefici. Inculcate spesso, che quanto ci viene dai nemici della chiesa non edifica, ma corrompe e distrugge. Fate sentire la necessità di obbedire alle leggi santissime di questa madre, per esserle figliuoli e trovare in essa la salute. Vegliate sopra tutto che nelle famiglie cristiane non abbiano a penetrare bibbie riprovato nè libri corrompitori della fede o della sana morale. Leggano pure la sacra bibbia i fedeli, ma tale quale loro la mette in mano la chiesa, unica depositaria ed interprete di questo libro divino.

La vostra parola risuoni calda e forte ai padri di famiglia, ai padroni e capi di casa, ai precettori della gioventù, perchè la vigilanza e le cure concordi riescano a più efficace rimedio. E dove l'esortazione non basta, impiegate i mezzi d'un salutare rigore. Ponete particolare sollecitudine nella custodia della gioventù che, per l'inesperienza dell'età, è esposta a più evidente pericolo, ed apre più facilmente il cuore al veleno della seduzione.

Unitevi, o dilettissimi, al dolore ed ai desiderii dei vostri vescovi. Accoglietene le parole come un invito del divino pastore Gesù Cristo. Così egli si degni esaudire i nostri voti, come noi lo preghiamo che tutti ne assista della sua grazia e rivesta della fortezza del suo divino spirito a travagliare del continuo alla sua gloria ed al bene delle anime. Nella speranza per noi dolcissima, che alle nostre uniate le vostre preghiere, tutti vi abbracciamo nel nostro comun pastore e padre Cristo Gesù, e con piena effusione di cuore impartiamo a voi e a tutto il nostro gregge la pastorale benedizione.

Dato in Milano, dal palazzo arcivescovile, il giorno 1 dicembre dell'anno 1850.

† Bartolomeo Carlo, arcivescovo;
† Carlo, vescovo di Como;
† Giuseppe, vescovo di Crema;
† Gaetano, vescovo di Lodi;
† Giovanni, vescovo di Mantova;
† Angiolo, vescovo di Pavia;
† Antonio, vescovo di Cremona;
† Girolamo, vescovo di Brescia.

### Allegato E.

Avendo la santità di Pio nono felicemente re- D gnante accolto con singolare gradimento il progetto di un seminario per le estere missioni da erigersi nella nostra provincia, come rilevasi da graziosissima lettera dell'illustrissimo e reverendissimo monsignore Barnabò, segretario della sacra congregazione di Propaganda, in data 9 marzo p. p., ed avendo pure l'eccelso ministero di Vienna espressa non che la sua approvazione il più vivo interesse per l'attivazione e per il prosperamento del progettato istituto, come appare parimenti dal foglio di sua altezza il principe di Schwarzenberg, 28 agosto p. p., n° 17064/LL., il sottoscritto arcivescovo di Milano in un con tutti i vescovi suoi comprovinciali, mossi da sincero desiderio di veder dilatato il regno santissimo di Gesù Cristo nelle regioni degli infedeli per la maggior gloria di Dio, e per il maggior bene delle anime, hanno risoluto di istituire, come di fatto istituiscono col presente atto il detto seminario delle estere [illegible]

tissima Vergine immacolata, dei santi apostoli, di A san Francesco Saverio, e di tutti i santi patroni delle loro diocesi. Essi intendono di dare al detto seminario tutto l'appoggio della loro autorità, ed assicurano quegli ecclesiastici, che si sentiranno chiamati ad entrarvi, della loro benevolenza e protezione. I mezzi di sussistenza della detta pia casa si raccolgono dalla carità di privati benefattori. Si osserverà poi in essa quel progetto di regole che già vi è in corso, e che è stato assentito dalla autorità civile, e da noi pure temporaneamente approvato, finchè emani sul medesimo il giudizio della sacra congregazione di Propaganda.

Milano, dal palazzo arcivescovile, il 1 dicembre 1850.

*Firmati:* Bartolomeo Carlo, arcivescovo.
Carlo, vescovo di Como.
Giuseppe, vescovo di Crema.
Gaetano, vescovo di Lodi.
Giovanni, vescovo di Mantova.
Angiolo, vescovo di Pavia.
Antonio, vescovo di Cremona.
Girolamo, vescovo di Brescia.

*Concorda:* Bartolomeo Carlo, arcivescovo.

**Allegato F.**

Altezza serenissima.

Radunati i sottoscritti ordinarii diocesani di Lombardia a privata consulta sovra varii ogetti di spirituale pertinenza, presero fra gli altri in considerazione anche quello importantissimo della santificazione delle feste: e riflettendo da una parte essere pur troppo un fatto deplorabile il sempre più crescente disprezzo pubblico delle cattoliche prescrizioni intorno all'astinenza de' lavori in dì festivo, dall'altra esistere precise leggi anche civili C non mai abrogate, anzi pur recentemente richiamate dall'eccelso governo del regno Lombardo-Veneto, sul rispetto delle feste, crederebbero essi di venir meno a un sacro loro dovere, se non cogliessero questa occasione per interessare nuovamente lo zelo di vostra altezza serenissima ad impartire opportune disposizioni alle subalterne autorità, onde siano fatte eseguire le anzidette leggi relative. Vostra altezza troverà ben giusto questo nostro profondo dolore alla vista di un tale disordine, da cui deriva immenso danno alla religiosità dei popoli commessi alle nostre cure pastorali.

Nelle città e massime in questa capitale, si vedono ormai per quasi tutte le contrade in dì festivo aperte o semiaperte le botteghe di calzolaj, di cappellaj, di mercanti di abiti, e simili, mostrandosi in esse impudentemente chi si occupa ne' divietati lavori. In molti luoghi stanno pure esposti alla vendita D quadri, libri ed altri oggetti di smercio non permesso in dì festivo. Il trasporto delle mercanzie e derrate si fa senza verun riguardo, incontrandosi a tutte l'ore sì per la città che alla campagna carri e carrettoni detti *barre* di grave carico, a scandalo e disturbo delle popolazioni. Anche le osterie, specialmente alla campagna, non sorvegliate diligentemente, si aprono in tempo delle funzioni parrocchiali a distoglierne molti. Intanto, le sacre funzioni riescono meno frequentate: garzoni e fattorini vengono per una morale violenza allontanati dalle chiese ed oratorj, e, abituati a conculcare le leggi della chiesa, crescono accessibili ad ogni funesta seduzione; e il semplice popolo dal vedere sì tollerato il disordine, passa a crederlo permesso, ovvero diffida della stessa autorità quasi non vogliosa od impotente al riparo. Nè certo fra tanto scapito degli interessi religiosi ne rimangono intatti i civili e politici. Noi ci asterremo dall'esporre queste conseguenze, che già non isfuggono alla pentetrazione di vostra altezza.

Persuasi anzi, come siamo, che vostra altezza medesima partecipa così al nostro dolore come alle B nostre sollecitudini, ci teniamo sicuri del di lei invocato appoggio; sicchè le ne porgiamo anticipate grazie, mentre pur godiamo rinnovarle l'assicurazione della nostra ossequiosa stima e distintissima considerazione.

Milano, dall'arcivescovado, li 30 novembre 1850.

*Firmati:* Bartolomeo Carlo, arcivescovo, etc.

A sua altezza serenissima il signor principe luogotenente di Lombardia.

*Concorda:* † Bartolomeo Carlo, arcivescovo.

**Allegato G.**

Altezza.

Per la paterna sollecitudine che lega noi sottoscritti al bene del nostro clero, ci troviamo in dovere di raccomandare all'altezza vostra un argomento che non ci può che interessare alcuni sacerdoti accusati di colpe politiche si trovano dietro governative determinazioni lontani dai loro ufficj e beneficj. Noi quindi ci rivolgiamo alla nota clemenza dell'altezza vostra, onde sollecitare vivamente la definitiva risoluzione di quanto riguarda la loro sorte, certi che la bontà dell'altezza vostra medesima ci toglierà alla sospensione d'animo che per loro ci inquieta. In questo modo sarà possibile anche a noi l'applicare nei singoli casi quei provvedimenti ecclesiastici che il bene delle anime e il nostro dovere domanderanno.

Pensando che all'altezza vostra non sarà discara un'occasione di più per confermare l'opinione comune della sua saggezza e generosità, esponiamo confidenti questa nuova preghiera.

L'aggradisca, altezza, come prova di quell'ossequio sincero che ci onoriamo di protestarle.

Milano, dall'arcivescovado, li 30 novembre 1850.

Devotissimi servi

*Firmati:* Bartolomeo Carlo, arcivescovo, etc.

A sua altezza serenissima il signor principe luogotenente di Lombardia.

*Concorda:* Bartolomeo Carlo, arcivescovo.

## SYNODUS DIOECESANA DUBLINENSIS
## 1850.

Synodus dioecesana Dublinensis in Hibernia, celebrata anno 1850, sub Daniele Murray, archiepiscopo Dublinensi.

De hac synodo confer: Gams, *Series episcoporum*, (1873), p. 219.

## SYNODUS DIOECESANA LUDOVICOPOLITANA
## 1850.

**Synodus dioecesana Ludovicopolitana (Louisville) in foederatis statibus Americae septentrionalis, celebrata anno 1850, sub Martino-Ioanne Spalding, episcopo Ludovicopolitano.**

Exstant constitutiones synodales in opere cui titulus:

Synodus Ludovicopolitana I, celebrata anno A 1850. Louisville, Lebb. M. Gill Covering, 1850. — *Ipse non vidi.*

## SYNODUS DIOECESANA MELDENSIS
### 1850.

Synodus dioecesana Meldensis in Gallia, celebrata anno 1850, sub Augusto Allou, episcopo Meldensi.

De hac synodo confer opus cui titulus:

Statuts du diocèse de Meaux publiés à la retraite ecclésiastique de 1863, par Mgr Auguste Allou, évêque de Meaux. Meaux, A. Dubois, imprimeur de l'évêché, 1863.

In-8°, viij-271 p. — Avignon, séminaire; Paris, Saint-Sulpice.

Pag. vj, mentio synodi dioecesanae celebratae anno 1850.

## SYNODUS DIOCESANA SUESSIONENSIS
### 1850.

Synodus dioecesana Suessionensis in Gallia, celebrata anno 1850, sub Armando Cardon de Garsignies, episcopo Suessionensi.

Exstant constitutiones synodales in opere cui titulus:

Statuta synodi Suessionensis, anno Domini MDCCCL habitae, ab illustrissimo et reverendissimo dd. Paulo-Armando-Anacleto-Ignatio de Garsignies, B Suessionensi et Laudunensi episcopo, provinciae Remensis decano et primo suffraganeo. *[Insigne.]* Suessione, excudebat Em. Fossé-Darcosse, typographus dd. episcopi et bibliopola, via Murium n° 10, 1851.

In-8°, 31 p. — Bourges, séminaire; Lyon, abbé Martin; Paris, Bibl. nat. B 11274.

# CONVENTUS FRIBURGENSIS EPISCOPORUM PROVINCIAE RHENI SUPERIORIS
### 1851 februarii 5.

Conventus Friburgensis in Germania, episcoporum provinciae Rheni superioris, celebratus die 5 februarii 1851, sub Hermanno Vicari, archiepiscopo Friburgensi.

### Denkschrift
#### der vereinigten Erzbischof und Bischöfe dieser Provinz.

An die Allerhöchsten und Höchsten Regierungen der zur Errichtung der oberrheinischen Kirchenprovinz vereinigten Staaten.

Wenn die gehorsamst unterzeichneten Bischöfe der oberrheinischen Kirchenprovinz sich dahin vereinbart haben, den Allerhöchsten und Höchsten Regierungen der Staaten, deren katholische Bevölkerungen den Inbegriff dieser Kirchenprovinz bilden, ihre ehrfurchtvollsten Anträge hinsichtlich der gesetzlichen Bestimmungen, durch welche die der katholischen Kirche gebührenden Rechte für die Zukunft zu sichern sind, in einer gemeinsamen Eingabe auszusprechen: so findet dieser ihr Schritt in der Verfassung und Lage der oberrheinischen Kirchenprovinz seine volle Rechtfertigung. Die vereinigten Bischöfe haben erkannt, dass Einmal die Kirche, in den gesammten Diöcesen der oberrheinischen Provinz der Bedingungen einer freien, vollen, lebenskräftigen Entwickelung jener Thätigkeit entbehrt, welche mit der ihr gewordenen göttlichen Sendung ihr wesentlich vorgezeichnet ist, und dass zum Andern die staatsgesetzlichen Bestimmungen, durch welche die Kirche also beengt erscheint, im Wesentlichen aus gemeinsamer Verabredung hervorgegangen sind; dass demnach, wie das Bedürfniss freier Lebensentwicklung ein gleichmässig gefühltes und das Hemmniss derselben ein gleichmässig verordnetes ist, so auch die Bitte um Beseitigung des Letzteren und Befriedigung des Ersteren durch gesetzliche Feststellung der der Kirche nothwendigen Freiheit eine gemeinsame sein müsse.

Was aber die gehorsamst unterzeichneten Bischöfe

C ist der Drang der Verhältnisse der Gegenwart, und das daraus für sie hervorgehende, die Beseitigung jeder anderen Rücksicht gebietende Gefühl ihrer gemeinsamen heiligsten Pflicht. Seitdem gegen den Anfang des laufenden Jahrhunderts jene grossen Ereignisse eingetreten sind, durch welche der mehr als tausendjährige Bau der katholischen Kirche in Deutschland zertrümmert wurde, — seitdem in Folge hievon, und unter Begünstigung des herrschenden Zeitgeistes in vielen Ländern und insbesondere auch in den die nunmehrige oberrheinische Kirchenprovinz umfassenden Staaten Grundsätze über das Verhältniss des Staates zur Kirche Geltung erlangten, welche von dem der Kirche als einer göttlichen Anstalt gebührenden Rechte einer selbstständigen Leitung ihrer Angelegenheiten oft kaum noch den Schein übrig liessen, haben die oberen kirchlichen Behörden — wie sie Anfangs aus jenem allgemeinen äusseren D Ruin der vaterländischen katholischen Kirche sich gerettet hatten, — und später die durch Uebereinkunft mit dem apostolischen Stuhle eingesetzten Bischöfe die so überaus bedeutende Minderung ihrer wichtigsten Rechte mit einer Geduld ertragen, wozu die frühere Kirchengeschichte wohl kaum ein Beispiel aufweisen dürfte. Sie gingen dabei unstreitig von der Ueberzeugung aus, dass nicht Mangel an Gerechtigkeitsliebe auf Seiten der Höchsten Staatsoberhäupter es sei, wodurch der Kirche ihre gebührende Stellung vorenthalten werde, sondern dass vielmehr die Zeitverhältnisse selbst eine Einsetzung der Kirchenvorsteher in den vollen Besitz ihrer geistlichen Amtsgewalt sehr erschwerten, und sie hielten es darum für gerathen, vor der Hand lieber das Unvermeidliche zu erdulden, als durch Schritte, welche die Einen beleidigen, den Andern als unzeitig und allzu gewagt erscheinen konnten, die Lage der [illegible]

mittelbar das Heil vieler Seelen noch mehr zu gefährden. Unterdessen hat aber der unaufhaltsame Gang der Ereignisse den Bischöfen dringend eine andere Handelnsweise vorgeschrieben. Es hat sich nämlich — und in letzter Zeit sehr schnell und unverkennbar — herausgestellt, dass unter dem Einflusse der bisher bestehenden Verhältnisse die katholische Kirche in Deutschland einen nicht zu berechnenden Schaden genommen hat, so zwar, dass, seitdem die Kirche die ihr als einer göttlichen, ihre Befugnisse aus göttlicher Vollmacht herleitenden Anstalt zukommenden Rechte entbehrt, die unter den Eindrücken einer solchen Wahrnehmung heranwachsende Generation allmählig auch den Glauben an die Kirche, als göttliche Anstalt, verliert und theilweise schon verloren hat. Es sind Erscheinungen zu Tage getreten, die nur zu sehr geeignet sind, auch den letzten Zweifel darüber zu zerstreuen, dass bei uns die katholische Kirche in ihrer dermaligen, ihrem B eigenen Begriffe und Wesen nicht entsprechenden äusseren Erscheinung, unter den Hemmungen, deren Beseitigung die Unterzeichneten in vorliegender Eingabe tiefgehorsamst zu beantragen die Ehre haben werden, auf ihre Angehörigen im Grossen und Ganzen diejenige Einwirkung nicht bethätigen könne, welche nicht nur das wohlverstandene Interesse der bürgerlichen Ordnung selbst, sondern auch die Sicherung ihres eigenen dauernden Fortbestandes nothwendig erheischen. Ist es ja doch so weit gekommen, dass unter den in den ersten Jahrzehnten dieses Jahrhunderts überall noch so gläubigen und ihrer Kirche so treu ergebenen Katholiken unserer Gegenden Sectenumtriebe sich aufthun konnten, die auf ein Verschwinden selbst der einfachsten christlichen Pietät und Gläubigkeit bei Vielen schliessen lassen. Der beklagenswerthe Anblick solcher Zustände musste die ehrfurchtvollst unterzeichneten Bischöfe C tief erschüttern. Sie finden darin die nicht länger zu verkennende Aufforderung, die Abänderung von Verhältnissen, unter denen solche Uebel sich entwickeln konnten, mit allem Nachdrucke und unter Bereitwilligkeit zu jedem Opfer, das etwa für sie hieraus entstehen möchte, zu beantragen, zugleich aber auch einen Grund zu der für sie unendlich trostvollen Zuversicht, dass die Allerhöchsten und Höchsten Regierungen ihnen, den Bischöfen, sowie den Katholiken Höchstdero Staaten die baldige Beseitigung eines Zustandes gewähren werden, der sich durch die Erfahrung als unhaltbar und für die katholische Kirche auf die Länge unerträglich erwiesen hat.

Uebrigens bedarf es bei der erleuchteten Einsicht der Allerhöchsten und Höchsten Regierungen kaum einer Andeutung von Seiten der vereinigten Bischöfe, dass die durch die jüngeren Ereignisse D in den verschiedenen Staaten Deutschlands herbeigeführten neuen Verfassungsbestimmungen eine wesentliche Aenderung der durch die früheren Gesetzgebungen so vielfach in einander verschmolzenen Verhältnisse der Kirche und des Staates unabweisbar bedingen.

Dass es bei der lebendigsten Ueberzeugung von der Nothwendigkeit solcher Aenderung nicht im Willen der Kirche liege, eine Trennung vom Staate herbeizuführen; dass dieselbe vielmehr nur die, der neuen Ordnung der Dinge im öffentlichen Leben gegenüber, der Kirche nach ihrer uralten überlieferten Verfassung gebührende Stellung sich zu wahren bedacht sei und sein müsse: dies haben die im October und November 1848 zu Würzburg versammelt gewesenen Erzbischöfe und Bischöfe Deutschlands in ihrer durch die ehrfurchtsvoll unterzeichneten Theilnehmer jener Versammlung

A den Allerhöchsten und Höchsten Regierungen seiner Zeit vorgelegten Denkschrift ohne Rückhalt ausgesprochen.

Und wenn diese Denkschrift eben so offen und unumwunden die Grundsätze bezeichnet, welche eine umsichtige und gerechte Anwendung der neueren Verfassungsbestimmungen auf die Verhältnisse der Kirche zu berücksichtigen habe, so hegen die vereinigten Bischöfe die Ueberzeugung, die Allerhöchsten und Höchsten Regierungen werden es nicht verkennen, dass die katholische Kirche ruhend auf dem in der Denkschrift hervorgehobenen unwandelbaren Fundamente göttlicher Mission, ruhend auf dem festen, unerschütterlichen Bewusstsein, die Grundzüge ihrer Verfassung nicht minder als ihre Glaubens- und Sittenlehre durch göttliche Offenbarung empfangen zu haben, ihre Grundgesetze, eben weil sie göttlicher Anordnung entsprossen, niemals nach der Zeiten und Ereignisse Wechsel zu ändern im Stande ist, und dass daher, die rechtlich wohlbegründete Existenz der katholischen Kirche im Staate einmal vorausgesetzt, jede Verständigung über ihre Beziehungen zu demselben nothwendig von der Anerkennung jener Gesetze der Kirche auszugehen habe.

Dass die früheren, namentlich die aus dem ewig beklagenswerthen Acte der gewaltsamen Säcularisation des Jahres 1803 emanirten Gesetzgebungen dieses wesentliche Moment minder berücksichtigt und den unwandelbaren Grundprincipien der katholischen Kirche nicht die gebührende Rechnung getragen haben, dies war die Veranlassung zu mannigfachen, leider allzu häufig fruchtlos gebliebenen Beschwerden. — Die Bischöfe haben es desshalb als einen Sieg der Wahrheit und des Rechtes begrüsst, als in den neueren Verfassungsbestimmungen durchweg der Grundsatz zur Geltung gelangte, dass die Kirche ihre Angelegenheiten selbstständig zu ordnen und zu verwalten habe.

Der gesetzliche Bestand der katholischen Kirche in Deutschland ist eine Thatsache, deren Anerkennung sich in allen völkerrechtlichen Verträgen wiederholt, unter welchen wir nur auf den westphälischen Frieden und den Reichsdeputationshauptschluss des Jahres 1803 hinweisen wollen. Soll daher die neuere Zusicherung des Rechtes selbstständiger Ordnung und Verwaltung ihrer Angelegenheiten überhaupt einen Sinn haben, so kann es kein anderer sein, als der, dass ihr ursprüngliches Recht, nach den Anordnungen ihres göttlichen Urhebers und Meisters zu bestehen und zu wirken, nunmehr auch durch die Staatsverfassung gegen jeglichen Eingriff in Schutz genommen sei; dass die Verfassungen der verschiedenen Staaten Deutschlands der katholischen Kirche Bürge sein sollen für die fortan unbeirrte Freiheit in der Ausübung ihres Rechtes, dessen Quelle, weil göttlichen Ursprunges von aller weltlichen Verfassung unabhängig durch alle blutigen und unblutigen Hemmnisse hindurch reich und unversiegbar sich in stets erneuten Segensströmungen über die Völker des Erdkreises ergossen hat und ergiessen wird bis an das Ende der Zeiten.

Die vereinigten Bischöfe der oberrheinischen Kirchenprovinz haben für die Forderung dieser Freiheit noch einen besonderen Rechtstitel in der, aus den Verhandlungen der Allerhöchsten und Höchsten Regierungen mit dem heiligen Stuhle hervorgegangenen Bulle „Ad dominici gregis custodiam“ vom 11. April 1827, in deren Art. VI eigens stipulirt ist: „die Bischöfe werden, jeder in der eigenen Diöcese, mit vollem Rechte die bischöfliche Gerichtsbarkeit ausüben, welche ihnen nach den

canonischen Vorschriften und der gegenwärtigen A
Kirchenverfassung zusteht.“

Wären doch diese Bestimmungen der erwähnten Bulle eine Wahrheit geworden! Leider aber war dies in keiner der verschiedenen Diöcesen der oberrheinischen Kirchenprovinz der Fall. Denn sind auch, was gerne dankend anerkannt wird, die Diöcesen Mainz und Fulda gegen ihre übrigen Schwesterdiöcesen in der Provinz in mehreren Beziehungen günstiger gestellt, so wird doch eine sorgfältige Erwägung der nunmehr von den vereinigten Bischöfen vorzutragenden Punkte leicht die Ueberzeugung gewähren, wie Vieles und Wesentliches auch in diesen Diöcesen noch fehlt, um sie der vollen Wohlthat des Genusses der in jenen Bullen zugesicherten Rechte theilhaftig zu machen.

Zu den wesentlichsten Bedingungen der Selbstständigkeit in Ordnung und Verwaltung ihrer Angelegenheiten gehört unstreitig das nach dem Kir- B
chenrechte den Bischöfen zustehende Recht, alle geistlichen Aemter und Pfründen in ihren Sprengeln frei zu verleihen. Dass die weltliche Gewalt eine geistliche Sendung zu vertheilen nicht vermag, das ist eine allerwege unbestrittene Wahrheit. Wenn aber die Bischöfe bei der Ausübung des nach göttlicher Anordnung ihnen zustehenden Verleihungsrechtes (missio) für das Heil der ihnen anvertrauten Seelen dem göttlichen Herrn und Meister der Kirche verantwortlich sind, so folgt von selbst, dass sie hiebei durch keinerlei Einwirkung irgend einer vom Staate angeordneten Mittelbehörde — Kirchenrath oder dergleichen — beengt, von einer Bestätigung oder Decretertheilung der Staatsgewalt nicht abhängig sein dürfen. Die vereinigten Bischöfe wissen jedoch, dass eben jene Verantwortlichkeit es ihnen auch zur Pflicht macht, Niemanden mit einem geistlichen Amte zu betrauen, der nicht mit C
den sonstigen seelsorgerlichen Erfordernissen auch die pünktliche Erfüllung der Pflichten gegen die bürgerliche Obrigkeit vereinigt.

Das Patronatsrecht, das von der Kirche einzelnen Personen oder Corporationen aus besonderem Wohlwollen verliehene Recht, zu gewissen geistlichen Aemtern und Pfründen zu präsentiren, ist vielfach in ein Hemmniss des katholischen Lebens und in eine drückende Beschränkung der episcopalen Wirksamkeit ausgeartet. Gleichwohl werden die vereinigten Bischöfe dasselbe da, wo es durch Bestimmungen des Kirchenrechtes begründet erscheint, heilig achten; gegen ein aus der Succession in die säcularisirten geistlichen Besitzthümer hergeleitetes Staatspatronatsrecht — von welchem in der oberrheinischen Kirchenprovinz aus den vom heiligen Stuhle bereits in der Note vom 10. August 1819 pos. 15 und 36 entwickelten principiellen Gründen D
nicht die Rede sein kann, — müssen sie dagegen die Freiheit und Selbstständigkeit der Kirche behaupten.

In engem Zusammenhange mit dem freien Verleihungsrechte steht, weil auf demselben Grunde der strengen Verantwortlichkeit ruhend, das Recht der Bischöfe ihre Untergebenen frei zu prüfen und canonisch zu bestrafen. Sind die Bischöfe für das Seelenheil der ihrer Obhut anvertrauten Gläubigen dem göttlichen Urheber und Haupte der Kirche verantwortlich — und wer möchte dieser Verantwortlichkeit sie zu entheben sich vermessen! — so ist durch diese ernste Anforderung auch nothwendig die andere bedingt, dass sie sowohl in der Prüfung der für die Uebernahme geistlicher Aemter zu Weihenden, als auch in der Zurechtweisung und canonischen Bestrafung solcher, welche der ihnen gewordenen bischöflichen Sendung sich unwürdig erweisen, vollkommen freie Hand haben müssen.

Dass in Beziehung auf die wissenschaftliche Befähigung der Alumnen des geistlichen Standes Niemand ein näheres Recht zu der Forderung vollkommener Tüchtigkeit haben könne, als der Bischof, welcher nach göttlicher Anordnung ihnen die weihenden Hände auflegen, sie, mit der geistlichen Sendung betrauen und hierfür verantwortlich sein soll: dies bedarf keiner Beweisführung, und ist deshalb jede Art von Verfahren, wodurch die weltliche Gewalt bei der Prüfung der Alumnen sich betheiligt und so dieselbe eigentlich zu einer Staatsprüfung stempelt, mit der Selbstständigkeit der Kirche in Ordnung und Verwaltung ihrer Angelegenheiten nimmer zu vereinbaren.

Für die Besetzung erledigter Pfarrstellen hat der Kirchenrath von Trient im 18. Kapitel der 24. Sitzung de reformatione besondere Concursprüfungen angeordnet, nach deren Ergebniss der Bischof aus denen, welche dem Alter, den Sitten, der Kenntniss, der Klugheit und anderen für die Verwaltung der erledigten Kirche geeigneten Dingen nach für fähig erachtet wurden, denjenigen wählen soll, welchen er für den Tauglichsten hält.“ — Die vereinigten Bischöfe werden, in den Vollgenuss freier Selbstthätigkeit eingetreten, es in Berathung ziehen, wie bald diese Anordnung des Conciliums von Trient in's Leben zu rufen, die Gegenstände der Concursprüfung festzusetzen, und so auch denjenigen, welche durch Verträge oder kirchenrechtliche Bestimmungen ein Patronatsrecht besitzen, die Möglichkeit zu bereiten sei, stets den Würdigeren für eine zu besetzende Patronatspfründe zu präsentiren.

Die Ausübung der geistlichen Strafgewalt, welche, wie gesagt, eine ebenso unerlässliche Bedingung der bischöflichen Verantwortlichkeit bildet, hat das katholische Kirchenrecht für alle Fälle, wo ein Geistlicher das ihm verliehene Kirchenamt nicht pflichtgetreu und würdig verwaltet, in ganz bestimmten Formen von der einfachen Verweisertheilung bis zur Entziehung des Beneficiums und der damit verbundenen Einkünfte u. s. w. normirt. Es hat zugleich die Fälle, wo überhaupt Appellation zulässig ist, und den Instanzenzug derselben von dem bischöflichen Gerichte an das erzbischöfliche und von dem Metropolitangerichte an den heiligen Stuhl genau festgesetzt und so gegen etwaigen Missbrauch der Strafgewalt von Seiten eines Bischofs Fürsorge getroffen. — Jeder Versuch, an eine andere als an diese kirchlichen Stellen tanquam ab abusu Berufung einzulegen, ist somit nichts Geringeres als *Auflehnung gegen die* gesetzlich normirte *Autorität* der Kirche; ein Unterfangen, welches der heilige Stuhl mit excommunicatio latae sententiae belegt hat, und welchem keine weltliche Behörde, schon im wohlverstandenen Interesse aller Autorität überhaupt, irgend Vorschub leisten sollte, wohl bedenkend, dass dieses zur Abwendung von etwas Schädlichem oder für schädlich Gehaltenem beliebte Mittel nur zu oft schädlicher sich erweist, als das Schädliche, welchem begegnet werden soll. — Die vereinigten Bischöfe glauben sich einfach auf die Erfahrung, wie derlei in Schutz genommene Auflehnung meist nur Verwirrung und Unsegen gebracht, berufen und die zuversichtliche Voraussetzung aussprechen zu sollen, dass die Allerhöchsten und Höchsten Regierungen, weit entfernt, durch Inschutznahme renitenter Kleriker der geistlichen Gerichtsbarkeit Hemmnisse zu bereiten, im Gegentheile derselben die nöthigenfalls angerufene Hülfe des weltlichen Armes, als welche die Obrigkeit

jedem rechtmässigen Vorgesetzten gegen wider- A strebende Untergebene zu leisten berufen ist, nicht versagen werden.

Das beste Mittel, sich sowohl der Tüchtigkeit insbesondere auch der Würdigkeit und Pflichttreue der künftigen Candidaten des Priesteramtes zu versichern, hat die Kirche in der *Erziehung* derselben *vom Knabenalter* an erkannt und es desshalb als eine heilige Pflicht der Bischöfe erklärt, für *„eine immerwährende Pflanzschule würdiger Diener Gottes“ zu sorgen* durch die Errichtung von *Seminarien*, welche dem Sinne des Wortes entsprechend dazu dienen sollen, die Zöglinge des Priesterstandes schon im zarten Knabenalter aufzunehmen und zugleich mit dem erforderlichen Unterrichte den Samen ächter Frömmigkeit in ihre Herzen zu legen, ehe noch auf glaubenslosen, dem Unchristenthum verfallenen Schulen und Universitäten ein anderer Same dieselben vergiftet und *die Gewohnheit der Fehler sie in Besitz ge-* B *nommen habe*.

Das sind „die Seminarien, wie sie der hohe Kirchenrath zu Trient in seiner 23. Sitzung c. 18 de reformatione in ebenso ausführlicher als eindringlicher Weise allen Bischöfen vorgeschrieben hat: *bischöfliche* Erziehungsanstalten, in welchen die künftigen Kleriker unter der unmittelbaren Leitung des Bischofs *von dem Knabenalter* an bis zu ihrem Eintritte in das Presbyterat gemeinsam und von der Welt zurückgezogen leben und mit der wissenschaftlichen zugleich ihre klerikalische Aus- und Durchbildung empfangen sollen. — Das sind die Seminarien, auf welchen auch insbesondere für die oberrheinische Kirchenprovinz *bestehen zu müssen* der heilige Vater in der, den Allerhöchsten und Höchsten Regierungen seiner Zeit übermittelten Note vom 10. August 1819 für *seine Pflicht* erklärte; welche er in pos. 10 und 11 dieser Note, alle C anderen Erziehungsmittel für den Klerus als *absolut unzulänglich* bezeichnend, so bestimmt forderte: welche er endlich in der Bulle Provida solersque vom 16. August 1821 art. V *ad praescriptum Sacri Concilii Tridentini pro cleri educatione* und wiederholt in der Bulle „Ad dominici gregis custodiam“ vom 11. April 1827 art. V *ad formam decretorum S. Concilii Tridentini* sich ausdrücklich stipulirt hat.

Wenn der heilige Vater in der ersten Bulle dabei hinzugefügt: *„cumque in quatuor ex illis* (dioecesibus) *iam adesse sciamus*,“ und hieraus hervorzugehen scheint, dass demselben das Vorhandensein vier solcher Seminarien, *wie das Tridentinum sie will*, berichtet gewesen, so kann dies wohl nur in des damaligen Berichterstatters mangelhafter Kenntniss der Tridentinischen Vorschrift seine Erklärung finden. Die spätere Bulle enthält jenen Zusatz nicht mehr, und es ist das eben den vereinigten Bischöfen ein D Gegenstand besonderen Schmerzes, dass sie diese Seminarien im Sinne des Tridentinischen Kirchenrathes noch bis auf den heutigen Tag in ihren Sprengeln vermissen. Die sogenannten Priesterseminarien, in welche die von den Universitäten zurückgekehrten Candidaten der Theologie für eine kurze Zeit eintreten, um noch einige Anleitung für die Praxis in Cultus und Seelsorge zu erhalten, sind nichts weniger als Seminarien ad formam et praescriptum Sacri Concilii Tridentini, wesshalb auch schon der heilige Vater in der vorgenannten Note vom 10. August 1819 pos. 10 über solche Priesterseminarien die bestimmte Erklärung geben liess: „Eine Gestaltung, welche jener von dem Trienter Concile festgesetzten geradezu entgegen ist, welche dem Zwecke widerstreitet, den die Kirche bei Errichtung der Seminarien sich vorsteckte, und welche die Rechte der Bischöfe in Anordnung der Erziehung und des Unterrichtes der Weltgeistlichen in den ihrem Stande nothwendigen Kenntnissen verletzt, *kann von dem heiligen Vater nicht genehmigt werden*;“ und selbst von der Diöcese Fulda, deren künftige Kleriker doch wenigstens ihre theologischen Studien im Seminare machen, kann nicht gesagt werden, dass dieselbe ein Seminar *im Geiste der Tridentinischen Satzungen* besitze.

Wie schon die zu Würzburg versammelt gewesenen Erzbischöfe und Bischöfe Deutschlands es ausgesprochen, so können auch die vereinigten Bischöfe der oberrheinischen Kirchenprovinz, ausgehend von der durch die mehr angezogene Vorschrift der Kirche ihnen auferlegten Pflicht, für Erziehung und Heranbildung eines tüchtigen Klerus Sorge zu tragen, nicht umhin, die Freiheit der Gründung solcher nach den canonischen Satzungen eingerichteten *„immerwährenden Pflanzschulen würdiger Diener Gottes“* mit allem dem Nachdrucke zu beanspruchen, mit welchem der heilige Stuhl in der eben gedachten Note vom 10. August 1819 darauf bestehen zu müssen erklärte, „dass die Seminarien in jener Form errichtet werden, welche mit so grosser Weisheit von dem heiligen Concilium zu Trient vorgeschrieben wurde.“ Da, wo etwa der Errichtung wahrer eigentlicher Seminarien, in denen künftige Kleriker schon ihre Gymnasialstudien machen, annoch *unüberwindliche* Hindernisse im Wege stehen und desshalb, nach dem Vorgange in verschiedenen Diöcesen Deutschlands, *vor der Hand einstweilen* die Gründung eines Convictes bei einem katholischen Gymnasium hinzunehmen sein sollte, müssen die vereinigten Bischöfe jedoch um so nachdrücklicher darauf beharren, dass Einmal die ganze Einrichtung und Leitung der Convicte, die Ernennung und Amovirung der Vorstände und Lehrer an denselben, sowie die Aufnahme und Entlassung der Zöglinge ihnen in alle Wege unverkümmert zustehe und demnächst zum Andern die speciell theologischen Studien unter der unmittelbaren Leitung der Bischöfe in ihren Seminarien gemacht, und so es ihnen ermöglicht werde, diejenigen, denen sie dereinst die Hände auflegen und die Mitarbeit im Weinberge des Herrn anvertrauen sollen, zu beobachten, kennen zu lernen und während der hiezu erforderlichen Zeit zu priesterlicher Frömmigkeit, Tüchtigkeit, Würdigkeit heranzubilden.

Aus der durch die bischöfliche Verantwortlichkeit nothwendig und wesentlich bedingten Freiheit und Selbstständigkeit des Bischofs in der Erziehung, Prüfung und Auswahl seiner Kleriker folgt selbstredend, dass er in der Ertheilung der heiligen Weihen an dieselben eben so vollkommen freie Hand haben müsse. — Die vereinigten Bischöfe würden dies besonders hervorzuheben sich kaum veranlasst geglaubt haben, wäre nicht hie und da der bischöflichen Weihefreiheit der Anspruch entgegengetreten, dass dazu ein sogenannter landesherrlicher Tischtitel erforderlich sei; — ein Anspruch, der, wie wohlwollend auch die Absicht erscheinen möge, dem dienstunfähig werdenden Kleriker eine anständige Subsistenz zu sichern, immerhin die Hände des Bischofs fesselt, die Ertheilung der heiligen Weihen von der Bewilligung oder Verweigerung des sogenannten Tischtitels abhängig macht, die Freiheit und Selbstständigkeit der Kirche in einer ihrer eigensten Angelegenheiten, in Spendung eines Sacramentes, beeinträchtigt.

Die Kirche hat im 2. Capitel der 21. zu Trient gehaltenen Sitzung de reformatione ihren Bischöfen genau vorgezeichnet, wie für das zum ehrbaren Unterhalte der zu Weihenden Ausreichende zu

sorgen sei. Von einem sogenannten landesherrlichen A Tischtitel ist da nirgends die Rede; und wie sehr auch die Kirche dem ehrbaren Unterhalt jedes zu den heiligen Weihen Gerufenen sicher gestellt wünscht und — zumal im Hinblicke auf die durch § 35 des Reichsdeputationshauptschlusses den entschädigten Fürsten auferlegten Rechtsverbindlichkeiten — hiefür Fürsorge getroffen zu sehen wünschen muss: nimmer darf sie — wie dies der heilige Stuhl in pos. 12 der mehr gedachten Note vom 10. August 1819 klar ausgesprochen — einwilligen, dass ihre Weihe, ihrer Bischöfe Händeauflegung *bedingt und abhängig gemacht* werde durch In-Aussichtstellung dahin zielender Subsistenzmittel, welche, wenn aus dem eigenen Privatvermögen eines Wohlthäters gereicht, allerdings mit Dank anzuerkennen, wenn aber aus sogenannten allgemeinen, und nach den Bestimmungen des § 35 des gedachten Reichsdeputationshauptschlusses aus B den Einkünften säcularisirter geistlicher Güter, subvenirten Kirchenfonds, also aus kirchlichem Vermögen bewilligt, am natürlichsten durch den Bischof zu bestimmen sind.

Dasselbe Recht der Kirche, ihre Angelegenheiten frei und selbstständig zu ordnen und zu verwalten; das Recht derselben, nach ihres göttlichen Urhebers und Meisters Anordnungen zu bestehen und für die ewige Bestimmung des Menschengeschlechtes zu wirken, welches die vereinigten Bischöfe in Beziehung auf die Bildung, Leitung, Verwendung und Ueberwachung des Klerus in Anspruch nehmen, das gleiche Recht müssen sie auch beanspruchen und behaupten für Alles, was die Leitung und Verwaltung ihrer Sprengel überhaupt, was die Erhaltung der kirchlichen Glaubens- und Sittenlehre, die Gestaltung ihres Cultus und die ganze Entwicklung des kirchlichen Lebens, die Handhabung der kirch- C lichen Disciplin und der kirchlichen Verfassung in ihren Diöcesen betrifft.

Es ist wiederum nur ein Ausfluss der strengen Verantwortlichkeit der Bischöfe, für die Erfüllung der Mission, zu lehren Alles, was der göttliche Meister geboten hat, dass, wann und wo immer Angehörigen der katholischen Kirche Religionsunterricht ertheilt wird, dies nicht anders als unter Leitung und Ueberwachung des Bischofs nach den ausschliesslich von ihm zu bestimmenden Lehrbüchern und von denjenigen Personen geschehen dürfe, welche er mit diesem Unterrichte betraut.

Die vereinigten Bischöfe setzen voraus, dass dies von den Allerhöchsten und Höchsten Regierungen in Beziehung auf die untern und mittlern Schulen unbedingt zugegeben und an den letzteren die Ernennung und Amovirung der Religionslehrer der bischöflichen Gewalt unbeanstandet werde zu- D erkannt werden. — Aber auch das Verhältniss der theologischen Lehrer an den Hochschulen zu der kirchlichen Autorität beruht im Wesentlichen auf demselben Principe; und abgesehen von den Rechtsansprüchen derselben an die ihnen, als vom Staate bestellten Universitätslehrern, zustehenden Gehaltsbezüge können die Bischöfe es nimmer zugeben, dass in irgend einem Zweige der katholischen Facultätswissenschaften Vorlesungen gehalten werden von Männern, welche nicht in jeder Beziehung des bischöflichen Vertrauens sich erfreuen. — Dies im Auge gehalten, wird kein Lehrer an einer katholisch-theologischen Facultät zu solchem Lehramte berufen werden können, ohne vorläufige ausdrückliche Einwilligung des Bischofs der Diöcese, und unter der Verpflichtung, vor Ausübung seines Lehramtes nach kirchlicher Vorschrift die professio fidei abzulegen; [illegible] müssen sich die Bischöfe in Hinsicht auf diese für die höhere theologische Wissenschaft so wichtigen Anstalten die ganze Aufsicht vorbehalten, welche die Reinbewahrung der Lehre und der Disciplin der Kirche erfordert.

Dass die aus dem Mittelpunkte der kirchlichen Einheit hervorgehenden Entscheidungen über kirchliche Angelegenheiten, die Bullen und Breven des heiligen Vaters zu Rom, ebenso wie die Ausschreiben der Bischöfe an ihren Klerus und die Hirtenworte derselben an ihre Gläubigen, zu ihrer Bekanntmachung nicht erst der landesherrlichen Genehmigung, des sog. Placet, bedürfen, dass — mit andern Worten — die nach göttlicher Anordnung bestellten Träger der kirchlichen Autorität, Papst und Bischöfe, und nicht die weltliche Gewalt, zumal deren Träger und Verweser leicht andern Glaubens sein mögen, die ausschliesslichen, durch keinerlei Art staatlichen Einflusses beengten Hüter und Wächter des katholischen Glaubens sein müssen: dies ist eine Forderung von so eminenter Gerechtigkeit, dass die vereinigten Bischöfe sich auch nicht den leisesten Zweifel an deren bereitwilligster Anerkennung da erlauben, wo die Selbstständigkeit der Kirche eine Wahrheit sein soll.

Mit gleich zuversichtlichem Vertrauen sprechen die vereinigten Bischöfe ihre Voraussetzung aus, dass die Allerhöchsten und Höchsten Regierungen bei der, in den neueren Verfassungsbestimmungen durchweg allen Religionsgesellschaften zugesicherten Freiheit der öffentlichen Religionsübung auch der katholischen Kirche, d. h. den Bischöfen derselben, die bereitwillige Anerkennung der vollen, durch keinerlei Einwirkung beirrten Freiheit nicht werden versagen wollen, für den Gottesdienst in ihren Sprengeln alles dasjenige anzuordnen, was sie der Feier des katholischen Cultus, sowie der Weckung, Entwicklung und Kräftigung des kirchlichen Lebens überhaupt angemessen erachten. Sie rechnen dahin die Einführung etwa zweckdienlich erscheinender Gottesdienstordnungen, Agenden, Gebet- und Gesangbücher; die Anordnung ihrer Fest- und Fasttage, Processionen und Wallfahrten, die Spendung ihrer heiligen Sacramente, die Abhaltung von Priesterexercitien und Volksmissionen u. s. w.; und wie die vereinigten Bischöfe mit hoher Freude die Thatsache begrüsst haben, dass in jüngster Zeit ihre desshalbigen Anordnungen seltener auf Hemmnisse gestossen, auch von staatlichem Zwange zur Vornahme kirchlicher Handlungen und Feierlichkeiten kaum noch die Rede gewesen: so vertrauen dieselben auch, dass auf diesem ihrem ausschliesslich eigensten Gebiete fortan die kirchliche Selbstständigkeit gegen alle Dazwischenkunft der weltlichen Gewalt werde sicher gestellt werden, wogegen sie ihrerseits allezeit strenge bedacht sein werden, dafür Sorge zu tragen, dass durch gottesdienstliche Handlungen und Feierlichkeiten nimmer die öffentliche Ruhe und Sicherheit irgendwie gestört werde.

Die zu Würzburg versammelt gewesenen Erzbischöfe Deutschlands haben es bereits ausgesprochen: „Eine mit dem Wesen des Cultus innig zusammenhängende Blüthe des katholischen Lebens sind die durch alle Jahrhunderte der Kirche in den mannigfachsten Gestaltungen erscheinenden geistlichen Vereine von Männern oder Frauen, die sich mit Genehmigung ihrer kirchlichen Oberhirten durch Gelübde oder fromme Gelöbnisse verbunden haben, um in erhöhtem Streben nach christlicher Vollkommenheit, unter bestimmten, ihren Verband und ihre Thätigkeit normirenden Regeln, alle geistigen und leiblichen Werke der Barmherzigkeit in Unterricht, Pflege der Armen und Kranken u. s. w.

und zugleich einen ihr ganzes Thun und Wirken A begleitenden Gottesdienst, in Gebet, Betrachtung und sich selbst verleugnendem Gehorsam zu üben. Die versammelten Erzbischöfe und Bischöfe nehmen für dergleichen Vereine das gleiche Recht der Freiheit der Associationen in Anspruch, welches die Verfassung des Staates allen Staatsbürgern gewährt." Die vereinigten Bischöfe der oberrheinischen Kirchenprovinz können im Hinblicke auf so manche dringende Zeitbedürfnisse, welche nur durch die gemeinsame, aufopfernde Thätigkeit solcher geistlichen Vereine ihre Befriedigung zu erhalten vermögen, nicht umhin, der Gründung und Einführung derselben mit allem Nachdrucke das Wort redend, die Bitte auszusprechen, dass das Princip der Associationsfreiheit, welches in den neueren Verfassungsbestimmungen allerwege als ein politisches Recht proclamirt worden ist, auch den genannten im Wesen der katholischen Kirche und ihrer Lebens- B entwicklung liegenden und desshalb seit mehr denn einem Jahrtausende in ihr bestehenden und segensreich wirkenden, geistlichen Vereinen nicht verkümmert, dass das Recht derselben, als eine eigenthümliche Manifestation des kirchlichen Geistes und Lebens zu bestehen und zu wirken, wolle anerkannt und ausgesprochen werden.

Wenn in Zeiten, wo Zucht und Sitte in Verfall gerathen und alle Bande der öffentlichen Ordnung gelockert sind; wo es der weltlichen Gewalt mit dem Aufgebote ihrer materiellen Mittel kaum noch gelingen mag, die Ausbrüche von Unordnungen jeglicher Art niederzuhalten; wo die einfachste Rundschau in jeder beliebigen Schichte der Gesellschaft laut und unabweisbar die Thatsache verkündet, dass die Gesellschaft zum grossen Theile glaubenslos und des Bewusstseins ihrer Beziehungen zu einem höheren Wesen verlustig geworden, auch C zu der weltlichen Autorität kein anderes Verhältniss anerkennt als das der Gewalt des Stärkeren; wenn bei solchen gesellschaftlichen Zuständen den Lenkern der Staaten die Ueberzeugung sich aufdringen muss, dass nur eine höhere, geistige Macht, welche mit dem Glauben an die Wahrheiten einer göttlichen Offenbarung das Gewissen der Menschen erfasst und ihre Beziehungen zu Gott ihnen verkündet, die Völker zu sittigen und die gewichenen Fundamente der bürgerlichen Ordnung wieder zu befestigen vermöge: dann wird mit dieser Erkenntniss auch das Bedürfniss fühlbar werden, dass die völkersittigende Thätigkeit dieser geistigen Macht sich kraftvoll erneuern möge.

Die vereinigten Bischöfe haben dies alles klar erkannt, und von ihrem Entschlusse, die ganze Fülle der kirchlichen Lebensthätigkeit einzusetzen, haben die in ihren Diöcesen von ihnen angeordneten D Missionen, deren segensreiche Erfolge auch nicht verkannt worden sind, bereits beredtes Zeugniss gegeben. Sollen sie indessen der Hoffnung nachhaltigen Erfolges ihrer Wirksamkeit sich hingeben dürfen, so müssen sie auch wieder eintreten in den Vollgenuss ihres Rechtes, gegen Glieder der Kirche, welche als solche ihre Pflichten hintansetzen oder kirchliche Anordnungen missachten, von ihrer durch die Kirchengesetze normirten Richtergewalt Gebrauch zu machen.

Sage man nicht, durch die neueren Verfassungsbestimmungen sei festgesetzt, dass Niemand zu einer religiösen Handlung gezwungen werden dürfe. Die vereinigten Bischöfe wissen, dass diese Bestimmung für die katholische Kirche nichts Neues enthält, dieweil diese für die Theilnahme an ihren religiösen Handlungen äussern Zwang für sich geltend zu machen, nirgends den Wunsch gehegt oder die Absicht kund gegeben. Aber sie wissen auch, dass Einmal, wenn ein Mitglied irgend einer Religions- oder sonstigen Gesellschaft die ihm als solchem obliegenden Pflichten nicht erfüllt, es hinwiederum nicht verlangen darf, an den Vortheilen derselben Theil zu nehmen; dass also hier jene Bestimmung ihre Anwendung eben auf die Kirche zu finden hat und diese nicht zur Vornahme einer kirchlichen Segnung oder Feierlichkeit darf gezwungen werden wollen; — dass aber zum Andern Jeder, der annoch einer Religionsgesellschaft angehören und an ihren religiösen Handlungen Theil nehmen will, auch verbunden ist, sein Verhalten bei derselben nach den Disciplinarvorschriften der Kirchenbehörden einzurichten, bei deren Handhabung übrigens für die Berufung gegen etwaigen Missbrauch der Amtsgewalt von der untern an die höhern kirchlichen Behörden eben so ausreichende Fürsorge getroffen ist, wie bei dem Strafverfahren gegen pflichtvergessene Geistliche; und dass endlich, da die Kirchenstrafen keinerlei Rückwirkung auf bürgerliche Rechte mehr üben, die geistliche Gerichtsbarkeit sich lediglich auf kirchlichem Gebiete bewegt.

Die vereinigten Bischöfe erlauben sich, die zuversichtlichste Erwartung auszusprechen, dass die sämmtlichen Allerhöchsten und Höchsten Regierungen, diese Ueberzeugungen auch zu den ihrigen machend, die geistliche Gerichtsbarkeit in ihrer Selbstständigkeit anerkennen und nöthigenfalls schützen werden.

Zu dem Rechte der katholischen Kirche, nach der göttlichen Anordnung ihres Meisters zu bestehen und zu wirken, gehört unstreitig auch das, anerkannt zu sein in ihrer besonderen, allerwege den Charakter der Einheit ausprägenden Verfassung, und unverkümmert in deren Handhabung.

Dass die katholische Kirche als ein einiges, organisch gegliedertes Ganzes von dem heiligen Vater, als dem Nachfolger des Apostelfürsten Petrus, geleitet und regiert werde, beruht auf göttlicher Anordnung, und es setzt diese oberste Leitung und Verwaltung der ganzen über den weiten Erdkreis verbreiteten Kirche den, durch keinerlei Art von Dazwischentretung gehinderten, freien Verkehr des Hauptes mit sämmtlichen Gliedern — Bischöfen, Priestern und Gläubigen — nothwendig voraus. Diesen Verkehr hemmen, heisst die Kirche unterdrücken wollen. Die vereinigten Bischöfe überlassen sich der Hoffnung, dass alle Hemmnisse der Art vollständig und für immer beseitigt werden erklärt werden.

In gleicher Weise ist die in dem *bischöflichen* Amte liegende Gewalt, nach der katholischen Glaubenslehre, von Christus selbst eingesetzt, und hat jeder Bischof in seiner Diöcese *die* Sorgfalt und Gewalt anzuwenden, welche dem Episcopate — Papst und Bischöfen — für die ganze Kirche aufgetragen sind; woraus dann selbstredend das volle Recht des Bischofs, zugleich mit der vollen Verantwortlichkeit, folgt, in seiner Diöcese alles dasjenige — in Uebereinstimmung mit dem Papste, als dem Mittelpunkte der Einheit und dem von Jesus Christus gesetzten Haupte der ganzen Kirche — anzuordnen, was die Kirchenverfassung nach den canonischen Satzungen mit sich bringt. Was nun hier für's Erste die Besetzung erledigter Stellen in den Domcapiteln betrifft, so hat die mehrfach angezogene Bulle „Ad dominici gregis custodiam" vom 11. April 1827 Art. IV den Allerhöchsten und Höchsten Regierungen die Vergünstigung eingeräumt, aus dem alternirend von dem betreffenden Bischofe oder Capitel aufzustellenden Verzeichnisse von vier canonisch befähigten Candidaten, ebenso

wie bei der in Art. I stipulirten Art der Bischofs- A wahl, denjenigen bezeichnen zu lassen, welcher etwa dem Landesherrn der minder angenehme sein sollte, wonach sodann der Bischof, beziehungsweise das Capitel, zur Ernennung eines aus den übrigen Candidaten schreiten, und dem Ernannten die canonische Einsetzung durch den Bischof solle ertheilt werden.

Nach dieser Bestimmung ist und bleibt die Aufstellung des Verzeichnisses der vier canonisch befähigten Candidaten ein ebenso freier, selbstständiger Act des Bischofs oder Capitels, wie die Bezeichnung eines etwa minder Angenehmen auf Seiten des Landesherrn; und die vereinigten Bischöfe haben es als eine wesentliche, den Art. IV der beregten Bulle verletzende Beeinträchtigung der kirchlichen Freiheit zu betrachten, wann und wo immer die weltliche Gewalt bei Aufstellung jenes Verzeichnisses intervenirt; wie sie es ferner mit den desfallsigen Bestimmungen der genannten Bulle nicht zu ver- B einbaren im Stande sind, und darum für künftige Fälle ehrfurchtvollste Einsprache dagegen einlegen müssen, dass nach gehörig gemachter Vorlage der Candidatenliste und nach erfolgter obenerwähnter landesherrlicher Erklärung, die alsdann dem Bischofe, beziehungsweise dem Domcapitel, zukommende Ernennung annoch von einer weiteren nachträglichen landesherrlichen Bestätigung abhängig gemacht oder einer solchen unterworfen werde. — Ganz dasselbe gilt von der Aufstellung der Candidatenliste zur Wiederbesetzung eines erledigten Bischofssitzes, und die vereinigten Bischöfe können nicht dringend genug die Bitte aussprechen, dass hier wie dort in vorkommenden Fällen die Aufstellung der Candidatenliste, *wie überhaupt das ganze kirchliche Wahlgeschäft*, von jeder Art weltlicher Einmischung frei erhalten werde.

Dass der Bischof freie Hand haben muss, um sich C mit den nöthigen Gehilfen für die Verwaltung der Jurisdiction zu umgeben, sein Ordinariat zusammenzusetzen, seinen Generalvicar u. s. w. zu bestellen, dies ist wieder ein Postulat der ihm obliegenden Verantwortlichkeit. — Hierher gehört auch die Bestellung der Ruraldecane, welche das katholische Kirchenrecht nur als Gehilfen des Bischofs für die Verwaltung der Jurisdiction kennt, und deren Wahl der Bischof zwar den Pfarrern des betreffenden Landcapitels, wie dies in manchen Diöcesen der Fall ist, anheimgeben, einen den canonischen Satzungen völlig fremden Charakter landesherrlicher Decane jedoch nimmer anerkennen darf.

In den bisher ehrfurchtsvoll vorgetragenen Anträgen haben die vereinigten Bischöfe meist nur Grundsätze berührt, welche der heilige Stuhl bereits in der zum öftern allegirten Note vom 10. August 1819 als solche bezeichnete, auf welche er nicht D verzichten dürfe, ohne die Pflichten seines apostolischen Amtes zu verletzen und sich schuldig vor Gott und zum Gegenstande des Aergernisses bei der katholischen Kirche zu machen.

Gerade weil diese Grundsätze zu dem Lebensprincipe der katholischen Kirche gehören, sprach der heilige Vater seine Ueberzeugung aus, dass die vereinigten Fürsten und Staaten ein Aufgeben derselben an ihn nicht gesinnen würden, und erklärte sich unter dieser Voraussetzung bereit, damit dem dringendsten Bedürfnisse der Gläubigen, die so lange entbehrten bischöflichen Oberhirten wieder zu erhalten, abgeholfen werde, einstweilen die Bisthümer einzurichten und zu besetzen, um hernach in gutem *Einverständnisse* den Kirchen weiter vorzusehen. — Leider! sollte dieses vertrauensvolle, durch die beiden Bullen „Provida solersque" vom 16. August 1821, „Ad dominici gregis custodiam" vom 11. April 1827 verwirklichte Entgegenkommen nicht so glücklich sein, einer gleich billigen Rücksichtnahme zu begegnen, und der heilige Stuhl sah sich sehr bald nach der Errichtung der oberrheinischen Kirchenprovinz und der Besetzung ihrer Stühle genöthigt, in dem am 30. Juni 1830 an den Erzbischof und die Bischöfe derselben gerichteten apostolischen Breve „Pervenerat non ita pridem" die feierliche Erklärung zu veröffentlichen, dass die jüngsten, einseitig erlassenen Gesetzgebungen der gedachten Staaten — das Edict vom 30. Januar 1830, das landesherrliche Schutz- und Aufsichtsrecht über die katholische Kirche betreffend u. A. — aus kirchenfeindlicher Gesinnung hervorgegangen, in ihrem Principe wie in ihren einzelnen Bestimmungen verderblich und eine schmachvolle Knechtung der, nach göttlicher Anordnung freien und keiner irdischen Gewalt unterworfenen, makellosen Braut des unbefleckten Lammes Christi Jesu seien, und desshalb die Bischöfe mit dem ganzen Ernste des bittersten Schmerzes aufzufordern, dass sie Alles aufbieten sollten, die alsbaldige Abrufung jener Gesetze zu erwirken.

Welche Bedenken der Lösung dieser Aufgabe bis anher entgegentreten, wie unstatthaft es erscheinen mochte, die Abrufung promulgirter Gesetze zu bewerkstelligen, welchen die Gesetzgebung einer katholischen Grossmacht Deutschlands so vielfach das Wort zu reden und eine rechtfertigende Unterlage zu bieten schien: die Wucht der jüngsten Zeitereignisse, die mit denselben über Europa hereingebrochene Gefahr, alle gesellige Ordnung zerfallen, alle Schätze seiner Civilisation durch die wüsteste Rohheit und Barbarei zertreten zu sehen, sie sind mit so ernstem Gewichte eingetreten in die Wagschale des Rechtes und der Freiheit der Kirche, dass jene Gesetzgebung zu leicht befunden und nun dort auf dem Boden eines wahrhaft guten Einverständnisses das der Kirche von Gott verordnete Gebiet anerkannt und zur Entwicklung ihrer sühnenden, sittigenden Thätigkeit in gebührender Freiheit ihr überlassen worden ist.

Die Grundprincipien der katholischen Kirche, welche sie niemals aufgeben kann, ohne sich selbst aufzugeben; welche das Oberhaupt der Kirche in dem ganzen Verlaufe der Unterhandlungen, aus denen die oberrheinische Kirchenprovinz hervorgegangen ist, als solche bezeichnet hat, auf welche verzichten eine Sünde vor Gott und ein Aergerniss vor der katholischen Welt sein würde; für welche einzustehen der zu Würzburg versammelt gewesene Episcopat Deutschlands als seine heilige, unabweisbare Pflicht erkannte und erklärte: — der Augenblick ist ernst und will ein Hinausschieben der Entscheidung nicht gestatten! — die vereinigten Bischöfe der oberrheinischen Kirchenprovinz fühlen sich durch die Verhältnisse wie durch ihre Pflicht gedrängt zu der ehrfurchtsvoll ausgesprochenen Anforderung, dass es den Allerhöchsten und Höchsten Regierungen gefallen wolle, diese Grundprincipien als solche anzuerkennen, und unter Abrufung aller seit der Säcularisation des Jahres 1803 erlassenen, dieselben vielfach beeinträchtigenden Gesetze, vor Allem des Edictes vom 30. Januar 1830, solche gesetzliche Bestimmungen zu treffen, welche das Recht der katholischen Kirche, nach der göttlichen Anordnung ihres Gründers zu bestehen und frei zu wirken, gehörig berücksichtigend, hemmenden Einwirkungen in die bisher entwickelten Grundlinien der Rechte der Kirche in Ordnung und Verwaltung ihrer Angelegenheiten fürder keinen Raum lassen.

Dass der (christliche) Staat neben der Pflicht, Hindernisse, welche die katholische Kirche in der

Ausübung ihrer Rechte stören könnten) zu beseitigen, A dass sie auch die andere habe, ihr diejenigen Mittel zu gewähren, welche zur Erreichung ihrer Zwecke wesentlich nöthig sind: diesen Satz finden die vereinigten Bischöfe der oberrheinischen Kirchenprovinz in dem § 2 der von den Vertretern der Allerhöchsten und Höchsten Regierungen im Jahre 1818 entworfenen *Grundzüge zu einer Vereinbarung über die Verhältnisse der katholischen Kirche uneingeschränkt* ausgesprochen und in dem § 3 also motivirt: „Eine nähere rechtliche Bestimmung erhält dieser Satz durch den 35. und 62. Paragraph des Reichsdeputationshauptschlusses, durch welchen die Güter der Stifter, Abteien und Klöster zwar der vollen und freien Disposition der Landesherren, jedoch unter dem bestimmten Vorbehalte überlassen wurden, den Aufwand für den Gottesdienst, Unterricht und andere gemeinnützige Anstalten daraus zu bestreiten und insbesondere den Domkirchen B eine feste und sichere Ausstattung zu bereiten."

Die vereinigten Bischöfe sind der Ueberzeugung, dass die völkerrechtliche Vertragsstipulation des § 35 des Reichsdeputationshauptschlusses als *rechtliche Bestimmung* der Pflicht, für die materielle Stellung der Kirche in den säcularisirten Landen Fürsorge zu treffen, heute noch ebenso unbestritten werde anerkannt werden, wie dies in dem gehörten § 3 der *Grundzüge* geschehen, und haben es nur zu beklagen, dass jene Fürsorge bis anjetzt noch in mehreren Diöcesen nicht in ausreichender Weise getroffen ist. Sie sehen sich nicht in der allemal misslichen Verlegenheit, vom Staate Opfer für die katholische Kirche nachsuchen zu sollen, für deren Gewährung die Rücksicht auf andere Religionsgesellschaften immerhin als ein Hemmniss erscheinen möchte; sie sind in der glücklichen Lage, nur die ausreichende Bewilligung desjenigen ehrfurchtsvollst C anzusprechen, was ein völkerrechtlicher Vertrag, der Reichsdeputationshauptschluss vom 25. Februar 1803 in dem angezogenen § 35, aus den eingezogenen geistlichen Besitzthümern für die Sicherung der materiellen Stellung der katholischen Kirche in den säcularisirten Landen aufzuwenden festgesetzt hat. Die vereinigten Bischöfe sind in dieser Beziehung sowohl dem heiligen Stuhle als ihren Diöcesanen, den Katholiken der oberreinischen Kirchenprovinz, gegenüber verpflichtet, mit der ganzen Fülle rechtlicher Ueberzeugung einzustehen für die Ansprüche der Kirche auf eine dem Bedürfnisse und den Stipulationen der Bulle „Provida solersque" entsprechende, bleibende Dotation der Bisthümer, damit die den katholischen Unterthanen der Allerhöchsten und Höchsten Regierungen gegebene völkerrechtliche Zusicherung eine Wahrheit, und den Bisthümern der oberrheinischen Kirchenprovinz die D im § 35 des Reichsdeputationshauptschlusses verheissene feste und sichere Ausstattung aus den Gütern der eingezogenen Stifter, Abteien und Klöster in Wirklichkeit bereitet werde.

Der bisher beliebten Art der Fürsorge für die Bisthümer kann der Charakter der Festigkeit und Sicherheit gewiss nicht zuerkannt werden, und es wird dieser Charakter nur erst dann erzeugt und gewahrt erscheinen, wenn in Wirklichkeit aus den Gütern der eingezogenen katholischen Stifter, Abteien und Klöster ein zur vollen Dotation der Bisthümer zureichender Complex ausgeschieden sein wird. Es ist daher nur eine Forderung der Gerechtigkeit, wenn die vereinigten Bischöfe die endliche Veranstaltung einer solchen Ausscheidung ehrfurchtsvoll beantragen; — und da die neueren Verfassungsbestimmungen durchweg dem in der Natur der Dinge liegenden Grundsatze huldigen, dass jeder Religionsgesellschaft mit dem Rechte der freien Ordnung ihrer Angelegenheiten auch das der selbstständigen Verwaltung ihres Vermögens zustehe, so ist es wiederum nur eine Folgerung aus diesem Principe, wenn sie auch die freie, selbstständige Verwaltung dieses auszuscheidenden Dotationsfonds, sowie überhaupt alles katholischen Kirchen- und Stiftungsvermögens in Anspruch nehmen; dieweil, wie es die Bischöfe Deutschlands bereits in der mehr erwähnten Würzburger Denkschrift ausgesprochen, — dieses überall zu den Zwecken der Kirche nur bestimmte Vermögen Eigenthum der Einen, als einiges Rechtssubjekt zu erkennenden, katholischen Kirchengesellschaft ist, welche die freie Verwaltung und Verwendung desselben nur in den Händen ihrer Bischöfe, als der von Gott verordneten Häupter der kirchlichen Gemeinde, gesichert zu erkennen hat. Dass übrigens die Bischöfe in Führung der Oberleitung und Aufsicht über das Kirchenvermögen durch die hierüber bestehenden und auf die Verhinderung jeder Willkür sorgfältig berechneten Kirchengesetze und canonischen Vorschriften sich als gebunden betrachten werden, bedarf wohl kaum einer ausdrücklichen Versicherung.

Die Bischöfe der oberrheinischen Kirchenprovinz haben es im Vereine mit den übrigen Erzbischöfen und Bischöfen Deutschlands bereits in der mehrmals genannten, aus der Würzburger Versammlung hervorgegangenen Denkschrift ausgesprochen, dass unter den Rechten der Kirche das göttliche Recht der Lehre und Erziehung obenanstehe; dass ihr von Gott der Auftrag gegeben sei, die Völker des Erdkreises für die höhere, ewige Bestimmung des Menschen zu erziehen, dass sie im Bewusstsein dieser ihr gewordenen Mission sich nimmer auf den Religionsunterricht allein beschränkt, sondern den Menschen in der Totalität aller seiner geistigen Kräfte zu erfassen und zu seiner ewigen Bestimmung durchzubilden als ihre Aufgabe erkennt; und dass nach dem Zeugnisse der Geschichte die höheren wissenschaftlichen Anstalten nicht minder als die Volksschulen der Kirche ihren Ursprung verdanken. — Wir dürfen und müssen, an das dort Gesagte anknüpfend, hier frei und offen unsern gerechten Schmerz aussprechen über die bitteren Früchte, welche das seit mehreren Jahrzehnten allerwege verfolgte Bestreben, die katholische Kirche ihres leitenden Einflusses auf die katholischen Volksschulen, namentlich und vor Allem auf die Bildung der Lehrer, zu entkleiden und die gelehrten Schulen denselben gänzlich zu entfremden, dem Staate sowohl als der Kirche getragen hat. Oder wo anders wurzelten die in den Erschütterungen der jüngsten Zeit zu Tage getretenen furchtbar kranken und unterhöhlten Zustände der bürgerlichen Gesellschaft, als in der entchristlichten Erziehung in Schule und Familie? Die Schule wird in der Regel sein, wie die Lehrer gebildet wurden; wie aber, wenn diese ihre Bildung, leider! nur allzuhäufig von Männern erhielten, bei deren Anstellung ihre Religiosität kaum in Frage kam, und die, während sie gar so gerne mit den Schaustellungen ihrer Unkirchlichkeit ihre Schüler ergötzten, dem meist auf wenige Stunden eingeschränkten und darum schon sehr kümmerlich ertheilten Religionsunterricht bei der Notenertheilung über die Schüler nur eine untergeordnete Stelle anwiesen? — Und die Familie? wie sollte sie bei einer so gearteten, dem Unchristenthum verfallenen Volks- und Gelehrtenschule die Macht des Glaubens und die sittliche Zucht und Kraft bewahren, deren Erhaltung den Bestand, deren Verfall den Untergang der Staaten bedingt! Soll die Gesellschaft gerettet werden, nur die Religion vermag sie zu retten.

Wie sehr daher auch ein Theil unserer Zeit- A genossen das durch Jahrhunderte begründete und von allen christlichen Staaten stets anerkannt gewesene Anrecht der Kirche auf das christliche Unterrichtswesen verkennen mag, die vereinigten Bischöfe fühlen sich in ihrem Gewissen verpflichtet, dies Recht andurch ausdrücklich zu verwahren, und sich zur Unterstützung ihrer Verwahrung auf die immer noch in unläugbarer Geltung stehenden Bestimmungen des westphälischen Friedens und des Reichsdeputationshauptschlusses von 1803 — Bestimmungen, welche durch keinerlei Privatgesetzgebungen oder Verordnungen giltig und ohne Verkennung der heiligsten völkerrechtlich eingegangenen Verpflichtungen beseitigt werden könnten — zu berufen.

Die vereinigten Bischöfe haben in diesen kurzen Andeutungen nur wiederholt, was bereits so viele denkende, geistvolle Männer mit eben so vieler B Gründlichkeit und Klarheit als rühmlich offener Entschiedenheit ausgesprochen haben. Sie sind es sich selbst, sie sind es der katholischen Kirche, sie sind es den Allerhöchsten und Höchsten Regierungen schuldig, ihre Ueberzeugung unumwunden auszusprechen, dass alle Versuche, dem Uebel zu steuern, in stets betrübenderer Weise scheitern werden, so lange nicht der Kirche der ihr gebührende Einfluss auf die Leitung der Volks- wie der gelehrten Schulen unverkümmert zurückgegeben und zugleich die materiellen Mittel zur Entwicklung ihrer als nothwendig erkannten Thätigkeit in dieser Beziehung werden gewährt werden.

Wie dies auf dem heutigen Standpunkte der staatlichen Gesetzgebung am einfachsten und sichersten in's Werk zu setzen, wir wissen nicht, ob das hier anzudeuten am Orte: das aber wissen wir, und dürfen es Angesichts des Abgrundes, an dessen C Rande die Gesellschaft angelangt, Angesichts der uns obliegenden heiligen Pflicht, zur Rettung der Seelen unsere Stimme zu erheben, nicht unausgesprochen lassen, dass das in diesen Landen eingezogene katholische Kirchen- und Schulvermögen, insofern es nach Massgabe der vorliegenden Bestimmungen völkerrechtlicher Verträge durch die katholische Kirche zu freier Verwendung wieder in Anspruch genommen werden kann, zur Währung des Seelenheils von mehr als zwei Millionen Katholiken, die unserer Obhut anvertraut sind, durch Gründung katholischer Volks- und gelehrten Schulen wohl genügen, und, wenn nicht, doch zur Grundsteinlegung eines Baues ausreichen würde, dessen Aufführung in diesen Zeitläuften ein Hauptziel der bischöflichen Thätigkeit sein muss.

Die vereinigten Bischöfe fühlen den ganzen Ernst ihrer Worte, aber sie haben auch den ganzen Ernst der wichtigen, tiefeingreifenden Fragen erkannt, von deren glücklicher Lösung in Beziehung auf Kirche und Schule die Zukunft der Gesellschaft abhängt. Möge es der erleuchteten Einsicht der Allerhöchsten und Höchsten Regierungen gefallen, ihrem vertrauensvoll ausgesprochenen Worte gerechte Würdigung angedeihen zu lassen, und das zur Erfüllung der hier ehrfurchtsvoll ausgesprochenen Anträge und Bitten Erforderliche baldthunlichst, und Gott gebe in segensreichem Zusammenwirken von Kirche und Staat, zu veranlassen.

Freiburg, den 5. Februar 1851.

† Hermann, Erzbischof von Freiburg.
† Peter Joseph, Bischof von Limburg.
† Joseph, Bischof von Rottenburg.
† Christoph Florentius, Bischof von Fulda.
† Wilhelm Emanuel, Bischof von Mainz.

Cum principes postulata episcoporum non concederent, hi alias literas ad illos data 18 iunii 1853, nullo tamen conventu habito, conscripserunt (editas Friburgi, typis Herder, 1853), sicut Bavariae episcopi ex simili causa post conventum Frisingensem fecerant (Archiv für KR. VIII, 395, IX, 129).

## SYNODUS DIOECESANA LINGONENSIS
1851 maii 6.

Synodus dioecesana Lingonensis in Gallia, celebrata die 6 maii 1851, sub Petro-Ludovico Parisis, episcopo Lingonensi.

De hac synodo confer opus cui titulus:

*[Insigne.]* N° 110. Discours prononcé par Mgr l'évêque de Langres, en synode, pour la promulgation des décrets du concile provincial de Lyon, le 6 mai 1851. *[In fine:]* Paris, typographie de Firmin Didot frères, rue Jacob, 56.

In-8°, 39 p. — Paris, Bibl. nat. B 18355.

## SYNODUS DIOECESANA NANNETENSIS I
1851 iulii 16-7.

Synodus dioecesana Nannetensis I in Gallia, celebrata diebus 16 et 17 iulii 1851, sub Antonio- D Matthia-Alexandro Jaquemet, episcopo Nannetensi.

Extant constitutiones synodales in opere cui titulus:

Premier synode diocésain, tenu à Nantes, par monseigneur Antoine-Matthias-Alexandre Jaquemet, évêque de Nantes, les 16 et 17 juillet 1851. *[Insigne.]* Nantes, imprimerie de Mme Ve Camille Mellinet, 1852.

In-8°, 67 p. — Besançon, archevêché; Lucca, Grande-Chartreuse; Lyon abbé Martin.

# CONCILIUM PROVINCIALE QUEBECENSE I
1851 augusti 15.

Concilium provinciale Quebecense in America septentrionali, celebratum die 15 augusti 1851, sub Iosepho Signay, archiepiscopo Quebecensi.

**Bibliographia:**

1) Acta et decreta primi concilii provinciae Quebecensis, in Quebecensi civitate anno Domini MDCCCLI, pontificatus Pii papae noni VI celebrati, a sancta sede revisa et recognita. *[Insigne.]* Quebeci, apud Aug. Côté et soc., typographos ac bibliopolas, MDCCCLII.

I-8°, 88 - VIII p. — Québec, séminaire.

2) Concili aprovinciae Quebecensis. I, II, III, IV in Quebecensi civitate celebrata et a sancta sede revisa et recognita. Quebeci, apud P.-G. Delisle, typographum; port Dauphin, 1870.

In-8°, 320 p. — Avignon, séminaire.

P. 13, concilium Quebecense I celebratum est die 15 augusti 1851; decreta habentur p. 1-36.

P. 97, concilium Quebecense II celebratum est a die 28 maii ad diem 4 iunii 1854; decreta habentur p. 37-97.

P. 102 et 180, concilium Quebecense III celebratum est a die 14 ad diem 21 maii 1863; decreta habentur p. 99-133.

P. 152, 162 et 174, concilium Quebecense IV A celebratum est, tribus sessionibus, diebus 7, 10 et 14 maii 1868; decreta habentur p. 135-217.

P. 219-313, appendices ad quatuor concilia Quebecensia.

3. Acta et decreta sacrorum conciliorum recentiorum, collectio Lacensis, auctoribus presbyteris s. J. e domo b. v. M. sine labe conceptae ad Lacum. Tomus tertius ... Friburgi Brisgoviae, sumtibus Herder, MDCCCLXXV, col. 601-24.

## LITTERAE

*de indicendo et convocando provinciae Quebecensis primo concilio.*

*Petrus-Flavianus Turgeon, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae gratia archiepiscopus Quebecensis etc.; reverendissimis provinciae nostrae et Halifaxensis, Carolinopolitanae, Neo-Brunopolitae et Arichatensis dioecesium episcopis, nostro eorumdemque clero et populo, salutem in Domino.*

Cum sanctae sedi apostolicae visum sit, bulla die 12 mensis iulii anno 1844 data, in provinciam metropolitanam erigere et constituere Quebecensem, Marianopolitanam [1], Regiopolitanensem [2], Torontinam dioeceses, sub denominatione provinciae metropolitanae Quebecensis, cuius metropolis est Quebecensis ecclesia; et cum postea eidem auctoritati placuerit Terrae-Novae et districtus Nord-Ouest [3] dioeceses, bulla data die 4 iunii anno Domini 1847, eodemque anno Bypolitanam [4] dioecesim, bulla data die 27 iunii, dictae provinciae unire; cumque supracitata bulla, data die 12 iulii anno 1844, Carolinopolitanus [5], Neo-Brunopolitanus [6], Halifaxensis episcopi, necnon et Arichatensis episcopus (cuius dioecesis ex parte dioecesis Halifaxensis constituta est), quando provinciale concilium Quebecense celebrari contingat, iuxta concilii Tridentini praescriptionem ad illud teneantur accedere; cumque secundum eiusdem sancti concilii praescriptionem, supradictae provinciae metropolitani muneris sit tam suffraganeos quam adiunctarum dioecesium episcopos in synodum vel concilium provinciale convocare, ut cum ipso, sub sancti Spiritus praesidio, de omnibus his quae spectant ad reprimendos abusus, ad reformandos mores, ad augendum religionis honorem suis in dioecesibus secundum canones statuant;

Perpendentes, nobis, etsi nondum sacro pallio decoratis, concessam tamen fuisse, sanctae sedis indulto die 7 martii 1847 dato, auctoritatem exercendi, eveniente illustrissimi antecessoris nostri decessu, quascumque functiones metropolitanas ipse exercere poterat, dum nobis praedictum sanctum pallium concederetur:

Nos, quantum in nobis est, hac in parte, officii nostri muniis satisfacere cupientes, re mature perpensa, et sacro Dei nomine invocato, synodum seu concilium provinciale in civitate nostra Quebecensi ecclesiaque nostra metropolitana indicere et convocare decrevimus, illudque, in dicta nostra ecclesia, ad diem decimam quintam mensis augusti praesentis anni, festo Assumptionis beatae Mariae virginis incipiendum, et postea usque in finem prosequendum, per praesentes indicimus atque convocamus.

Quocirca, reverendissimos in Christo ac venerabiles fratres Regiopolitanum, Marianopolitanum, Torontinum, Terrae-Novae, districtus Nord-Ouest et Bypolitanum episcopos, nostros comprovinciales, necnon Carolinopolitanum, Neo-Brunopolitanum seu Novi-Brunswikii, Halifaxensem et Arichatensem episcopos [1], dictae provinciae metropolitanae a sancta sede adiunctos, eorumdemque coadiutores cum futura successione, ac alios quoscumque qui de iure vel privilegio synodo seu concilio provinciali interesse debent, enixe hortamur et invitamus, et, in quantum necesse est, auctoritate nostra archiepiscopali et ordinaria requirimus et admonemus, eisque, virtute sanctae obedientiae, districte praecipimus ut ad dictam synodum seu concilium provinciale celebrandum conveniant et personaliter compareant, nisi forte iusto detenti impedimento, a procuratoribus ab eis legitime electis in hoc concilio suppleantur; et quoscumque suarum respective dioecesium ecclesiasticos, qui de iure vel privilegio interesse debent, ad illud quoque convenire et comparere faciant.

Datum Quebeci, in aedibus nostris archiepiscopalibus, sub signo sigilloque nostris, ac secretarii nostri chirographo, in Epiphania Domini, anno millesimo octingentesimo quinquagesimo primo.

† P.-F., archiepiscopus Quebecensis.

*Locus † sigilli.*

De mandato illustrissimi ac reverendissimi domini domini Quebecensis archiepiscopi:

Edmundus Langevin, presbyter, secretarius.

## ACTA CONCILII.

### PRIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Iuxta decretum indictionis, in Epiphania Domini, anno millesimo octingentesimo quinquagesimo primo ab illustrissimo ac reverendissimo domino archiepiscopo Quebecensi datum, convenerunt die decimaquarta mensis augusti eiusdem anni, in aedibus palatii archiepiscopalis Quebecensis, cum praefato

[1] In albo episcoporum romano: Marianopolitanus. Civitas episcopi est Montréal, celeberrimum Canadae emporium, olim Ville-Marie dictum. — *Hae notae infrascriptae sunt editorum Collect. Lacensis.*

[2] In albo romano Regiopolitanus (Kingstown, unde sedes etiam Kingstoniensis dicitur).

[3] Districtus Nord-Ouest, postea dioecesis Sancti-Bonifacii.

[4] Civitas olim Bytown vocata, nunc mutato nomine Ottawa dicitur, unde dioecesis Ottawiensis vocatur.

[5] Nomen civitatis Charlottetown, in insula principis Eduardi, unde dioecesis Carolinopolitana dicitur.

[6] Alibi passim Novi-Brunswikii, quod nomen provinciae est, vel Sancti-Ioannis (St. John), quod nomen est civitatis.

[1] Non alienum erit, numerum incolarum Canadae, nominatim catholicorum, ex recensione anno 1871 hoc loco indicare. In superiore Canada, quae complectitur dioeceses Torontinam, Regiopolitanam, Hamiltoniensem, Sandwichiensem et partem Ottawiensis, erant 1 620 851 incolae, 274 162 catholici, 1 396 067 protestantes plurimarum sectarum; in inferiore Canada, quae complectitur dioeceses Quebecensem, Trifluvianam, Marianopolitanam, Sancti-Hyacinthi et partem Ottawiensis 1 191 516 incolae, 1 019 852 catholici, 169 292 protestantes; in Nova-Scotia (Halifax et Arichat) 387 800 incolae, 102 017 catholici, 284 290 protestantes; in Novo-Brunswikio 285 594 incolae, 96 016 catholici, 188 948 protestantes; in insula Principis Eduardi 94 021 incolae, 40 442 catholici, 52 317 protestantes. Praeter catholicos et protestantes aderant Iudaei, Mahumedani, etc.

illustrissimo ac reverendissimo domino archiepiscopo Quebecensi, Petro-Flaviano Turgeon;

Reverendissimus dominus episcopus Kingstoniensis, Remigius Gaulin;

Reverendissimus dominus episcopus Marianopolitanus, Ignatius Bourget;

Reverendissimus dominus episcopus Bypolitanus [nunc Ottawiensis], Iosephus-Eugenius-Bruno Guigues;

Reverendissimus dominus episcopus Torontinus, Franciscus-Maria-Armandus a comitibus de Charbonnel.

I. Placuit patribus coadiutores episcoporum provinciae ad concilium admittendos cum voce decisiva, qua tamen agendi ratione nihil decernere intendunt pro futuris conciliis;

Idcirco, admissi sunt reverendissimus dominus episcopus Carrhensis, coadiutor supradicti reverendissimi Kingstoniensis episcopi, necnon administrator Kingstoniensis dioecesis, Patritius Phelan;

Reverendissimus dominus episcopus Martyropolitanus, coadiutor supradicti reverendissimi episcopi Marianopolitani, Ioannes-Carolus Prince;

Reverendissimus dominus episcopus Tloanensis, coadiutor supradicti illustrissimi ac reverendissimi archiepiscopi Quebecensis, Carolus-Franciscus Baillargeon.

II. Reverendissimus Ioannes-Thomas Mulloch, ad concilium convocatus ut suffraganeus Quebecensis, profert quoddam breve a sancta sede datum die octava mensis octobris anno millesimo octingentesimo quinquagesimo, virtute cuius dioecesis Terrae-Novae [St. John's] distrahitur a provincia ecclesiastica Quebecensi. Hoc autem rescriptum sic se habet:

PIUS PAPA IX.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Litteris nostris in forma brevis, die 4 iunii anni 1847 datis, quibus nova episcopalis ecclesia in insula Terrae-Novae fuit constituta, illud quoque continebatur, novae huius sedis antistites suffraganeos esse debere archiepiscopi Quebecensis. Cum vero plura deinde sacrae congregationis de Propaganda fide fuerint exposita, quae evincant minus opportunum existere pro ecclesiastico regimine, attentis locorum et personarum adiunctis, unionem istam ecclesiae Terrae-Novae cum provincia Quebecensi; hinc est quod nos de ecclesiarum bono potissimum solliciti, eo in capite praefatis litteris ultro derogandum censuimus.

Proinde, de eiusdem sacrae congregationis consilio, tenore praesentium statuimus episcopum Terrae-Novae et successores eius haud esse amplius adstrictos titulo suffraganeatus supradictae Quebecensis provinciae, prout per supradictas litteras in forma brevis fuerat inductum, amplissima ratione in eo capite iis derogantes, cum tamen in reliquis omnimodam iisdem auctoritatem servandam decernamus. Decernentes has praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et spectabit hoc futurisque temporibus plenissime suffragari.

Datum Romae, apud Sanctam-Mariam-Maiorem, sub annulo piscatoris, die 4 augusti 1848, pontificatus nostri anno tertio.

Pro domino cardinali Lambruschini

*Signatum:* A. Picchioni, substitutus.

Concordat cum originali. *Locus † sigilli.*

Al. Barnabo, a secretis.

Die 8 octobris 1850.

Non obstante hac exemptione a sede concessa, reverendissimus episcopus Terrae-Novae ad con-

A cilium se venisse fatetur ut patribus suae venerationis testimonium daret, et ut extraneus episcopus admitti exoptat.

III. Reverendissimus Bernardus-Donaldus McDonald, episcopus Carolinopolitanus, etsi non sit suffraganeus, ad concilium convocatus, virtute bullae a sancta sede datae die 12 iulii anno 1844 provinciam ecclesiasticam Quebecensem erigentis, exponit locum esse sperandi, ex brevi supra memorato, in provinciis sinus Sancti-Laurentii proximioribus formandam esse provinciam ecclesiasticam, in qua includeretur dioecesis Carolinopolitana; itaque, concilio interesse desiderat solummodo ut extraneus episcopus.

Mature perpensis rationibus a reverendissimis episcopis Carolinopolitano et Terrae-Novae allegatis, placuit patribus admittere eos cum voce consultativa [1], eisque concedere facultatem eligendi presB byteros assistentes qui inter theologos et canonistas connumerentur.

IV. Aberant reverendissimus Iosephus-Norbertus Provencher, episcopus territorii vulgo dicti Nord-Ouest, archiepiscopi Quebecensis suffraganeus, necnon reverendissimi Gulielmus Fraser, episcopus Arichatensis, Gulielmus Dollard, episcopus Novi-Brunswikii, et Gulielmus Walsh, episcopus Halifaxensis, quorum dioeceses sunt extra limites provinciae ecclesiasticae Quebecensis, qui tamen virtute supradictae bullae provinciam ecclesiasticam erigentis, praesens concilium adire tenebantur. Aberat etiam admodum reverendus Alexander Taché, episcopus Aratiensis electus et supradicti reverendissimi episcopi Provencher coadiutor cum futura successione designatus.

Litteris datis die vigesima sexta maii proxime elapsi, se infirma valetudine et itinere longiori imC pediri quin concilio adesset exposuit reverendissimus episcopus Provencher.

Reverendissimus episcopus Dollard, litteris datis die quinta mensis augusti, respondit se ob instantia negotia haud posse concilium adire.

Reverendissimi episcopi Fraser et Walsh nullum litteris convocantibus responsum dederunt.

Praesumitur quod admodum reverendus episcopus Aratiensis electus, in missione longe dissita degens, serius, ut adiret concilium, litteras convocationis recepit.

V. Peracto examine delegationis capituli ecclesiae cathedralis Marianopolitanae, tanquam procurator dicti capituli admissus est reverendus Iosephus La Roque, canonicus poenitentiarius dicti capituli.

VI. Insuper admissi sunt tanquam theologi et canonistae:

D 1. Illustrissimi ac reverendissimi domini archiepiscopi Quebecensis: admodum reverendus Thomas Cooke, parochus Immaculatae Conceptionis vulgo Trois-Rivières, et Alexius Mailloux, vicarii generales dicti archiepiscopi; et reverendus Ludovicus-Iacobus Casault, superior seminarii Quebecensis; et Ludovicus Proulx, parochus Quebecensis;

2. Reverendissimi domini Kingtoniensis episcopi: admodum reverendus Ioannes McDonald, vicarius generalis dicti episcopi; et reverendus Aeneas McDonald, presbyter dioecesis Marianopolitanae;

3. Reverendissimi domini Marianopolitani episcopi: reverendi Ioannes-Floridus Baudrand, superior Oblatorum Mariae immaculatae in Marianopo-

[1] Saepius a congregationibus abfuerunt et iam ante finem concilii propter negotia profecti sunt. Paulo post provincia Halifaxiensi constituta, concilium anno 1857 Halifaxiae celebratum est.

litana dioecesi; Petrus Maria Mignault, archipresbyter, A parochus a Sancto-Iosepho vulgo Chambly; et Leonardus Vincentius Villeneuve, presbyter seminarii Sancti-Sulpitii Marianopolitanensis;

4. Reverendissimi domini Bypolitani episcopi: reverendi Petrus Aubert, superior Oblatorum Mariae immaculatae, in dioecesi Bypolitana [nunc Ottawiensi]; Franciscus Xaverius Delâge, parochus a Beata-Maria-Auxilii vulgo l'Islet in Quebecensi archidioecesi; et Iacobus Hughes, parochus a Sancto-Paulo vulgo Aylmer, in dicta dioecesi Bypolitana;

5. Reverendissimi domini Torontini episcopi: reverendus Antonius Parant, presbyter seminarii Quebecensis; Iosephus Marcoux, archipresbyter, Sancti-Francisci-Xaverii vulgo Sault-Saint-Louis missionarius, in Marianopolitana dioecesi; et Petrus-Henricus Harkin, presbyter domus archiepiscopalis Quebecensis;

6. Reverendissimi domini Carrhensis episcopi: B admodum reverendus Aeneas McDonell, vicarius generalis episcopi Kingstoniensis; et reverendi Olivarius Kelly, parochus loci vulgo dicti Brookville; et Iacobus Chisholm, theologiae doctor, parochus loci vulgo dicti Lindsay, ambo eiusdem dioecesis;

7. Reverendissimi domini Martyropolitani episcopi: reverendi Felix Martin, superior societatis Iesu in Marianopolitana dioecesi; Ioannes-Sabinus Raymond, superior seminarii Sancti-Hyacinthi; et Petrus-Adolphus Pinsonneault, ecclesiae cathedralis Marianopolitanae capellanus;

8. Reverendissimi domini Tloanensis episcopi: reverendi Ludovicus Saché, superior societatis Iesu in archidioecesi Quebecensi; Georgius-Hilarius Bessererʼ, archipresbyter, parochus a Sancta-Familia, in insula Aurelianensi; et Iosephus-Fortunatus Aubry, presbyter seminarii Quebecensis;

9. Reverendissimi domini Carolinopolitani episcopi: C reverendus Petrus McIntyre, parochus loci vulgo dicti Tegnish, in dioecesi Carolinopolitana;

10. Reverendissimi domini Terrae-Novae episcopi: reverendus Kyronus Walsh, administrator parochiae civitatis Sancti-Ioannis, in dicta dioecesi Terrae-Novae.

VII. Illustrissimus ac reverendissimus dominus archiepiscopus Quebecensis, de consilio et consensu reverendissimorum aliorum patrum concilii, designavit tanquam officiarios seu adiutores dicti concilii:

1. Promoterem concilii: reverendissimum dominum dominum Tloanensem episcopum;

Vice-promotorem: reverendum Ioannem-Baptistam-Antonium Ferland, domus archiepiscopalis Quebecensis presbyterum;

2. Secretarium concilii: admodum reverendum Carolum-Felicem Cazeau, vicarium generalem archiepiscopi Quebecensis; D

Vice-secretarium: reverendum Iosephum-Octavium Paré, canonicum capituli cathedralis ecclesiae Marianopolitanae ac secretarium dioecesis Marianopolitanae;

3. Magistrum caeremoniarum: reverendum Ludovicum Casault, superiorem seminarii Quebecensis;

Adiutorem caeremoniarum magistri: reverendum Edmundum-Carolum Hippolytum Langevin, secretarium archidioecesis Quebecensis.

4. Cantores: reverendos Ludovicum Proulx, parochum Quebecensem; et Eduardum-Gabrielem Plante, vicarium parochiae Quebecensis.

VIII. Hi omnes procedent et sedebunt ordine sequenti:

1. Archiepiscopus, episcopi titulares, administratores, coadiutores, episcopi extranei, omnes secundum ordinem promotionis suae; 2. procuratores episcoporum; 3. deputati a capitulis iuxta prioritatem promotionis; 4. vicarii generales; 5. superiores seminariorum et ordinum; 6. caeteri vero, pro iure ordinationis, regulares post saeculares.

IX. Proponuntur ab illustrissimo ac reverendissimo archiepiscopo decreta in prima sessione legenda: 1. Decretum *de aperienda synodo*; 2. Decretum *de modo vivendi in concilio*; 3. Decretum *de professione fidei*.

Quae decreta a patribus unanimi consensu admissa sunt.

X. Quoad residentiam omnium qui interesse concilio tenentur, nec non distributionem horarum pro tempore concilii, reverendissimi patres quod sequitur statuerunt:

1. Omnes in palatio archiepiscopali manebunt, nec quisquam inde in civitatem exire poterit sine licentia illustrissimi ac reverendissimi domini domini archiepiscopi.

2. Hora quinta, dabitur signum ad surgendum; tum unusquisque vacabit orationi mentali, horarum recitationi aliisve piis exercitiis.

3. Hora septima cum dimidia, missa synodalis cui interesse debent, in quantum fieri potest, quicumque in concilio admittuntur.

4. Hora nona, congregationes particulares.

5. Hora undecima cum tribus quadrantibus, examen conscientiae.

6. Hora duodecima, prandium quod lectione scripturae sacrae et historiae sancti Caroli Borromaei condietur. Visitatio sanctissimi sacramenti; deinde recreatio.

7. Hora secunda post meridiem signo indicabitur finis recreationis, et horae respectivae recitabuntur.

8. Hora tertia, congregatio generalis, nisi aliter mandaverint reverendissimi patres.

9. Hora sexta, tempus vacandi recitationi coronae beatae virginis Mariae vel aliis piis exercitiis.

10. Hora sexta cum dimidia, coena, eadem ratione ac prandium; visitatio sanctissimi sacramenti et relaxatio.

11. Hora octava, oratio vespertina et lectio meditationis diei sequentis subiecti.

XI. De ordine servando in privatis congregationibus episcoporum, sequentes regulas placuit patribus decernere:

1. Invocata divini luminis gratia per antiphonam *Veni, sancte Spiritus*, et orationem ad beatissimam virginem *Memorare*, episcopi sedent iuxta ordinem temporis suae promotionis.

2. Secretarius acta congregationis praecedentis legit; episcopi, si quid circa illa mutandum vel illis addendum putant, proponunt.

3. Promotor proponit unam de quaestionibus discutiendis vel definiendis; legit vel legendum tradit secretario votum theologorum, quibus illius quaestionis examen commissum fuerat.

4. Episcopi sententiam suam aperiunt ordine quo sedent.

5. Demum, statur maiori parti suffragiorum.

XII. Quoad regulas in congregationibus generalibus servandas, reverendissimi patres statuerunt:

1. Nihil ad synodum referetur praeter ea quae illustrissimus ac reverendissimus archiepiscopus, consentientibus reverendissimis aliis patribus, tractanda iudicaverit.

2. Invocata Spiritus sancti assistentia per antiphonam *Veni, sancte Spiritus* et orationem *Adsumus*, episcopi sedent iuxta ordinem promotionis.

3. Promotor proponit quaestiones discutiendas, et requirit ut votum circa illas legatur ab uno ex theologis congregationis specialis cui illarum examen commissum fuerat.

4. Lecto voto theologorum congregationis parti- A
cularis, vel qualibet quaestione proposita, cuilibet theologorum dicendi sententiam, quo sedet ordine, facultas datur.

5. Omnes, dicendo sententiam, illustrissimum ac reverendissimum dominum archiepiscopum alloquentur, alternis sermonibus inter se abstinebunt, atque brevitati, quantum fieri poterit, consulent.

6. Praelatorum sententiae in congregationibus generalibus non rogabuntur, a theologis tamen quid sentiant iterum exquirere, ac fusiorem explicationem sciscitari ipsis licebit.

XIII. Statuerunt patres ordinandas esse ex iis qui concilio assistunt diversas congregationes, quae sibi propositas a patribus quaestiones expendant, et scripto referant quid de illis sentiendum iudicaverint; ita ut, variis materiis inter illas congregationes divisis, citius absolvi possint concilii labores. Quinque autem efformantur congregationes:

*Prima scilicet de decretis.*

Reverendissimo Tloanensi episcopo praeside; admodum reverendi Aeneas McDonnell, et reverendi Saché, Aubry, Villeneuve et Kelly.

*Secunda de doctrina.*

Reverendissimo Bypolitano episcopo praeside; reverendi Aubert, Parant, Delâge, Aeneas McDonald, Harkin et Chisholm.

*Tertia de liturgia.*

Reverendissimo Martyropolitano episcopo praeside; reverendi L. Casault, Plante, Pinsonneault et Langevin.

*Quarta de disciplina.*

Reverendissimo Marianopolitano episcopo praeside; admodum reverendi Cooke, Mailloux et I. McDonald, vicarius generalis, et reverendi Baud- C
rand, Marcoux, Bessener, Ferland et Hughes.

*Quinta de studiis litterariis et ecclesiasticis.*

Reverendissimo Torontino episcopo praeside; reverendi La Roque, Martin, Mignault, Proulx, Raymond, Walsh et McIntyre.

XIV. Circa primam generalem congregationem concilii secretarius iubetur omnibus qui concilio interesse debent notum facere, per publicum edictum, quod in aula palatii archiepiscopalis, eadem die, tertia hora post meridiem habenda est.

His peractis et recitata oratione *Sub tuum* etc. recedunt patres.

CONGREGATIO PRIMA GENERALIS.

Anno millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, die decima quarta augusti, hora tertia post D
meridiem, in congregatione generali consederunt, praeside illustrissimo ac reverendissimo archiepiscopo Quebecensi, reverendissimi domini domini Kingstoniensis, Marianopolitanus, Bypolitanus, Torontinus, Carrhensis, Martyropolitanus, Tloanensis, Carolinopolitanus et Terrae-Novae episcopi, omnes cum rocheto et mozetta.

Interfuere etiam deputatus a capitulo ecclesiae cathedralis Marianopolitanae, theologi et officiarii concilii rite convocati, in habitu ordinario, in aula maiori palatii archiepiscopalis, in cuius medio, super suggestum decenter ornatum, exposita erant sancta evangelia.

Inchoante archiepiscopo, recitatus est ab omnibus, flexis genibus, facie versa ad crucem archiepiscopalem, hymnus *Veni creator*, cum oratione propria, cui addita est deprecatio *Adsumus* etc., ut in pontificali.

Oratione peracta, instante reverendissimo promotore, illustrissimus ac reverendissimus archiepiscopus declarat coadiutores episcoporum provinciae admissos fuisse, cum voce decisiva, et reverendissimos episcopos Carolinopolitanum et Terrae-Novae, licet extra-provinciales, concilio tamen adesse optantes, omnium deliberationum et actionum synodi, cum voce consultativa, participes etiam admissos fuisse.

His declaratis, legitur procuratio qua reverendus Iosephus Laroque a capitulo ecclesiae cathedralis Marianopolitanae ad concilium deputatur, et proclamantur nomina theologorum seu canonistarum necnon officiariorum seu adiutorum concilii, ut leguntur in prima privata congregatione.

Post hoc legitur quod statutum est in dicta privata congregatione super ordinem praecedentiae.

Decreta 1. *de aperienda synodo*, 2. *de modo*
B *vivendi in concilio*, 3. *de professione fidei*, ab illustrissimo ac reverendissimo domino archiepiscopo praeparata, atque a patribus in congregatione privata recognita et recepta, palam perlecta sunt.

Legitur etiam quod statutum est a patribus quoad residentiam omnium qui interesse concilio tenentur, necnon distributionem horarum pro tempore concilii.

Regulae iam alias a patribus in congregatione privata, quoad ordinem in congregationibus generalibus servandum, sancitae, recitatae sunt.

Tum proposita est promissio sequens circa secretum ab omnibus tenendum:

*„Promitto me nihil ex iis quae dicentur, sive in congregatione generali, sive in congregationibus particularibus, esse revelaturum, quod possit detrahere vel reverentiae concilio debitae, vel honori cuiusvis personae. Promitto insuper me nulla decreta concilii scrip-*
C *tis publicis divulgaturum, antequam typis demandata fuerint reverendissimorum patrum auctoritate.“*

Deinde proclamatae sunt congregationes *de decretis, de doctrina, de liturgia, de disciplina* et *de studiis litterariis et ecclesiasticis*, iam in privata congregatione efformatae.

Indicata fuit prima sessio generalis, die sequenti hora octava ante meridiem habenda.

Huncque finem habuit, recitata oratione *Sub tuum* etc., prima congregatio generalis.

SESSIO PRIMA.

„Anno millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, anno pontificatus sanctissimi domini nostri Pii, divina providentia Papae IX sexto, die decimaquinta augusti, feria sexta, die festo Assumptionis beatissimae virginis Mariae, mane hora octava, convenerunt in locum congregationibus generalibus de-
D stinatum:

1. Illustrissimus ac reverendissimus archiepiscopus Quebecensis, cum reverendissimis episcopis Kingstoniensi, Marianopolitano, Bypolitano, Torontino, Carrhensi, Martyropolitano, Tloanensi, Carolinopolitano et Terrae-Novae, omnes rocheto et mozetta violacea induti;

2. Deputatus a capitulo ecclesiae cathedralis Marianopolitanae, cum insignibus dicti capituli;

3. Theologi, canonistae et concilii adiutores superpelliceo induti.

Ibi, postquam reverendissimi praesules cappa et mitra induti sunt, processionaliter ad ecclesiam metropolitanam, in qua habenda erat sessio, perrexerunt omnes, hoc ordine: apparitor *(bedeau)*; thuriferarius; clericus crucem ferens, medius inter duos alios clericos candelabra et cereos gerentes; clerici superpelliceo induti; cantores cappa induti; theologi, canonistae et officiarii superpelliceo induti;

deputatus a capitulo ecclesiae cathedralis Marianopolitanae; episcopi extraprovinciales, episcopi coadiutores, episcopi titulares, quisque incedens inter duos cappellanos; clericus tunica indutus, crucem archiepiscopalem ferens; diaconus et subdiaconus ex officio; archiepiscopus indutus ut supra et baculum gerens, et inter duos diaconos assistentes procedens; presbyter assistens cum cappa. Clerici qui insignia archiepiscopi gerunt; matricularii *(marguilliers)* ecclesiae metropolitanae. A

Dum ad dictam ecclesiam proceditur, sanctorum litaniae cantantur.

Ecclesiam ingressi, legatus capituli ecclesiae cathedralis Marianopolitanae, ac theologi et canonistae adeunt stallos.

Patres vero concilii pergunt ad faldistoria, ex utraque parte chori disposita, et pone quemque sistit unus ex capellanis.

Stant a parte evangeli reverendissimi episcopi Kingstoniensis, Bypolitanus, Martyropolitanus et Carolinopolitanus; a parte vero epistolae reverendissimi episcopi Marianopolitanus, Torontinus, Carrhensis, Tloanensis et Terrae-Novae. B

Reverendissimus archiepiscopus, praemissa oratione ad pedes altaris, pergit ad thronum, ibique cappam exuens, pontificalia ornamenta assumit, cum pallio, ad celebrandam missam de assumptione beatissimae Mariae virginis, cum oratione de Spiritu sancto sub eadem conclusione.

Dicto *Agnus Dei*, reverendissimus episcopus Marianopolitanus, reverendissimo episcopo Kingstoniensi impedito, a praefecto caeremoniarum ad altare perducitur, et acceptum a reverendissimo archiepiscopo osculum pacis tradit coeteris patribus.

Ordinario modo osculum pacis traditur theologis et reliquis de clero.

Finita missa, archiepiscopus pallium, casulam, tunicellas et manipulum deponit, et pluviale induens, sedet in faldistorio quod infra gradus altaris locatur; ministri vero qui celebranti pontifici astiterunt, sedilia prope eum, a dextris et sinistris, occupant. Disponitur infra gradus sanctuarii mensa ornata cum sacrarum bibliorum codice, et prope tabulam crux archiepiscopalis erigitur. Tunc cantantur antiphona *Exaudi nos etc.*, et psalmus *Salvum me fac*. C

Psalmo finito, repetitur antiphona *Exaudi nos etc.*, et deinde recitantur, iuxta ritum in caeremoniali concilii provincialis descriptum, preces et hymni quae in pontificali notantur pro prima sessione concilii provincialis.

Sermo ad populum a reverendissimo episcopo Torontino factus est.

Promulgantur et a patribus sanciuntur, cum caeremoniis assuetis, decreta quae sequuntur: D

1. Decretum *de aperienda synodo*; 2. decretum *de modo vivendi in concilio*, in quo proclamantur nomina officiariorum concilii; 3. appellatione patrum concilii facta, decretum *de professione fidei*, quae quidem a singulis concilii membris, ad exemplum patrum, emittitur.

Indicitur postea secunda sessio pro feria quinta sequentis hebdomadae, die scilicet vigesima prima augusti, nisi pro rebus concilii bene gerendis aliud conducere videatur.

Demum, benedictione solemni reverendissimi archiepiscopi accepta, et indulgentia quadraginta dierum publicata, processionaliter recedunt omnes ad domum archiepiscopalem.

SECUNDA CONGREGATIO PRIVATA.

Sabbato, die decima sexta augusti, hora nona ante meridiem, conveniunt patres, leguntur et admittuntur acta praecedentium congregationum.

Sequentia ab illustrissimo ac reverendissimo domino domino archiepiscopo proponuntur decreta, a synodo sancienda, scilicet:

1. *De rituali*; 2. *de caeremoniali*; 3. *de catechismo*.

Quae perlecta et summatim probata ad congregationem theologorum *de decretis* perferuntur.

Septem quaestiones circa litteraria et ecclesiastica studia ad congregationem *de studiis* referuntur.

Quaestio de opportunitate edendi, tanquam supplementum rituali Romano, libellum ad dirigendos presbyteros in administratione sacramentorum et paroeciarum congregationi *de disciplina* communicatur.

Hora undecima cum dimidia, facta oratione, patres recedunt.

TERTIA CONGREGATIO PRIVATA.

Sabbato, die decima sexta augusti, hora tertia post meridiem, adsunt omnes concilii patres, exceptis reverendissimis dominis dominis Carolinopolitano et Terrae-Novae episcopis.

Leguntur acta praecedentis congregationis et approbantur a patribus.

Decreta quae sequuntur ab illustrissimo ac reverendissimo domino domino archiepiscopo proponuntur, a synodo sancienda, scilicet:

1. *De catechesibus faciendis*; 2. *de iurisdictione presbyterorum*; 3. *de breviario et missali*; 4. *de solemnitatibus*; 5. *de casibus reservatis*.

Quae perlecta et summatim probata sic perferuntur, scilicet primum, secundum et quintum ad congregationem *de disciplina*, tertium et quartum ad congregationem *de liturgia*.

SECUNDA CONGREGATIO GENERALIS.

Anno millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, die dominica decima septima augusti, quarta hora cum dimidia post meridiem, habita est, loco solito, secunda congregatio generalis, cui interfuere omnes patres concilii, cum theologis et officiariis.

Facta oratione praescripta, legitur et discutitur prima relatio *(rapport)* congregationis *de liturgia*, super calendario provinciali, breviario et caeremoniali edendo, ad usum provinciae ecclesiasticae; sed discussio finem non habens in dicta congregatione, ad ulteriorem congregationem remittitur.

Hora sexta, post preces, desinit congregatio.

QUARTA CONGREGATIO PRIVATA.

Feria secunda, die decima octava augusti, hora nona ante meridiem, conveniunt patres, excepto reverendissimo episcopo Carolinopolitano.

Leguntur acta sessionis primae necnon congregationis privatae praecedentis, a patribusque admittuntur.

Postea, quae sequuntur decreta ab illustrissimo ac reverendissimo archiepiscopo proponuntur, a synodo sancienda, scilicet:

1. *De incorporatione presbyterorum extraneorum*; 2. *de relationibus a parochis ad ordinarium faciendis*; 3. *de cantu et musica in ecclesiis*.

Quorum duo prima ad congregationem *de disciplina*, ultimum vero ad congregationem *de liturgia* referuntur, postquam a patribus summatim probata sunt.

Quadrante ante meridiem discedunt patres.

TERTIA CONGREGATIO GENERALIS.

Anno millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, feria secunda, die decima octava augusti, hora tertia post meridiem, conveniunt patres, in

loco solito, cum theologis et officiariis concilii, ad A tertiam congregationem generalem habendam.

Leguntur acta secundae congregationis generalis post orationem praescriptam.

Leguntur etiam et discutiuntur:

1. Relatio prima congregationis *de studiis litterariis et ecclesiasticis*, circa scholas communes mixtas, scholas normales, de limitatione studiorum classicorum, necnon collegiorum et scholarum secundariarum;

2. Relatio prima congregationis *de disciplina* de casibus reservatis.

Incipit discussio partis eiusdem relationis quae iurisdictionem sacerdotum spectat, sed finem non habens hora congruenti, ad proximiorem congregationem remittitur.

Notantur emissae a quibusdam theologis sententiae patribus referendae ut ab illis statuatur prout ipsis opportunum videbitur. B

Hora sexta, post preces solitas, desinit congregatio generalis tertia.

QUINTA CONGREGATIO PRIVATA.

Feria tertia, die decima nona augusti, hora nona ante meridiem, conveniunt patres, excepto reverendissimo episcopo Terrae-Novae.

Leguntur et admittuntur acta congregationum generalis et privatae praecedentium.

Discutitur pars primae relationis congregationis *de studiis* scholas mixtas spectantis, et decretum in hac materia iubetur a congregatione *de decretis* formulari.

Peccata quae sequuntur ut peccata reservata admittuntur:

1. Concubinatus notorius;

2. Peccatum horum qui scienter aedes locant mulieribus publice notis ut meretricibus; C

3. Peccatum duellantium, et ad duellum concurrentium in officio testium.

Statuitur tamen quod, cum poenitens bona fide confessus peccatum reservatum sacerdoti qui potestate absolvendi non fruitur, ab illo huius peccati absolutionem recipit, reservatio tollitur in gratiam poenitentis, validaque declaratur absolutio.

Statuitur in hac materia decretum a congregatione *de decretis* praeparari.

Quadrante ante meridiem discedunt patres.

SEXTA CONGREGATIO PRIVATA.

Hora secunda post meridiem, feria tertia, die decima nona augusti, conveniunt patres, exceptis reverendissimis Carolinopolitano et Terrae-Novae episcopis.

Novo subiiciuntur examini quae sequuntur decreta, prius congregationi *de decretis* submissa: D 1. *De rituali*; 2. *de caeremoniali*; 3. *de catechismo*.

Quibus mature perpensis, definitivus illorum decretorum contextus admittitur, iuxta quem in proxima sessione proclamanda sunt.

Hora tertia discedunt patres.

QUARTA CONGREGATIO GENERALIS.

Anno millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, feria tertia, die decima nona augusti, hora tertia post meridiem, conveniunt patres in loco solito, cum theologis et officiariis concilii, ad quartam congregationem generalem habendam.

Leguntur acta congregationis generalis tertiae.

Continuatur et finitur discussio partis relationis *de disciplina* quae sacerdotum iurisdictionem spectat.

Legitur, sed non discutitur prima relatio congregationis de doctrina quoad adoptionem catechismi, lingua anglica editi sub nomine Butler.

A Legitur et discutitur secunda relatio congregationis *de studiis*, quoad studia iuniorum professorum in collegiis, examen a iunioribus sacerdotibus subeundum, et obligationem ab eis concionum conficiendarum et exhibendarum, educationem clericorum iuxta concilium Tridentinum, collationes ecclesiasticas.

Legitur et discutitur etiam pars secunda relationis *de liturgia*, quae spectat ad additionem novorum officiorum in breviario, suppressionem quarumdam solemnitatum et modum conservatas celebrandi.

Leguntur tandem decreta *de rituali*, *de caeremoniali* et *de catechismo*, iam in sexta congregatione privata approbata.

Hora quinta cum dimidia, post orationem factam, discedunt patres.

SEPTIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Hora nona ante meridiem, feria quarta, die vigesima augusti, conveniunt patres, exceptis reverendissimis Carolinopolitano et Terrae-Novae episcopis.

Leguntur et admittuntur acta sextae congregationis privatae et quartae congregationis generalis.

Discutiuntur theologorum sententiae circa decretum *de iurisdictione sacerdotum*, et iubetur dictum decretum ad congregationem *de decretis* mitti formulandum sicut emendatum.

Legitur et discutitur decretum *de famulabus sacerdotum* et ad congregationem *de decretis* refertur.

Examini patrum subiicitur decretum *de obedientia summo pontifici* et definitivus illius contextus admittitur proclamandus in sessione proxima.

Quadrante ante meridiem discedunt patres.

OCTAVA CONGREGATIO PRIVATA.

Hora tertia post meridiem, feria quarta, die vigesima augusti, adsunt omnes patres, exceptis reverendissimis Carolinopolitano et Terrae-Novae episcopis.

Legitur relatio praecedentis congregationis.

Examinatis a patribus duobus decretis quae sequuntur scilicet: 1. *de casibus reservatis*; 2. *de scholis mixtis*, definitive eorum contextus ab eis approbatur et eorum proclamatio in sessione proxima iubetur haberi.

Hora quinta discedunt patres.

QUINTA CONGREGATIO GENERALIS.

Anno millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, feria quarta, die vigesima augusti, hora quinta post meridiem, conveniunt patres in loco solito, cum theologis et officiariis concilii, ad quintam congregationem generalem habendam.

Sequitur relatio praecedentis congregationis generalis.

Leguntur et discutiuntur:

1. Secunda relatio congregationis *de disciplina* quoad incorporationem presbyterorum extraneorum et relationes a parochis episcopo faciendas;

2. Prima relatio congregationis *de doctrina* de quibusdam mutandis in novo catechismo ad usum provinciae ecclesiasticae edendo.

Discussio ultimae relationis continuabitur in ulteriore congregatione.

Leguntur decreta: 1. *de obedientia summo pontifici*; 2. *de scholis mixtis*; 3. *de casibus reservatis*; quae in sessione die sequenti habenda proclamanda sunt.

Quadrante post sextam horam, emissa oratione, recedunt patres.

### SESSIO SECUNDA. A

Anno millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, feria quinta, die vigesima prima augusti, habita est eodem ordine et apparatu quo prima, secunda sessio concilii provincialis Quebecensis, cui interfuere, cum reverendissimis concilii patribus, omnes theologi et officiarii qui sessioni primae aderant.

Missa a reverendissimo episcopo Carrhensi celebrata, cantatur antiphona *propitius esto*, etc., et psalmus *Deus, venerunt gentes*, etc., et, repetita dicta antiphona, recitantur orationes, evangelium et hymnus in caeremoniali concilii provincialis praescripta, iuxta pontificale Romanum, pro secunda sessione concilii provincialis.

Tunc sacra concio, anglo idiomate, fit a reverendissimo episcopo Terrae-Novae.

Quibus peractis, in medium procedunt promotores concilii, et postulant ut decreta, in proximis congregationibus sancita et communi patrum con- B sensu approbata, edicantur et promulgentur.

Tum secretarii, ritu assueto, quae sequuntur decreta proclamant: 1. *De obedientia summo pontifici;* 2. *de catechismo;* 3. *de rituali;* 4. *de caeremoniali;* 5. *de scholis mixtis;* 6. *de casibus reservatis.*

Post proclamationem cuiusque decreti, secretarii, modo praescripto, colligunt suffragia patrum qui responderunt omnes: *Placet.*

Postea, instantibus concilii promotoribus, indicitur tertia et ultima sessio pro feria quinta sequentis hebdomadae, quae erit dies vigesima octava eiusdem mensis augusti, nisi pro rebus concilii bene gerendis, ad alium diem transferenda videatur.

Demum a reverendissimo archiepiscopo datur benedictio solemnis, et, publicata quadraginta dierum indulgentia, ad domum archiepiscopalem recedunt omnes.

### SEXTA CONGREGATIO GENERALIS. C

Anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, feria quinta, die vigesima prima augusti, tertia hora cum dimidia post meridiem, habita est, loco solito, sexta congregatio generalis, cui interfuere omnes patres concilii (exceptis reverendissimis Carolinopolitano et Terrae-Novae episcopis) cum theologis et officiariis.

Leguntur acta praecedentis congregationis generalis.

Discutitur de novo prima relatio congregationis *de doctrina.*

Leguntur et discutiuntur:

1. Secunda relatio eiusdem congregationis super modum coordinandi materias quibus conficiendus est catechismus;

2. Tertia relatio congregationis *de studiis* circa: I. Scholas utriusque sexus mixtas; II. scholas a monialibus moderatas; III. programma studiorum in dictis scholis servandum.

Quadrante ante sextam horam, facta oratione, omnes discedunt.

### NONA CONGREGATIO PRIVATA.

Hora nona cum dimidia ante meridiem, feria sexta, die vigesima secunda augusti, adsunt omnes patres, exceptis tamen reverendissimis Carolinopolitano et Terrae-Novae episcopis, qui definitive civitatem, negotiorum causa, die praecedenti reliquerunt.

Leguntur acta octavae congregationis privatae, sessionis secundae et sextae congregationis generalis, a patribusque admittuntur.

Discutitur secunda relatio congregationis *de liturgia* circa nova sanctorum officia breviario et missali addenda, et iubetur decretum in hac materia a congregatione de decretis praeparari.

Quadrante ante meridiem discedunt patres.

### DECIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Eadem die, hora tertia post meridiem, conveniunt patres.

Approbatur relatio praecedentis congregationis.

Discutiuntur sententiae theologorum circa: 1. catecheses faciendas et praeparationem ad primam communionem; 2. relationes a parochis episcopo faciendas; 3. incorporationem sacerdotum extraneorum.

Iubetur decreta, in his supradictis subiectis, a congregatione *de decretis* formulari.

Quinta hora patres recedunt.

### SEPTIMA CONGREGATIO GENERALIS.

Anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, feria sexta, die vigesima secunda augusti, quinta hora post meridiem, incipit, loco solito, septima congregatio generalis, cui interfuere patres concilii cum theologis, canonistis et officiariis.

Fit relatio actuum congregationis generalis praecedentis.

Legitur et discutitur tertia relatio congregationis *de disciplina*, circa appendicem rituali provinciali addendam.

Legitur relatio tertia congregationis *de liturgia*, de cantu et musica in ecclesiis, et inchoatur eiusdem relationis discussio.

Sexta hora, discedunt omnes, post orationem factam.

### UNDECIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Sabbato, die vigesima tertia augusti, tertia hora post meridiem, conveniunt omnes patres concilii.

Leguntur et probantur relationes decimae congregationis privatae et septimae congregationis generalis praecedentium.

De facultatibus a sancta sede obtinendis pro praesulibus provinciae ecclesiasticae agitur inter patres, et summa harum facultatum admittitur pro maiori parte.

### OCTAVA CONGREGATIO GENERALIS.

Anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, sabbato, die vigesima tertia augusti, quarta hora cum dimidia post meridiem, habita est octava congregatio generalis, cui interfuerunt patres et omnes theologi et officiarii concilii.

Legitur relatio praecedentis congregationis generalis.

Continuatur et finitur discussio tertiae relationis congregationis *de liturgia*, de cantu et musica in ecclesiis.

Discutitur etiam quarta relatio congregationis *de disciplina* quoad famulas a parochis in eorum D domus admittendas.

Sexta hora, discedunt omnes.

### DUODECIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Die dominica, vigesima quarta augusti, hora septima cum dimidia ante meridiem, conveniunt patres.

Leguntur et admittuntur acta congregationis privatae et congregationis generalis praecedentium.

De facultatibus a sancta sede obtinendis pro praesulibus provinciae ecclesiasticae de novo agitur inter patres, et summa earumdem finaliter admittitur.

Discutiuntur sententiae theologorum circa: 1. nova officia sanctorum calendario addenda; 2. modum celebrandi quasdam sanctorum festivitates.

Et instruitur congregatio *de decretis* decreta praeparare in his duobus subiectis.

Hora nona discedunt patres.

### NONA CONGREGATIO GENERALIS. A

Anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, die dominica, vigesima quarta augusti, quarta hora post meridiem, interfuerunt patres, loco solito, cum theologis et officiariis, ad habendam nonam congregationem generalem.

Fit relatio praecedentis congregationis generalis.

Continuatur discussio quoad aetatem famularum, necnon, parentum feminei sexus quae in domibus presbyterorum degere possunt.

### DECIMA TERTIA CONGREGATIO PRIVATA.

Hora nona cum Dimidia ante meridiem, feria secunda, die vigesima quinta augusti, adsunt omnes patres.

Leguntur et admittuntur acta congregationis privatae et congregationis generalis praecedentium.

Examinantur a patribus decreta quae sequuntur: 1. *De catechesibus, sive ante, sive post primam communionem faciendis*; 2. *de solemnitatibus*; 3. *de breviario ac missali*; 4. *de relationibus a parochis episcopo faciendis*; 5. *de incorporatione presbyterorum extraneorum*. B

Definitive eorum contextus a patribus approbatur, et eorum proclamatio in tertia et ultima sessione iubetur haberi.

Admittitur forma supplicationis ad sancta sedem mittendae quoad nova officia breviario et missali addenda.

Quadrante ante meridiem discedunt patres.

### DECIMA QUARTA CONGREGATIO PRIVATA.

Hora tertia post meridiem, die vigesima quinta augusti, conveniunt patres.

Legitur et admittitur relatio actorum congregationis privatae praecedentis.

Ab illustrissimo et reverendissimo archiepiscopo, C de consensu aliorum patrum, reverendo Iosepho-Sabino Raymond, uni ex theologis a reverendissimo episcopo Martyropolitano adducto, licentia datur, valetudinis causa, a concilio exeundi et ad propria revertendi.

Statuitur decreta de materiis quae sequuntur, a congregatione *de decretis* formulanda: 1. de examine a sacerdotibus per quatuor annos post ordinationem subeundo, et de concionibus ab eidem ordinario exhibendis; 2. de collationibus instituendis.

Quaestio circa societates secretas congregationi *de disciplina* submittitur.

Hora quarta discedunt patres.

### DECIMA CONGREGATIO GENERALIS.

Anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, feria secunda, die vigesima quinta D augusti, hora quarta post meridiem, conveniunt patres in loco solito, cum omnibus theologis et officiariis concilii, praeter reverendum Iosephum-Sabinum Raymond cui licentia exeundi data fuit.

Legitur relatio praecedentis congregationis generalis.

Leguntur: 1. quarta relatio congregationis *de studiis* circa studia in collegiis necnon et in seminariis; 2. quinta relatio congregationis *de disciplina* circa diversas quaestiones in appendice ritualis provincialis tractandas; 3. sexta relatio eiusdem congregationis circa saltationes, spectacula et quasdam alias quaestiones ipsi a patribus submissas.

Leguntur decreta: 1. *de relationibus faciendis episcopo a parochis*; 2. *de incorporatione presbyterorum extraneorum*; 3. *de solemnitatibus*; quae decreta in ultima sessione concilii [illegible].

### DECIMA QUINTA CONGREGATIO PRIVATA. A

Hora decima ante meridiem, die vigesima sexta augusti, omnes concilii patres, excepto reverendissimo episcopo Martyropolitano, conveniunt, post missam solemniter celebratam ab illustrissimo ac reverendissimo domino domino archiepiscopo pro defunctis provinciae Quebecensis episcopis, qui in Domino mortui sunt.

Leguntur acta congregationis privatae et congregationis generalis praecedentium, et approbantur a patribus.

Discutiuntur sententiae theologorum circa: 1. aetatem et qualificationem famularum quas presbyteri in suis domibus habere possunt; 2. cantum et musicam in ecclesiis.

Statuitur decreta in utraque materia a congregatione *de decretis* praeparari.

Quadrante ante meridiem discedunt patres.

### UNDECIMA CONGREGATIO GENERALIS.

Anno millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, feria tertia, die vigesima sexta augusti, hora tertia post meridiem, conveniunt patres in loco solito, cum officiariis et theologis concilii.

Fit relatio praecedentis congregationis generalis.

Legitur et discutitur septima relatio congregationis *de disciplina* circa societates secretas.

Discutitur etiam sexta relatio eiusdem congregationis in praecedenti congregatione lecta circa saltationes, spectacula et quasdam quaestiones maximi momenti ab episcopis submissas.

Legitur tertia relatio congregationis *de doctrina* de publicatione decreti *Tametsi* concilii Tridentini.

Hora quinta cum dimidia, facta oratione, discedunt omnes.

### DECIMA SEXTA CONGREGATIO PRIVATA.

Eadem die, hora octava cum dimidia post meridiem, conveniunt patres.

Leguntur et admittuntur acta duarum praecedentium congregationum.

Reverendissimus episcopus Kingstoniensis notum facit caeteris concilii patribus quod, ob malefactam valetudinem, et menti sanctae sedis apostolicae obtemperare cupiens, libenter et voluntarie suae dioecesis administrationi renuntiat in gratiam reverendissimi Carrhensis episcopi, sui coadiutoris. Quoddam instrumentum ad hoc praeparatum manu propria subsignat, una cum suis venerabilibus collegis. Subsignat quoque litteras, quibus summum pontificem certiorem facit de sua agendi ratione in his circumstantiis.

Decima hora recedunt patres.

### DECIMA SEPTIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Hora nona cum dimidia ante meridiem, feria quarta, die vigesima septima augusti, conveniunt patres.

Leguntur et approbantur acta trium praecedentium congregationum.

Leguntur decreta: 1. *de societatibus secretis*; 2. *de publicatione decretorum concilii provincialis*; 3. *de indictione futuri concilii*; 4. *de celebratione synodi dioecesanae*; 5. *de promulgatione testium synodalium*; quae decreta a patribus approbata proclamanda sunt in tertia et ultima sessione concilii.

Hora duodecima recedunt patres.

### DECIMA OCTAVA CONGREGATIO PRIVATA.

Eadem die, hora secunda cum dimidia post meridiem, conveniunt patres.

Statuitur quod clerus Kingstoniensis certior fiat nomine concilii de renuntiatione a reverendissimo [illegible]

*Legitur et discutitur decretum de invocatione* A *et veneratione beatissimae Mariae virginis*, et, post emendationem, iubetur proclamari in sessione proxima generali.

Hora tertia cum dimidio discedunt patres.

DUODECIMA ET ULTIMA CONGREGATIO GENERALIS.

Anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, feria quarta, die vigesima septima augusti, hora tertia cum dimidia post meridiem, adsunt patres in loco solito cum omnibus theologis et officiariis concilii.

Fit relatio praecedentis congregationis generalis.

Legitur relatio quinta congregationis *de studiis* quoad libella publica *(journeaux)* ad defensionem religionis, gallico et anglico idiomatibus, iam in hac provincia instituta.

Leguntur quae sequuntur decreta in ultima sessione generali proclamanda: 1. *De catechesibus sive* B *ante, sive post primam communionem faciendis*; 2. *de famulabus sacerdotum*; 3. *de cantu et musica in ecclesiis*; 4. *de studiis pro sacerdotibus recens ordinatis, collationibusque ecclesiasticis*; 5. *de societatibus secretis*; 6. *de promulgatione testium synodalium*; 7. *de indictione futuri concilii provincialis*; 8. *de celebratione synodi dioecesanae*; 9. *de publicatione decretorum huius concilii provincialis*; 10. *de invocatione et veneratione beatissimae Mariae virginis*.

Pro crastina die denuntiatur tertia et ultima sessio, hora octava ante meridiem incipienda.

Tandem illustrissimus ac reverendissimus dominus dominus archiepiscopus, nomine patrum concilii, gratias egit omnibus theologis, canonistis et officiariis, pro zelo et experientia quibus concilium adiuverunt.

Hora quinta, facta oratione, omnes discedunt.

DECIMA NONA ET ULTIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Eadem die, hora octava cum dimidia post meridiem, adsunt omnes patres.

Leguntur et approbantur acta duarum praecedentium congregationum.

Statuerunt patres opportunum esse novas dioeceses erigi, quarum una efformata foret ex districtu Trifluvianensi et parte districtus inferioris San-Francisci; altera ex territorio inter San-Francisci et Richelieu amnes incluso; de quarum erectione sicut et de promotione episcoporum postulatio ad apostolicam sedem postea et tempore opportuno facienda erit.

Munus edendi rituale et catechismum ad usum provinciae attribuitur reverendissimo episcopo Tloanensi, cui adiutores erunt reverendi I.-B.-A. Ferland et P.-H. Harkin, domus archiepiscopalis presbyteri, I.-F. Aubry, seminarii Quebecensis presbyter, et D L. Saché, superior societatis Iesu in Quebecensi dioecesi.

Generalis ordo decretorum statuitur, et, die sequenti, in ultima sessione, habebitur proclamatio eorum decretorum quae nondum publicata sunt.

Statuitur quoque quod omnia decreta in duplici codice scripta, a singulis patribus, propria manu subscribantur, quorum unus ad summum pontificem transmittetur, et alter in camera archiepiscopali cum actis concilii servabitur.

Tandem reverendissimus Martyropolitanus episcopus eligitur ut Romam adeat, summi pontificis approbationi decreta et acta dicti concilii submissurus.

Hora decima, recedunt patres.

SESSIO TERTIA ET ULTIMA.

Anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, die vigesima octava augusti, feria quinta, habita est in ecclesia metropolitana, eodem ordine et apparatu quibus praecedentes, tertia et ultima sessio concilii provincialis Quebecensis, cui interfuerunt omnes patres cum theologis et officiariis concilii, coram magno cleri populique concursu.

Post missam ab illustrissimo et reverendissimo archiepiscopo celebratam, cantantur psalmus: *Salvum me fac, Deus* etc., cum antiphona et orationibus praescriptis; evangelium secundum Matthaeum: *Dixit Iesus discipulis suis: si peccaverit in te frater tuus*, et hymnus *Veni creator*.

Sacra concio ad populum a reverendissimo Marianopolitano episcopo facta est.

Postea, requirunt promotores decretorum, quae in praecedenti sessione sancita sunt, promulgationem, quae leguntur a secretariis, ordine sequenti: 1. *De breviario ac missali*; 2. *de solemnitatibus*; 3. *de cantu et musica in ecclesiis*; 4. *de catechesibus sive ante, sive post primam communionem faciendis*; 5. *de studiis pro sacerdotibus recens ordinatis, collationibusque ecclesiasticis*; 6. *de famulabus sacerdotum*; 7. *de incorporatione presbyterorum extraneorum*; 8. *de societatibus secretis*; 9. *de celebratione synodi dioecesanae*; 10. *de publicatione decretorum huius concilii provincialis*; 11. *de invocatione et veneratione beatissimae Mariae virginis*.

Post promulgationem huius ultimi decreti facta est solemniter, omnibus genuflexis, consecratio Dei salvatoris matri omnis provinciae Quebecensis, et cantatur *Magnificat*.

Postulantibus deinde concilii promotoribus, publicatur decretum *de promulgatione testium synodalium*, et, iisdem instantibus, *decretum subscriptionis*, ad finem cuius a secretario proclamantur nomina singulorum patrum concilii, qui respondent: *Adsum*.

Tunc reverendissimus archiepiscopus surgens cum C mitra, accedit ad altare, et codicem decretorum superpositum propria manu subsignat; quod fit eodem modo a caeteris concilii patribus.

His peractis, edicuntur a patribus, ritu assueto, *indictio proximi concilii provincialis*, necnon, post instantiam, a promotoribus factam, decretum *finis concilii*, quod decretum, sicut omnia caetera superius memorata, approbatur a patribus, modo ordinario, per verbum: *Placet*.

Tum reverendissimus archiepiscopus, assentientibus patribus, decernit concilium absolutum esse.

Quo facto, brevi allocutione a reverendissimo archiepiscopo pronuntiata, hymnus *Te Deum* cantatur, et secretarii, stantibus omnibus, solemnes, ut in pontificali leguntur, acclamationes pronuntiant, quibus respondent patres solemni voce.

ACCLAMATIONES.

Beatissimo domino nostro Pio papae IX, sanctae et universalis ecclesiae pontifici, benedictio Dei omnipotentis, christiani nominis in omnes terrarum regiones propagatio, cunctarum gentium obedientia et in unum ovile adunatio.

*Respondetur*: Benedictio super illum, diuturna prosperitas, sanctae Dei ecclesiae exaltatio.

Reverendissimum dominum huius provinciae metropolitanum, et in hoc concilio praesidentem, rore gratiae suae perfundat Deus, et ad gloriam aeternam reservet.

*Respondetur*: Rore gratiae suae perfundat eum Deus, [et] ad gloriam aeternam conservet.

Reverendissimos episcopos, quos Spiritus sanctus in hac synodo congregavit ad gloriam et utilitatem provinciae nostrae, ad ecclesias suas feliciter reducat incolumes, et ad multos annos conservet.

*Respondetur*: Incolumes reducat, et ad multos annos conservet.

Omnibus in hoc concilio congregatis pax vera A et copiosa benedictio.

*Respondetur:* Deus misereatur nostri et benedicat nobis.

Patriae nostrae, et omnibus populis christianis catholicae religionis zelus, iustitia et pacis fecunditas, et contra christianae fidei hostes victoria.

*Respondetur:* Zelus fidei, iustitia, pax et victoria.

Civitati et provinciae Quebecensi tranquillitas, salus, et divinarum gratiarum abundantia.

*Respondetur:* Gratia nobis et tranquillitas multiplicetur.

Decretorum huius concilii observantiam salutarem omnes, qui adsumus, unanimi voto a Deo bonorum omnium largitore humiliter imploremus, intercedente beatissima Dei genitrice virgine Maria, cum beatis apostolis Petro et Paulo, beatis huius provinciae patronis, et omnibus sanctis.

*Respondetur:* Fiat, fiat. Amen, amen.

Tunc cum mitra stans reverendissimus archiepiscopus singulis concilii patribus osculum pacis porrigit, et ab eis vicissim accipit.

Solemnis postea benedictio omnibus impertitur a reverendissimo archiepiscopo; quadraginta dierum indulgentia astantibus annuntiatur; cantat diaconus: *Recedamus cum pace;* respondent omnes: *In nomine Christi*, et redeunt processionaliter ad domum archiepiscopalem, una hora cum dimidia post meridiem.

Approbatum et admissum a patribus.

C.-F. Cazeau, p., secretarius.

I.-O. Pare, can., vice-secretarius.

## DECRETA CONCILII.

### *I. De aperienda synodo.*

In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

Nos, Petrus-Flavianus Turgeon, ecclesiae metropolitanae Quebecensis archiepiscopus, ad laudem et gloriam Dei et salvatoris nostri Iesu Christi, unigeniti Filii Dei, Patri consubstantialis, qui, pro nobis caro factus, unus est Dei et hominum mediator, et auctor salutis nostrae; sub tutela et praesidio matris eius beatae Mariae virginis, sancti Petri apostolorum principis, sanctorum quorum patrocinio nostrae ecclesiae cathedrales et dioeceses muniuntur, atque omnium sanctorum, statuimus ac decernimus, de consilio ac consensu reverendissimorum episcoporum nostrorum comprovincialium, hac ipsa die decima quinta augusti inchoari, atque adeo inchoatum esse concilium provinciale, quod nostra metropolitana auctoritate indiximus et convocavimus; Iesum Christum C dominum et salvatorem nostrum humiliter deprecantes, ut quod coepit ipse perficiat, ac quaecumque ad nostram clerique et populi aedificationem stabiliendа recognovimus, ab omnibus et singulis, Deo adiuvante, observentur.

### *II. De modo vivendi in concilio.*

Haec synodus provincialis, a beato apostolo edocta quod omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum, qui eis, qui postulant a se sapientiam, dat omnibus affluenter, statuit omnes christifideles huiusce civitatis Quebecensis, quorum, sicut et totius provinciae gratia celebratur, exhortandos esse, prout hortatur, ut se a peccatis hactenus commissis emendare, ac de caetero in timore Domini ambulare, piis operibus instare, ad sacramenta poenitentiae et eucharistiae frequentius accedere, et quotidie D pro episcopis et sacerdotibus hic legitime congregatis instanter orare velint; eosdem vero episcopos et sacerdotes, ut assidue incumbant in laudibus Dei, atque singulis diebus, in quantum fieri poterit, sanctissimum missae sacrificium peragant, aut saltem mysteriorum celebrationi devote intersint, facientes obsecrationes, orationes et postulationes pro ecclesia sancta Dei, pro sanctissimo patre nostro Pio papa IX, pro regina nostra, pro gubernatoribus et caeteris qui in sublimitate constituti sunt, et pro omnibus hominibus, ut tranquillam et quietam vitam agamus, pace fruamur, et fidei augmentum videamus. Praeterea, hortatur illos ut ieiunent singulis sextis feriis, in memoriam passionis Domini, omnibusque diebus mensa frugali utantur.

Et, quoniam oportet episcopos irreprehensibiles esse, hortatur etiam illos et obsecratur in Domino, [illegible] sedulo devitent, vitae

B innocentia et integritate, fide, religione et pietate, omniumque virtutum ornamento praefulgeant, ita ut in omnibus honestatem prae se ferant, sicut decet ministros Dei mysteriorum.

Cum autem synodi provincialis scopus est [sit], ut sacra conciliorum summorumque pontificum decreta renoventur et custodiantur, illos monet summopere ipsis curandum esse ut ea accurate referantur, adiectis quibusdam, si opus est, explicationibus; ita tamen ut non recedatur unquam a mente sanctae ecclesiae Romanae, caeterarum ecclesiarum matris ac magistrae.

In sententiis vero dicendis, nullus audeat aut immodicis verbis perstrepere, aut tumultibus perturbare, variisve et obstinatis disceptationibus contendere; sed omnes ad gloriam Dei et animarum saluti [salutem] unice conspirantes, cum modestia et animi lenitate, prout Spiritus sanctus dabit eloqui, opportune, servato ordine, proferant opiniones, in actionibus tam privatis quam publicis; ac ita, quidquid dixerint, miti verborum prolatione temperent, ut nec audientes offendantur, nec recta iudicii acies perturbato animo inflectatur.

Insuper, ipsa synodus decernit ac declarat quod, si forte contigerit aliquos debito in loco non sedere, sive in sessionibus, sive in congregationibus, nulli propterea praeiudicium generetur, nullique novum ius acquiratur [1]. In qualicumque enim ordine quisque compareat et sedeat, iura illius salva esse vult synodus.

Demum, universis qui, iure vocati, ad hoc concilium provinciale convenerunt, in virtute sanctae obedientiae praecipit, ne antequam dimissum fuerit, discedere praesumant, nisi ob rationabilem causam, facultateque petita et obtenta a patribus: et insuper eos omnes hortatur, ut diurnum vivendi ordinem, in prima congregatione generali promulgatum et statutum, fideliter exequantur.

### *III. De professione fidei.*

Cum fides initium sit et fundamentum salutis, atque inter omnes pastoralis officii sollicitudines illa potissimum prima esse debeat, ut fides catholica, quam sancta Romana ecclesia tenet et colit, incorrupta in hac provincia integraque permaneat, et omnes illam puram illibatamque custodiant: nos, in hac synodo provinciali hinc praecipue exordium duximus, ut eamdem sanctam et catholicam fidem, quam corde credimus, una oris confessione profiteamur. Quocirca, sacrosancti oecumenici concilii Tridentini decretis inhaerentes, professionem fidei a Pio IV pontifice maximo praescriptam libenter hic palam solemniter praestamus [et publice profitemur], eamque fideles edoceri statuimus.

[1] Conc. Trid., sess. II.

## FORMA IURAMENTI.

[Vide supra col. 36 A - 38 A.]

### *I. De obedientia summo pontifici.*

Ut inter tot et tanta errorum pericula, non simus sicut parvuli fluctuantes, et non circumferamur omni vento doctrinae, totis praecordiis amplectimur sanctam ecclesiam catholicam, quae est columna et firmamentum veritatis, et contra quam portae inferi non praevalebunt.

Et, quoniam Christus ipse super Petrum eiusque successores suam aedificavit ecclesiam, profitemur, cum sancto oecumenico concilio Florentino, sanctam apostolicam sedem et Romanum pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum pontificem Romanum successorem esse beati Petri, principis apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque ecclesiae caput, et omnium christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, B regendi et gubernandi universalem ecclesiam a domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis conciliorum oecumenicorum et in sacris canonibus continetur. Insuper, agnoscentes cum sancto Irenaeo „*Romanam ecclesiam eam esse ad quam oportet omnes ecclesias convenire, propter potiorem eius principalitatem*“ [1], et fidem Petri, „*qui in propria sede vivit et praesidet et praestat quaerentibus veritatem,*“ [2] nunquam defecisse, nec in finem defecturam esse; in omnibus sequimur „*sedem apostolicam in qua est integra et vera christianae religionis perfecta soliditas*“ [3]. Itaque, toto animo adhaeremus omnibus et singulis apostolicis constitutionibus dogmaticis, uti et illis quae universalem ecclesiae disciplinam respiciunt; atque declaramus et docemus eas ab omnibus christifidelibus tenendas esse, velut credendorum normam et conscientiae regulam indepen- C denter prorsus ab omni potestatis saecularis sanctione.

Propterea, sacerdotes et omnes fideles saepius monitos volumus, ut omni quidem tempore, sed potissimum quando ecclesia gravioribus quassatur tempestatibus, oculos convertant ad hanc cathedram Petri, „*qui est petra et crepido catholicae ecclesiae, et rectae fidei fundamentum,*“ [4] unde unitatis vigor per totum ecclesiae corpus diffunditur.

### *II. De breviario ac missali.*

Iuxta constitutionem sanctae memoriae Pii V, qui breviaria et missalia in usum ecclesiarum romani ritus, ad mentem concilii Tridentini emendatius edendo, abolevit quaecumque alia, vel antiquiora, vel quovis privilegio munita, vel ab episcopis in suis dioecesibus pervulgata, nisi dioeceses a bis centum saltem annis uti consuevissent breviario aut missali ab illis diverso; statuimus breviarium et D missale romanum, iam olim in ecclesia Quebecensi recepta, ab omnibus nostrae provinciae ecclesiis servanda, additis officiis iam concessis et postea concedendis a sancta sede pro hac provincia; salvis tamen religiosorum privilegiis. Haec autem sunt officia quorum concessionem aut ritum altiorem a sancta sede haec synodus humiliter expostulat:

Desponsationis beatae Mariae virginis, duplex maius, ianuarii 23.

Sancti Polycarpi, episcopi et martyris, duplex, ianuarii 26.

Sancti Ignatii, episcopi et martyris, duplex, februarii 1.

A Orationis domini nostri Iesu Christi, duplex maius, feria 3 post dominicam Septuagesimae [1].

Commemoratio passionis domini nostri Iesu Christi, duplex maius, feria 3 post dominicam Sexagesimae [2].

Sacrae spineae Coronae domini nostri Iesu Christi, duplex maius, feria 6 post dominicam Quinquagesimae.

Sacrae Lanceae et Clavorum domini nostri Iesu Christi, duplex maius, feria 6 post dominicam I Quadragesimae.

Sacrae Sindonis domini nostri Iesu Christi, duplex maius, feria 6 post dominicam II Quadragesimae.

Sacrae quinque Vulnerum domini nostri Iesu Christi, duplex maius, feria 6 post dominicam III Quadragesimae.

Pretiosissimi sanguinis domini nostri Iesu Christi, duplex maius, feria 6 post dominicam IV Quadragesimae.

Sancti Patritii, episcopi et confessoris, duplex maius, martii 17.

Sancti Ioseph, sponsi beatae Mariae virginis, duplex I classis, martii 19.

Sancti Ioannis Nepomuceni, martyris [3], duplex, maii 22.

Beatae Mariae virginis Auxiliatricis, duplex maius, maii 24.

Sancti Rochi, confessoris, duplex, iunii 17.

Purissimi Cordis beatae Mariae virginis, duplex maius, dominica post octavam Assumptionis.

Maternitatis beatae Mariae virginis, duplex maius, dominica II octobris.

Puritatis beatae Mariae virginis, duplex maius, dominica III octobris.

Patrocinii beatae Mariae virginis, duplex maius, dominica IV octobris.

Sancti Stanislai Kostkae, confessoris, duplex, novembris 16.

Sancti Thomae, Cantuariensis episcopi et martyris, duplex, decembris 29.

Officium sanctissimi sacramenti, semiduplex, omnibus feriis quintis; dummodo non sint impeditae iuxta decreta sacrae rituum congregationis 20 martii 1706 et 15 martii 1804.

Officium conceptionis beatae Mariae virginis, semiduplex, singulis sabbatis; dummodo non sint impedita iuxta decreta sacrae rituum congregationis 20 martii 1706 et 15 martii 1804.

### *III. De rituali.*

Quoniam summopere optandum ac curandum est, ut in nostra provincia ecclesiastica eadem liturgia servetur, quae una sit cum romana liturgia, ut, iuxta apostolum, idipsum dicamus omnes, et non sint in nobis schismata, sed simus omnes perfecti in eadem sententia, idque non modo quoad fidei dogmata, sed etiam quoad ritus, preces et caeremonias tum in divino officio peragendo, tum in sacramentis administrandis servanda, concilium decernit rituale romanum servandum esse in tota hac provincia, adiectis in appendice quae ad aedificationem fidelium, necnon et ad pastorum instructionem conducere visa fuerint, quod, priusquam edatur cum dicta appendice, sanctae sedis approbationi subiicietur. Ne autem peculiares ritus cuiusque arbitrio inducantur, districte vetamus ne sacerdotes a forma sibi in rituali praescripta, consuetudinis obtentu, vel alio quocumque praetextu, discedant.

### *IV. De caeremoniali.*

Edatur quoque quamprimum liber caeremoniarum ex probatissimis operibus desumptus, caeremoniali

[1] *Adv. haer.* l. III, c. 3, [Opp. s. Iren., ed. Migne, col. 849 A.]
[2] S. Petri Chrysologi, *Epist. ad Eutych.* [Hardouin, II, 28 B.]
[3] Formula Hormisdae. [Hardouin, V, 773; Thiel, *Epistolae Rom. pont.*, col. 754-5.]
[4] Conc. Chalced., act. 3. [Hardouin, II, 346 C.]

[1] *Editio mendose:* feria 3.
[2] *Idem.*
[3] *Editio mendose:* confessoris.

episcoporum, pontificali, missali, ac rituali romano omnino conformis (sanctae sedis iudicio subiiciendus); ut sacerdotes clericique omnes per hanc provinciam ritus ecclesiae universalis accurate calleant religioseque servent.

*V. De casibus reservatis.*

*„Magnopere ad christiani populi disciplinam pertinere sanctis patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina, non a quibusvis, sed a summis duntaxat sacerdotibus absolvantur.“*

Huic ergo auctoritati Tridentinae synodi inhaerentes, praeter casus summo pontifici reservatos, sequentes casus nobis reservamus, nempe peccata eorum:

1. Qui publice et notorie in concubinatu vivunt;
2. Qui scienter domos suas meretricibus publice notis locant.

Ne quis tamen pereat occasione reservationis, absolutionem poenitenti bonae fidei a sacerdote, iure absolvendi a casibus reservatis non gaudente, collatam validam esse declaramus. Excipiendus est tamen complicis casus.

*VI. De solemnitatibus.*

Placuit ut, de licentia sanctae sedis, caeteris solemnitatibus festorum quae ad dominicam diem remittuntur suppressis, sequentes tantum serventur atque celebrentur, iuxta modum a sancta sede iam concessum pro solemnitate assumptionis, translata ad dominicam, scilicet: Purificationis beatae Mariae virginis; sancti Ioseph; sancti Ioannis Baptistae; assumptionis beatae Mariae virginis; nativitatis eiusdem; sancti Michaelis Archangeli; sancti patroni vel titularis ecclesiarum parochialium.

*VII. De cantu et musica in ecclesiis.*

Quae in ecclesiis cantanda sunt, ad divinum cultum promovendum fovendamque fidelium devotionem tantummodo inservire debent: caveant igitur parochi, ne musica levis vel indecora theatrumque redolens, a divina contemplatione fideles avertat. Curent pastores ut cantus gregorianus, utpote ecclesiae proprius, maiestatique divini cultus sua gravitate multo conformior, in missa solemni, necnon in vesperis, primas partes obtineat. Invigilent autem diligenter ne cantus exponatur contemptui, modo quo executioni mandatur: voces sint unisonae, nec plus aequo extollantur; cantus non sit tardior citiorve; chorusque a peritis in cantu gregoriano regatur; quod vix obtinendum est, nisi studiosa iuventus prae mundana ecclesiae musicam ediscat. Dent igitur operam rectores collegiorum seminariorumque, qui tam admirabili zelo iuventuti instituendae se devovent, ut cantum gregorianum alumni apprime edoceantur.

*VIII. De catechismo.*

Cum uniformitas, etiam in modo doctrinae christianae tradendae, maxime optanda sit, decernimus ut catechismus, gallico sermone scriptus atque a concilio provinciali approbatus, edatur in usum christifidelium qui hoc idiomate utuntur: catechismus vero, auctore Butler, anglico sermone exaratus, utpote ab Hiberniae episcopis approbatus, et iamdudum in nostra regione vulgatissimus, pro omnibus christifidelibus anglice loquentibus usu servetur.

*IX. De catechesibus, sive ante, sive post primam communionem faciendis.*

Singulis diebus dominicis, integro anni cursu, quoad possibile sit, in quaque parochiali ecclesia, A fiant catecheses, in quibus genuinum catechismi provincialis sensum, simplici sermone, animarum pastores enodabunt.

Curent animarum pastores ut pueri opportunis instructionibus disponantur ad primam confessionem; et ut prima vice ad sacram synaxim accessuri, rite sint parati, atque ad diiudicandum corpus Domini facti fuerint idonei. Idcirco per catecheses non paucas aut obiter factas, sed frequenter repetitas, serio maturoque praeparatas instituantur. Quoad autem tempus per quod fieri debent catecheses, aetatemque qua pueri admitti possunt, praescriptiones rituali adiunctae ad amussim serventur.

Cum autem pueri parentibus ignotis procreati admittendi sunt, sedulo inquiretur an baptizati fuerint; si quidem prima illorum communio habenda sit postea ut authentica quaedam baptismi attestatio.

Pastores animarum operam daturos esse confidimus, ut catechesibus dominicalibus, saltem per B unum annum post susceptam prima vice communionem, pueri adsint, ut melius praecepta Dei et ecclesiae ediscant, fusiusque dogmata catholicae fidei edoceantur.

*X. De sacerdotibus recens ordinatis, collationibusque ecclesiasticis.*

Sacerdotes non modo virtute, sed etiam doctrina pollere debent; labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius. Scientia quidem congrua in seminariis instruuntur; nullus tamen existimet, ordine presbyteratus suscepto, se studiorum cura iam esse absolutum. Cum enim ad sacrum regimen animarum venit, tunc magis ac magis attendere sibi debet et doctrinae. Nisi enim novis et fere quotidianis instet studiis, quae didicerat brevi a mente elabuntur, et caecus factus C caecis ducatum praestans, cum eis in foveam cadet.

Hisce studiis ut faveat, concilium decernit ut sacerdotes recens ordinati examini supra [super] theologiae materia prius assignata, coram episcopo vel eius delegatis quotannis subeundo, per quadriennium subiiciantur, et eodem temporis spatio, singulis annis, duas conciones scriptas episcopo suo exhibeant.

Episcopos vero hortatur ut, quantum fieri potest, collationes de rebus ecclesiasticis a presbyteris inter se habendas instituant, easque, ut bene et ordinate fiant, regulis muniant. A sacerdotibus autem qui hisce collationibus interesse non valebunt, exigatur ut quaestionibus in collationibus discutiendis scripto respondeant.

*XI. De famulabus sacerdotum.*

Cum mulieribus nullam consuetudinem habeant D clerici in sacris ordinibus constituti, nec domi apud se retineant, nisi matrem, sororem, aut amitam, neque sibi famulas accipiant vel retineant, nisi provectae aetatis, iuxta receptam sacrorum canonum interpretationem, et famae illibatae, de quibus nulla possit haberi suspicio.

*XII. De relationibus faciendis episcopo a parochis et missionariis.*

Ut tanto munere pascendi animas et regendi bene fungamur, nemo non videt quanti sit momenti ut boni instar pastoris oves nostras cognoscamus, et apprime nobis innotescat quid in singulis paroeciis vel missionibus fovendum sit, quid corrigendum. Qua de causa, relationes in quibus unusquisque parochus vel missionarius statum morum et religionis in sua paroecia vel missione, ordine exposuerit, quotannis ante calendas septembris, ad nos dirigi iubemus. Quae relationes unionem quae fideles

et parochos cum episcopis devincire debet, confirmabunt.

*XIII. De incorporatione presbyterorum extraneorum.*

Nullus extraneus sacerdos ut membrum cleri dioecesani admittatur, quin prius, praeter licentiam exeundi, exhibuerit litteras commendatitias recens scriptas, et a proprio episcopo subsignatas.

*XIV. De societatibus secretis.*

Propter gravissimas rationes, vetuerunt sancti pontifices ne fideles secretas societates, quovis nomine nuncupatas, ineant, iureiurando sese adstringentes ad arcana servanda. Nam foedera huiusmodi clanculum inita mali suspicionem et periculum prae se ferunt, et iusiurandum temere adhibetur. Idcirco monemus sacerdotes omnes neminem posse absolutione sacramentali donari, nisi ab huiusmodi societatibus prorsus recedat. Hortamur autem, et in Domino obsecramus fideles omnes, ut occulta illa foedera omnino declinent, mente revolventes se Christi membra esse, et ecclesiae quae mater nostra est mandatis teneri, eosque ut filios lucis debere ambulare, iuxta sanctissima et divina illa documenta quae Christus dominus tradidit.

*XV. De scholis mixtis.*

Scholas mixtas, in quibus scilicet pueri fidelium simul cum acatholicorum pueris promiscue admissi, nullam vel falsam religionem edocentur, utpote natas ad hanc impietatis luem, quae vulgo indifferentismus nuncupatur, procreandam, omnino periculosas iudicamus. Quapropter pastoribus animarum enixe commendamus ut fideles, quorum cura sibi committitur, ab istis gymnasiis omni conatu avocent. Quodsi in quibusdam locis, scholis catholicis deficientibus, mixtas scholas pueri adire cogantur, invigilent pastores eorum atque parentes ne, erroris venenum sensim ebibentes, fidei innocentiaeque iacturam patiantur. Nobis vero nihil non emoliendum erit ut catholici, iura sua retinentes, scholis sibi propriis, sicut et collegiis universitatibusque, in tota nostra provincia fruantur.

In primis autem satagemus ut scholam moderatricem (vulgo dictam normalem) ad magistros sana doctrina bonisque moribus informandos obtineamus.

*XVI. De celebratione synodi dioecesanae.*

Iuxta decretum sacri concilii Tridentini, dioecesana synodus quotannis, quantum fieri potest, celebretur. Huic autem synodo universi et singuli intersint quicumque ex iure vel ex consuetudine interesse tenentur.

*XVII. De publicatione decretorum huius concilii provincialis.*

Decreta huius synodi provincialis nemo prelo subiiciat aut promulget antequam a sancta sede apostolica, iuxta constitutionem Sixti V, quae incipit *Immensa*, revisa et recognita fuerint. Litteris autem quibus illa confirmentur a sanctitate sua obtentis, ea statim imprimantur; impressaque, a singulis episcopis, vel in synodo dioecesana, vel, si celebrari nequeat, extra synodum, quam primum promulgentur.

*XVIII. De invocatione et veneratione beatissimae Mariae viriginis.*

Eximia admodum et ineffabilis beatae virginis Mariae dignitas postulat ut ei peculiaris exhibeatur cultus, qui etsi non latriae sit, cultu tamen sanctorum tanto praestantior esse debet, quanto gratia et gloria sanctos supereminet Maria: et hi quidem fideles Dei famuli et amici, illa vero non ancilla A tantum et dilecta, sed et mater Domini sui exstitit, quae lumen aeternum mundo effudit, Iesum Christum salvatorem nostrum. Unde illam beatam dixerunt omnes generationes; illam omnes ecclesiae tum patres, tum doctores tantis extulerunt laudibus; illius encomium tot celebrarunt concilia. Et ideo haec synodus, iisdem vestigiis insistere cupiens, hortatur et obsecrat episcopos provinciae, aliosque quoslibet saluti animarum incumbentes, ut pro viribus suis cultum beatissimae Dei genitricis magis ac magis propagare studeant, pro certo habentes quod qui invenerit matrem illam misericordiae, inveniet vitam et hauriet salutem a Domino.

Unde huius primi concilii provincialis patres, in hac ecclesia metropolitana, sub titulo immaculatae conceptionis beatae Mariae virginis dedicata, ad pedes eiusdem Dei genitricis illibatae provoluti, illi se suasque oves offerunt ac devovent, eamque B ponunt custodem in vineis suis. Oculos ad sedem apostolicam convertunt, humiliter et instanter eam deprecantes ut in omnibus huius provinciae dioecesibus, in officio et missa conceptionis beatae Mariae virginis, liceat in orationibus et praefatione addere verba *immaculatae, immaculata*; et in litaniis eiusdem beatae Mariae virginis: *Regina sine labe concepta, ora pro nobis*; atque etiam tanquam ecclesiae catholicae doctrinam definire velit beatissimae virginis Mariae conceptum immaculatum omnino fuisse, ac ab omni prorsus originalis culpae labe immunem.

*XIX. De promulgatione testium synodalium.*

Nos Petrus-Flavianus Turgeon, archiepiscopus Quebecensis, antiquum atque probatum de testibus synodalibus institutum secuti, ad hoc officium, de consilio et consensu reverendissimorum coepiscoporum nostrorum, deligimus, instituimus atque pronun- C tiamus eos quorum nomina sequuntur:

Pro Quebecensi archidioecesi: dominos Thomam Cooke, vicarium generalem dictae archidioecesis; et Franciscum-Xaverium Delâge, parochum a Beata Maria Auxilii vulgo l'Islet;

Pro dioecesi Kingstoniensi: dominos Aeneam McDonnell et Ioannem McDonald, vicarios generales episcopi Kingstoniensis;

Pro dioecesi Marianopolitanensi: dominos Iosephum La Rocque, canonicum ecclesiae cathedralis Marianopolitanae; et Petrum-Mariam Mignault, archipresbyterum, parochum a Sancto-Iosepho vulgo Chambly, in eadem dioecesi;

Pro dioecesi Bypolitana: dominos Petrum Aubert, superiorem oblatorum Mariae Immaculatae; et Iacobum Hughes, parochum a Sancto-Paulo vulgo Aylmer in dicta dioecesi Bypolitana;

Pro dioecesi Torontina: dominos Petrum-Henri- D cum Harkin, presbyterum domus archiepiscopalis nostrae; et Antonium Parant, presbyterum seminarii Quebecensis.

*XX. De indictione futuri concilii provincialis.*

Cum sacrosanctae synodi Tridentinae decretis statutum sit, ut quolibet saltem triennio celebrentur concilia provincialia, ut ecclesiae menti obsequamur, nos Petrus-Flavianus Turgeon, archiepiscopus Quebecensis, de consilio et consensu reverendissimorum episcoporum comprovincialium, proximum concilium huius provinciae in ipsa nostra ecclesia metropolitana, mense maio anno millesimo octingentesimo quinquagesimo quarto, celebrandum iam denuntiamus et indicimus omnibus qui praesentes adesse debent.

*XXI. De fine concilii.*

Cum placuerit omnibus patribus huius concilii finem fieri, nos Petrus-Flavianus Turgeon, archi-

episcopus Quebecensis, provinciali concilio finem A facimus, et iam nunc factum esse decernimus.

### XXII. *De subscriptione.*

Nos Petrus-Flavianus Turgeon, archiepiscopus Quebecensis, admonemus reverendissimos patres omnes, qui huic synodo iure intersunt et interfuerunt, ut post nos, singuli, loco et ordine suo, ad altare accedant, et iis quae in hac synodo decreta sunt, subscribant.

Nos Petrus-Flavianus Turgeon, archiepiscopus Quebecensis, haec decreta a nobis definita subscripsimus.

† Ego P.-F., archiepiscopus Quebecensis.

† Ego Rem., episcopus Kingstoniensis, definiens subscripsi.

† Ego Ignatius, episcopus Marianopolitanus, definiens subscripsi.

† Ego Ios.-Eugenius, episcopus Bypolitanus, B definiens subscripsi.

† Ego Arm.-F.-M., episcopus Torontinus, definiens supscripsi.

† Ego Patritius, episcopus Carrhensis, Kingstoniensis administrator, definiens subscripsi.

† Ego Ioannes-Carolus Prince, episcopus Martyropolitanus, coadiutor Marianopolitanus, definiens subscripsi.

† Ego C.-F. Baillargeon, episcopus Tloanensis, coadiutor archiepiscopi Quebecensis, definiens subscripsi.

## EPISTOLA

*patrum concilii, Romam, una cum decretis eiusdem concilii post eius celebrationem, ad summum pontificem missa.*

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPAE NONO.

Beatissime pater.

Sanctitati vestrae, tanta sollicitudine saluti omnium ecclesiarum invigilanti, gratum sane erit audire episcopos provinciae ecclesiasticae Quebecensis nuperrime formatae, sacrae Tridentinae synodi decretis obedientes, in urbe metropolitana, ad celebrandum primum provinciale concilium convenisse, die 15 mensis augusti.

Illis autem episcopis congregatis haud fas erat ex concilio discedere, quin prius commune et solemne testimonium eius qua erga apostolicam sedem sanctitatemque vestram venerationis, obedientiae et devotionis afficiuntur, exhiberent. Huius debiti, nobis omnibus, utpote a[illegible]tissimis filiis, quam maxime grati, solvendi gratia, reverendissimum I.-C. Prince, episcopum Martyropolitanum, fratrem nostrum charissimum, atque mentis animique nostri fidelem interpretem, Romam mittimus. Ipse ad sanctitatis vestrae pedes has litteras et vota nostra, D una cum decretis quae, ecclesiarum nostrarum necessitatibus occurrentes, condenda censuimus, deponet.

Haec apostolicae sedis iudicio, ut par est, subiicimus; ut, si sanctitati vestrae probentur, necessaria hac sanctione firmata, optatum effectum feliciter sortiantur.

Pauca quidem decernenda iudicavimus, ast praesentibus rerum nostrarum adiunctis accommodata, eiusque naturae, ut, si fideliter serventur, una cum sedi sanctae subiectione ac concordia inter fratres, gloriam Dei, animarum salutem incrementumque religionis, divinae gratiae auxilio, in nostris dioecesibus promovere valeant.

Et nunc ad sanctitatis vestrae pedes provoluti, eique multos annos et aeternam memoriam exoptantes, apostolicam benedictionem nobis gregibusque nostris imploramus.

Sanctitatis vestrae obsequentissimi filii:

† P.-F., archiepiscopus Quebecensis.

† Remigius, episcopus Kingstoniensis.

† Ig., episcopus Marianopolitanus.

† Ios.-Eug., episcopus Bypolitanus.

† Armandus-Fr.-M., episcopus Torontinus.

† Patritius, episcopus Carrhensis, Kingstoniensis administrator.

† I.-C., episcopus Martyropolitanus, coadiutor Marianopolitanus.

† C.-F., episcopus Tloanensis, coadiutor Quebecensis.

Quebeci, die 28 augusti 1851.

## LITTERAE

SANCTISSIMI DOMINI PII IX.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Quas die vigesima octava mensis augusti superioris anni ad nos mittere voluistis litteras, grato prorsus et perlibenti animo accepimus; sensibus enim sunt undequaque refertae deditissimi nobis et sedis huic apostolicae animi. Quamobrem, Martyropolitanum episcopum Ioannem-Carolum qui et litteras ipsas nobis reddidit, et acta provincialis concilii, quod nuper habuistis, huc attulit, benignissime excepimus, eximiamque vestrum omnium in fungendo pastorali munere sollicitudinem et alacritatem gratulati fuimus. Quibus de actis ubi primum necessarium examen fuerit absolutum, responsum accipietis, venerabiles fratres; interim vero nostra hac epistola officio vestro nos respondemus, ac stimulos bene licet currentibus addimus, quo uberior in dies creditis vobis ecclesiis exstet pastoralis vestri studii et sollicitudinis fructus. Omni- C potentem dominum humilibus nos precibus invocamus, ut vestram in nos pietatem et observantiam omni remuneret copia donorum coelestium. Quorum auspicem nostraeque erga vos praecipuae caritatis pignus adiungimus apostolicam benedictionem quam ex intimo corde depromptam vestrum singulis, venerabiles fratres, cum omni etiam clero vestro, fidelique populo communicandam intimo cordis affectu peramanter impertimur.

Datum Romae, apud Sanctum-Petrum, die 7 ianuarii anni 1852, pontificatus nostri anno VI.

Pius papa IX.

## LITTERAE

*super approbatione decretorum concilii provincialis Quebecensis.*

Illustrissime et reverendissime domine.

In duplici sacra congregationis generalis conventu proposita sunt acta et decreta synodi provincialis Quebecensis, amplitudo tuae, atque aliorum ecclesiasticae illius provinciae antistitum nomine per reverendum pater dominum episcopum Ioannem Carolum Prince exhibita: Emorum vero patrum iudicium a sanctissimo Domino nostro probatum haec epistola seu instructio declarat. Primo vero haud conveniens visum est quod episcopis coadiutoribus votum decisivum tribueretur, attento praesertim quod in sententiarum discrepantia, duplici suffragio una pars adversus alteram irrationabiliter iuvaretur. Hinc etiam tutius visum est ad cautelam a sanctissimo Domino actorum sanationem esse implorandam quamquidem sanctitas sua benigne concessit.

Quod vero ad decreta pertinet, haec sagra congregazione animadvertenda censuit.

Quoad tertium *de professione fidei* monitum voluit ut, cum decreta typis edantur, fidei professio

a Pio IV sancta memoria praescripta per extensum inseratur, eodemque decreto tertio clarius etiam significetur professionem illam a patribus solemniter in synodo praestitam fuisse. Neque etiam praetereundum videtur in synodis decretum *de fide* edi consuevisse, quo, locorum ac circumstantiarum ratione habita, praecavetur ut fidei catholicae puritas intemerata servetur, atque erroribus aditus occludatur. Cum rursus concilium provinciale erit celebrandum, huic defectui occurrere licebit.

In decreto quarto accuratius secernenda videntur verba sancti Petri Chrysologi ab iis quae addunt synodi patres; verba autem sancta doctoris ita exhibentur in editione Baherianiana operum sancta Leonis, t. I, col. 779: *Quoniam beatus Petrus qui in propria sede vivit et praesidet, praestat quaerentibus veritatem.* In formula orientalibus ab Hormisda pontifice proposita legitur: *Sedes aplica ... in qua est integra et vera Christianae religionis perfecta soliditas.* Demum Paschasinus aliique sancta Leonis memoria legati in concilio Chalcedonensi, actione 3. beatum Petrum commemorantes addunt: *que est petra et crepido catholicae ecclesiae, et rectae fidei fundamentum.*

Indultum pro festis de quibus in quinto decreto adiectoque supplici libello agebatur, concessum est: ita tamen ut tituli ac dies pro iisdem festis ad calendarii romanae cleri normam sint reducendi. Quoad festum beatae Mariae de Victoria, petitio ad sagra rituum congregatio transmissa est: cumque ex responsione ea de re edenda, sit etiam diiudicandum circa diem praefiniendam pro festo puritatis beatissimae Mariae virginis rescripta pro integro supplici libello, suo tempore, tradentur. Significandum interea est festa sanctae Hilarii Pictaviensis sub ritu duplici, sanctae Antonini item sub eodem ritu, pretiosissimi sanguinis dominus noster Iesu Christi duplex 2 classis dominica 1 iulii, septem dolorum beatissimae Mariae virginis duplex maius dominica 3 septembris, iam pro universa ecclesia vigere per decreta, ut inquiunt, urbis et orbis.

Examen deinde circa decretum VI *de rituali* fuit institutum, quoad etiam additiones inducendas, ac novam editionis formam. Porro cum dubium propositum eminentissimi patres fuerit, num decretum illud VI admitti posset, necnon rituale cum exhortationibus, translationibus ex latino in vulgaria idiomata, novisque benedictionibus per episcopum, Prince exhibitis, ac iuxta propositam distributionem, eminentissimi patres respondendum censuerunt *affirmative iuxta modum ab eminentissimo relatore propositum*; nempe in exhortatione facienda antequam omissae baptismatis caeremoniae suppleantur, adiiciatur explicatio ritus quo aures et nares baptizati a sacerdote tangantur. Delenda erit integra exhortatio circa matrimonia mixta, cum matrimonia huiusmodi ecclesia aegre admodum admittat, et ab iisdem omni ope fideles avertat. In ritualis titulo tollatur *Approbante sanctissimo Domino*, quemadmodum et alia quae sequuntur post verbum *editum*. Interrogationes faciendae in administratione baptismatis edantur et fiant latino idiomate, haud vetito tamen quod vulgari idiomate repeti valeant, cum opportunum videatur ut melius intelligantur.

Deleatur *adnotatio* quae respicit omissionem unctionis lumborum seu renium. In ordine *commendationis animae*, haud tollatur textus latinus evangelium secundum Ioannem. Quoad benedictiones in rituali Romano haud comprehensas, eminentissimi patres censuerunt episcopos remittendos esse ad sagra congregatio rituum. In reliquis autem, ritualis editio conformis sit rituali Romano.

De *Caeremoniarum libro* eminentissimi patres agentes occasione decreti septimo numero lati, responderunt: *edito prius caeremoniali et sagra congregationis examini subiecto providebitur.*

Decretum nonum inscriptum *De solemnitatibus* admissum est: Numero autem primo indultum sanctitatis suae eidem respondens adiicitur.

In decreto 12, tempus quo cathechismus fieri debeat haud visum est pro ulla religione coarctandum: hinc praescribendum esset ut, quoad possibile sit, quemadmodum in civitatibus, ita etiam rure, integro anni cursu, catechetica instructio fiat. Opportunis instructionibus pueri disponendi sunt, non modo ad primam communionem, verum etiam et ad primam confessionem. Documentum, quo fides fit aliquem ad primam communionem accessisse, admitti potest velut probatio suppletoria seu praesumptiva recepti baptismatis; attamen in casu tantum quo haberi prorsus nequeat certius ea de re documentum, ac probatio magis directa. Hinc etiam episcopi agnoscent quanta diligentia, antequam fideles ad primam communionem admittantur, parochi seu missionarii circa baptisma iisdem collatum inquirere debeant: tunc enim tantum admissio ad eucharistiam, suppletorio modo, receptionem baptismatis probare poterit. Paragrapho ultimo memorati decreti, ante verba *per annum*, addatur *saltem*.

Quod pertinet ad decretum 15, est ritè praecavendum ne annuae relationes transmittendae a parochis et missionariis ad suos episcopos habeantur loco pastoralis visitationis, quae proinde ad tramitem sancte canonum, in singulis paroeciis seu missionibus, ab episcopis peragenda.

In decreto numero 20, ubi dicitur decreta concilii haud esse evulganda antequam a sancta sede aplicationis iuxta constitutio sixti V, quae incipit *immensa*, approbata fuerint: iuxta tenorem ipsius constitutionis dicendum erit *revisa et recognita*: neque enim aplica, sedes omnibus decretis conciliorum provincialium positivam approbationem semper tribuere intendit.

Demum quoad decretum 21 eminentissimi patre transmittendam iusserunt encyclicam a sanctissimo domino nostro latam circa invocationem immaculatae conceptionis, eamque adjectam reperies.

Superest animadvertendum, in synodis illud quoque generatim servari, ut circa sacramentorum administrationem regulae, ex catholicae ecclesiae doctrina, ex Romanorum pontificum constitutionibus, aliispue ecclesiasticis canonibus excerptae, breviter accuratèque tradantur: licet vero id in prima hac synodo provinciali effici forsitan ob temporis angustias non potuerit: opportunum erit ut in proximè habenda praestetur, decretis antea ritè dispositis, habitisque prae oculis aliis probatis conciliis, quae eo titulo peculiariter commendentur.

Decreta proindè iuxta hactenus traditam instructionem emendata vulgari poterunt, addito etiam sacre congregationis. Decreto quod his litteris adiungitur: sperare vero licet, ex diligenti horum decretorum observantia, plurimum utilitatis rei catholicae obventurum.

Precor Deum ut Te diu sospitem incolumemque servet.

Romae, ex aedibus sacrae congregationis de Propaganda fide, die 8 iulii 1852.

Amplitudinis tuae ad officia paratissimus

*Signatum*: I.-Ph. cardinalis Franzoni, praefectus.
Al. Barnabo, a secretis.

### APPROBATIO DECRETORUM.

*Sacrae congregationis de Propaganda fide decretum.*

Archiepiscopus et episcopi provinciae ecclesiasticae Quebecensis, ut ecclesiarum illarum regimini melius provideatur, superiore anno, mense augusto, provincialem synodum in ipsa Quebecensi urbe celebrarunt, eiusdemque acta et decreta, per episcopum Ioannem-Carolum Prince, examini ac iudicio sedis apostolicae exhibuerunt. Porro, in duplici generali conventu, diebus 10 ac 17 maii huius anni, eminentissimi ac reverendissimi patres sacrae congregationis de Propaganda fide, referente eminentissimo ac reverendissimo domino Ludovico cardinali Altierio, mature iisdem actis ac decretis perpensis, praevia sanatione cuiuscumque defectus in celebratione eiusdem synodi, quae a sanctissimo domino nostro concessa est, supradicta decreta, nonnullis adhibitis modificationibus[1], quae peculiari instructione traduntur, approbanda censuerunt.

Datum Romae, ex aedibus dictis sacrae congregationis de Propaganda fide, die 6 iulii 1852.

*Locus † sigilli.*

*Signatum:* I.-Ph. cardinalis Franzoni, praefectus.
Al. Barnabo, a secretis.

### POSTULATIO DE NOVIS OFFICIIS.

Beatissime pater.

Ut in tota nostra provincia Quebecensi laudes Deo una voce persolvamus, nos, archiepiscopus Quebecensis et episcopi dioecesium eiusdem provinciae, in concilio congregati, supplicamus sanctitati vestrae ut dignetur indulgere, ut officia Quebecensi dioecesi iamdudum a sancta sede concessa, caeteris dioecesibus provinciae nostrae concedantur; et insuper ut alia officia, quorum catalogum adnectimus, C possint ubique per totam nostram provinciam Quebecensem recitari. Quod de indulgentia sanctitatis vestrae humillime speramus.

Officia de quibus agitur, haec sunt:

Desponsatio beatae Mariae virginis duplex maius, ianuarii 23 etc. [Vide supra col. 581 D sq.]

### POSTULATIO DE SOLEMNITATIBUS.

Beatissime pater.

Ad fovendam fidelium pietatem, nos, archiepiscopus Quebecensis et episcopi dioecesium omnium provinciae ecclesiasticae, in concilio congregati, humiliter petimus, ut sanctitas vestra indulgere dignetur, ut quaedam festa, nempe purificationis beatae Mariae virginis, sancti Iosephi, sancti Ioannis Baptistae, assumptionis beatae Mariae virginis, nativitatis eiusdem, sancti Michaelis Archangeli, D sancti patroni vel titularis ecclesiarum parochialium, quorum solemnitas fit tantummodo die dominica sive praecedente sive sequenti, absque missa et vesperis festo propriis, eodem modo celebrentur, etiam in dominica secundae classis, quo beatae Mariae virginis assumptionis festum peragere solemus, iuxta indultum die 13 martii 1819 a sacra congregatione de Propaganda fide concessum: „*Placuit sacrae congregationi, ut in dominica immediate sequenti beatae Mariae virginis festum, in cunctis ecclesiis, missa et vesperae solemnes, ac si dies proprius assumptionis esset, peragantur, additis iis quae de ritu sunt commemoriationibus; denique ut in ecclesiis, ubi non celebratur missa cum cantu, una missa de festo assumptionis cum suis respective commemorationibus celebretur.*“

A Quod de indulgentia sanctitatis vestra speramus. Quebeci, die 28 augusti 1851.

*Decretum sacrae congregationis de Propaganda fide circa solemnitates.*

Ex audientia sanctissimi, habita die 20 iunii 1852.

Illustrissimus dominus noster Pius divina providentia Pius papa IX, referente me infrascripto sacrae congregationis de Propaganda fide secretario, preces archiepiscopi Quebecensis et episcoporum eiusdem ecclesiasticae provinciae necnon votum ea de re per sacram congregationem latum, die 10 maii 1852, benigne annuit ut in eadem provincia pro festis purificationis beatae Mariae virginis, sancti Iosephi, sancti Ioannis-Baptistae, assumptionis beatae Mariae virginis, nativitatis eiusdem, sancti Michaelis archangeli, sancti patroni vel B titularis ecclesiarum parochialium, quorum solemnitas fit die dominico sequenti, tunc etiamsi occurrat dominica secundae classis, in cunctis ecclesiis missa et vesperae solemnes, ac si dies proprius esset, peragantur, additis iis quae de ritu sunt commemorationibus; in ecclesiis vero ubi non celebratur missa cum cantu, una missa de praedictis festis cum suis respective commemorationibus celebretur, prout circa festum assumptionis beatae Mariae virginis per rescriptum diei 13 maii 1819 provisum fuerat. Id vero sanctitas sua indulsit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus sacrae congregationis de Propaganda fide, die et anno quibus supra.

Gratis, sine ulla omnino solutione quocumque titulo.

*Locus † sigilli.* Al. Barnabo, a secretis.

*Petitur ut aliqua pars redditunm parochorum assignetur episcopis ad eorum sustentationem.*

Cum redditus ad sustentandos episcopos in Canadensi provincia, praecipue in neodioecesibus, sint exigui, et communiter ex fidelium pietate proveniant, deputatus ad apostolicam sedem, I.-C. Prince, episcopus Martyropolitanus et coadiutor Marianopolitanensis, ad pedes suae sanctitatis provolutus, eam humiliter deprecatur ut facultatem sequentem, iam aliquibus episcopis, tam in Hibernia quam in Canada concessam, benigne et in perpetuum impertire dignetur.

Cuique episcopo titulari et episcopo coadiutori pro tempore existenti, liceat accipere tertiam partem proventuum unius paroeciae, aut duarum paroeciarum in dioecesi; vel quartam aut quintam partem, si inter tres aut quatuor paroecias; vel, si melius videbitur, sumat episcopus decimam tantum partem redditnum, si inter plures et fere omnes paroecias dividatur onus sustentandi episcopum aut episcopos; habita semper circumstantiarum ratione, et his paroeciis aliunde sufficienter provisis cum idoneis pastoribus.

Romae, die 15 martii 1852.

† I.-C., episcopus Martyropolitanus,
coadiutor Marianopolitanus,
deputatus provinciae ecclesiasticae
Quebecensis.

*Decretum sacrae congregationis de Propaganda fide.*

Archiepiscopus et episcopi ecclesiasticae provinciae Canadensis per reverendum patrem dominum Ioannem-Carolum Prince, episcopum deputatum ad apostolicam sedem, exposuerunt redditus ad sustentandos episcopos, atque ad episcopalia obeunda

[1] Quae modificationes executae fuerunt in decretis supra citatis.

munia, praecipue in dioecesibus recentius erectis, A esse exiguos et communiter ex fidelium pietate provenire. Omnibus vero rite perpensis in generali, conventu habito die 17 maii 1852, referente eminentissimo ac reverendissimo domino cardinali Ludovico Altierio, eminentissimi patres censuerunt permittendum archiepiscopo et episcopis ut pro decima parte reddituum singuli parochi seu missionarii vices parochorum fungentes onerari possint, donec aliter a sede apostolica provideatur. Hanc vero sacrae congregationis sententiam sanctissimo domino nostro Pio papae IX ab infrascripto eiusdem secretario relatam, sanctitas sua benigne probavit servarique praecepit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus sacrae congregationis de Propaganda fide, die 6 iulii 1852.

*Locus † sigilli.* I.-Ph. cardinalis Franzoni, praefectus.

*Decretum sacrae congregationis de Propaganda fide.* B

Beatissime pater.

I.-C., episcopus Martyropolitanus, coadiutor Marianopolitanensis, deputatus provinciae Quebecensis, exposuit ut infra. Per indultum a sanctissimo domino Gregorio papa XVI die 1 iunii 1834 datum, parochi dioecesis Quebecensis iis festis diebus, quibus fideles ab obligatione audiendi missam apostolica auctoritate soluti sunt, ab onere applicandi missam pro populo in posterum exempti sunt. At obligationem applicandi missam pro populo iis diebus prius ignorantes, fere omnes parochi in Canadensi provincia hanc missae applicationem omiserant. Hinc petitur ut, sicut pro Belgicis provinciis factum est, sancta sedes presbyteros Canadenses solvat ab obligatione hanc reparandi omissionem.

Ex audientia sanctissimi habita die 29 februarii 1852. C

Sanctissimus dominus noster Pius divina providentia papa IX, referente me infrascripto sacrae congregationis de Propaganda fide secretario, benigne annuit pro petita sanatione, celebrato tamen aliquo numero missarum ab ordinario proprio designando.

Datum Romae, ex aedibus dictae sacrae congregationis, die et anno ut supra.

Gratis, sine ulla omnino solutione quocumque titulo.

*Locus † sigilli.* Al. Barnabo, a secretis.

*Petitio de erectione Trifluvianensis dioecesis.*

Sanctissimo domino nostro Pio papae nono.

Beatissime pater.

Nobis, archiepiscopo et episcopis provinciae ecclesiasticae Quebecensis, ad religionis bonum maxime conducere visum est ut nova sedes episcopalis in D urbe Trifluviana erigatur, quae territorium inferius designatum, ex archidioecesi Quebecensi extractum, comprehenderet.

Nova dioecesis Trifluvianensis continebit totum districtum Trifluvianensem, comitatus vulgo dictos Champlain, Saint-Maurice, Yamasca, Nicolet et Drummond comprehendentem, et partem comitatus vulgo dicti Sherbrooke, in districtu San-Francisci, in qua inveniuntur loca *(townships)* nuncupata Garthby, Hatford, Whitton, Marston, Clinton, Woburn, Stanhope, Croydon, Chesham, Adstock, Linwick, Weedon, Dudswell, Bury, Hampden, Ditton, Embarton, Drayton, Auckland, Newport, Westbury, Stoke, Windsor et Shipton.

Idoneos novae sedi regendae commendandos duximus ***, et enixe rogamus ut sanctitas vestra unum ex eis ad novam dioecesim regendam seligere dignetur.

Quod de indulgentia sanctitatis vestrae speramus.

Provincia Canadensi, mense octobri 1851.

BREVE ERECTIONIS.

Pius papa IX.

Ad futuram rei memoriam. Universi dominici gregis cura quae nobis utpote beati Petri apostolorum principis successori commissa divinitus est, illud exigit, ut, cum opportunum fuerit, novas per terrarum orbem constituamus ecclesias, novosque praeficiamus pastores ut saluti ovium facilius ac securius ea ratione consultum sit. Iam vero cum archiepiscopus Quebecensis, eiusdemque suffraganei episcopi ex synodo anno proxime superiori habita nobis supplicaverint, ut ad melius providendum spirituali fidelium bono ex satis ampla Quebecensi dioecesi partem quamdam seiungeremus ad novam ecclesiam constituendam, quae suffraganea esset metropolitanae Quebecensis, et cuius sedes in civitate Trifluviana statueretur, nos, de hac re deliberationem habuimus cum venerabilibus fratribus nostris sanctae ecclesiae Romanae cardinalibus Propagandae fidei praepositis, omnibusque mature perpensis, expedire in Domino iudicavimus ut ad praedictae ecclesiae erectionem deveniamus. Itaque, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione nostra, deque apostolicae auctoritatis plenitudine a dioecesi Quebecensi seiungimus ac dismembramus totum districtum Trifluvianensem, comitatus vulgo dictos Champlain, Sancti-Mauritii, Yamaska, Nicolet et Drummond comprehendentem, item partem comitatus vulgo dicti Sherbrooke, in districtu Sancti-Francisci, in qua inveniuntur loca *(townships)* nuncupata Garthby, Stratford, Whitton, Marston, Clinton, Woburn, Stanhope, Croydon, Chesham, Adstock, Linwick, Weedon, Dudswell, Bury, Hampden, Ditton, Embarton, Drayton, Auckland, Newport, Westbury, Stoke, Windsor et Shipton. Has regiones igitur et praedicta loca a Quebecensi dioecesi dismembrata territorium efficere volumus novae ecclesiae Trifluvianae nuncupandae, cuius sedem episcopalem in civitate Trifluviana erigimus et constituimus, atque hanc Trifluvianam ecclesiam sic erectam suffraganeam esse volumus archiepiscopalis ecclesiae Quebecensis. Haec volumus, statuimus et mandamus, decernentes has litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, iisque ad quos spectant quovis tempore suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac sanctae Romanae ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus nostra et cancellariae apostolicae regula de iure quaesito non tollendo et, quatenus opus sit, felicis recordationis Benedicti XIV praedecessoris nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis constitutionibus caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae, apud Sanctum-Petrum, sub annulo piscatoris, die 8 iunii MDCCCLII, pontificatus nostri anno sexto.

*Locus † sigilli.*

Pro domino cardinali Lambruschini:
Io. B. Brancaleoni Castellani, substitutus.

*Petitio de erectione dioecesis Sancti-Hyacinthi.*

Sanctissimo domino nostro Pio papae IX.

Beatissime pater.

Nos, archiepiscopus et episcopi provinciae ecclesiasticae Quebecensis, animarum necessitatibus provi-

dere desiderantes, novam sedem episcopalem in loco vulgo dicto Saint-Hyacinthe, quae territorium infra designatum regat, erigendam duximus, dummodo ita sanctae sedi apostolicae placuerit.

Nova dioecesis Sancti-Hyacinthi continebit comitatus dictos Saint-Hyacinthe, Richelieu, Rouville, Missisquoi, Shefford et Stanstead, in dioecesi et districtu Marianopolitanensi, et partem comitatus vulgo dicti Sherbrooke comprehendentem loca (townships) nuncupata Melbourne, Brompton, Orford, Ascot, Eaton, Clifton, Compton et Hereford, in districtu Sancti-Francisci et archidioecesi Quebecensi.

Humiliter quoque petimus ut illustrissimus ac reverendissimus Ioannes-Carolus Prince, episcopus Martyropolitanensis, iam coadiutor cum futura successione illustrissimi ac reverendissimi episcopi Marianopolitanensis, ad novam dioecesim regendam seligatur. Quod de indulgentia sanctitatis vestrae speramus.

Provincia Canadensi, mense octobri 1851.

* * *

BREVE ERECTIONIS.

PIUS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam. Ad Romanum spectat pontificem, utpote apostolorum principis in gubernanda universa ecclesia successorem, novas per terrarum orbem constituere dioeceses, cum res ac tempus postulet, ut nimirum aucto pastorum numero in tantis insidiis christiani gregis securitati consulatur. Iamvero episcopi regionis Canadensis in America septentrionali, (ac †) provinciali concilio anno superiori celebrato nobis supplicarunt, ut, quo melius provideri possit spirituali bono fidelium novam episcopalem sedem erigeremus in civitate Sancti-Hyacinthi, dismembratis nonnullis regionibus ex satis amplis dioecesibus Quebecensi et Marianopolitana, quae nova episcopalis sedes suffraganea esset archiepiscopalis ecclesiae Quebecensis. Nos, hac super re cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus Propagandae fidei praepositis deliberavimus ac mature perpensis omnibus dictorum antistitum precibus adnuendum, atque ad erectionem novae ecclesiae praedictae deveniendum existimavimus. Itaque, motu proprio ac matura deliberatione nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, ex archidioecesi Quebecensi ac districtu Sancti-Francisci seiungimus ac dismembramus partem comitatus vulgo dicti Sherbrooke, comprehendentem loca *(townships)* nuncupata Melbourne, Brompton, Oxford, Ascot, Eaton, Clifton, Compton et Hereford; ex dioecesi vero ac districtu Marianopolitano dismembramus comitatus Sancti-Hyacinthi, Richelieu, Rouville, Missisquoi, Shefford et Stanstead. Igitur, has regiones seu loca partim ab archidioecesi Quebecensi, partim a dioecesi Marianopolitana, ut superius dismembrata, territorium efficere volumus novae episcopalis ecclesiae, cuius sedem in civitate Sancti-Hyacinthi erigimus et constituimus, eamque suffraganeam esse volumus archiepiscopalis ecclesiae Quebecensis. Haec volumus, statuimus, mandamus, decernentes has litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, iisque ad quos spectant quovis tempore suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causa- A rum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere, irritumque et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus nostra et cancellariae, etc.

Datum Romae, die 8 iunii 1852.

*Petitio de electione coadiutoris Marianopolitanensis.*

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPAE IX.

Beatissime pater.

Cum iam sanctitati vestrae supplicaverimus ut regimen novae dioecesis Sancti-Hyacinthi, cuius erectionem petimus, illustrissimo ac reverendissimo Ioanni-Carolo Prince, episcopo Martyropolitanensi ac illustrissimi et reverendissimi episcopi Mariano- B politanensis coadiutori, conferre dignetur, nunc sanctitatem vestram enixe rogamus ut eidem episcopo Marianopolitanensi alterum coadiutorem cum futura successione, quo adhuc propter corporis debilitatem valde indiget, benigne concedere velit.

Ad hoc munus sanctitati vestrae tanquam idoneos humillime commendamus * * *, ut ex eis, si opportunum iudicaverit, unus seligatur.

Quod de indulgentia sanctitatis vestrae speramus.

Provincia Canadensi, mense octobri 1851.

[SACRAE CONGREGATIONIS DE] PROPAGANDA FIDE.

*Epistola eminentissimi praefecti congregationis de Propaganda fide de electione episcoporum.*

Illustrissime et reverendissime domine.

Iuxta episcoporum vota sanctissimus dominus noster annuit pro erectione duarum ecclesiarum C episcopalium, Sancti-Hyacinthi nempe et Trifluvianae, quarum primae fuit propositus reverendus pater dominus Ioannes-Carolus Prince, antea episcopus Martyropolitanus, alteri vero Thomas Cooke ab episcopis commendatus. Litterae apostolicae tum pro ecclesiarum erectione, tum circa episcoporum electionem praelaudato episcopo traditae sunt, quemadmodum et facultates formulae typis impressae. In memoratis litteris circa erectionem novarum dioecesium, limites praefiniuntur iuxta districtus in vestro supplici libello adnotatos.

Si vero deinde necessitas occurrat diversimode limites eosdem definiendi, ea de re accurate sacra congregatio certior erit reddenda ut opportune provideatur.

Huic demum epistolae amplitudo tua adiecta reperiet brevia apostolica quibus reverendus dominus Iosephus Larocque ad episcopatum titulo in parti- D bus infidelium promovendus decernitur et, loco reverendi patris domini Ioannis-Caroli Prince, coadiutor cum futura successione episcopo Marianopolitano adsignatur. Precor Deum ut te diu sospitem incolumemque servet.

Romae, ex aedibus sacrae congregationis de Propaganda fide, die 8 iulii 1852.

Amplitudinis tuae ad officia paratissimus,

I.-Ph. cardinalis Fransoni, praefectus;
Al. Barnabo, a secretis.

# CONCILIUM PROVINCIALE AUSCITANUM
## 1851 augusti 17 - septembris 2.

Concilium provinciale Auscitanum in Gallia, celebratum a die 17 augusti ad diem 2 septembris 1851 sub Nicolao-Augustino de La Croix d'Azolette, archiepiscopo Auscitano.

## Bibliographia:

1) Decreta concilii provinciae Auscitanae, anno Domini MDCCCLI, pontificatus Pii papae noni VI, primum exemplar corrigendum antequam publicetur. *[In fine:]* Auscis, ex typ. G. Foix, via Balgueria.

Sine anno [1851], in-4°, 71 p. — Roma, Vittorio Emanuele.

2) Concilium provinciae Auscitanae, in civitate metropolitana celebratum, anno Domini MDCCCLI, pontificatus Pii papae IX sexto, a sancta sede approbatum. Auscis, apud L.-A. Brun, bibliopolam, MDCCCLII. *[Fol. ante titulum:]* Auscis, ex typ. J. Foix, via Balgueria.

In-8°, 224 p. — Lucca, Grande-Chartreuse;
A Lyon, abbé Martin; Lyon, missionaires diocésains; Lyon, séminaire; Paris, Saint-Sulpice.

3) Les décrets du concile provincial d'Auch qui se tint en 1851, traduits en français et publiés, avec l'approbation de monseigneur l'évêque d'Aire, par M. Sébie, curé-doyen. Poitiers, Henri Oudin, imprimeur-libraire-éditeur, 1872.

In-8°, VIII-95 p. — Paris, Bibl. nat. B 22536.

P. 1, hoc provinciale concilium celebratum est a die 17 mensis augusti ad diem 2 septembris 1851.

4) Acta et decreta sanctorum conciliorum recentiorum, collectio Lacensis, auctoribus presbyteris s. J., e domo b. v. M. sine labe conceptae ad Lacum. Tomus quartus ... Friburgi Brisgoviae, sumtibus Herder, MDCCCLXXIII, col. 1163.

## EDICTUM
*de concilii publicatione.*

Nicolaus-Augustinus de La Croix d'Azolette, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae auctoritate archiepiscopus Auscitanus, Novempopulaniae et Navarae primas, comes Romanus, solio pontificio assistens,

Reverendissimis fratribus episcopis, necnon capitulis, clero et universo provinciae nostrae Auscitanae populo, salutem in Domino.

Decreta quae anno superiori, auxiliante Domino, in concilio nostro provinciali, unanimi patrum consensu sancita fuerunt, haec nunc sanctae sedis probata iudicio ad vos publicanda remittimus, reverendissimi fratres. Quo altiori, supremi scilicet pastoris totius dominici gregis, auctoritate recognita et confirmata fuerunt, eo nunc maiori veneratione sunt suscipienda et studio exequenda maiori. Quid prodesset utilia sanxisse, nisi haec apprime custodiantur!

Quapropter, reverendissimi fratres et dilectissimi coepiscopi nostri, sedulo nos ad opus ministerii accingamus. Nostri certe muneris est super nostrarum illarum legum executionem invigilare. Caveamus ne quod coniunctis animis et communibus studiis ad gloriam Dei, cleri et totius populi salutem conditum est, per inobservantiam et negligentiam, in ruinam cedat multorum et condemnationem.

Pro eximia totius provinciae nostrae pietate plurimum in Domino confidimus quod omnes factores legis erunt, non autem iudices legis insurgent [1], nec in partibus nostris audietur vox antiqui et venenosi serpentis: „*Cur praecepit nobis Deus.*" [2]

Si quid igitur minus rectum apud nos invexit ecclesiasticarum legum oblivio, hoc omne quamprimum statutorum nostrorum observantia tollatur: „*Exhibeamus gloriosam ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi.*" [3]

Dum in terrena civitate, tenebrarum potestas impios homines infandis obstrictos sacramentis ad nova et inaudita forsan instruit praelia, tot et tanta adversus filios Dei parans mala in occultis conciliabulis, quis non miretur ex adverso sanctam Dei civitatem, id est ecclesiam Christi, quasi parturientem et totis enitentem viribus per concilia et pontifices. Molitur certe novum aliquid et salutiferum Deus in servorum suorum conatibus, idque est in expectatione, ut convertat manum suam ad nos et excoquat ac purget argenti nostri scoriam, id est pristinae ecclesiasticae sanctimoniae statum restituat [4].

[1] Concil. Toletan. 1565.
[2] Gen., III, 1.
[3] Eph., V, 27.
[4] Concil. Camerac. 1565. [Mansi, *Concil.*, XXXIII, 1398 D.]

„*Sanabiles fecit Deus nationes orbis terrarum*" [1];
B propterea, tametsi tot plebes, in fide olim et pietate divites, miserrime nunc iaceant ab impia philosophia veritatibus despoliatae et iuxta viam plagis impositis semivivae relictae, potens est Deus vulnera et plagas alligare et fovere; quinimo, et ossa arida carnibus et cute superinduere et spiritum denuo intromittere, ita ut campi mortuorum castra fiant robustissimi exercitus.

Sit ergo Dominus refugium nostrum et virtus in tribulationibus quae invenerunt nos nimis; propterea non timebimus dum turbabitur terra.

Dignetur Dominus e coelo sancto suo super has praesentes nostras constitutiones uberrimam impertiri benedictionem. Sint lucerna pedibus nostris, ovilium nostrorum murus et antemurale, ovium salus et corona pastorum.

Datum Auscis, in palatio nostro archiepiscopali, sub signo sigilloque nostris ac secretarii nostri gene-
C ralis subscriptione, anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo secundo, mensis augusti die vigesima octava, in festo sancti Augustini, ecclesiae doctoris.

† Nicolaus Augustinus, archiepiscopus Auscitanus.

De mandato illustrissimi ac reverendissimi domini domini archiepiscopi Auscitani:

I. I. Mendousse, canonicus secretarius.

## LITTERAE
*Quibus synodi decreta summi pontificis recognitioni subiiciuntur.*

AD SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM PAPAM PIUM IX.

Beatissime pater.

Mira admodum Dei optimi benignitate et provida
D sanctae apostolicae sedis suasione, suum Auscitanae provinciae datum est celebrare concilium. Decimo tertio calendas septembris anni decurrentis inceptum, felicissime quarto nonas septembris absolutum est.

Peractis pro tam singulari Dei beneficio gratiis, nostra nunc, ut par est, afferimus decreta ad beatissimi Petri sedem, ut ab illo veritatis centro recognita et emendata ex hoc eminenti auctoritatis fonte firmata ovium et pastorum mentes et actus in viam salutis tuto in futurum dirigere valeant.

Coram sanctitate vestra cor nostrum ori nostro tacere non sinit nihil bonum magis et iucundum nobis fuisse quam habitare fratres in unum, ad Dei gloriam et gregis nostri profectum, Deo adiuvante, collaborantes. Pax Christi, quae exsuperat omnem sensum, ita custodivit corda et intelligentias, ut quaecumque vera, quaecumque sancta, si qua virtus, si

[1] Sap., I, 14.

qua laus disciplinae, haec cogitaverant comprovinciales nostri episcopi et cum ipsis inferioris ordinis sacerdotes qui nobiscum fuerunt ad opus nostrum adsciti; utinam et haec eadem in decretis nostris sancire pro Dei gloria valuerimus!

Ante omnia, fidem quam integram Romana tenet ecclesia professi sumus, depulsis impiis quibuscumque erroribus quos a priscis temporibus ortos mira eloquii aut potius diaboli arte nuper innovare apud nos inquieti animi conati sunt in rei christianae et totius societatis ruinam. Nec alio quam dudum probato armorum genere hostibus illis occurrendum esse censuimus, ecclesiae scilicet magisterio et illa limpidissima petra, quae ab ipso Christo electa, iam non solum gigantem unum deiecit, sed et quoscumque insurgentes hostes prosternere novit.

Divinam ecclesiae hierarchiam exponere curavimus, quam immotam altius cernere nunquam iucundum magis et salubre esse potest quam cum infra quassantur et nutant secularium potestatum fundamenta.

Saluberrimos quosdam disciplinae canones tam de vita et honestate clericorum quam de aliis ecclesiasticis functionibus clero nostro regularum amantissimo proponere non omisimus. Studia denique ecclesiasticarum disciplinarum, quae infaustis temporibus lapsa instaurare conati fuerant praedecessores nostri, magis ac magis promovere studuimus.

Non dedignetur sanctitas vestra, pro suo apostolico munere, errata nostra expungere, minus recta emendare, inopportuna tollere, desiderata supplere.

Interim, ad pedes beatitudinis vestrae provoluti tam pro nobis, quam pro dilectissimis coepiscopis, pro his omnibus qui in concilio nostro collaboraverunt, ipso clero et fideli provinciae nostrae populo, apostolicam benedictionem humillime imploramus.

Sanctitatis vestrae, beatissime pater humillimus et obedientissimus filius:

† Nicolaus-Augustinus, archiepiscopus Auscitanus.

Romae, die 17 novembris anno 1851.

## PII PAPAE IX

*Litterae de concilio provinciali Auscitano.*

Venerabili fratri Nicolao-Augustino, archiepiscopo Auscitano

PIUS PAPA IX.

Venerabilis frater, salutem, et apostolicam benedictionem.

Non mediocri certe iucunditati nobis fuit, te in hac alma urbe nostra amplecti, ac tua praesentia, et alloquio frui, venerabilis frater, atque audire qua animorum alacritate et concordia a te aliisque venerabilibus fratribus, ecclesiasticae Auscitanae provinciae episcopis, provinciale concilium fuerit concelebratum. Nec minori certe gaudio a te accepimus, nihil tibi, tuisque coepiscopis in eodem concilio habendo antiquius fuisse, quam pro episcopalis vestri muneris ratione curas omnes cogitationesque vestras conferre ad fidei depositum in vestris dioecesibus integrum inviolatumque custodiendum, ad catholicae ecclesiae doctrinam tuendam, ad cleri disciplinam magis magisque fovendam, et sacrarum potissimum rerum studia excitanda, ad christiani populi pietatem, religionem, honestatem quotidie magis procurandam, atque ad perniciosissimos profligandos errores, quibus christiana et civilis respublica miserrimis hisce temporibus tantopere affligitur. Meritis autem laudibus efferimus egregiam tuam, atque eorumdem antistitum erga nos et hanc Petri cathedram, catholicae veritatis et unitatis centrum, pietatem, amorem et observantiam, quae mirifice elucet in tuis litteris die 17 huius mensis datis, quibus, tuo atque ipsorum antistitum nomine, eiusdem provincialis concilii acta nostro et huius apostolicae sedis iudicio subiicere properasti. Quae quidem acta libentissimo prorsus animo excepimus, ac nostrae congregationi Tridentinis decretis tuendis interpretandisque praepositae examinanda ex more commisimus, ut de iisdem actis ad nos referat, et congruum suo tempore det responsum. Iam vero cum haud ignoremus quae tua sit, atque eorumdem venerabilium fratrum Auscitanae provinciae antistitum pastoralis vigilantia et sacerdotalis zelus, plane non dubitamus quin a te atque ab ipsis, maiore usque contentione omnes boni pastoris partes impleantur, et omnia suscipiantur consilia, omnia adhibeantur studia, ut propriae cuiusque dioeceseos fideles a fabricatoribus mendacii, et perversorum dogmatum cultoribus aures suas diligentissime avertant, utque enutriti magis in dies verbis fidei, crescant in scientia Dei, et cognitione domini nostri Iesu Christi, et per gratiarum charismata confirmati incedant per semitas Domini. Tibi autem atque eisdem venerabilibus fratribus persuasissimum sit, nobis nihil optabilius, quam ea praestare, quae in maiorem tuam atque illorum utilitatem cedere posse noverimus. Atque interim haud omittimus in humilitate cordis nostri Deum enixe obsecrare, ut in abundantia divinae suae gratiae tibi, atque eisdem venerabilibus fratribus semper propitius adesse velit, ac pastoralibus tuis et illorum laboribus benedicat, quo sanctissima nostra religio in Auscitana provincia maiora incrementa suscipiat, et quotidie magis vigeat et floreat. Atque superni huius praesidii auspicem, et studiosissimae nostrae in te atque in eosdem venerabiles fratres voluntatis testem apostolicam benedictionem ex intimo corde profectam tibi, ac tuis coepiscopis, cunctisque clericis, laicisque fidelibus tuae et illorum curae concreditis peramanter impertimur.

Datum Romae, apud Sanctum-Petrum, die 27 novembris anno 1851, pontificatus nostri anno sexto.

Pius papa IX.

## EMINENTISSIMI CARDINALIS MAII.

*Litterae super approbatione decretorum concilii provincialis Auscitani.*

ARCHIEPISCOPO AUSCITANO.

Perillustris ac reverendissime domine uti frater.

Quod sanctissimus dominus noster Pius papa IX in suis encyclicis ad omnes antistites litteris statim ab inito pontificatu maximo datis exoptare se aiebat, ut qui in partem sollicitudinis, qua ipse premitur, omnium ecclesiarum, vocati sunt, secum una impense studio iungerentur ad machinationes disiiciendas, quas undique in clandestinas societates collecti, sanctissimae nostrae religionis inimici extruere non desinunt, id egregio sane conamine eos episcopos potissimum aggressos fuisse nunc laetatur, qui intermissam hactenus synodalium conventuum celebrationem redintegrantes, collatis consiliis viribusque coniunctis, adversus potestates tenebrarum sese dederunt veluti *in civitatem munitam, et in murum aeneum*. Neque aliud ullum magis accommodatum consilium is, qui usque ad consummationem saeculi cum apostolis futurum se esse promisit, poterat inspirare, quam ut filii lucis contra tenebrarum filios, velut acies ordinata, fortem illum armatum, gladio decretorum suorum superarent, et universa arma eius auferrent, in quibus confidebat.

Itaque, cum primum eidem summo pontifici exemplar allatum est synodalium actionum, quas tu, amplissime domine, cum ceteris Auscitanae provinciae antistitibus habuistis, repletus est animus

eius solatio, superabundavit gaudio in omni tribulatione sua, qua inter asperrimas horum temporum acerbitates distringitur. Quia etiam mirum in modum adaucta est si iucunditas huius laetitiae, cum eidem, de mandato patrum cardinalium, quibus, ex praescripto Sixtinae constitutionis, synodos provinciales recognoscendi cura demandata est, per me nunciatum fuit, eosdem patres in huiusmodi examine peragendo, egregia sapientiae ac pietatis vestrae specimina comperisse, quibus vel morum disciplinam, vel rei sacrae incolumitatem tueri conati estis. Sive enim ea respiciantur, quae de fide ac doctrina, sive quae de sacra hierarchia, sive quae de cultu Deo exhibendo, vel etiam de disciplina inter ecclesiasticos viros retinenda, ac demum de studiorum clericalium ratione sancita sunt, undique elucet *spiritus Domini, spiritus sapientiae, etc.* Quod vero peculiari suffragio amplissimus patrum cardinalium ordo probavit, studium vestrum est, quo humanae imbecillitatis viribus minime freti; sed ad fontem vitae confugientes, cuius in lumine videretis lumen, quidquid decrevistis, ut plurimum haurire voluistis vel ab indubiis divinae scripturae oraculis, vel ab oecumenicorum conciliorum ac praesertim Tridentini auctoritate, vel a pontificiis constitutionibus, vel denique a constante sanctorum patrum traditione. Itaque, laeto vultu excipite laudum testimonia, quae de sententia sacrae congregationis et ab auctoritate summi pontificis vobiscum lubens volensque communico.

Quoniam vero tam egregias ac salutares ordinationes ad rei istic sacrae praesidium atque incrementum condidistis, nihil aliud superest, nisi, ut quemadmodum propositum vobis est, prompta alacritate, vigilique diligentia, quod verbis decrevistis, reapse in vestris quisque ecclesiis praestare studeatis. Iam vero ut concrescat velut pluvia vestra doctrina, fluatque ceu ros eloquium vestrum, et lex Domini immaculata convertens animas uberiores spiritualium bonorum germinet fructus, adite cum fiducia thronum Dei, Deiparae intercessionem exposcite, deprecatores pariter adhibete caelites illos, quorum in tutela vestrae cuiusque dioeceses sunt.

Quae autem rescribenda censuerunt eminentissimi patres, Tridentini concilii interpretes, tum ad amplitudinis tuae litteras [1], tum ad ipsius synodi contextum; scilicet ea omnia, quae peculiari adnotatione digna nobis visa sunt in nonnullis eiusdem synodi capitibus, habebis in separata pagella, quam hisce litteris inserendam curavi.

Quibus nomine collegarum meorum significatis, meum simul peculiare studium atque officium polliceor ac defero amplitudini tuae, cui fausta omnia ac salutaria a Domino precor.

Amplitudinis tuae, uti frater studiosissimus:

A. cardinalis Maius, praefectus.
A. Quaglia, secretarius.

Romae, 22 iulii 1852.

## DECRETA PRAEVIA.

### Decretum indictionis.

*Nicolaus-Augustinus de La Croix d'Azolette, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae gratia archiepiscopus Auscitanus, Novempopulaniae et Navarrae primas, comes Romanus, solio pontificio assistens; reverendissimis fratribus episcopis, necnon venerabilibus capitulis metropolitano et cathedralibus nostrae Auscitanae provinciae, salutem in Domino.*

Benedictus Dominus qui hanc nostris temporibus misericordiam facit ut ecclesiarum praesules, per provincias in synodis congregati, integritati fidei et moribus corrigendis, iam non distributis viribus, sed communi possint allaborare conatu.

Iamiam nobis conspicere datum est quaedam haec pulchra tabernacula Iacob, quibus per familias et tribus adunatis circa tabernaculum testimonii, id est apostolicam sedem, miro ordine acies instruitur Chananaeis populis formidanda. Nec modica sane hinc inimici invidia: sed potens est Deus maledictiones eius in benedictiones vertere.

Et nos accedamus, venerabiles fratres et dilectissimi coepiscopi: extant enim hostes et in partibus nostris, quibus cum unionis robore est occurrendum; nec desunt in pastoribus ipsis spiritualis morbi, quibus medendis sedulam navare operam quam maxime interest.

Ex quo sacri huiusmodi coetus interrupti fuerunt, immanis irruit in nos tempesta quae naves nostras, id est ecclesiarum nostrarum sedes, penitus allisit; sed has a Petro (eheu! sed non omnes), miserante Domino, restitutas et ab ultimis praedecessoribus nostris impensis curis resartas, iam nunc tempus est quasi in classem adunandi, ut simul navigantes, non veteres tantum, sed quotidie nascentes scopulos communi vigilantia devitemus, et a valle lacrymarum ad felices aeternae patriae portus oves et pastores tuto transvehantur.

Plurimum confidimus quod, sicut olim ad maiorem Dei gloriam, ad totius cleri et christiani populi profectum celebrata profuerunt apud nos concilia, ita nunc restituta proderunt ad dandam scientiam salutis plebi Domini et ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Itaque, propitiante Domino, auspice beata et immaculata Virgine deipara, alma totius provinciae nostrae patrona, suffragantibus omnibus sanctis, iis praesertim qui regiones nostras fidei pepererunt, vel quorum patrocinio gloriantur ecclesiae nostrae, adhortante sanctissimo in Christo patre Pio papa IX [1], concilium nostrum provinciale indicendum esse decrevimus et per praesentes indicimus Auscis, in aedibus seminarii dioecesani, tertio decimo calendas septembris, feria quarta intra octavam Assumptionis beatae Mariae virginis, in festo sancti Bernardi, ecclesiae doctoris, anni decurrentis.

Quapropter, omnes et singulos fratres, reverendissimos coepiscopos, Baionensem, Aturensem et Tarbiensem, nostra auctoritate archiepiscopali monemus, hortamur et requirimus ut ad dictum provinciale concilium, per se aut per procuratores legitime delegatos, die ac loco praestitutis, conveniant.

Noverint venerabilia capitulum metropolitanum aliaque cathedralium provinciae nostrae capitula, se quoque per praesens decretum nostrum speciatim convocari ad provincialem synodum, ita ut, de episcoporum consensu, si opus fuerit, congregati canonici unum aut alterum ad concilium habeant delegatum.

Dignentur itaque reverendissimi fratres nostri praesentis decreti suis canonicis copiam facere.

Accedamus omnes cum vero corde in plenitudine fidei, et consideremus invicem in provocationem charitatis [2], postulantes interim a patre luminum ut paraclitus, qui ab ipso procedit, nos illuminet et inducat in omnem, quam promisit filius, veritatem [3].

Datum Auscis, in palatio archiepiscopali nostro, sub signo sigilloque nostris, necnon secretarii generalis archiepiscopatus nostri subscriptione, pridie

[1] Litterae super decretis concilii eminentissimis patribus a domino domino archiepiscopo datae, unaque cum concilii exemplari transmissae.

[1] Litt. apost. die 17 maii 1849, Caietae.
[2] Hebr. X, 22, 24.
[3] Oratio ad synodum.

nonas iunii, anni ab incarnatione domini millesimi octingentesimi quinquagesimi primi.

† Nicolaus-Augustinus, archiepiscopus Auscitanus.

De mandato illustrissimi ac reverendissimi domini domini archiepiscopi Auscitani.

I.-I. Mendousse, canonicus-secretarius.

## DECRETUM
*de aperienda synodo.*

In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

Nos, Nicolaus-Augustinus de La Croix d'Azolette, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae gratia archiepiscopus Auscitanus, Novempopulaniae et Navarrae primas, comes Romanus, solio pontificio assistens.

Ad laudem et gloriam Dei omnipotentis, ad honorem beatissimae, immaculatae semperque virginis Mariae, Dei genitricis, huius provinciae patronae singularis, ad ecclesiae catholicae decorem, decernimus, de consilio et consensu reverendissimorum coepiscoporum nostrorum, Baionensis, Aturensis et Tarbiensis, hac ipsa die mensis augusti vigesima initium fieri atque adeo factum esse concilii provincialis, quod nostra metropolitana auctoritate indiximus, denuntiavimus et promulgavimus.

## DECRETUM
*de modo vivendi in concilio, de non praeiudicando et de non discedendo.*

Nos, Nicolaus-Augustinus de La Croix d'Azolette, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae gratia, archiepiscopus Auscitanus, Novempopulaniae et Navarrae primas, comes Romanus, solio pontificio assistens.

Reverendissimos episcopos, fratres nostros, qui in hoc adsunt concilio, obsecramus per dominum nostrum Iesum Christum, et per caritatem Spiritus sancti, ut omnes pietatis opes, omnesque episcopalium virtutum facultates quarum ubertate circumfluunt, in commune ad spiritualia huiusce provinciae commoda simul conferant.

Imprimis vero illius memores beati Iacobi apostoli sententiae, quod omne donum perfectum desursum est, descendens a parte luminum, qui postulantibus a se sapientiam dat omnibus affluenter; sanctissimis precibus conciliares istas actiones quas hodierna die aggressi sumus adiuvare studeant, ut quod Spiritus sanctus incepit, hoc ipse perficiat.

Et si quidem omni tempore oportet episcopos irreprehensibiles esse, et omnimodae sanctitatis A exempla praebere, tunc vero maxime cum synodum celebrent, ubi pie religioseque vivendi leges caeteris de eorum consilio et suffragio praescribuntur.

Omnes etiam clericalis ordinis viros monemus, atque per viscera misericordiae Dei obtestamur, ut vitae innocentia et integritate, fide, religione et pietate, omniumque virtutum ornamento praeluceant, atque concilio suis orationibus et sacrificiis divinum impetrent auxilium, mentibus nostris gratiae lumen expostulantes, ut optima suscipiamus consilia, salutaria sanciamus, et sancita fideliter implere valeamus.

Praeterea, civitatis Albiensis incolas, quorum et totius provinciae gratia conventum hunc celebramus, paterno animo adhortamur, ut christianae pietatis operibus et officiis sese dedant impensius, ut sobrie, caste et iuste vivere satagant, eleemosynas in pauperes abundantius effundant, frequentius poenitentiae B sacramento utantur, sacram synaxim peragant, et ita sibi nobisque uberrimos gratiae fructus consequantur.

Commendamus denique ab omnibus fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro ecclesia sancta Dei, pro beatissimo papa nostro Pio, pro episcopis in hac synodo congregatis, pro cunctis populis christianis et pro omnibus hominibus, ut omnes in hac caritate radicati, pacem foveant, sectentur iustitiam, quae sunt Christi sapiant et quaerant unanimes.

Iterum vero reverendissimos episcopos, fratres nostros, obtestamur ut omnes, ad gloriam Dei et animarum salutem unice conspirantes, cum modestia et lenitate animi, prout Spiritus sanctus dabit eloqui, opportune servato ordine, proferant opiniones in actionibus, sive privatae illae sint, sive publicae.

C Tandemque inanem gloriam, contentiones, iurgia, episcoporum coetu exulare oportet. Omnes igitur in spiritu humilitatis accedant, superiores sibi invicem arbitrantes; quod ut felicius assequamur, in qualicumque ordine quisque compareat et consedeat, salva illius iura decernimus.

Deinde, sub poenis a iure statutis inhibemus ne quis episcoporum, aut eorum qui provinciali huic synodo interesse debent, ex civitate Auscitana discedere praesumat, nisi discessus causa a concilii patribus cognita, a nobis approbata, ac legitimo deinde procuratore suffecto.

## DECRETUM
*de professione fidei.*

Cf. supra col. 36 A - 38 A.

# DECRETA CONCILII.

## TITULUS I.
**De fide et doctrina.**

### Caput I.
*De auctoritate ecclesiae.*

Catholicae ecclesiae divina auctoritas, haereticis omnibus scandalum, superbis philosophis stultitia, veris autem Christi fidelibus Dei sapientia est. Hanc ideo, utpote optimum praesentibus rei christianae malis remedium, ante omnia exponendam esse censet Auscitana synodus.

Profitemur supremum et infallibile ecclesiae catholicae magisterium a Christo domino, his praesertim verbis institutum: *„Euntes, docete omnes gentes, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis, et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.“*[1] Ecclesiam agnoscimus D columnam et firmamentum veritatis[1] ad quam confugere debent omnes homines, ab ea veram et certam fidei doctrinam suscepturi, quae lumen et ductum illis praestet, ut non sint parvuli fluctuantes nec circumferantur omni vento doctrinae[2]. *„Habere iam non potest Deum patrem, qui ecclesiam non habet matrem,“* ut ait sanctus Cyprianus[3]. Haec enim sola illius sponsa est qui solus est *„via, veritas et vita“*; unde concilium Lateranense IV[4]: extra hanc universalem ecclesiam nullus omnino salvatur. Idcirco:

1. Cum omnibus catholicis damnamus eos omnes qui, ecclesiae catholicae doctoralem auctoritatem reiicientes, liberum, ut aiunt, examen tanquam ulteriorem et supremam veritatis regulam adstruunt.

[1] Matth. XXVIII, 19, 20.

[1] I Tim III, 15.
[2] Ephes. IV, 14.
[3] Lib. *de unit. eccles.*, [opp. s. Cypr., ed Baluze, pag. 195].
[4] Cap. *Firmiter*, 1.

2. Similiter damnamus eos qui eo superbiae et A impietatis devenerunt, ut magisterium ecclesiae solis rudibus necessarium esse dicant, vel pro solis temporibus philosophiae lumine destitutis.

3. Praeter illud magisterium doctrinae, profitemur ecclesiam a Christo veram accepisse potestatem iurisdictionis seu regiminis, qua fideles omnes cuiuscumque conditionis aut dignitatis regat et gubernet; et extra veritatem esse dicimus eos omnes qui illius potestatis divinam originem negantes aut eius a qualicumque humana dominatione independentiam, asserere non dubitant talem auctoritatem a principibus saecularibus esse mutuatam, aut nonnisi ad eorum nutum exercendam.

4. Potestatem ecclesiasticam non solum consilii et suasionis esse profitemur, sed et imperii; cum ecclesia, in rebus spiritualibus, iubere valeat, ac devios et contumaces salubribus poenis coercere[1].

5. Evangelicis institutis et conciliorum definitio- B nibus inhaerentes circa ecclesiasticae potestatis plenitudinem beato Petro et legitimis eius successoribus a Christo immediate collatam, summorum pontificum constitutiones amplectimur tanquam veras credendi et agendi regulas quae fideles omnes, vi propria, obligant independenter a cuiuslibet potestatis sanctione aut acceptatione.

## Caput II.

### *De praecipuis horum temporum erroribus.*

Nemo nescit quot et quam perniciosis erroribus et lugendis doctrinis homines perversi ordinem sive spiritualem, sive temporalem perturbare, et societatis tum religiosae, tum civilis fundamenta, nostris temporibus, subvertere sint conati. Monitis[2] et exemplo optimi pontificis qui tam praeclare beati Petri sedem occupat, excitata synodus ad huiusmodi errores profligandos, existimavit sibi incum- C bere munus eos percellendi expressa condemnatione.

6. Credimus et confitemur unum Deum verum a materia prorsus separatum, aeternum et omnipotentem, qui omnia visibilia et invisibilia in tempore, libere e nihilo creavit; et ideo reiicimus et damnamus monstruosum systema, pantheismi nomine designatum, unicam asserens Dei et creaturarum universalem substantiam; vel Deum varias materiae sibi coaeternae formas solummodo dedisse, aut eius operationes ad extra fuisse necessarias. Similiter damnamus eos qui divinam providentiam in rebus humanis abiicientes, omnia cuidam ineluctabili necessitati seu *fatalismo* tribuunt.

7. Credimus et confitemur Iesum Christum esse filium Dei unigenitum, consubstantialem patri, pro nobis hominem factum, ac proinde damnamus eorum blasphemias, qui in evangelio nonnisi mythicam narrationem agnoscunt, aut Iesum Christum ut merum D hominem habentes, divina eius eloquia tanquam humanae sapientiae documenta proclamant.

8. Credimus et confitemur Deum hominibus multis modis locutum fuisse, olim in Prophetis et novissime in filio suo, quem misit in mundum ut doctrina et exemplis viam salutis doceret; idcirco, respuimus rationalistarum systema, qui omnes fidei nostrae veritates rationi superbe subiicientes, reiiciunt omnem ordinem supernaturalem, et solum rationis ductum sequentes, religionis christianae mysteria aut prorsus contemnunt, vel humano modo explicare nituntur. Non minori indignatione repellimus eorum blasphemiam, qui novam et excellentiorem religionem religioni Christi antiquatae et philosophicis progressibus impari substituendam esse contendunt.

9. Credimus et confitemur unam fidem, unum baptisma, unum ministerium, ac proinde unam ecclesiam extra quam nulla salus; quapropter, reprobamus indifferentiae religiosae systema quod, sublato erroris et veritatis discrimine, suadere nititur quamlibet religionis formam Deo acceptabilem esse, et homines manere posse in ea in qua nati sunt, ac aeternam assequi salutem.

10. Credimus et confitemur omnibus debita esse reddenda, iuxta verbum Domini: „*Reddite quae sunt caesaris, caesari, et quae sunt Dei, Deo.*" Agnoscimus a Deo esse omnem potestatem; itaque, damnamus eos qui fictitiam inter homines aequalitatem somniantes, quamcumque subiectionem declinant, ius possidendi labefactant, et spoliationem ut quandoque legitimam docent. Damnamus nefariam communismi doctrinam qua omnium iura, proprietates, sanctum matrimonii foedus et paternitas violantur, ipsaque funditus subvertitur societas.

11. Parochi, verbique divini praecones, vulgatos errores propulsare conentur; doceant eos qui habent substantiam huius mundi non claudere viscera sua super tribulationem patientes, praecaventes tamen ne pauperum cupiditatem adversus divites excitent; suadeant miseris patientiam, abundantibus liberalitatem, omnibus concordiam et caritatem quae est vinculum perfectionis.

## Caput III.

### *De pravis libris et diariis.*

Quis sincere christianus non expavesceret prae tanta librorum contra fidem et bonos mores scriptorum multitudine, qui inter omnes societatis conditiones disseminantur? Sed, quo maiori astutia et furore spiritus malignus regnum Christi destruere nititur, eo maiori vigilantia ecclesiae praepositi eius fraudem retundere tenentur. Quapropter:

12. Conciliorum et summorum pontificum vestigiis inhaerentes, et irreligionis perversitatisque causam tollere exoptantes, prohibemus omnes libros qui contra doctrinam catholicam, vel bonos mores manifeste scripti dignoscuntur, maxime eos qui a sancta sede vel ab ordinario prohibiti fuerint.

13. Pastores et confessarii ab huiusmodi lectione fideles avertant, adhortantes patres familias ut a suis hunc corruptionis fontem amoveant; nec minori cura eos avertere satagant a lectione diariorum quae religionem convellere tentant, aut doctrinas auctoritatis et omnis officii subversivas propagant, aut lectores et praesertim incautam iuventutem ad inhonestam alliciunt voluptatem.

14. Notum est quanta perseverantia biblicae protestantium societates suos errores undequaque diffundant. Ad hunc finem circumferuntur sacrorum librorum truncatae editiones, versiones ementitae, dissertationes dolo et astutia plenae, libelli calumniosi in odium Romanae ecclesiae, summi pontificis, episcoporum et universi cleri. Pastores enixe rogamus ut huic diabolico proselytismo opponant zelum sacerdotalem, disseminentque, pro sua facultate, libros sanam doctrinam docentes, pietatem foventes, et praesertim eos qui prae se ferunt episcoporum approbationem.

15. Caveant sacerdotes ne minus de sua quam de aliorum salute solliciti, venenum quod a fidelibus auferunt, ipsi hauriant; meminerint igitur sibi esse prohibitum seu legere libros et diaria contra fidem vel bonos mores notorie scripta, seu ea domi retinere; quod in scandalum vergeret fidelium et ipsius sacerdotis damnum.

[1] Const. *Auctorem fidei*, propos. 4 et 5; Bened. XIV, litt. apost. *Ad assiduas*, 4 martii 1755.

[2] Allocut. in consist. Caietae 20 apr. 1849.

### Caput IV.

*De libris ab episcopo approbandis.*

Cum sit episcoporum invigilare super ea omnia quae ad fidem edocendam, mores componendos et cultum exercendum attinent, haec decernit Auscitana synodus.

16. Omnibus prohibet, secundum mentem concilii Tridentini, ne deinceps typis demandent sacros libros aut eorum interpretationem, divinorum dogmatum expositionem, catechismum, orationum formulas, cantica spiritualia libros ad religiosam in scholis instructionem, nisi praevia ordinarii approbatione quae scripto et gratis detur.

17. Haec autem approbatio prudenter concedetur post maturum examen, et perpensis talium scriptorum utilitate et opportunitate. Ideo, in qualibet provinciae dioecesi statuetur, si iam non existat, consilium seu congregatio virorum doctrina, pietate et prudentia insignium, quorum erit manuscripta ipsis ab episcopo delata examinare, et ea cum adnotamentis ad curiam episcopalem remittere.

### Caput V.

*De iis quae observare debent scriptores catholici, ubi de religione tractare volunt.*

18. Ne scriptores catholici in periculum incidant perperam tractandi quaestiones ad religionem attinentes, et ad coercendam effrenatam licentiam quodlibet loquendi et scribendi, eos admonet Auscitana synodus ut semper et in omnibus sequantur doctrinam a conciliis vel a Romano pontifice definitam, vel a sanctis patribus traditam.

19. Pios usus in ecclesia receptos vituperare non audeant, audiantque divum Augustinum dicentem: *„Sed ecclesia Dei, inter multam paleam, multaque zizania constituta, multa tolerat, et tamen quae sunt contra fidem vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit.“* [1]

20. Si forte aliquis aliorum opinionibus non assentiatur, eas non impugnet sermone duro, et notam inurere caveat, quamdiu de iis non iudicarit ecclesia. Eximia praesertim utantur reverentia erga praesules et eorum sententias.

### Caput VI.

*De emittenda fidei professione.*

Iuxta decretum concilii Tridentini: *„Provisi de beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus teneantur ... in manibus ipsius episcopi vel, eo impedito, coram generali eius vicario seu officiali, orthodoxae suae fidei publicam facere professionem, et in Romanae ecclesiae obedientia se permansuros spondeant ac iurent.*[2]“

Auctoritate et exemplo huius sacrosancti concilii, haec statuit Auscitana synodus:

21. Quilibet sacerdos aliquam dignitatem in ecclesia obtinens vel officium quoddam aut munus, cui animarum cura aut verbi divini praedicatio annectitur, fidei professionem emittat iuxta formulam a Pio papa IV datam; alioquin effectu careat eius titulus donec huic obligationi satisfecerit.

22. Ad hanc fidei professionem emittendam teneantur: 1. qui ad canonicatus, dignitates, personatus in capitulis cathedralibus promoventur; et hi quidem non solum coram episcopo, sed et in capitulo hanc professionem faciant [2]; omnes parochi, sive titulum perpetuum habeant, sive revocabilem; qui omnes in manibus decani vel alterius ab episcopo delegati professionem fidei emittent in ipsorum ecclesiis, quando in munere constituentur; 3. theologiae professores, scripturae sacrae et sacrorum canonum lectores, et quicumque in maioribus seminariis clericorum educationi collaborant; 4. verbi divini praecones, quales missionarii et alii qui praedicationi praecipuam operam dant.

[1] Epist. 55, n. 35 ad Ianuarium, [opp. S. Aug., ed. Bened., II, 142 F].
[2] Conc. Trid., sess. XXIV, de ref., cap. 12.

## TITULUS II.

### De hierarchia ecclesiastica.

### Caput I.

*De summo pontifice.*

Christus, suam in terris ecclesiam constituens usque ad consummationem saeculi permansuram, et portis inferi omnino invincibilem, Petrum, principem apostolorum, fundamentum posuit [1]. Ille agnorum simul et ovium pastor [2], claves regni coelorum accepit cum plena potestate ligandi et solvendi super terram [3]. Ipse contra quaslibet Satanae machinationes factus est fratrum confirmator in fide indefectilis [4], in quo firmum voluit Christus constrictumque teneri unitatis vinculum, quo ecclesia per universum mundum propaganda, ex membris quantumcumque dissitis, mutua omnium in uno capite consociatione in unam corporis compagem coalesceret [5].

Mirabilem illam constitutionem, omnibus retro saeculis toties et tam unanimi patrum et conciliorum concentu celebratam, summo cordis affectu suscipimus et veneramur. Profitemur quod hodie, sicut olim et in futurum, Petrus velut in propria sede vivit et praesidet [6], nempe in Romano pontifice qui, iuxta fidem in concilio Florentino definitam, in universum orbem tenet primatum, successor est beati Petri, principis apostolorum, verus Christi vicarius, totius est ecclesiae caput, omnium christianorum pater et doctor, et cui in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem ecclesiam a domino nostro Iesu Christo plena potestas tradita fuit [7]. Quapropter:

23. Damnamus eos omnes, qui sedi apostolicae non consentientes, ab eius et ideo totius ecclesiae communione se sequestrant [8]; qui extra hanc domum agnum comedit profanus est, et qui non colligit cum Petro spargit [9].

24. Damnamus eos qui, solum nomine, pontificis primatum retinentes, hunc ut merum unitatis symbolum habent, non autem ut verum munus et officium divinitus collatum pascendi universalem ecclesiam, quasi caeteris episcopis honoris tantum gradu, non autem supremae potestatis amplitudine antecellat [10].

25. Damnamus eos, qui apostolicum primatum non ab ipso Christo immediate institutum dicunt, sed a communitate fidelium, quippe quae, democratico more, regiminis sui formam instituere potuerit [11].

26. Non minus ecclesiasticae libertatis quam iustitiae hostes reputamus eos qui, inquieto nostro tempore, dictis, vel scriptis, vel etiam actibus Romanum pontificem sua temporali potestate et in-

[1] Matth. XVI, 18.
[2] Ioann. XXI, 17.
[3] Matth. XVI, 19.
[4] Luc. XXII, 32.
[5] Pii VI litt. apost. *Super soliditate*, die 28 nov. 1786.
[6] Petr. Chrysol., *epist. ad Eutych.* [Hardouin II, 23 B.]
[7] Concil. Flor., decret. unionis, [Hardouin IX, 423 A].
[8] Formula Hormisdae, epist. 51, Labbe, tom. IV, col. 1501. [Hardouin, II, 1017 C.]
[9] S. Hieron. ad Damasum [ep. 15, opp., ed. Migne, I, 355-6].
[10] Litt. apost. *Super soliditate*.
[11] Const. *Auctorem fidei*, prop. 2 et 3.

dependentia spoliare nituntur, quam, providente Domino, ad expeditiorem rei christianae gubernationem antiquitus iure optimo possidet.

27. Sacerdotes enixe hortamur in Domino ut populos sibi commissos, depulsis omnibus haereticalibus dicteriis, sanam de auctoritate pontificia doctrinam doceant. Memores verbi sancti Ambrosii: *ubi Petrus, ibi ecclesia,* semper et in omnibus nobiscum immotae apostolicae sedi corde et ore adhaereant, confidentes quod sicut, ductore Petro, praeteritas ecclesiae nostrae tempestates salvi evasimus, ita in soliditate Petrae firmati, contra quaslibet futuras diaboli fraudes subsistemus invicti.

## Caput II.

### *De episcopis.*

Cum, hisce luctuosis temporibus nostris, audaces quidam ecclesiae hostes appareant qui et dignitatem episcoporum et ipsorum potestatem aggredi conantur, in memoriam revocanda censet Auscitana synodus quae a concilio Tridentino ea de re praeclare declarata sunt. „*Si quis omnes christianos promiscue novi testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali praeditos affirmet, nihil aliud facere videtur quam ecclesiasticam hierarchiam, quae est ut castrorum acies ordinata, confundere: perinde ac si, contra beati Pauli doctrinam, omnes apostoli, omnes prophetae, omnes evangelistae, omnes pastores, omnes sint doctores. Proinde, sancta synodus declarat, praeter ceteros ecclesiasticos gradus, episcopos qui in apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere, et positos, sicut idem apostolus ait, a Spiritu sancto regere ecclesiam Dei; eosque presbyteris superiores esse, ac sacramentum confirmationis conferre, ministros ecclesiae ordinare; atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent.*“ [1]

28. Credimus, cum concilio Tridentino, eos qui auctoritate Romani pontificis instituuntur, esse legitimos et vere episcopos; eos vero qui tantummodo a populo aut saeculari potestate vocarentur et instituerentur, et qui ea munera, quod Deus avertat! propria temeritate sibi sumerent, non habendos esse ecclesiae ministros, sed fures per ostium non ingressos [2].

29. Episcopis igitur tanquam sibi praepositis subiaceant sacerdotes, eos ut patres diligant, honore et reverentia prosequantur.

30. Verum, quo sublimior episcoporum dignitas, eo maiora illis incumbunt officia quae assidue meditari debent ut munere suo digne fungantur. Ante omnia necesse est ut se exhibeant sectatores bonorum operum, sicque omnes mores suos componant ut reliqui ab eis virtutum exempla sumere possint. Oportet enim episcopum irreprehensibilem esse. „*Intelligant,*“ inquit Tridentina synodus, „*se non ad propria commoda, non divitias aut luxum, sed ad labores et sollicitudines, pro Dei gloria vocatos esse.*“ [3]

31. Non satis est episcopos in sancta conversatione vitam degere, nisi pariter gregi sibi credito attendant, eiusque moribus informandis prudenter invigilent. Satagere debent ut fideles in integritate fidei erudiantur, sacramenta rite administrentur, tollantur abusus et superstitiones, divinusque cultus pie sancteque celebretur, et maxime, ut clerici honestate et sanctitate vitae praefulgeant. Arguant, obsecrent, increpent in omni patientia et doctrina, atque adhibentes cum mansuetudine rigorem, delinquentes ad poenitentiae fruges adducant, arceant caeteros a vitiis, omnesque Christo lucrifaciant [1].

32. Cum autem pastoralem vigilantiam exercere nequeant episcopi, si oves suas deserant, memores sint sibi strictam a sacris canonibus et praesertim a concilio Tridentino imponi obligationem in suis ecclesiis residendi.

33. Habeant episcopi, ut praecipuum munus, populum sibi commissum praedicatione divina pascere, illudque frequenter exercere conentur, sive per se ipsos, sive per viros idoneos ad huiusmodi munus salubriter exequendum. Invigilent ne parochi in suis ecclesiis sancti evangelii praedicationem negligant, et si impediti fuerint, eis deputent adiutores, ubi expedire censebunt [2].

34. Iuxta patrum Tridentinorum praescriptionem, tenentur episcopi propriae dioecesis, per seipsos aut per vicarium generalem, notabilem partem quotannis visitare, ita ut paucis annis tota compleatur visitatio.

In huiusmodi visitatione, sopita vivificabitur fides, corrigentur pravi mores, ad religionem, pacem innocentiamque inducetur populus christianus, atque caetera constituentur quae prudentia ecclesiarumque utilitas postulare videbuntur.

35. Episcopis principali curae erit ecclesiis praeficere pastores scientia cui petenti et virtutibus pollentes, qui populum Dei sanctis exhortationibus et exemplo perfecto pascant. Et cum satius sit paucos, sed idoneos habere sacerdotes, quam multos, sed pravos aut incapaces, caveant ne sacris initientur ordinibus nisi illi qui mature examinati fuerint et quorum vita probata.

36. Omnibus compertum est nihil magis ad religionem et societatem proficere quam recta iuventutis educatio. Curabunt episcopi, quantum fieri poterit, ut scholae dirigantur a probis magistris qui iuvenum animos sanis imbuant doctrinis et salutaribus informent disciplinis.

Cunctos denique zelo pastorali amplectentes, accendant caritatem qua adiuti pauperes levamen, moesti solatium, orphani perfugium inveniant et ad bona coelestia capessenda erigantur.

## Caput III.

### *De metropolitano.*

Ad corroborandam disciplinam et ad servandam regiminis unitatem, in unaquaque provincia ecclesiastica constituitur metropolitanus, qui caeteros episcopos dignitate et praerogativis superet, ideoque pallio insignitur. Semper in ecclesia catholica ut saluberrima habita fuit haec metropolitani praeeminentia, quam agnoscit veneraturque Auscitana synodus, et inter alia eius iura haec praecipue iuxta sacros canones profitetur.

37. Iure potitur archiepiscopus in suffraganeorum dioecesibus crucem ante se faciendi deferri, in pontificalibus celebrandi, populo benedicendi. Ad eum deferri possunt per appellationem causae ab episcopis iudicatae et summo pontifici non reservatae. Eius est convocare concilium provinciale quo convenire debent suffraganei non impediti, eique praeesse. Sede suffraganea vacante, ad eum devolvitur facultas vicarium nominandi, si capitulum, infra octo dies, eligere neglexerit; et si necessitas occurreret, iuxta synodum Tridentinam, provinciae dioeceses, causa tamen prius in concilio provinciali cognita et probata, visitare posset.

38. Suffraganei metropolitano adhaereant ut, unanimes, idipsum sentientes, consummati in unum.

[1] Conc. Trid., sess. XXIII, *de ord.*, cap. 4.
[2] Conc. Trid., sess. XXIII, *de ord.*, cap. 4.
[3] Conc. Trid., sess. XXV, *de ref.*, cap. 1.

[1] Conc. Trid., sess. XIII, *de ref.*, cap. 1.
[2] Conc. Trid., sess. XXIV, *de ref.*, cap. 4.

Iesum Christum, pastorum principem glorificent, ecclesiamque eius dilectam sponsam, fortes in fide, sicut acies castrorum ordinata, laetificent ac tueantur.

## Caput IV.

### *De concilio provinciali et de synodo dioecesana.*

39. Cum ad bonum ecclesiarum regimen, ad sacerdotalis militiae robur, ad disciplinae vigorem, ad unitatis vinculum arctius constringendum multum conferant concilia provincialia, veterum patrum exemplis et concilii Tridentini praescriptis fideliter insistendum esse censemus circa venerabilium huiusmodi coetuum celebrationem.

Quamobrem, dum tot foris pugnae, si qua intus, concedente Domino, pax est, ad maiorem Dei gloriam et ecclesiarum nostrarum utilitatem concilii provincialis celebrationem tamdiu interruptam renovare intendimus. Decernimus ergo ut singulis trienniis, prout a iure statutum est, fiat indictio provincialis synodi, nisi inopportunum visum fuerit.

40. Synodus dioecesana celebrabitur intra annum qui impetratam Romae concilii nostri approbationem proxime subsequetur. Ad hanc invitantur canonici cathedralis ecclesiae; vocati autem accedent: 1. Parochi titulum perpetuum habentes; 2. ex aliis autem parochis et presbyteris, ii qui nominatim fuerint ab episcopo designati. Hi omnes consultiva voce gaudeant super ea quae in congregationibus discutienda proposuerit episcopus, salvo ampliori iure capituli in iis quae specialiter sunt a iure determinata.

In actionibus synodalibus meminerint parochi et sacerdotes abusuum reformationem et ecclesiasticam disciplinam ab episcopo et parochis aequaliter non pendere aut stabiliri debere. Meminerint se non esse iure proprio cum episcopo iudices, et decreta a legitimis superioribus lata non indigere ulla recognitione aut approbatione synodi dioecesanae, iuxta dogmaticum decretum a Pio papa VI latum adversus synodum Pistoriensem.

## Caput V.

### *De capitulis.*

Capituli, quod ex institutione venerabili et antiqua in singulis ecclesiis cathedralibus, quasi illarum senatus ponitur, eximia sunt munera, honorabiles praerogativae et sancta quae ipsi incumbunt officia. Primum post episcopum locum tenet. Ad synodos invitatur; ad provincialia concilia vocatur, et per delegatos suos in illis repraesentatur. Sede vacante, tota spiritualis iurisdictio ad regendam dioecesim necessaria ad capitulum devolvitur, quam vicario seu vicariis a se electis transmittit. Praelato pontificalia exercenti assistunt canonici et ipsi inserviunt. In casibus a iure determinatis, capituli concilium vel consensum episcopus exquiret. Ad laudes divinae maiestatis quotidie decantandas deputantur, apocalypsis senioribus comparati, qui, coram agno, immortali Domino canticum iubilant.

41. Episcopo suo arctiori caritatis vere filialis vinculo devincti maneant canonici. Ipsum summa veneratione et prompto obsequio prosequantur, circa illius gesta et praescriptiones reverentiae exemplum omnibus praebentes.

42. Concordiam et mutuam in Domino dilectionem servare curabunt; unanimes eamdem caritatem habentes, honore sese invicem praevenientes: quibus applicari valeat illud fidelium primaevae ecclesiae elogium: „*multitudinis credentium erat cor unum et anima una.*"

43. „*Obtinentibus in cathedralibus . . . . dignitates, canonicatus . . . ., non liceat vigore cuiuslibet statuti, aut consuetudinis, ultra tres menses, ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse: salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt.*"[1]

Menses autem illi ita numerandi sunt, ut diebus absentiae, licet non continuis, coalescant. Excipiuntur casus a iure statuti.

44. Hora competenti a statutis vel ab episcopo praescripta, ad ecclesiam conveniant, ibique horas canonicas persolvant attente, graviter, reverenter ac devote, cum choro psallente psallentes, cum eo canente cantantes, non autem privatim aliam officii divini partem vel preces devotas recitantes.

45. Missae conventuali quotidie interesse pariter tenentur, quam hebdomadarius celebrare debet pro fundatoribus et benefactoribus, singulis etiam diebus, nisi legitima obtenta fuerit dispensatio.

Poenitentiarius et theologus munia sua adimpleant.

46. Quo maiorem canonici inter fratres adepti sunt gradum eo maiores esse debent in eis virtutum clericalium splendor, pietas, zelus, humilitas, sacrarum litterarum cultura, disciplinae ecclesiasticae iuxta sanctos canones observantia; in choro praesertim modestia et gravitas simul ac sacrorum rituum accurata praxis, ita ut, non solum forma gregis seu fidelium, sed etiam totius dioecesis sacerdotum exemplum dici mereantur et esse.

47. Sede vacante, sive per obitum episcopi, sive per aliam legitimam causam, iurisdictionem ordinariam capitulo devolutam collective exercere non possunt canonici, sed intra octo dierum spatium unum vel, ut mos est in Gallia, plures instituunt vicarios quibus integram potestatem, nulla sibi parte retenta, committunt, eamque irrevocabilem, nisi iusta de causa a sancta sede approbata.

Quam quidem potestatem nonnisi ad normam et intra limites iuris canonici exercere debent vicarii capitulares.

48. Post huiusce synodi decretorum canonicam promulgationem, curabit quisque ordinarius ut suae cathedralis capituli statuta, si opus fuerit, revisantur vel condantur ab ipso capitulo, postea ab episcopo, probanda, iuxta sanctos canones et apostolica rescripta.

## Caput VI.

### *De parochis.*

Apud nos, in praesenti rerum statu, inter animarum rectores, alii, parochiis titularibus praepositi, titulum perpetuum habent, et parochi titulares dicuntur; alii autem qui ecclesias vulgo succursales dictas regunt, habent titulum ad nutum ordinarii revocabilem; omnes vero eadem fruuntur potestate ad gubernandas suas ecclesias, eisdemque tenentur obligationibus.

Formidandum certe aeque ac utilissimum parochorum munus, cum ab eo summopere pendeat salus animarum et de illis quoque dici possit, quod inter populos pro Christo legatione funguntur.

49. Meminerint parochi magna suis iuribus annecti officia, audiantque monita concilii Tridentini: „*Praecepto divino mandatum est omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini praedicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in caetera munia pastoralia incumbere.*"[2]

Haec assidue cogitent parochi, ne muneri suo desint, neque Spiritus sancti adversus eos qui faciunt opus Dei negligenter, maledictionem incurrant, sed

[1] Conc. Trid., sess. XXIV, *de ref.*, cap. 12.

[2] Conc. Trid., sess. XXIII, *de ref.*, cap. 1.

potius mereantur ut de illis dicatur: „*Qui bene* A *praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur.*“[1]

50. Absit a parochis ut cessent orare pro populis sibi commissis; inter se fraternitatis caritate uniantur; idem sentiant, vicarios suos ut fratres diligant; eis invigilent et quae experientia didicerunt, eis commendent ut et ipsi valeant alios docere et regere in via bona et recta. Cum autem ad hunc finem assequendum multum conferat cohabitatio parochi et vicarii, enixe hortamur in Domino parochos omnes ut vicarios in domum presbyteralem recipiant; imo et ita fieri praecipimus, nisi in casibus particularibus et attentis quibusdam circumstantiis aliter iudicaverit episcopus.

51. In quolibet dioecesis districtu *(canton)* instituetur decanus cuius munus erit, nomine et auctoritate episcopi, disciplinae vitaeque sacerdotum invigilare, eos paterne de defectibus monere, pacem B unitatemque inter eos fovere, parochos in possessionem mittere, nisi alius ab episcopo designetur, ipsos ad collationes ecclesiasticas convocare, eisque praeesse, sacraque olea solemniter distribuere. Ordinarium de abusibus in regionem invectis certiorabit, aegrotantes sacerdotes sedulo visitabit, curans ut eis sacramenta ministrentur, et mortui decentem recipiant sepulturam. Defuncto parocho, ne res ecclesiae dissipentur, eas accurate recensebit una cum matriculariis, gallice *marguilliers.*

52. Improbat synodus eos qui succursalistarum amovibilitatem tanquam illegitimam vituperant; declaratque eam ordinationi divinae non adversari, nec a sancta ecclesia reprobari; imo hanc disciplinam esse servandam, ex declaratione summi pontificis Gregorii XVI, donec apostolica sedes aliter statuerit.

## Caput VII.

### *De vicariis parochialibus et capellanis.*

Vicarii ad parochos deputantur ab episcopo, ut eis in sacris functionibus auxilium praestent; delegatam obtinent iurisdictionem.

53. Parochos existiment vicarii tanquam a Deo sibi praepositos, caritate, honore et reverentia praevenientes eos, et omni modo, sermone et exemplo, fidelium venerationi commendantes. Nil Deo gratius et religioni utilius.

54. Meminerint se esse tantum parochorum adiutores, in partem ministerii, non muneris pastoralis, deputatos, omnique reprehensione dignos si, indecore elati, debitum parochis non praestant obsequium, ipsis molestiam magis quam levamen afferentes. Caveant igitur ne quidquam alicuius momenti, ad parochiae directionem, sine eorum consensu aggrediantur, sed unanimiter ad procurandam salutem animarum collaborent, in omnibus se praebeant ad obediendum paratos, modestos, non tanquam praeceptores (quod iuniorem sacerdotem summopere dedecet), sed sicut dociles discipulos, ut eorum experientiae consiliis informentur et ab eis discant artem artium, regimen animarum. Sit parochi vicariique unio caritatis christianae exemplar, ut sic agentes opus evangelistae faciant, ministerium suum impleant, reportentque immarcescibilem gloriae coronam.

55. Capellani hospitiorum, collegiorum, conventuum et aliarum communitatum specialem accipiunt iurisdictionem ab episcopo, cuius est eorum facultates determinare atque invigilare ne praescriptos limites praetergrediantur.

[1] I Tim. V, 17.

## Caput VIII.

### *De presbyteris infirmis et senio confectis.*

56. Quando presbyteri ita infirmitate detinentur, vel senio conficiuntur ut munia sua decenter implere non valeant, non seipsos decipiant, sed timeant quasi rationem pro animabus sibi creditis reddituri. Tunc ergo suam impotentiam populique necessitatem ordinario aperiant; assignata prius congruenti retributione, vicarium idoneum postulent. Quod si, omnibus coram Domino perpensis, munus suum abdicent, de illis paternam curam geret episcopus. Quid enim episcopo sanctius, quid Christo acceptabilius, quam eis opitulari qui de religione bene meriti sunt, et omnia seque pro animabus fidelium impenderunt?

## Caput IX.

### *De monialibus et piis congregationibus puellarum.*

Coetus virginum quae, spreto mundo, viam evangelicae perfectionis ingrediuntur, sive contemplativam vitam degant, sive in nosocomiis orphanorum, aegrotorum et pauperum curam gerant, sive tandem erudiendis puellis operam dent, tum in domibus clausura canonica obsignatis, tum in scholis urbium vel pagorum illis commissis, magna episcoporum sollicitudine digni sunt.

57. Nulla in provincia Auscitana instituatur nova puellarum congregatio sine expressa ordinarii approbatione. Nulla etiam nova domus erigi debet inconsulto episcopo, cuius est de talis erectionis utilitate sicut et de loci et temporis opportunitate iudicare.

58. Cuilibet monasterio, praeter capellanum missae et officiis divinis celebrandis et confessionibus audiendis deputatum, praeficiatur, nisi talem C curam sibi reservandam iudicaverit episcopus, superior, vicarius generalis vel alius sacerdos, ab episcopo specialiter institutus, pietate, zelo, aetatis maturitate necnon rerum spiritualium scientia insignis, qui domum in spiritualibus et temporalibus secundum uniuscuiusque instituti regulas regat et gubernet.

59. Iuxta concilii Tridentini praescriptum, bis aut ter in anno confessarius extraordinarius ad quamlibet domum monialium in claustro viventium deputetur. Idem statuimus de qualibet alia congregatione canonice approbata. Huic autem confessario singulae humiliter et pie se sistant etiam novitiae, vel ut peccata confiteantur, vel religiosa monita ab ipso petiturae et reverenter accepturae.

60. Nulla monialis habitum religiosum suscipiet nec postea ad professionem admittetur, quin antea ordinarius per se vel per sacerdotem deputatum D diligenter illius mentem et vocationem exploraverit, et ipsi constet de dotibus iuxta ordinis vel congregationis regulas in ipsa requisitis. Quod autem ut maturius fiat, ante mensem episcopum monebit domus illius praefecta.

61. Quoniam bonorum temporalium usus inutilis aut irregularis multum disciplinae religiosae noceret, vel etiam monasterii ruinam induceret, sciant moniales, acquisitiones, alienationes aliosque contractus, nomine monasteriorum seu communitatum, sibi non licere nisi consulto et annuente episcopo, servatis sacrorum canonum praescriptionibus. Curabit insuper episcopus ut quotannis, vel sibi, vel alii legitimo superiori, bonorum temporalium ratio reddatur a praefecta vel ab iis qui haec bona administrant.[1]

62. Sanctitati vocationis suae diligenter atten-

[1] Conc. Trid., sess. XXII, de ref., cap. 8.

dant sanctimoniales, et ad perfectionem quam pro- A
fitentur pro viribus attingere indesinenter studeant; paupertatis, castitatis et obedientiae vota ad amussim implere conentur. A mundo et eius colloquiis non corpore tantum, sed spiritu alienae remaneant. Multum et saepe cum Deo; parum, raro et discrete cum saecularibus ad clathros accedentibus colloquantur. Saeculares magistros pro alumnis, non nisi annuente episcopo, etiam in exteriori clathrati loci parte *(parloir)* adsciscant, diariorum lectiones arceant, [nec] curis nec negotiis saecularibus se implicent. Hora vespertina ab episcopo determinata, monasteriorum oratoria et alia loca ab exteris frequentata occludantur. Cum non sint de mundo, mundum neque ea quae de mundo sunt diligant. Meminerint moniales puellis educandis praepositae deviam fore omnino alumnarum institutionem si, humanis tantum disciplinis intentae, minime de iis informandis curarent ad rectam domus guber- B
nationem et rei familiaris curam quae matrifamilias praecipue incumbit.

63. Ad fovendam vel renovandam disciplinam regularem in domibus religiosis, concilii Tridentini decretis inhaerentes, eas accurate visitabunt episcopi. In qua visitatione per se aut per idoneum delegatum facta, sedulo inquirant de regularum observatione, necnon de necessitatibus quibuscumque singularum monialium quae in illa domo vitam degunt.

64. Sanctimoniales, quae iuxta instituti sui regulas clausurae subiiciuntur, eam stricte observent. Nemini illarum liceat post professionem exire e monasterio, etiam ad breve tempus, quocumque praetextu, nisi ex aliqua legitima causa ab episcopo approbanda.

Insuper, nemini liceat, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerit, sine episcopi licentia in scriptis obtenta, ingredi intra septa C
monasterii, quod, ad mentem concilii Tridentini, sub excommunicationis poena vetat Auscitana synodus.

Dabit autem episcopus licentiam in casibus necessariis, habita ratione cuiuscumque instituti.

## TITULUS III.

### De cultu divino.

### Caput I.

### *De sacramentis.*

Nihil certe in ecclesia sanctius est et pretiosius quam legis novae sacramenta, per quae omnis vera iustitia vel incipit, vel coepta augetur, vel recuperatur amissa [1]. Hic vere fontes salvatoris,[2] unde indesinenter manant aquae salientes in vitam aeternam [3]. Quanta igitur veneratione ad tantum ministerium accedere debeant sacerdotes, ex hoc intelligant quod D
sint vocati ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei [4].

65. Munus parochi est animarum sibi commissarum curam gerere. Nullus ergo sacerdos extra necessitatem sacramenta conferat absque expresso aut rationabiliter praesumpto parochi consensu vel ordinarii licentia. Poenitentiam administrare vel ad matrimonii celebrationem procedere sine legitima potestate non praesumat, vel potestatis limites praetergredi, qua deficiente, invalida forent haec sacramenta; ipse autem sacerdos poenas a iure statutas incurreret [5].

[1] Conc. Trid., sess. VII, decret. *de sacram.*
[2] Isai. XII, 3.
[3] Ioan. IV, 14.
[4] I Cor. IV, 1.
[5] Concil. Trid., sess. XXIV, *de ref. matrim.*, cap. 1.

66. Nullus peccati mortalis conscius sacramenta dispenset, quin prius cor suum a labe peccati emundaverit. Curent igitur sacerdotes immaculatam servare conscientiam, ne, aliis vitam dantes, ipsi sibi damnationem acquirant. Eximia pietate angelicum munus illud obeant, qua et ministri coram Deo proficiant, et suscipientes fructus percipiant uberiores.

67. Meminerint sacramentorum ministri solam ecclesiam habere potestatem in sacramentorum dispensatione, ipsique soli ius competere ea statuendi et mutandi, salva tamen eorum substantia, quae suscipientium utilitati et sacramentorum venerationi magis expedire iudicaverit. Idcirco, receptos et approbatos ecclesiae catholicae ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos nec omittant, nec in alios mutent [1].

68. Curam omnem adhibebit parochus ut fideles cum debitis dispositionibus sacramenta recipiant. Si autem, quod Deus avertat! peccatorem indignum accedere contingat, has regulas dudum in ecclesia probatas sequendas esse duximus.

69. Peccatori cuilibet, cuius aliter quam per sacramentalem confessionem certo constat praesens indignitas, occulte petenti sacramenta denegari debent, dicente Domino: *„Nolite dare sanctum canibus."* [2]

Peccator occultus publice petens non arceatur, exemplo Christi qui proditorem Iudam non repulit.

70. Peccatoribus publicis quorum indignitas ita notoria est ut nulla tergiversatione celari queat, etiam publice deneganda sunt sacramenta, nisi praecesserint sufficientia poenitentiae signa, scandali reparatio, vel conveniens retractatio, et, si opus fuerit, ecclesiae fuerint reconciliati. Hanc autem regulam prudenter et discrete in praxi sequendam esse noverint sacramentorum ministri, nec nisi perpensis variis circumstantiis et suscipiendi sacramenti natura esse applicandam. Saepe enim ipsa sacramenti receptione sufficiens praebetur scandali reparatio. In casibus difficilioribus, si per tempus liceat, consulatur ordinarius.

### § 1.

### De baptismo.

71. *„Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei."* [3] Hinc, quanta sollicitudine caveri debet ne quis e vita exeat, non suscepto salutifero baptismate. Cum autem in primo vitae limine mors plerumque immineat, decernit haec synodus recens natos quamprimum esse baptizandos, nec a peccato immunes fore qui puerorum baptisma sub quolibet praetextu tardius differunt [4].

Parochi adhortentur parentes ut huic obligationi diligenter satisfaciant. Omnes doceant, sed praesertim obstetrices, baptismi necessitatem modumque hunc in necessitate conferendi.

72. Nullus laicus, imo nec clericus alius quam sacerdos, absque necessitate baptizare praesumat. Sacerdotibus sub poena suspensionis ipso facto incurrendae prohibemus ne, extra mortis periculum vel ordinarii licentiam, 1. domi aut extra parochialem ecclesiam baptismum conferant, 2. caeremonias a sacramenti substantia seiungant. Enixe hortatur synodus provinciae episcopos ut rarissime et non

[1] Concil. Trid., sess. XXI, *de commun.*, cap. 2; sess. VII, *de sacram. in genere*, can. 13.
[2] Matth. VII, 6.
[3] Ioan. III, 5.
[4] Catech. conc. Trid., part. II, *de bapt. sacr.*, n. 34. — Conc. Mediol. I, part. II, *de bapt.* [tit. II, Mansi, Conc., XXXIV, 15 D]. — Eugen. IV, const. *Cantate Domino*, die 4 febr. 1442, n. 13. — Rituale Rom., [*de baptizandis parvulis*].

nisi gravissimis de causis huiusmodi facultatem concedant.

73. Sub irregularitatis poena prohibet ecclesia ne iteretur baptismus. Cum autem salus hominis periclitari non debeat, quotiescumque dubia erit sive collatio sive validitas sacramenti, sub expressa conditione *„si non es baptizatus"* conferatur baptismus. Hinc, sub conditione baptizandi sunt infantes etiam cum scheda testimoniali expositi, vel a vagis derelicti; item qui a laicis domi, vel a protestantibus fuerint baptizati; nisi, re in singulis casibus mature perpensa, de validitate sacramenti certo constet.

74. Cum patrini, qui, ex veteri ecclesiae more, in solemni baptismo adhiberi solent, fidei et vitae christianae pro baptizato sponsores existant, non omnes indiscriminatim ad tantum munus sunt admittendi. Arceantur rationis expertes, infideles, haeretici notorii, excommunicati denunciati, concubinarii publici, quicumque civili tantum iuncti foedere cohabitant et matrimonium in facie ecclesiae inire renuunt, tandem peccatores notorii omnes quibus sacramenta publice denegarentur.

Parentes prudenter moneant parochi ne patrinos tales designent qui postea forent aegre repellendi.

75. Meminerint monachi et moniales sibi sacris canonibus esse vetitum ne quemquam e sacro fonte suscipiant. Quam prohibitionem extendi volumus ad omnes clericos in sacris constitutos necnon ad eos omnes utriusque sexus fideles, qui, renuntiantes saeculo, vota emiserunt in aliqua congregatione vel a summo pontifice vel ab episcopo approbata.

76. Mandamus sacerdotibus, ad quos spectat huius sacramenti dispensatio, ut librum seu regesta habeant parochialia in quibus ad futuram memoriam singula baptismata ex ordine recenseant cum baptizati, eius parentum et susceptorum nominibus. Horum authenticum exemplar quotannis ad archiva episcopalia transmittant. Si quis in aliena parochia, cum proprii sacerdotis vel ordinarii licentia, baptizatus fuerit, in libro suae parochiae inscribatur.

§ 2.

**De confirmatione.**

Charismata baptismi, per quem filii Dei nominamur et sumus, perficiuntur confirmatione, qua tanquam Christi milites ad fidei professionem et ad superandas diaboli, carnis et mundi tentationes, accepto cum plenitudine coelestium donorum Spiritu sancto, roboramur.

77. Iuxta praesentem provinciae nostrae disciplinam, ad hoc sacramentum non admittuntur ii qui rationis usum non sunt adepti, et doctrinae christianae rudimenta non sunt edocti. Imo, iuxta eamdem disciplinam, et quo melius confirmati memoriam et fructus confirmationis conservent, statuimus eos solummodo ordinarie praesentandos esse ad hanc sacram unctionem, qui corporis Christi facti sunt participes, nisi aliter temporis rerumque adiuncta suaserint.

78. Parochi in confirmandorum praeparationem sedulam navent operam, docentes eos naturam et efficaciam huius sacramenti, necnon maximam eius utilitatem praesertim infelici nostro tempore, quo fides et mores tot et tantis circumveniuntur periculis. Curent ut omnes tantum Dei donum appetant et cum debita cordis munditie suscipiant, et nullus nisi praemissa sacramentali confessione accedat[1].

79. Nemo admittatur qui parochi aut confessarii schedula non fuerit munitus; neque accedant illi qui de aliena sunt dioecesi, nisi de licentia expressa vel rationabiliter praesumpta proprii episcopi. Moneantur omnes confirmandi ut ad primam manuum impositionem sint praesentes nec discedant nisi accepta pontificis benedictione.

80. Confirmatorum nomina in parochialibus regestis sedulo inscribantur, notato confirmationis die, patrini et confirmantis pontificis nomine.

§ 3.

**De eucharistia.**

Inter religionis mysteria supereminet sanctissimum eucharistiae sacramentum, quo panis angelicus, gratiae auctor Christus Iesus, fit panis hominum[1]. Cum ad nuptiales illas coelestis agni epulas non vocandi tantum, sed et compellendi[2] sint homines, nihil non moliantur parochi ut omnes quamprimum et quam maxima pietate ad vivificam Christi carnem accedant quae dat vitam mundo[3].

81. Nihil pastorali cura dignius quam puerorum ad primam communionem praeparatio. Pueri prima prima vice communicaturi muultiplicatis catechesibus sufficienter edoceantur de summa sacramenti huius excellentia, de eius natura et effectibus, necnon de praecipuis religionis christianae veritatibus. Vividis exhortationibus et crebra confessione ad pietatem moveantur, et discant quanta reverentia et conscientiae puritate ad sacram synaxim sit accedendum. Ita demum erga illos se gerant parochi quasi hos iterum parturiant donec formetur Christus in ipsis[4].

Quamvis nullam absolute assignemus aetatem admissionis ad sacrum convivium, cum discretionis dispositionumque potius quam aetatis habenda sit ratio, caveant tamen animarum rectores ne, incuria sua, tardius differatur prima communio qua impetui libidinum occurrere expedit. Propter parentum indignitatem non repellantur pueri.

82. Quotannis, in fidelium memoriam revocent parochi sanctae ecclesiae praeceptum, quo omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, tenetur reverenter suscipere sanctissimum eucharistiae sacramentum, saltem paschali tempore, nisi confessarius prudenter ad aliud tempus iudicaverit differendum[5]. Paschalis haec communio in propria, non in aliena parochia fiat, nisi de ordinarii propriive parochi licentia, quae libenter tamen et facile concedatur. Nec ullus unquam inquietandus est subditus qui bona fide absque licentia alibi communicaverit.

83. Nunquam magis urget communionis praeceptum, nec ea magis indiget homo, quam in proximae mortis periculo. Ideo, caveant sacerdotes ne quisquam, quantum fieri poterit, e temporali vita discedat, nisi corpore Christi refectus. Nullus sufficienter dispositus hoc sacratissimo viatico privetur: nec pueri, licet ad primam communionem nondum admissi, sed convenienter edocti ut hanc spiritualem escam a cibo communi discernant, et reverenter suscipiant; nec illi qui recenter et etiam eadem die communicaverint, si in periculum mortis incidant; nec peccatores quantumvis flagitiosi, si conversionis signa dederint, reparaverint scandalum, et eucharistiae desiderium, peracta confessione, manifestarint. Nec viatico frustrandi capite damnati, etiam ipso die quo plectendi sunt; melius tamen paucis ante diebus aut saltem pridie mortis sacra eucharistia reficerentur. Perseverante eodem mortis

[1] *Acta eccl. Mediol.*, pars IV, p. [illegible], ed. Mediol. 1894.

[1] Hymn. festi sanctiss. sacram.
[2] Luc. XIV, 23.
[3] Ioan. VI, 33.
[4] Gal. IV, 19.
[5] Conc. Later. IV, can. *Omnis utriusque sexus*. [Mansi, Conc., XXII, 1007 E]. — Conc. Trid., sess. XIII, de euch., can. 9.

periculo, interiectis aliquot diebus, iuxta dioecesis A unius cuiusque statuta, aegrotis etiam non ieiunis pluries deferri potest sacrosanctum viaticum.

84. Cum nihil efficacius sit ad vincendas libidines, ad fovendos pietatis sensus et quoscumque spiritualis vitae progressus, quam sanctissimae eucharistiae religiosa perceptio, quae a quotidianis peccatis liberat et praeservat a mortalibus[1], hortamur omnes christianos ut frequenter in hoc caritatis vinculo convenientes, vivificos alimonia nutriantur. Optaremus cum Tridentinis patribus, *„ut in singulis missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius sacrificii fructus uberior proveniret.“*[2]

Parochi verbique divini praecones frequentem communionis usum commendent, ita tamen ut simul congruentes dispositiones requirant: docentes quo frequentius eo devotius esse accedendum et maiori B conatu ad perfectiora contendendum.

85. Iuxta ritualis Romani praescriptum, lumen diu noctuque ardere debet coram sanctissimo eucharistiae sacramento; quod quidem ubique accurate servari debet. Si ecclesiae reditus non sufficiant, per pias eleemosynas, ad hoc imploratas, de alendo hoc igne perpetuo providebunt parochi.

§ 4.

**De poenitentia.**

Parochi et alii sacerdotes ad sacramenti poenitentiae administrationem deputati prae oculis semper habeant se in resurrectionem animarum esse positos. Sint ergo prompti et alacres ad conferendum tam optabile sacramentum. Absit quod propter ministri negligentiam peccator ullus queri unquam possit ut languidus dicens: *„Hominem non habeo.“*[3] Viscera misericordiae induentes, redeun- C tibus peccatoribus occurrant ut quamprimum valeant dicere: *„Hic filius mortuus erat et revixit, perierat et inventus est.“*[4]

Meminerint se iudicis quidem munus exercere in vindictam peccatorum, et tamen forum illud non esse forum irae et poenarum[5], sed paternae mansuetudinis. Quod perierat requirant, quod abiectum erat reducant, quod confractum fuerat alligent, quod infirmum consolident[6].

Caveant pari diligentia in alterutrum ex his duobus scopulum incidere, vel in nimiam severitatem, qua peccatores a sacramento et paulatim a fide deterrentur et in vitiorum luto profundius quia desperatius immerguntur[7], vel in nimiam absolvendi facilitatem, quae incentivum tribuit delinquendi[8].

86. Ante omnia suae iurisdictionis limites perfecte noscat confessarius, ne hos praetergrediens sive erga loca, sive erga personas, sive erga tem- D pus, sive erga conscientiae casus, ipse in suspensionem incidat[9], poenitens autem invalide absolvatur[10].

87. Iuxta rituale Romanum[11] et sancti Caroli monita, eos non absolvat, qui religionis mysteria, saltem praecipua, ignorant, donec pro posse didicerint[1]; qui odia vel inimicitias deponere nolunt[2]; qui aliena, pro facultate restituere detrectant[3]; qui voluntariam et vere proximam occasionem mortaliter peccandi deserere nolunt[4]; eos denique qui nulla dant doloris aut emendationis signa[5].

88. Eos improbamus tanquam animarum saluti parum consulentes, qui peccatores, quantumvis de praeterito dolentes, non prius absolvi posse putant quam diuturnae emendationis fructus dederint; quive imparatos quosque dimittunt donec parati accedant, minime de inserendis in eorum corde dispositionibus ipsi curantes[6].

89. Ne cui sacramentalis confessio, in conscientiae levamen instituta, fiat in laqueum, decernimus omnes Christi fideles, prout cuique placuerit, ex approbatis sacerdotibus et ad excipiendas confessiones ab ordinario deputatis, confessarium eligere posse etiam pro confessione annuali a concilio Lateranensi IV praescripta[7].

90. Cum nihil sit magis dolendum quam animarum innocentium ruina et puerilis aetas sub diaboli servitute transacta, saepe cogitent confessarii quanta cura pueri contra primas Satanae incursiones sint praemuniendi, aut quam cito ad recuperandam gratiam sint praeparandi quicumque eam per peccatum mortale amiserunt: nec certe ad hunc finem exspectandam esse primae communionis aetatem.

§ 5.

**De extrema unctione.**

Christus, redemptor humanae salutis amantissimus, multifaria media ad eam assecurandam nobis suppeditavit. Hinc vitae finem munivit admirabili praesidio extremae unctionis, quae solis periculose aegrotantibus et eis qui prae decrepita senectute deficiunt administrari debet.

91. Omnes animarum rectores, fideles sollicite docebunt huius sacramenti utilitatem eiusque efficaciam ad animae et interdum corporis sanitatem, monentes eos, ut illud tempore opportuno expostulent; invigilabunt ut morbo decumbentes illud recipiant cum debitis dispositionibus, dum adhuc mentis sunt compotes, quin tamen sensu destitutis denegetur.

92. Pueri doli capaces, tam salutari remedio, in supremo vitae discrimine, non priventur, sed concessa absolutione, et, proposita huius sacramenti virtute, illis conferatur haec divina unctio quae est poenitentiae complementum, quo alleviatur infirmus et peccata remittuntur.

93. Semel tantum, in eodem morbo, oleo sancto ungantur infirmi, nisi, postquam convaluerint, in aliud simile vitae discrimen incidant.

Eis denegetur extrema unctio qui usum rationis certo nunquam sunt adepti, haereticis et schismaticis notoriis qui nulla dant conversionis signa, peccatoribus qui scandala publica reparare detrectant, necnon eis qui in impietate decedentes, illud sacramentum obstinate respuunt.

§ 6.

**De ordine.**

Nihil episcopali sollicitudine dignius quam sacrorum ordinum collatio, unde praecipua ecclesiarum bona vel mala oriri noscuntur.

[1] Conc. Trid., sess. XIII, *de euch.*, cap. 2.
[2] Conc. Trid., sess. XXII, *de sacrif. missae*, cap. 6.
[3] Ioan. V, 7.
[4] Luc. XV, 24, 32.
[5] Conc. Trid., sess. XIV, *de poenit.*, cap. 8, versus finem.
[6] Ezech. XXXIV, 16.
[7] Gerson, *Liber de vita spirit.*, lect. 4 [corollar. XI, opp. Gersonis, ed. Dupin, III, 45 A.]
[8] S. Ambr. *in psalm.* 118, sermo VIII, n. 8 [al. 26, opp. s. Ambr., ed. Migne, I, 1306 B].
[9] Ritual. Auscit.
[10] Conc. Trid., sess. XIV, *de poenit.*, cap. 7.
[11] Catalani, *de poenit.*, § XXII.

[1] Benedictus XIV, const. *Etsi minime*, die 7 febr. 1742. — Prop. damn. ab Innoc. XI, decret. 4 martii 1679, prop. 64.
[2] Ritual. rom., loc. cit.
[3] Ibid.
[4] Ibid.
[5] Ibid.
[6] Leo XII, litt. encycl. *Charitate Christi*, die 25 dec. 1825.
[7] Can. *Omnis utriusque sexus*.

**94. Antequam manus cuiquam imponat, caveat** A **episcopus ne quid inexploratum manserit circa ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam [1] et vocationem. Ex probatis autem non plures promoveat quam necessarios dioecesi aut utiles fore viderit [2].**

95. Quidquid sanxerunt canones de examine, de temporum interstitiis, de statis ordinationum temporibus etc., accurate serventur, nisi concessione iuris aut apostolico indulto dispensaverit episcopus.

96. Quicumque ad sacrum subdiaconatus ordinem sunt promovendi, habeant, nisi sint regulares, patrimonialem titulum vel pensionem unde honeste queant sustentari [3], ne, deficiente beneficio, cum ordinis dedecore victum quaeritare aut turpem quaestum exercere cogantur. Titulus ille verus et non fictus, instrumento publico firmatus, alienari aut extingui, aut remitti [4], vel etiam commutari sine licentia episcopi nequeat.

Pro temporis praesentis necessitate, super praefato titulo aut ipsius parte, annuente apostolica sede, cum clericis promovendis dispensant episcopi [5].

97. Tribus dominicis aut festivis diebus non continuis, intra missarum solemnia populo denuntientur clerici qui ad singulos sacros ordines sunt promovendi. Denuntietur pariter, saltem semel, tenor tituli patrimonialis. Et si quid obstans vel ordinationi, vel tituli firmitati compertum fuerit, ad episcopum deferatur. Denuntiationes istae fieri debent, per mensem qui promotionem praecedet, in ecclesia principalis domicilii et insuper ubicumque statuerit episcopus [6].

§ 7.

**De matrimonio.**

Cum inter christianos matrimonium magnum sit in Christo et in ecclesia sacramentum [7], lugenda valde est multorum temeritas qui sacrum illud C foedus e manibus ecclesiae penitus eripere sunt conati: illudque inter profanas res pro mutabili hominum nutu, pleno iure regendas, non sine ingenti morum et totius societatis periculo annumerare ausi sunt. Ut huic impietati secundum evangelii documenta et ecclesiae universalis traditiones occurramus, et ut in celebrandis nuptiis omnia fiant secundum sanctissimae ecclesiae regulas, haec declarat auscitana synodus:

98. Tanquam morum corruptelam summopere detestamur quaecumque prodiere systemata quibus vel virginitas et coniugalis fides deturpantur, vel pauperes a nuptiis contrahendis avertuntur. Nullam aliam carnis cohonestationem agnovimus praeter continentiam christianam vel honorabile connubium [8].

99. Ecclesia iure proprio impedimenta dirimentia constituere potest; haec autem ecclesiastica impedimenta solius ecclesiae potestati subiiciuntur D quoad abrogationem, extensionem, restrictionem et dispensationem [9].

100. Profitemur illa omnia et sola rata et valida coram Deo esse matrimonia quae secundum canonicas sanctiones celebrantur [10].

101. Si, obstante quodam canonico impedimento, aliquod matrimonium ineundum proponitur, res ordinario episcopo deferatur, qui, perpensis causis, vel ipse providebit, vel, si opus sit, ad dispensationem apostolicam partes remittet. Tunc autem curet parochus ne quid praetermittatur ex ordinarii seu officialis monitis, neve falsum aliquid subrepat, sive in supplici libello, sive in inquisitionibus faciendis, unde irrita fiat impetrata dispensatio.

102. Matrimonia cum acatholicis prohibet ecclesia [1]. Ab illis igitur contrahendis prudenter fideles deterreant parochi. Si qua autem, impetrata Apostolica dispensatione, sint ineunda, caveat parochus ne prius ad celebrationem procedatur quam sponsiones omnes apostolico indulto impositas a parte acatholica obtinuerit. Insuper, ne quid praetermittat ex eis quae praescribi solent circa matrimonii contrahendi locum, cuiuscumque ritus sacri exclusionem et ipsius B et testium passivam praesentiam [2].

103. Matrimonia non celebrentur tempore prohibito [3], non extra parochialem ecclesiam [4], non ante auroram [5], non post meridiem [6], non omissa trina bannorum proclamatione [7], non absque missa, nisi super his dispensaverit episcopus. De praevia sacramentali confessione regulariter facienda [8] prudenter et discrete moneatur uterque sponsis.

104. Banna proclamentur in loco praesentis domicilii utriusque sponsi; item et domicilii praecedentis, si nondum plene sex numerantur menses a die transmigrationis de loco in locum alium, etiam de una ad aliam dioecesim. Erga sponsis viginti et uno annis minores, praeter locum proprii domicilii non omittatur proclamatio in domicilio parentum, vel tutorum, vel curatorum.

Eorum vero banna qui, transitorii officii causa, vel studiorum, vel famulatus, in uno loco ultra sex menses resident, domicilium retinentes in alio, in utroque proclamentur.

105. Matrimonium celebrari potest coram parocho sive domicilii [9], sive quasi domicilii [10] seu simplicis habitationis modo ista per mensem integrum perseveraverit [11].

106. Habeat parochus librum in quo coniugum et testium nomina diemque et locum contracti matrimonii describat [12].

Caput II.

*De ecclesiis, de earum munditie et ornatu ac bonis rite gerendis.*

Post animarum salutem, nihil sacerdotali sollicitudine dignius quam rerum et aedium sacrarum cura, in quibus Deus ipse absconditus habitat, et christiana plebs verbo Dei et sacramentis pascitur.

107. Nulla nova ecclesia aedificetur [13], nulla

[1] Conc. Trid., sess. XXIII, *de ref.*, cap. 7.
[2] Ibid., sess. XXIII, *de ref.*, cap. 16.
[3] Conc. Trid., sess. XXI, *de ref.*, cap. 2.
[4] Ibid.
[5] Syn. Romensis ann. 1849, p. 86 [Mansi, *Conc.*, XLIII, 594 B].
[6] Conc. Trid., *de ref.*, cap. 5. — Acta eccl. Mediol., lib. 2, p. 89, edit. Parisina 1643.
[7] Ephes. V, 32.
[8] Hebr. XIII, 4.
[9] Const. *Auctorem fidei*, prop. 60.
[10] Quoad sola vide Trid., sess. XXIV, *de sacr. matrim.*, can. 3, 4, 9. — Const. *Auctorem fidei*, prop. 59. — Quoad omnia, vide conc. Trid., sess. XXIV, *de sacr. matrim.*, can. 12, et ibid. de reform. matrim. cap. 1. — Litterae Pii VI ad episc. Motulensem *Deessemus.*, 16 septembris 1788. — Litterae Clementis XIII seu potius eius nuntii 1759, 26 martii, Bruxellis.

[1] Conc. Laod., can. 10, [Mansi, *Conc.*, II, 565 C]. — Conc. Agath., can. 67, apud Gratian., caus. 28, quaest. 1, can. 16, [Mansi, *Conc.*, VIII, 336 B]. — Conc. Chalced., can. 14 [Mansi, *Conc.*, VI, 1228 A]. — Bonifac. VIII, cap. *Decrevit.* 14 de haeret. — Benedictus XIV, const. *Magnae nobis*, die 29 iunii 1748.
[2] Tenor indulti.
[3] Conc. Trid., sess. XXIV, *de ref. matrim.*, cap. 10. — Benedictus XIV, instit. LXXX.
[4] *Acta eccl. Mediol.*, lib. V, cap. *de matrim.*, n. 37.
[5] Ibid., n. 38.
[6] Ibid.
[7] Conc. Lateran. IV, cap. 51. [Mansi, *Conc.*, XXII, 1038 D.] — Conc. Trid., sess. XXIV, *de ref. matrim.*, cap. 1.
[8] Conc. Trid., sess. XXIV, *de ref. matrim.*, cap. 1.
[9] Bened. XIV, instit. XXXIII, n. 6.
[10] Bened. XIV, const. *Paucis abhinc hebdomadis.* — Instit. XXXIII, n. 6 et seqq.
[11] Bened. XIV, const. *Paucis abhinc hebd.*
[12] Conc. Trid., sess. XXIV, *de ref. matrim.*, cap. 1.
[13] Can. *Nemo ecclesiam*, 9, de consecr. dist. 1.

notabili opere resarciatur, nulla vetus diruatur A inconsulto episcopo. Si qua autem vetustate aut alias ita collapsa fuerit ut refici et instaurari non possit vel, alia nova constructa, facta fuerit inutilis, poterit, annuente episcopo, in profanos usus, non sordidos, converti, imo et penitus destrui, erecta tamen ibi cruce[1].

108. Laicorum aedes ecclesiis inniti aut adhaerere non permittatur[2]. Vites, hederae, aliaeque huius generis herbae quae succrescentes exterioribus parietibus adhaerent, item adcrescentes arbores et stirpes qualescumque quarum radices muris officiunt, convellantur omnino[3], et sarta tecta instaurentur.

109. Ecclesias ad actus forenses, conventus saeculares et profanus usus quoscumque adhiberi iuxta sacros canones districte prohibemus[4].

110. In ecclesiis omnia munda sint et nitida: curent igitur rectores ne pulvere aut alio squalore obsordescant non solum altaria et sacra supellex, B sed insuper pavimenta, parietes et tecta fornicata (*les voûtes*).

*Adverti volumus*, inquit Benedictus XIV, *nos verba facere non de sumptuositate et sacrorum templorum magnificentia, nec de divite et pretiosa supellectili; non enim nos latet haec non omnibus in locis haberi posse, sed decentiam et munditiam desideramus, quas nemini detrectare licet quia etiam cum paupertate bene convenire et componi possunt*[5].

111. Ecclesiarum ornatus non futilem cultum sapiat, sed gravis sit et decorus. Altaria, sacri fontes, sanctorum reliquiae et sanctae imagines etc., secundum probatas ecclesiae regulas, non ad versatilem nutum disponantur.

112. Bonorum ecclesiae administratio a *consilio fabricae* exercetur. Supereminet autem episcopi moderamen, cuius est praecipuos actus approbare, et cui etiam ratio erit quotannis reddenda impen- C sarum quae anno praecedenti factae sunt et quae per annum subsequentem faciendae proponuntur.

## Caput III.

### *De oratoriis.*

113. Conventus, collegia, hospitia, carceres et aliae communitates sua habeant oratoria canonice erecta, in quibus officia sacra et missae celebrari valeant. Reserventur tamen parochialia iura erga oblationes[6], baptismata[7], matrimoniorum[8] denuntiationes et celebrationes, benedictiones puerperarum[9] et exequias[10].

In praedictis oratoriis, quae publica reputantur, tempore missarum parochialium, nulla aut non nisi ianuis clausis, celebretur missa. Campanae non pulsentur omnino durante parochiali missa. Benedictiones candelarum, cinerum, palmarum, item processiones etiam intra septa ecclesiae solemnitatea D pro pueris prima vice communicantibus pro iis solis fiant qui de domo sunt, salva tamen ampliori concessione ab episcopo facta.

114. In oratoriis domesticis sacrum peragi multum iuri communi derogat[1]. Si qua tamen concessio fiat, antequam executioni mandetur, fiat ab ordinario visitatio qua constet locum, altare, sacram supellectilem et cuncta cetera secundum sacras liturgiae regulas ad amussim componi[2].

Praeter reservationem parochialium iurium[3], caveatur ne missa ibi celebretur ipsa praedicationis aut missae parochialis hora. Nulla inibi unquam fiat sanctissimi sacramenti reservatio, expositio aut benedictio.

Concessionis authenticum diploma cum tenore restrictionum celebrationi appositarum supra labrum aquae benedictae, maneat appensum. Oratorium ipsum visitanti episcopo aut eius delegato semper pateat, alioquin perpetuo subiaceat interdicto.

115. Oratoria ruralia, quae vulgo ecclesiae annexae dicuntur, subiiciuntur parocho. In his, annuente episcopo, et cunctis in statu decenti compositis, celebrare licet. Quoad alias functiones pastorales illae tantum peragentur quae ab episcopo fuerint determinatae.

## Caput IV.

### *De sacra supellectili.*

Religionis christianae excellentia postulat in cultu sacro nihil adhiberi, nisi divina maiestate dignum, sacramentorum sanctitati atque fidelium pietati congruum. Quapropter haec statuimus et praecipimus:

116. Vasa sacra sanctorum canonum institutis erunt conformia. Calix vel ad minus eius cuppa, pariterque patena ex argento conficientur, interius deaurata et consecrata; et cum inauratio deleta fuerit, accurate de novo inaurentur et de novo consecrentur. Pyxidis saltem cuppa sit argentea, interius deaurata et benedicta; ostensorii autem pars superior sit argentea, et lunula deaurata ac benedicta. Haec omnia ex materia viliori confecta stricte prohibentur.

117. Optandum esset ut vasa sanctorum oleorum essent argentea; tolerantur tamen stannea. Haec autem nitida et in loco decenti sub sera occlusa reverenter custodiri debent. Characteribus sufficienter notentur ipsa vasa, non autem operculum, ut substitutioni locus non praebeatur.

118. Paramenta quibus induitur sacerdos sint munda, benedicta et coloris officio diei conformis; quae sunt notabiliter lacerata, sint interdicta: quin tamen ad profanos usus adhiberi possint.

119. Sacri canones requirunt ut omnia ecclesiae linteamina ex lino vel cannabe conficiantur: stricte ergo praecipimus ut corporale, pallae, purificatorium, albae saltem a parte superiori, amictus, altaris mappae sint ex lino vel cannabe et munda; quae autem ex his benedici debent, benedicantur. Haec omnia ex alia materia confecta habeantur tanquam interdicta.

120. In sacrario cuiuslibet parochialis ecclesiae sit arca, seu scrinium, ubi accurate serventur regesta parochialia et mandata episcopalia.

## Caput V.

### *De diebus dominicis et festis de praecepto.*

Magnus erat, in lege veteri, dies sabbati, maiora sanctioraque in nova lege haberi debent dominica dies aliaque festa quae ad honorem Dei et animarum salutem sunt instituta. Sed, proh dolor! dies religionis et salutis, malitia et impietate hominum, facti sunt dies peccati et perversionis;

[1] Conc. Trid., sess. XXI, *de ref.*, cap. 7.
[2] *Acta eccl. Mediol.*, lib. IV, p. 219.
[3] *Acta eccl. Mediol.*, ibid., p. 118.
[4] Cap. *Decet.* 2 de immunit. eccl. (III, 23), in VI ex conc. Lugdun.
[5] Benedictus XIV, encycl. *Annus*, die 19 febr. 1749.
[6] Ferraris et canonistae.
[7] Ibid.
[8] Conc. Trid., sess. XXIV, *de ref. matrim.*, cap. 1.
[9] Congr. rituum, die 10 decembris 1703, ad sextum, apud Ferraris, art. *Confraternitas*. [V. tamen Ferraris, art. *Benedictio* 5, n. 13-6, ubi, innixus decreto s. congr. concilii, 9 iunii 1708 (ad 10) in bullarium Clem. XI relato, statuit consuetudinem hac in re esse servandam.]
[10] Cap. *Nos instituta* 1, de sepult. (III, 28.)

[1] Conc. Trid., sess. XXII, *de observ. et evitandis in celebratione missae.*
[2] Bened. XIV encycl. *Magno cum*, die 2 iunii 1751, § 12.
[3] Ibid.

nec dubitandum quin ex tali violatione proveniant, A magna ex parte, calamitates quibus a Deo affligimur.

121. Diebus dominicis caeterisque festis de praecepto debitam reverentiam restituere exoptans synodus, omnes parochos obsecrat ut frequenti exhortatione horum sanctissimorum dierum religiosam et devotam observantiam commendent, fidelium-que sibi commissorum saepe saepius in memoriam revocent ipsos ex praecepto praedictis diebus teneri, extra urgentem necessitatem, a servilibus operibus abstinere et sacrosancto missae sacrificio interesse. Illos hortentur ut sacras conciones audiant, officiis intersint, sacramenta frequentent aliisque piis operibus instent.

122. Ecclesiae in honorem et proventum, nobis autem in solatium et laetitiam succederet, si piae instituerentur sodalitates pro scopo habentes dominicae diei sanctificationem procurare, Deoque tam lugenda violatione incitato aequam satisfactionem B rependere.

## Caput VI.

### *De missa et officiis divinis.*

In ecclesia nihil adeo sanctum ac divinum, quam tremendum altaris sacrificium, in quo Iesus Christus pro nobis hostia factus, quotidie immolatur. Quanta igitur adhibenda est cura ut omni religionis cultu et veneratione offeratur!

123. Missa debitis horis, scilicet ab aurora ad meridiem, celebretur, eamque cum interiori cordis munditia, atque exteriori devotionis specie sacerdotes peragant[1].

124. Nullus sacerdos peccati mortalis sibi conscius, quantumvis contritus sibi videatur, celebrare audeat, nisi praemissa sacramentali confessione; quod si, urgente necessitate, nec habita copia confessarii, absque praevia confessione celebraverit, quam primum confiteatur. C

Sacerdos celebraturus, orationi aliquantulum vacet, tum ante missam ad congruam animae suae praeparationem, tum post missam, ad gratiarum actiones Deo persolvendas.

125. Omnis sacerdos qui veste talari non indutus celebrare praesumpserit, suspensionem ipso facto incurrat.

Item, qui in loco ad usus sacros consecratione vel benedictione non dicato, sine licentia, aut in loco interdicto scienter celebraverit.

126. Sedulo amoveant sacerdotes quidquid a dignitate tanti sacrificii alienum esset, aut avaritiam et turpem quaestum redoleret.

Sacerdoti extraneo, et testimonialium litterarum ordinarii sui seu superioris latori concedi potest facultas celebrandi per aliquot dies. Pro ampliori facultate recurratur ad episcopum.

Sacerdoti vero vago et ignoto nunquam celebrare D permittatur, nisi scripto obtenta ab ordinario loci facultate.

127. Cum praecepto divino teneantur parochi pro populo sibi credito sacrificium offerre, ei specialem missae fructum applicare debent singulis dominicis et festis de praecepto, nec non, nisi dispensentur, festis a sancta sede suppressis. Pariter, ex decisione congregationis concilii Tridentini, is cui munus incumbit secundam missam in parochia vacante celebrandi, eius fructum isti parochiae, nisi dispensetur, applicare tenetur.

128. Missa parochialis, ea ipsa hora quae a statutis praefixa fuerit, exacte et absque ulla mora celebrabitur; ea durante, alia non dicetur in eadem ecclesia missa.

Quamvis impleatur ecclesiasticum de audienda missa praeceptum per religiosam cuicumque missae et in quacumque ecclesia assistentiam, parum suae saluti consuleret is praesertim qui scientia religionis non sufficienter instructus, missae parochialis auditionem, sua incuria, saepe omitteret. Hortamur enixe Christi fideles ut ei praecipue intersint, propter maiora commoda ex ea provenientia. Haec enim specialiter pro parochianis celebratur, intra eam dispensantur monita salutis et instructio christiana, denuntiantur festa occurrentia, ieiunia et matrimonia; inde corroboratur unio inter gregem et pastorem, multumque augetur aedificatio.

129. Iuxta disciplinam a pluribus saeculis existentem, omnis sacerdos unicum sacrificium eodem die offerre potest. Statuit synodus non esse super hac praescriptione facile dispensandum nec facultatem binae celebrationis ab episcopo concedendam, nisi vera necessitas vel maxima fidelium utilitas id postulare videatur.

Attamen, si parochus subito in morbum inciderit nec superiorem adire per tempus liceat, parocho aut vicario vicino haec facultas pro prima dominica aut festo de praecepto conceditur, cum onere recurrendi ad superiorem si praevideatur eadem necessitas pro dominica sequenti.

## Caput VII.

### *De cantu et musica.*

„*De hymnis et psalmis canendis, ipsius Domini et apostolorum habemus documenta, exempla et praecepta,*" inquit sanctus Augustinus[1]. Ideo, sane a prima origine inducta et posterius a patribus et conciliis probata, obtinuit per orbem christianum cantandi et psallendi consuetudo.

Nec certe mediocriter ad cultus divini splendorem et animas ad Deum extollendas cantus ecclesiasticus iuvat. Sed quoniam et in excellentioribus rebus, vel negligentia invehitur, vel abusus subrepunt, haec in posterum observanda statuit Auscitana synodus.

130. Ad instar puerorum choristarum scholae cathedralibus ecclesiis annexae, curent parochi ut, quantum fieri poterit, instituatur iuvenum aut saltem puerorum chorus in quo, depulsis sive inani affectatione, sive abiecta rusticitate cantuum, proba vulgetur in populis cantus ecclesiastici ratio.

131. Singulis dominicis et festivis diebus, missa cum cantu celebrari debet, iuxta ecclesiae disciplinam quae ubi non observata fuit quamprimum restituatur.

Sedulo autem advertendum est, in quacumque missa decantata, nihil praetermitti posse de iis quae, iuxta rubricas, tam a celebrante quam a choro decantari debent.

132. Cantus graves sint, pii et distincti, domui Dei et divinis laudibus accomodati, ut simul verba intelligantur, et ad pietatem auditores excitentur[2]. Caveant cantibus praepositi ne in hymnis, psalmis et aliis sancti officii partibus, novus quisquam indiscrete subintroducatur cantandi modus, quo simplicitas et maiestas ecclesiastici cantus deturpetur.

133. Ab ecclesia Dei prorsus arceantur profani cantus[3], nec audiantur cantilenarum soni perperam piis verbis accommodati. Intra liturgicas preces nullo pacto inserantur cantus in vernacula lingua; qui tantummodo permitti poterunt ante et post officia publica, in catechesibus, in exercitiis spiritualibus missionum, confraternitatum et aliis huiusmodi, nunquam autem in benedictionibus et processionibus sanctissimi sacramenti.

[1] Conc. Trid., sess. XXII, de observ. et evit. in celebr. missae.

[1] Edit. Bened., ep. 55, tom. II, p. 142, n. 34.
[2] *Acta eccl. Mediol.*, edit. Parisina, p. 145, n. 66.
[3] Ibid.

134. Ecclesiae cantus iuxta nomen suum firmus sit et planus; nulla igitur adhibeatur mollis et lasciva canendi ratio[1].

135. Plani cantus locum non usurpet musica; quae sic forte in solemnioribus festis huic accedat et adiungatur, iuxta Alexandri VII[2] et Innocentii XII[3] praescripta, tota sit devota et ecclesiastica.

136. Instrumenta, si quaedam praeter organum raro admittuntur, talia sint ut piis eorum harmoniis mentes fidelium possint ad pietatem moveri.

Organista, depulsis omnino theatralibus sonis, decora gravique organi modulatione intra sacra officia canat suis vicibus.

## Caput VIII.

### *De rubricis et caeremoniis.*

Quoniam natura hominum ea est, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli: propterea, pia mater ecclesia ritus quosdam et caeremonias instituit, ut mysteriorum maiestas commendaretur, et mentes fidelium ad rerum altissimarum contemplationem per visibilia signa excitarentur.

137. Ediscant sacerdotes et accurate observent rubricas, caveantque ne, imprimis in celebratione missarum, ritus alios aut alias caeremonias et preces adhibeant, praeter ea quae probata vel frequenti et laudabili usu recepta fuerint. Mandamus et omnibus sacerdotibus stricte praecipimus ut missam, iuxta ritum, modum et normam in missali praescriptam decantent et legant, neque ritus, caeremonias vel preces addere aut mutare praesumant.

Liturgiae unitatem et ritus antiqui restitutionem atque observantiam maxime optandam iudicat Auscitana synodus, ut uni Deo, una eademque forma preces et laudes persolvantur. Ideo, invalescentem undequaque ad amplectendam Romanam liturgiam propensionem laetanter et plausu magno conspicimus. Si nos ipsi non levibus huc usque impedimentis prohibiti sumus et adhuc prohibeamur ne in tota provincia Romani ritus instaurentur, communi saltem consensu statuimus ad hoc totis viribus eniti ut praedicta illa impedimenta submoveantur, et ubi opportuna se praebuerit occasio, breviarii et missalis Romani usus in omnibus ecclesiis nostris salutari ordinatione reviviscat.

## Caput IX.

### *De exequiis et coemeteriis.*

Sancta mater ecclesia fidelibus non solum in hac vita subvenit, sed etiam eos defunctos sua sollicitudine et suffragiis prosequitur, eorumque corpora Spiritus sancti quondam templa et in resurrectionem vitae processura terrae reverenter demandat.

138. Statuimus ut exequiae defunctorum pio ritu celebrentur, ab eisque amoveatur quidquid profanum, superstitiosum aut a fide christiana alienum appareret. Inhibemus in exequiis haberi funebres orationes sine episcopi licentia. Impediantur laici quominus cuiusquam encomia in ecclesia pronuntient; quod si in coemeterio contigerit, statim cum cruce clerus, finitis precibus, recedat.

139. Secundum antiquam consuetudinem, quantum fieri poterit, corpora ab ipso sacerdote ad tumulum cum publicis orationibus deducentur, sepelianturque religiose in locis ecclesiastica benedictione consecratis.

140. Coemeteria christianorum sepulturae dicata, magna veneratione custodiri debent, et a sordibus purgari. In eis crux alta erigatur. Hominum transitui non pateant, gregibus pascendis et aliis usibus profanis non inserviant, eorum herbae non vendantur, sed comburantur. Circumdentur muro, aut sepe densa, cum effossione profunda: coemeteria non sufficienter clausa ut ab eis arceantur animalia, interdicta habeantur: sed interdictum ipsa clausura cessabit. Si contigerit ea pollui aut interdici, clerus corpora solemniter ad ea non deducet, sed omnes ritus in ecclesia perficiantur. Sit in coemeterio locus distinctus et non benedictus ubi sepeliantur non baptizati et omnes quibus sepultura ecclesiastica est deneganda. Omnia legibus praescripta circa sepulturae tempus accurate observentur.

141. „*Sacris est canonibus institutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis; et ut careant ecclesiastica sepultura qui prius erant ab ecclesiastica unitate praecisi, nec in articulo mortis ecclesiae reconciliati fuerint.*“[1]

Unde deneganda est sepultura ecclesiastica eis qui publice adhaerent haereticorum aut schismaticorum sectae separatae, excommunicatis denuntiatis, infidelibus et infantibus non baptizatis.

Denegetur pariter eis qui, mentis compotes, mortem sibi voluntarie intulerunt, vel in singulari certamine aut in actu notorie criminoso occubuerunt, nulla dantes poenitentiae signa: eis qui, cum essent peccatores notorie publici, suos errores et scandala pertinaciter reparare noluerunt: eis denique qui in extremis positi cum impietate et contemptu religionis sacramenta publice respuerunt. In dubiis consulatur episcopus.

142. Sancta atque salutaris est cogitatio pro defunctis exorare. Conentur parochi fidelium devotionem erga mortuos promovere; prudenter invigilent ut haeredes fideliter exequantur pia testatorum legata, curentque ut vivorum suffragia, missarum videlicet sacrificia, orationes, eleemosynae, aliaque pietatis opera quae in defunctorum levamen peraguntur, secundum ecclesiae instituta pie et devote fiant, ipsique sacerdotes hoc munus non perfunctorie, sed diligenter et accurate persolvant[2].

## Caput X.

### *De devotionibus non approbatis.*

143. Oportet eos qui adorant Deum, in spiritu et veritate adorare[3]. Cum nihil verae pietati magis noceat quam falsa aut superstitiosa devotio, cumque sit penes ecclesiam legitimum cultum docere, monemus parochos ut sedulo amoveant omnes devotiones aut orationum formulas ab ordinario non approbatas, ritus insolitos, ususque non receptos praesertim eos qui aliquid superstitiosum redolerent.

## TITULUS IV.

## De disciplina.

## Caput I.

### *De vita et honestate clericorum.*

Liber laicorum vita clericorum. „*Quapropter sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant.*“[4] Quod ut praestent clerici, monitis beati Pauli ad Timotheum et Titum, summorum pontificum et conciliorum decretis toto corde inhaereant.

144. Nomen suum perfecte norint clerici, et a mundo segregati haereditas et tribus Domini nomi-

[1] *Acta eccl. Mediol.*, p. 145.
[2] Alex. VII, const. *Piae sollicitudinis*, die 23 apr. 1657.
[3] Decr. 20 aug. 1692. Ferraris, art. *Musica*.

[1] Cap. *sacris* 12 de sepulturis (III, 28).
[2] Conc. Trid., sess. XXV, *de purg.*
[3] Ioan. IV, 24.
[4] Conc. Trid., sess. XXII, *de ref.*, cap. 1.

nari et esse mereantur[1], nolentes huic saeculo conformari[2]: quoniam quicumque voluerit amicus esse saeculi huius inimicus Dei constituitur[3].

145. Caveant clerici ne pedes in diversis ponant, alterum in divinis, alterum in carnalibus[4]. Vestes laicales non deferant, sed habitum ordini congruentem iuxta episcopi ordinationem et mandatum[5], ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant[6].

Statuimus igitur ut veste talari, gallice *soutane*, utantur[7], et tonsuram clericalem deferant. In omni exteriori vestitu color tantum niger adhibeatur[8], et quidquid ex interiori veste subostendi forte potest nigri sit aut subnigri coloris. Femoralia usque ad pedes defluentia *(pantalons)* et ocreas *(bottes)* non nisi equitantes aut alia transitoria necessitate deferant. Capillos nec longiores, nec breviores habeant, nec more mundano compositos. Collare, cingulum et pileum habeant iuxta formam in dioecesi admissam et ab episcopo expresse approbatam. Non minus turpem squalorem quam mundanum in vestibus aut supellectili luxum effugiant[9]. Veste talari penitus clausa[10], toto corpore in modestia et humilitate composito, in publicum incedant, ab omni habitus et ornamenti nov... prorsus alieni[11].

146. Clamosas venationes, item et cum armis, omnino sibi prohibitas esse sciant[12].

In domibus aut locis publicis quibuscumque non ludant omnino, nec ludentium fautores vel testes existant. Privatim autem, non nisi per breve tempus, raro cum laicis[13], non alea et lucri causa, non in diebus collationum *(conférences)*. Quoad ludum vulgo dictum *jeu de cartes*, enixe hortamur in Domino sacerdotes omnes et clericos ut ab ipso omnino abstineant.

Negotiationem[14], turpem quaestum, medicinae[15] aut chirurgiae[16] artem non exerceant. Nundinas et mercatus non frequentent, imo absque gravi causa non adeant.

Laicorum gerendas res tanquam procuratores, aut villici vel praediorum conductores, nec ullo alio pacto suscipiant[17]. Avaritiae, quae in ordine ecclesiastico summopere dedecet, suspicionem quantulamcumque devitent, et, Deo militantes, saecularibus

A non implicentur negotiis neque per se et directe nec indirecte per alios[1].

Caveant ne debita contrahant; quod si forte iam contraxerint, aeris alieni solutionem non procrastinent. Nec praedia nec aedes emant intra parochiae suae limites, absque licentia episcopi, nec propinquorum matrimoniis faveant.

In diversoriis, tabernis aut aliis huiusmodi locis cibum vel potum non sumant, praeterquam in itinere, necessitatis causa. Nuptiales epulas devitent[2], laicorum mensas non frequentent, semper sobrii sint.

Sint in sumptibus modesti, parci sibi, pauperibus largi.

Instrumenta vel chirographa non obsignent unde personalis ipsorum libertas[3] in discrimine poni valeat, pro aliis sponsores[4] et fideiussores non existant, inconsulto episcopo: alioquin poenam suspensionis ipso facto incurrant. Nullum, pariter inconsulto B episcopo, ad iudicem laicum pertrahant, praesertim ex parochianis sibi subditis[5].

147. Meminerint sacerdotes, nihil sacris canonibus fuisse saepius prohibitum, nihil sibi magis probrosum et christianae plebis magis pietati nocivum quam suspectam quamvis clerici et praesertim sacerdotis cum mulieribus consuetudinem.

Praeter matrem, sororem et amitam, nullam aliam mulierem, absque licentia episcopi, apud se domi retineant, famulatus causa aliove quocumque titulo, nisi sit illa optimae famae, quadraginta annis natu maior[6], libera seu non coniugata.

Advertant etiam presbyteri, sorores vel amitas iuniores, praesertim absente matre vel ancilla in domo presbyterali non sine gravi incommodo commorari posse, cum exinde saepe saepius gravia oriantur pericula et scandala.

148. Quoniam multam malitiam docuit otio- C sitas[7], sacerdotes attendant lectioni et studio, orationi vacent, officiis caritatis et ecclesiasticis disciplinis sint perpetuo intenti.

149. Inobedientes praecedentibus monitis vel mandatis corripiantur, et secundum canonicas sanctiones ab ordinario puniantur, ut, remotis omnibus scandalis, *„abundet in eis totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiae puritas et spiritualis observantia disciplinae."*[8]

## Caput II.
### *De exercitiis secessus ecclesiastici.*

Post saluberrimum seminariorum institutum quod, providente Domino, in ordinis levitici informationem decrevit sancta Tridentina synodus, nihil certe clero utilius esse potest quam secessus ecclesiastici annuales. Ambo haec sibi optime cohaerent quod prius format, posterius fovet, conservat aut col- D lapsum instaurat. Nec ab ipsius Christi exemplis est alienum qui seorsum cum discipulis in desertum locum se recepisse perhibetur. Quam utilissimam praxim in Auscitana provincia conservare cupientes, statuimus:

150. Providebit episcopus ut quotannis seminarii aedes presbyteris ex dioecesi convenientibus pateant, ut ibi per aliquot statos dies, ipso oppor-

[1] Pontif. Rom., in ordin. diaconi.
[2] Rom. XII, 2.
[3] Iac. IV, 4.
[4] Conc. Trid., sess. XIV, *de ref.*, cap. 6.
[5] Ibid.
[6] Ibid.
[7] Benedictus XIV, *de syn.*, lib. XI, cap. 8.
[8] Concil. Mediol.: *Acta eccl. Mediol.*, (edit. Parisina, 1643), p. 128.
[9] *Acta eccl. Mediol.* (edit. Parisina, 1643), p. 128, n. 6.
[10] Conc. Later. IV, can. XVI, [Mansi, *Conc.*, XXII, 1006 A].
[11] *Acta eccl. Mediol.*, p. 128, n. 6.
[12] Ibid. p. 129, n. 33. — Synod. Agath., apud Gratian., can. *Episcopum*, 2 dist. 34, [can. 55, Mansi, *Conc.*, VIII, 334 A]. — Conc. Epaon. anno 517, can. 4, [Mansi, *Conc.*, II, 559 D]. — Conc. Germanicum anno 742, can. 2, [Mansi, *Conc.*, XII, 366 B].
[13] Can. apost., 41, 42, [Mansi, *Conc.*, I, 56 A]. — Innoc. III, conc. Later., IV, can. 16, [Mansi, *Conc.*, XXII, 1006 A]. — Conc. Burdigal., anno 1583, tit. 21, *de vita cler.*, Mansi, *Conc.*, XXXIV, 771 E].
[14] Alexand. III, cap. *Secundum*, 6, ne clerici vel monachi, (III, 50). — Benedictus XIV, bulla *Apostolicae servitutis*, die 25 febr. 1741. — Can. apost. 7, [Mansi, *Conc.*, I, 51 B]. — Epist. Cypr. 66 [opp. s. Cypr., ed. Baluzii, p. 114]. — Conc. Carthag. III, anno 397, can. 15, [Mansi, *Conc.*, III, 883 A]. — Conc. Arelatense II, can. 14, [Mansi, *Conc.*, VII, 880 C]. — Conc. Chalced., can. 3, [Mansi, *Conc.*, VII, 373 C]. — Gelasius papa *epist. ad episc. per Lucaniam*, cap. 15, [Mansi, *Conc.*, VIII, 41 D]. — Bened. XIV, *de synod. dioeces.*, l. X, c. 6.
[15] Conc. Mediol., *acta eccl.*, p. 130, n. 48.
[16] Conc. Later. III, cap. *Sententiam*, 9, ne clerici vel monachi, (III, 50).
[17] Conc. Chalced., can. *Pervenit*, 1, caus. XXI, qu. 3, [can. 3, Mansi, *Conc.*, VII, 373 C]. — *Acta eccl. Mediol.*, p. 130, n. 51.

[1] Bulla Bened. XIV *Apostolicae servitutis*, die 25 febr. 1741.
[2] Synod. Laod. anno 372, *de consecr.*, dist. 5, can. 37, [Mansi, *Conc.*, II, 569 E]. — Agath., anno 506, Gratian. dist. 34, can. 19.
[3] Conc. Nugaroliense, anno 1308, can. 18, [Mansi, *Conc.*, XXV, 116 A].
[4] Conc. Mediol., *Acta eccl. Mediol.*, p. 130, n. 53.
[5] Ibid., p. 130, n. 46.
[6] Synod. Nicaena, can. 3, [Mansi, *Conc.*, II, 670 A]. — Innoc. III, cap. *A nobis*, 9, de cohabitatione cleric. et mulierum, (III, 2). — Bened. XIV, *de synod. dioec.*, lib XI, cap. 4, § 4.
[7] Eccl. XXXIII, 29.
[8] Pontif. Rom., in ordinatione diaconi.

tuna monita praebente, vel ipsius loco quodam A sacerdote, aetate, pietate et rerum ecclesiasticarum scientia conspicuo, sacris vacent exercitiis in silentio et quiete.

151. Enixe hortamur in Domino presbyteros omnes ut, cessantibus negotiis quibuscumque, annualis secessus fiant participes. Dies tot curis et officiis oneratos coram Domino recogitent. Si quid saecularis contagionis ipsis adhaeserit, hoc totum abluant ut, resuscitata gratia quae ipsis data est cum impositione manuum presbyterii[1], immaculatum deinceps ministerii sui donum custodiant[2]. Ab inanibus colloquiis et curiosis circuitionibus abstracti, exercitationum spiritualium tempus in animae suae utilitatem totum impendant. Episcopum ut patrem, aperto corde, tam de suo quam de parochiae statu informent, et consulant in dubiis et intricatis rebus.

152. Cum autem non raro contingat quod tem- B pore praefixo quidam impediti fuerint, postea privatim, quo meliori poterunt modo, annuali recollectioni vacent, ne ullus labatur annus de quo rationem non referant coram Domino ante diem districti iudicii.

### Caput III.

*De vigilantia et cura pastorali.*

153. Curae pastorali assidue incumbant parochi, ne quisquam eorum qui ipsis dati sunt, ipsorum incuria pereat. Bonus pastor proprias oves vocat nominatim et educit eas et ante eas vadit. Studeant itaque suos parochianos agnoscere, sana doctrina pascere et regere in iustitia et sanctitate veritatis.

154. Etsi parochus crebra et inutili discursione tempus consumere non debeat, expedit tamen eum suam parochiam interdum paterne visitare, ut, omnia omnibus factus, omnes salvos faciat. Sedula C sollicitudine in subditos eorumque mores invigilet, arguens, obsecrans, increpans in omni patientia et doctrina, abusus et scandala, quantum fieri poterit, auferat aut praecaveat, delinquentes prudenter corrigat, vacillantes sustineat, iustos perficiat, ignaros erudiat, moestos consoletur, scholas visitet, prospiciatque ut suis quisque obligationibus satisfaciat. Contentione divisos et odia in se invicem nutrientes ad pacem et concordiam quamprimum revocare curet.

155. Inquiret studiose parochus de pauperibus suae parochiae, et de omnibus personis temporali vel spirituali misericordia indigentibus; quibus et ipse pro viribus opitulari, et alios suo hortatu atque exemplo ad id officium incitare studeat.

Ad peccatorum conversionem et ad pietatis incitamentum satagat exercitia spiritualia populo suo interdum procurare; multumque proderit aliquando, praesertim tempore paschali, alios sacerdotes ad D audiendias confessiones advocare, ne laqueis diaboli irretitae conscientiae in captivitate detineantur.

156. Cum, ad mentem concilii Tridentini[3], oporteat eos qui ecclesiasticis ministeriis perpetuo sunt inservituri, mundi voluptates fugere, et ad pietatem ac religionem informari, accurate invigilabit parochus in iuniores clericos, quamdiu in sua parochia degent, atque de eorum conversatione et agendi ratione episcopum vel seminarii moderatores scrupulose monebit: super quo conscientiam parochorum oneramus.

### Caput IV.

*De residentia.*

157. Cum parochi munia pastoralia implere non valeant, si parochianos, more mercenariorum deserant, concilii Tridentini vestigiis insistentes, praecipimus eos in suis ecclesiis personaliter residere ut ad subveniendum parochiae necessitatibus sint semper parati.

158. Hanc residentiam personalem in suis ecclesiis praestantes, per longum tempus abesse non poterunt, nisi christiana caritas, debita obedientia, urgens necessitas aut vera utilitas, causa ab ordinario prius cognita et probata, eos abesse postulaverint.

159. Omnis parochus aut vicarius qui sine ordinarii licentia ultra quindecim dies continuos a parochia abfuerit, suspensionem ipso facto incurrat; immo, frequentes minoris temporis absentias improbat synodus, declaratque sic agentes residentiae muneri non satisfacere, quod abscedentium conscientiae relinquit, quam sperat religiosam fore ac timoratam.

160. Cum in maiori gregis periculo, magis necessaria sit pastoris praesentia, meminerint parochi sibi non licere commissas oves deserere, neque ob aëris intemperiem, neque ob grassantem morbum, neque ob persecutionem sibi populoque communem, et tunc praesertim urgere praeceptum Domini: „*Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.*“[1]

161. Contingit aliquoties vicarium inscio parocho abesse, quod in disciplinae debitae subiectionis et ecclesiarum detrimentum vergit. Hanc inobedientiam et discordiae fomitem compescere volentes, statuimus ut nunquam vicarius, nisi prius monito et annuente parocho, discedat.

### Caput V.

*De praedicatione.*

162. Inter praecipua parochorum munera certe recensetur evangelii praedicatio. „Quicumque,“ inquit concilium Tridentinum, „*parochiales vel alias curam animarum habentes ecclesias quocumque modo obtinent, per se vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus, plebes sibi commissas, pro sua et earum capacitate, pascant salutaribus verbis, docendo quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia quae eos declinare et virtutes quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadere et caelestem gloriam consequi valeant.*“[2]

163. Concionem ad populum habeant, ministerium suum impleant. Attendant sibi et doctrinae, recte tractantes verbum veritatis, profana autem et vaniloquia devitantes quae, ut ait apostolus, multum proficiunt ad impietatem; annuntiantes, non quod praesumptione humani sensus invenerunt, sed quod ex divina lectione didicerunt, iuxta ecclesiasticam traditionem et patrum ab ecclesia catholica approbatorum interpretationem. Sic agentes, et seipsos salvos facient, et eos qui illos audierunt.

164. Studeant diligenter agnoscere vultum pecoris sui. Si doctum et sapiens, alliciant illud docte et sapienter, loquendo ea quae sunt Iesu; si rude et ignarum, plana et communia vulgari idiomate explanando. Servetur ordo, et, quantum commode fieri poterit, forma in catechismo concilii Tridentini praescripta, ita ut triennio completam doctrinae christianae expositionem peragant, conenturque sacra eloquia et salutis monita in omnium cordibus, postpositis inutilibus quaestionibus, inserere, eosque in lege Domini fructuose erudire.

165. Nulli clerico nondum presbytero, nulli sacerdoti extraneo et ignoto, nulli ad praedi-

[1] I Tim. IV, 14.
[2] Pontif. Rom., in ordinatione presbyt.
[3] Conc. Trid., sess. XXIII, *de ref.*, cap. 18.

[1] Ioan. X, 11
[2] Conc. Trid., sess. V, *de ref.*, cap. 2.

cationem non approbato, sine expressa ordinarii licentia, concionari liceat.

Sacerdoti vero alienae dioecesis bene noto aut commendatitiis litteris munito et ad praedicationem approbato semel aut iterum concionem permittere possint parochi, minime autem seriem praedicationum peragere permittant, absque licentia ordinarii loci in quo habenda est praedicatio. Immo, pro adventus et quadragesimae stationibus, et pro quibuscumque exercitiis spiritualibus, vulgo *missions, retraites*, nullum advocent sacerdotem, quin eum prius episcopo designaverint, eiusque obtinuerint consensum.

166. Parochi, omnesque divini verbi praecones congruam adhibeant praeparationem, ut sit in ore eorum sermo vivus et efficax, nec sint tanquam homines qui Deum tentant. Fideles aspera obiurgatione non perstringant, nec quemquam, de vitiis aut virtutibus agendo, directe vel indirecte designent, nemini ullam dantes offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum, sed semetipsos exhibeant ministros Christi cum multa patientia. Non quae sua sunt aut turpem quaestum, sed quae Iesu Christi et salutem animarum sectentur. Nunquam in praedicatione divina quaestionibus politicis sese immisceant, nec aliud scire se existiment inter homines, nisi Iesum Christum et hunc crucifixum. — Insuper, non ex eorum memoria excidat stricte a concilio Tridentino prohiberi ne nova divulgentur miracula, nisi prius a Romano pontifice aut saltem ab episcopo recognita et probata fuerint.

## Caput VI.

### *De catechizandis pueris et rudibus.*

Omnes quibus animarum cura commissa est, non minimam suae sollicitudinis partem in catechizandis pueris et rudibus ponent. Ex eo summopere pendet totius vitae christianae institutio, morum conservatio, religionis societatisque prosperitas. Idcirco:

167. Verborum Christi memores: „*Sinite parvulos venire ad me*[1],“ puerorum rudiumque personarum institutionem suscipiant parochi, sive per seipsos, sive per vicarios, catechizantes eos sive publice, sive privatim; nec huiusmodi curam aliis totaliter relinquant; provideantque ut nullus scientia ad salutem necessaria careat.

168. Moneant parentes ut a teneris annis praecipuas christianae religionis veritates pueris proponant, eosque ad catecheses mittant, non exspectata primae communionis aetate. Per maiorem anni partem, praesertim tempore adventus et quadragesimae, pluribus in hebdomada diebus, fidei rudimenta pueris, secundum catechismi concilii Tridentini doctrinam, explicabunt. Diebus autem dominicis, omnes Christi fideles ad catecheses accuratius praeparatas advocent ut cuncti ediscant quid credere et agere, quae vitia fugere et quas virtutes sectari ad salutem consequendam oporteat. Curent insuper animarum rectores dioecesis catechismum in scholis doceri, puerorumque mentes sana imbui doctrina.

## Caput VII.

### *De sollicitudine erga infirmos.*

Docente nos apostolo ad infirmum inducendos esse ecclesiae presbyteros, parochos omnesque animarum saluti invigilantes monemus et strenue in Domino adhortamur ut aegrotorum sollicitam paternamque curam gerant. Etsi adversarius noster, per omnem vitam, occasionem homines perdendi quaerat et captet, nullum tamen tempus est quo vehementius omnes versutiae suae nervos intendat ad eos a fiducia divinae misericordiae deturbandos, et in damnationem coniiciendos, quam cum eis imminere proximam mortem perspicit.

169. Quapropter, sacerdotes non pigeat infirmos invisere; moneant parochianos ut sacerdotem tempore opportuno, quacumque diei noctisque hora, postposito omni molestiae timore, requirant. Advocati statim accurrant; quin etiam, comperto alicuius periculo, non exspectent donec requirantur, sed ultro et diligenter aegrotum adeant, sublato omni discrimine inter divites et pauperes, cum omnibus sint debitores. Eum benigne alloquentes et prudenter monentes, ad peccatorum confessionem ingeniosa caritate alliciant. Perpendant an agnoscat res ad salutem necessarias, eas ignoranti exponant, eumque ad debitas dispositiones incitantes, efficiant ut non appareat ante conspectum Dei, nisi cunctis religionis praesidiis munitus.

170. Quod si obstinatos peccatores inveniant, eorum contumaciam vicissim et miserationum Dei magnitudine et aeterni supplicii interminatione vincere satagant. Repulsi redeant, nunquam desperantes, sed in Domino fidentes, caeloque addant fervidam orationem, dicente apostolo: nihil esse eum qui plantat et qui rigat, nisi Deus det incrementum: et propheta: in vanum laboraturos qui aedificant, nisi ipse Dominus aedificaverit domum.

171. Perseverante post recepta sacramenta morbo, aegrotantem non deserat parochus aut confessarius, sed eum frequenter visitans, iterata identidem peccatorum absolutione, tueatur contra insidias inimici quaerentis quem devoret. Pia atque brevi adhortatione illi suggerat patientiam et divino iudicio voluntatis assensum, atque, accensis doloris, fiduciae amorisque affectibus eum ad praemia aeternae felicitatis perducat.

172. Pueros qui septennium nondum attigerunt invisere non dedignentur presbyteri, cum saepe contingat eos in malitia esse adultos. Deoque per sacramenta reconciliari indigere. Provideant denique ut pauperibus in infirmitate necessaria suppeditentur auxilia.

## Caput VIII.

### *De iudiciis ecclesiasticis.*

173. Quod episcopus sit in causis spiritualibus iudex, nullus est ambigendi locus, cum a Spiritu sancto regere ecclesiam Dei positus, divinorum praeceptorum et ecclesiae canonum custos existat et vindex.

Iudicialis haec potestas in ipso ordinaria est et episcopali muneri inhaerens.

Hinc, a veritate aberrant quicumque hanc iurisdictionem episcopo denegant, sive illam contentioso et forensi modo per seipsum aut per delegatum officialem exerceat, sive extraiudicialiter et ex informata conscientia procedat, ad mentem concilii Tridentini[1].

174. Ideo, suam quisque officialitatem instituere aut institutam servare poterit episcopus, eique causas illas diiudicandas transmittere quarum solemnis et contradictoria discussio possibilis et expediens ipsi visa fuerit, salvo iure appellationis ad apostolicam sedem et ad metropolitam prout a iure statutum est. Sedulo curet episcopus ne ex clamoso auditorio generetur infirmis scandalum, innocentium infamia, religionis opprobrium et iurisdictioni civili praebeatur occasio causas ecclesiasticas ad saeculare forum pertrahendi.

[1] Marc. X, 14.

[1] Conc. Trid., sess. XIV, *de ref.*, cap. 1. — Benedictus XIV, *de synod. dioec.*, lib. XII, cap. 8.

Sive modo contentioso et forensi, sive extraiu- A dicialiter et ex informata conscientia procedat episcopus, meminerit se non tantum iudicem, sed et pastorem esse ac patrem. Clericos omnes, sacerdotes praesertim, ut carissimos filios excipiat; si quid peccaverint, benigne corrigat, nec prius ad acriora remedia descendat quam in medendis vulneribus inutilia esse compererit levia fomenta. Amica haec et paterna iustitia, non minus filiali presbyterorum nostrorum in praesules observantiae quam tempori congrua, totius ordinis levitici famae consulit, loquacis saeculi dicteriis viam praecludens.

## TITULUS V.

### De ratione studiorum ecclesiasticorum.

#### Caput I.

*De seminariis et eorum moderatoribus.*

Sacrosancta Tridentina synodus, divino Spiritu B afflata, nullum aptius iudicavit esse remedium malis quibus tunc laborabat ecclesia Christi, quam seminariorum institutionem. Nil etiam nunc utilius esse censet Auscitanae provinciae concilium quam illas fovere domos clericales, quas feliciter possidet quaelibet dioecesis, easque summa diligentia moderari ut ad finem sanctum suum assequendum quotidie aptiores reddantur.

175. Imprimis declarat et docet haec provincialis synodus seminaria sive maiora sive minora ab episcopali auctoritate prorsus pendere, et ordinarium possidere ius plenum ea regendi et administrandi, prout ipsi coram Domino et pro meliori bono ecclesiae visum fuerit, sive quoad rectores eorum et magistros eligendos, sive quoad rationem studiorum, sive quoad disciplinam et regimen integrum.

176. Paterna sollicitudine seminaria sua prosequatur episcopus. Ipsis semper praeficere curabit C directores et magistros doctrina ecclesiastica eximios et praesertim pietate, zelo et patientia praecellentes, qui iuniores alumnos sibi creditos humilitatem, modestiam, mundi fugam, amorem solitudinis et laboris, caritatem, mansuetudinem, orationis praxim assiduam, erga episcopum obedientiam et reverentiam, exemplis non minus quam praeceptis edoceant.

177. Iuvenes in seminario receptos, tanquam filios et futuros suae pastoralis sollicitudinis participes et coadiutores habebunt episcopi. Eos visitent, et inquirant de eorum vita, moribus et pietate. Exercitationibus scholaribus illorum seu examinibus, quoties expedire iudicaverint, assistentes erunt cum viris scientia clericali praeditis, ita ut ipsis constet de alumnorum sufficientia et doctrina.

178. Sedulo invigilabit episcopus ne immoderatae et inutiles fiant in seminariis suis expensae; et, iuxta sanctissimae synodi Tridentinae praescrip- D tum, singulis annis redituum et impensarum rationem accipiet, qua ipsi constet de felici domorum ecclesiasticarum profectu et sapienti bonorum temporalium moderamine.

#### Caput II.

*De studiis in minoribus seminariis.*

Minora seminaria collegia sunt vere clericalia, in quibus recipiuntur pueri ad sacrum ministerium destinati et electi. Quasdam regulas circa illarum domorum regimen stabiliendas censet Auscitana synodus.

179. Ordinarius programma certum et explicitum dabit de iis quae in diversis classibus docenda erunt per annum. Methodum etiam praescribet quam fideliter tenere curabunt seminarii professores.

180. Inter diversa studiorum obiecta primum habebit locum religionis catholicae scientia. Linguarum studiis assidue incumbent seminarii minoris alumni. Linguam vernaculam *(française)* ita diligenter addiscent, ut postea illa facile, recte, imo et eleganter, sive verbo, sive scriptis, uti queant. Linguam latinam, quae ecclesiae catholicae propria est, quasi maternam apprime addiscere curabunt. Huicce, quantum fieri poterit, et graecam addent, quae tam praeclaris scriptoribus illustrata fuit, seu sacris et ecclesiasticis, seu profanis.

181. Multum et pretiosum fructum afferet iunioribus alumnis studium historiae sacrae et ecclesiasticae; neque ullo modo praetermittendum studium historiae sive profanae, sive mere civilis. Eo diligentius historiam edocere debent seminarii professores, et in ea veritatem factorum restituere, quo plurimi coaevi scriptores in odium religionis eam adulterare conati sunt.

182. Mathesis necnon scientiarum naturalium in seminario rudimenta accipient alumni. Verum, intra sapientes limites haec restringenda sunt; in his enim faciles essent excessus et abusus, dum tempus doctrinae et litterarum studio necessarium subtraheretur cum magno scientiae detrimento.

183. Non indiscriminatim omnibus pueris aperiatur seminarium, sed his tantummodo qui sanctae tribus leviticae spes esse videntur; factaque probatione, amoveantur qui puritate morum, pietate et constanti diligentia fructus uberiores virtutis clericalis non promitterent. Parochis et omnibus quibus salus animarum commissa est incumbit imprimis cura discernendi quos Deus elegerit, et eos episcopo vel seminarii rectoribus notos faciendi. Si quos noverint adolescentulos felici indole, pietate vera, facilique ingenio ornatos, eos paterna caritate foveant, primas litterulas doceant, a contagione saeculi salvos faciant, ut tempore opportuno, gratia et innocentia pollentes, seminario coaptari possint. Et cum inter eos non pauci inveniantur bonis fortunae minus praediti, deficientibus propriis facultatibus et patefactis seminariorum necessitatibus, in beneficentiae consortium advocent pios divites sectatores bonorum operum.

184. Nullus sacerdos vel alius clericus in sacris constitutus, sive dioecesanus, sive extraneus, scholam instituat vel regendam suscipiat, sub quovis nomine designetur, nisi annuente et approbante ordinario.

#### Caput III.

*De studiis in maioribus seminariis.*

Uti sanctuarium pietatis, ita et scientiae clericalis schola est seminarium maius. Ibi enim proxime praeparantur qui lux mundi esse debent, duces populorum, veritatis propugnatores inconfusibiles, quorum labia custodient scientiam, et qui se totos impendere sint parati ad gloriam Dei procurandam, ecclesiam Christi tuendam et animas fratrum efficaciter lucrandas. Ideo, haec statuenda vel renovanda censemus:

185. Emenso per annos duos philosophiae et scientiarum physicarum curriculo, per quatuor alios annos theologiae operam dabunt, quae partes praecipuas semper tenere debet.

186. Veterem methodum in studiis adhibitam, quam syllogisticam vocant, frequentius adhibebunt, ut magistri lucidius doceant, et alumni perutilem acquirant consuetudinem clarae et rigorosae probationis in disputationibus, non huc et illuc deflectentes sophistice. Volumus insuper ut in iisdem studiis lingua latina semper utantur. Utile tamen erit et exoptamus ut iuniores clerici, per allocutiones et scriptiones in lingua gallica, facilis elocutionis usum et praxim acquirere satagant.

187. Praeter quaestiones theologiae dogmaticae et moralis, ex quibus subtiliores, supervacaneas et nimis curiosas perstringere seu expungere curabunt professores, clerici sacrae scripturae lectioni et meditationi amanter insistent. In ecclesiastica historia admirabilem experientur Dei providentiam, nec non sanctae traditionis documenta et regulas verebuntur. In quolibet provinciae seminario instituetur duplex ille cursus, scilicet scripturae sacrae et historiae ecclesiasticae. Ad cantus ecclesiastici et caeremoniarum praxim informabuntur eadem sollicitudine.

Ex aptioribus alumnis nonnulli seligantur quibus linguae hebraicae notitia praebeatur.

188. Non minus ardenter exoptamus quamprimum institui lectiones quasdam de iure canonico, cuius ignorantia, non solum indecora, sed multum periculosa foret.

189. Cum salus animarum a ministerio verbi pendeat, dicente apostolo, „*fides ex auditu*," opus grande coram Deo et hominibus praestabunt seminariorum rectores, si, diligentiori cura datis theologiae et aliarum scientiarum documentis, clerici quibus proxime incumbet tanti momenti munus, ad illud recte implendum aptiores fiant. Quapropter, ipsis proponantur optimae circa varios praedicandi modos regulae, praesertim circa homiliam et catechismum; et, data compositionis materia, in praxim illas redigant. Ut autem vividius exardescat aemulatio, publicae fiant interdum exercitationes, et clericus, iam praemonitus, praeside superiore, et astantibus rectoribus et condiscipulis, praedicationi indulgeat.

190. Praeterea, monita specialia accipient de sacris ritibus in sacramentorum administratione, de celebratione divinorum, de animarum cura et regimine, de sapienti parochiae gubernatione, de recta bonorum ecclesiae administratione *(administration des fabriques)*, de templi divini dispositione et ornatu, necnon de sacra eius supellectili secundum probatas ecclesiae regulas.

Caput IV.

*De obligatione sacerdotum studio incumbendi et de examine iuniorum sacerdotum per aliquot annos.*

Absoluto in seminario studiorum cursu, nondum certe perfectam scientiam nacti sunt presbyteri recens ordinati; et summopere vigilandum est ne in desidiam prolabantur, a studiis ecclesiasticis cessantes. Idcirco, medium efficax tam grave malum praeveniendi quaerens synodus Auscitana, sequens statuit mandatum pro omnibus presbyteris recens ordinatis, qui legitime non fuerint dispensati:

191. Omnes et singuli iuniores presbyteri per quinquennium eorum ordinationem sequens, quotannis sedulo examinabuntur ab episcopo super quaestiones theologicas, aliasque materias iam in *brevi dioecesano* vel in speciali documento indicatas.

Caput V.

*De collationibus ecclesiasticis.*

192. Collationes ecclesiasticas iamdudum apud nos institutas et non sine eximio fructu frequentatas retineri expedit et foveri. Iuxta probatam consuetudinem quam synodus confirmat, his interesse debent districtus parochi, vicarii omnes et capellani, legitima non impediente causa. Caeteros etiam sacerdotes omnes adesse valde exoptamus.

In unaquaque districtus congregatione, praeter decanum praesidem, instituitur specialis promotor et secretarius quorum munia erunt ab ordinario determinata.

Quaestiones episcopali mandato praeassignatae discutientur non contentionis animo, sed pacis et veritatis amore. Prae oculis semper unusquisque habeat non quod singulari aut curioso placuerit ingenio, sed ecclesiae doctrinam, pontificum et doctorum documenta. Nunquam eorum scriptorum auctoritas afferatur, quorum doctrina minus probata aut quomodocumque suspecta fuerit.

Collationis acta a praeside ad episcopalem curiam dirigantur; quibus perlectis et examinatis, episcopus speciali rescripto quotannis clero indicabit quid in iis approbandum vel corrigendum iudicaverit.

DECRETUM

*de subscriptione, fine et promulgatione concilii.*

Nos, Nicolaus-Augustinus de La Croix d'Azolette, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae gratia archiepiscopus Auscitanus, Novempopulaniae et Navarrae primas, comes Romanus, solio pontificio assistens, admonemus reverendissimos nostros episcopos comprovinciales, ut singuli, loco et ordine suo, iis quae in synodo decreta sunt, subscribant.

Insuper, de consensu eorumdem reverendissimorum episcoporum, decernimus huius provincialis concilii finem fieri, et iam nunc factum esse; atque statuimus ut, postquam concilii decreta a sancta sede apostolica approbata fuerint, ea unusquisque episcoporum, in proxima dioecesana synodo, iuxta canonicas sanctiones, faciat promulgari, illorumque executionem urgeat in sua dioecesi.

SUBSCRIPTIONES EPISCOPORUM.

Nos, Nicolaus-Augustinus de La Croix d'Azolette, archiepiscopus Auscitanus, haec decreta a nobis definita subscripsimus.

† Nicolaus-Augustinus, archiepiscopus Auscitanus.

Ego Franciscus Lacroix, episcopus Baionensis, consentiens subscripsi.

† Franciscus, episcopus Baionensis.

Ego Franciscus-Adelaïs-Adulphus Lanneluc, episcopus Aturensis, consentiens subscripsi.

† Franciscus-Ad.-Ad., episcopus Aturensis.

Ego Bertrandus-Severus Laurence, episcopus Tarbiensis, consentiens subscripsi.

† B.-S., episcopus Tarbiensis.

## ACTA CONCILII.

CONGREGATIO PRIMA PRIVATA.

Anno ab incarnatione Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, die 17 mensis augusti, illustrissimus ac reverendissimus Nicolaus-Augustinus de La Croix d'Azolette, archiepiscopus Auscitanus, Novempopulaniae et Navarrae primas, comes Romanus, pontificio solio assistens, illustrissimi ac reverendissimi Franciscus Lacroix, episcopus Baionensis, Franciscus-Adelaïs-Adulphus Lanneluc, episcopus Aturensis, Bertrandus-Severus Laurence, episcopus Tarbiensis, provincialis concilii Auscitani ab eodem illustrissimo metropolitano per litteras die quarta iunii datas, ad diem vigesimam augusti proximam indicti celebrandi causa, in palatio archiepiscopali congregati, quasdam praevias congregationes privatim iudicaverunt habendas.

Eadem die, hora post meridiem quinta, habita est prima congregatio privata in secretiori consistorio dicti palatii, cui interfuerunt praedicti patres, ibique actum est de quibusdam ante apertionem synodi praeordinandis; quae quidem, ut sequitur, voluerunt esse servanda.

1. Illustrissimi ac reverendissimi Ioannes-Maria Mioland, archiepiscopus Sardianus, coadiutor cum

futura successione illustrissimi archiepiscopi Tolosani, et Iosephus-Augustinus-Victorinus de Morlhon, episcopus Aniciensis, ad concilium invitati, omnibus sive privatis, sive generalibus congregationibus et sessionibus interesse poterunt. A

2. Statuerunt et mandaverunt publicandum et affigendum in apertiori loco seminarii maioris, ubi conveniunt omnes qui concilio sunt interfuturi, et insuper in aula capitulari ecclesiae metropolitanae sequens decretum:

Illustrissimus ac reverendissimus dominus dominus Nicolaus-Augustinus de La Croix d'Azolette, miseratione divina et sanctae sedis apostolicae gratia, archiepiscopus Auscitanus, Novempopulaniae et Navarrae primas, comes Romanus, pontificio solio assistens, de consilio et assensu reverendissimorum episcoporum comprovincialium, Baionensis, Aturensis, et Tarbiensis, universis et singulis qui concilio provinciali de iure vel consuetudine interesse debent, B mandat et praecipit ut die decima nona mensis augusti anni millesimi octingentesimi quinquagesimi primi, in aula archiepiscopali, Auscis, sistant se, ad congregationem generalem quae in loco secretiori praedictae aulae habenda est, hora post meridiem tertia; atque procuratores capitulorum instrumenta procuratoria ibidem examinanda afferre non praetermittant.

Ad congregationem praedictam soli episcopi cum habitu chorali interesse debent. Caeteri omnes cum veste talari, mantello longiori et birreto convenient.

De mandato domini domini archiepiscopi:

G. Sentis, canonicus honorarius, secretarius.

3. Decreverunt patres promissionem de secreto servando in prima congregatione generali ab omnibus emittendam esse iuxta sequentem formulam:

Ego N. promitto me decretorum concilii textum nullo modo traditurum, donec reverendissimorum C patrum auctoritate typis demandatus fuerit, nec quidquam inter ea quae res aut personas gravitate quadam attingentia, in congregationibus dici poterunt aut agi, revelaturum ulli [eorum] qui concilio non fuerint addicti.

4. In ecclesia metropolitana beatae Mariae Dei genitrici dicata, die vigesima labentis mensis, feria quarta intra octavam Assumptionis beatae Mariae virginis, in qua festum sancti Bernardi ecclesiae doctoris occurrit celebrandum, hora octava ante meridiem, publica concilii fiet apertio.

Qua die, omnes qui in celebrando concilio erunt admissi, ad aulam archiepiscopalem conventuri sunt hora sesquiseptima, et inde ad praedictam ecclesiam ordinanda erit processio ut sequitur:

Crux processionalis cum acolythis; clerici necnon presbyteri ex variis dioecesibus superpelliceis induti; capellani ecclesiae metropolitanae; canonici D ad honores in suo quisque ordine et habitu chorali; cantores superpelliceis tantum induti; theologi et canonistae in habitu chorali; procuratores capitulorum Tarbiensis, Aturensis et Baionensis; capitulum metropolitanum collegialiter incedens; episcopi ex alia provincia; demum reverendissimi patres.

In cuius processionis actu, sicut et in publicis sessionibus, episcopi provinciae Auscitanae insigniti erunt rochetto super quod induent amictum, stola rubra, pluviali eiusdem coloris, mitra et baculo pastorali.

Episcopi vero ex alia provincia concilio intercessentes super rochettum induent amictum, pluviale cum mitra.

Unicuique episcopo duo sint vicarii seu alii presbyteri assistentes, veste chorali induti.

5. Ad processiones, publicas sessiones, congregationes generales et ad missam synodalem, tam procuratores capitulorum quam theologi et canonistae habitu chorali insigniti erunt. Ad congregationes vero particulares cum veste talari, mantello longiori et birreto convenient. Inter se ordinem eumdem ac suus respectivus episcopus servabunt.

6. Quibus ita ordinatis, actum est de ministris seu adiutoribus concilii constituendis, statimque patres elegerunt officiales nominandos et publice proclamandos in prima congregatione generali, nempe:

Pro officio promotoris concilii: reverendum dominum Ioannem-Iosephum Meydousse, canonicum et secretarium generalem archiepiscopatus; reverendum dominum Petrum Laurence, vicarium generalem reverendissimi episcopi Tarbiensis.

Pro officio secretarii: reverendum dominum Guillelmum Sentis, canonicum ad honores, reverendissimi archiepiscopi Auscitani secretarium; reverendum dominum Ioannem-Mariam-Alphonsum Dulin, canonicum, secretarium generalem episcopatus Aturensis.

Pro officio notarii: reverendum dominum Ludovicum-Antonium Chevallier, canonicum, superiorem seminarii maioris Auscitani; reverendum dominum Germanum-Gregorium Darré, canonicum ad honores, directorem eiusdem seminarii.

Pro officio magistri caeremoniarum: reverendum dominum Carolum-Franciscum-Mariam Monbet, canonicum ad honores, in seminario maiori Auscitano directorem; reverendum dominum Elzearum Ruffat, canonicum ad honores, reverendissimi archiepiscopi Sardiani secretarium.

CONGREGATIO SECUNDA PRIVATA.

Die decima octava mensis augusti, hora sesquinona ante meridiem, habita fuit secunda congregatio privata in aula archiepiscopali, praesidente illustrissimo archiepiscopo Auscitano, praesentibus iisdem reverendissimis episcopis.

1. Statutum fuit quod die apertionis synodi, missa erit *de Spiritu sancto* prout praescribitur a pontificali Romano et caeremoniali episcoporum. In hac missa erit communio generalis.

2. Statuerunt patres in praedicta prima sessione promulganda decreta: 1. *de aperienda synodo*: 2. *de modo vivendi in concilio, de non praeiudicando, de non discedendo*; 3. *de professione fidei*; 4. *de indictione proximae sessionis.*

Illustrissimus praeses et reverendissimi patres edent fidei professionem iuxta formulam breviorem ex pontificali deprompta. Capitulum metropolitanum, capitulorum procuratores et theologi emittent eamdem professionem fidei per formulam brevissimam quae etiam extat in pontificali.

3. Perfecta sessione, ab ecclesia metropolitana ad seminarium maius ordinabitur processio. Interea *Te Deum* cantabitur.

4. Quibus peractis, ordinaverunt patres vivendi et agendi rationem quam omnes, unaquaque die, durante concilio servandam curent, nempe:

Hora sesquiquinta, surgent a lecto, statimque precibus matutinis et orationi mentali vacabunt, missamque, si velint, celebrabunt.

Hora sesquiseptima, convenient ad missam synodalem; qua peracta, sumetur ad nutum cuiusque aliqua refectio.

Ab hora nona ad horam undecimam aut sesquiundecimam habebuntur congregationes particulares.

Ad horam duodecimam cum quadrante, prandium, quod immediate sequetur visitatio ad sanctissimum sacramentum, et post ipsam relaxatio.

Durante prandio, post lectionem capitis unius de sacra scriptura, legetur de vita santi Caroli Borromaei, et in fine martyrologium.

Ab hora tertia post meridiem ad horam quintam congregationes habebuntur, seu generales, seu particulares, prout mandaverint reverendissimi patres pro unaquaque die.

Ad horam sesquiseptimam, coena, quam immediate sequentur visitatio ad sanctissimum sacramentum, deinde relaxatio.

Hora nona, ad cubiculum recessus et vespertina oratio.

5. Illis expletis, de congregationibus particularibus instituendis et efformandis curavere patres, designando et determinando tum nomen seu titulum uniuscuiusque congregationis, tum res quas complectitur, tum personas quibus constituitur.

Congregationes concilii sic a patribus ordinatae sunt:

I. Congregatio privata episcoporum.

Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus archiepiscopus Auscitanus, praeses;

Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus Baionensis;

Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus Aturensis;

Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus Tarbiensis;

Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus archiepiscopus Sardianus, coadiutor Tolosanus;

Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus Aniciensis.

Secretarius: reverendus dominus Guillelmus Sentis, canonicus ad honores.

Praeter privatam episcoporum congregationem et praeter congregationes generales in quibus praesidebit illustrissimus metropolitanus, congregationes habebuntur particulares quibus praesidebunt episcopi, quae sic constituuntur.

II. Prima congregatio: *de fide, doctrina et hierarchia.*

Praeses: illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus Baionensis.

Vice praeses: reverendus dominus de Belloc, vicarius generalis illustrissimi et reverendissimi domini domini archiepiscopi Auscitani.

Secretarius: reverendus dominus Darré, theologus advocatus domini domini archiepiscopi.

Theologi: reverendus dominus Viguié, deputatus capituli metropolitani; reverendus dominus Manaudas, deputatus capituli Baionensis; reverendus dominus Soulé, deputatus capituli Tarbiensis; reverendus dominus Mendousse, theologus advocatus domini domini archiepiscopi; reverendus dominus Monbet, theologus advocatus domini domini archiepiscopi; reverendus dominus de Morlhon, theologus advocatus eiusdem praesulis; reverendus dominus Laurence, vicarius generalis, theologus advocatus domini domini episcopi Tarbiensis; reverendus pater Payan, e societate Iesu, theologus advocatus domini domini episcopi Aturensis.

III. Secunda congregatio: *de cultu divino.*

Praeses: illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus Aturensis.

Vice praeses: reverendus dominus Hiraboure, vicarius generalis illustrissimi et reverendissimi domini domini episcopi Baionensis.

Secretarius: reverendus dominus Sentis, theologus advocatus domini domini archiepiscopi.

Theologi: reverendus dominus Laporte, deputatus capituli Baionensis; reverendus dominus Baradère, deputatus capituli Tarbiensis; reverendus dominus Dupin, vicarius generalis, theologus advocatus domini domini archiepiscopi; reverendus dominus Abeilhé, theologus advocatus domini domini archiepiscopi; reverendus dominus Garbay, theologus advocatus eiusdem praesulis; reverendus dominus Ruffat, theologus advocatus domini domini episcopi Aturensis; reverendus dominus Soulé, theologus advocatus eiusdem praesulis.

IV. Tertia congregatio: *de disciplina et de studiis.*

Praeses: illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus Tarbiensis.

Vice praeses: reverendus dominus Bousquet, vicarius generalis domini domini episcopi Aturensis.

Secretarius: reverendus dominus Chevallier, deputatus capituli metropolitani.

Theologi: reverendus dominus Dulin, deputatus capituli Aturensis; reverendus dominus Bonnafonte, vicarius generalis, theologus advocatus domini domini archiepiscopi; reverendus dominus Barciet, vicarius generalis, theologus advocatus eiusdem praesulis; reverendus dominus Ducuron, theologus advocatus eiusdem praesulis; reverendus dominus Canéto, theologus advocatus eiusdem praesulis; reverendus dominus Haramboure, theologus advocatus domini domini episcopi Baionensis; reverendus dominus Tisné, theologus advocatus domini domini episcopi Tarbiensis; reverendus dominus Peydessus, theologus advocatus eiusdem praesulis.

Quae constitutio congregationum particularium in prima congregatione generali proclamabitur.

6. Ex resolutione patrum, bulla *Auctorem fidei*, integra, typis demandabitur ac vulgabitur cum ipsis concilii decretis, ut omnibus sacerdotibus notissima fiat et sic ab omnibus tanquam vera credendi et agendi regula teneatur.

Quibus sic ordinatis et dispositis, absoluta est secunda congregatio privata.

CONGREGATIO GENERALIS PRIMA.

Die decima nona mensis augusti, hora tertia post meridiem, iuxta decretum a pridie affixum et publicatum, prima congregatio generalis concilii Auscitani celebrata fuit in palatio archiepiscopali.

Aderant rochetto, mozetta et stola induti, illustrissimus ac reverendissimus archiepiscopus Auscitanus, et omnes reverendissimi provinciae episcopi, necnon illustrissimi ac reverendissimi archiepiscopus Sardianus et episcopus Aniciensis. Aderant pariter capitulorum procuratores et theologi advocati a reverendissimis episcopis, in veste talari, cum mantello longiori et birreto.

In modum coronae ordinata erant faldistoria pro praesulibus et sedilia pro caeteris omnibus. Ex adverso sedis illustrissimi praesidis, eminebat crux archiepiscopalis et patebant sancta Dei evangelia super thronum collocata.

Post preces in pontificali notatas, iubente illustrissimo ac reverendissimo archiepiscopo, dominus Sentis, secretarius, pronuntiat nomina procuratorum capituli metropolitani et capitulorum cathedralium ecclesiarum provinciae, qui successive accedentes, instrumenta sua exhibent, et in manibus illustrissimi praesidis deponunt. Peracto a reverendissimis patribus delegationum examine, procuratores admittuntur:

Pro capitulo metropolitano: reverendus dominus Paulus-Antonius Viguié, eiusdem capituli decanus et theologus; reverendus dominus Ludovicus-Antonius Chevallier, eiusdem capituli canonicus, superior seminarii maioris Auscitani et vicarius generalis Adiacensis.

Pro capitulo Baionensi: reverendus dominus Ioannes Laporte, eiusdem capituli decanus; reverendus dominus Martinus Manaudas, eiusdem ca-

pituli canonicus, et superior seminarii maioris Baionensis.

Pro capitulo Aturensi: reverendus dominus Ioannes-Maria-Alphonsus Dulin, eiusdem capituli canonicus, et secretarius generalis episcopatus Aturensis.

Pro capitulo Tarbiensi: reverendus dominus Iacobus Soulé, eiusdem capituli canonicus; reverendus dominus Germanus Baradère, eiusdem capituli canonicus.

Nominantur etiam a secretario, et a patribus admittuntur theologi a reverendissimis praesulibus advocati, scilicet:

Ab illustrissimo et reverendissimo archiepiscopo Auscitano: reverendus dominus Petrus de Belloc, vicarius generalis archiepiscopi Auscitani; reverendus dominus Alexius Dupin, vicarius generalis archiepiscopi Auscitani; reverendus dominus Ioannes-Baptista Bonnafont, vicarius generalis archiepiscopi Auscitani; reverendus dominus Ioannes-Iosephus Mendousse, canonicus capituli metropolitani et secretarius generalis archiepiscopatus; reverendus dominus Petrus-Franciscus Barciet, canonicus capituli metropolitani et vicarius generalis archiepiscopi Auscitani; reverendus dominus Leo Abeilhé, canonicus ad honores ecclesiae metropolitanae et seminariorum superior honorarius; reverendus dominus Franciscus Ducuron, canonicus ad honores ecclesiae metropolitanae, superior missionariorum; reverendus dominus Franciscus Canéto, canonicus ad honores ecclesiae metropolitanae et Adiacensis, superior seminarii minoris Auscitani; reverendus dominus Petrus-Paulus Garbay, canonicus ad honores ecclesiae metropolitanae, in seminario maiori sacrae theologiae professor; reverendus dominus Germanus-Gregorius Darré, canonicus ad honores ecclesiae metropolitanae, seminarii maioris director et sacrae theologiae professor; reverendus dominus Guillelmus Sentis, canonicus ad honores ecclesiae metropolitanae et Aniciensis, archiepiscopi Auscitani secretarius; reverendus dominus Carolus-Franciscus-Maria Monbet, canonicus ad honores ecclesiae metropolitanae, in seminario maiori director; reverendus dominus Florentius-Franciscus de Morlhon, canonicus et vicarius generalis episcopi Aniciensis.

A reverendissimo episcopo Baionensi: reverendus dominus Prosper Hiraboure, vicarius generalis episcopi Baionensis; reverendus dominus Stephanus Haramboure, canonicus capituli Baionensis.

A reverendissimo episcopo Aturensi: reverendus dominus Benedictus Bousquet, vicarius generalis episcopi Aturensis et archidiaconus; reverendus pater Iulius Payan, e societate Iesu, seminarii maioris dioecesis Aturensis rector; reverendus dominus Elzear Ruffat, canonicus ad honores ecclesiae Tolosanae, et archiepiscopi Sardiani secretarius; reverendus dominus Clemens-Dominicus Soulé, secretarius episcopi Aturensis.

A reverendissimo episcopo Tarbiensi: reverendus dominus Petrus Laurence, vicarius generalis episcopi Tarbiensis; reverendus dominus Tiané, canonicus ad honores ecclesiae Tarbiensis et parochus ecclesiae Sancti-Ioannis eiusdem civitatis; reverendus dominus Ioannes-Ludovicus Peydessus, canonicus ad honores ecclesiae Tarbiensis et superior missionariorum de Garaison.

Tunc, iubente illustrissimo archiepiscopo Auscitano, a secretario proclamatur decretum de officialibus, ut supra, et leguntur hactenus acta, in congregationibus privatis episcoporum, in ordine ad concilium.

Completa lectione, proponitur a domino domino archiepiscopo promissio de secreto servando per formulam a patribus edictam. Surgunt omnes et manum dextram ad pectus tenent. Dignior, nomine omnium, legit alta voce promissionem de secreto servando.

Per orationem *Sub tuum* absoluta est congregatio et omnes recedunt, post metropolitanum, incipiendo a dignioribus.

## SESSIO PRIMA.

Anno ab incarnatione Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, die vero mensis augusti vigesima, feria quarta intra octavam Assumptionis beatae Mariae virginis, in qua occurrebat celebrandum festum sancti Bernardi ecclesiae doctoris, celebrata fuit, in ecclesia metropolitana Auscitana, prima sessio concilii provincialis in hanc diem per litteras illustrissimi ac reverendissimi domini domini Nicolai-Augustini de La Croix d'Azolette, archiepiscopi Auscitani, indicta.

Hora sesquiseptima matutina, ad palatium archiepiscopale, in quo iam honorifico et benigno hospitio excepti, congregati erant episcopi provinciae Auscitanae, una cum domino domino archiepiscopo Sardiano, archiepiscopi Tolosani coadiutore et domino domino episcopo Aniciensi ad concilium invitatis, convenere omnes tum ecclesiae metropolitanae canonici, tum provinciae capitulorum deputati, et theologi a reverendissimis episcopis adsciti, non sine magno cleri dioecesani conventu.

Hora octava, processionaliter ad ecclesiam metropolitanam hoc ordine progressi sunt.

Crucem cum acolythis sequebantur alumni seminariorum. Post eos progrediebantur etiam, bini et bini, permulti ecclesiarum parochialium rectores in urbem archiepiscopalem, et quidem a longe, seria fide et pietate incitati. Dein, canonici ad honores et nonnulli canonici extranei. Post illos autem theologi ab episcopis delecti et delegati capitulorum eumdem inter se ordinem servantes, qui respectivis suis episcopis competebat. Demum venerabile ecclesiae metropolitanae capitulum.

Omnibus sic ordinatis, incedebant illustrissimi ac reverendissimi episcopus Aniciensis et archiepiscopus Sardianus, unusquisque inter duos canonicos hinc et inde pluvialis fimbriam tenentes, ipsimet autem pluviali, rochetto et amictu cum mitra induti, absque stola et baculo pastorali.

Episcopi provinciae Auscitanae iuxta ordinem suae consecrationis, scilicet reverendissimus episcopus Tarbiensis, reverendissimus episcopus Aturensis et reverendissimus episcopus Baionensis, cum mitra, pluviali, stola, rochetto et amictu, et baculum pastoralem in manu gestantes.

Denique reverendissimus archiepiscopus metropolitanus, praecedentibus immediate, cum cruce archiepiscopali, clericis ad deferenda insignia ministris, ipsemet autem rochetto, amictu, alba, cingulo, pluviali rubri coloris cum mitra pretiosa et baculo pastorali. Cui assistebant ad dexteram et ad sinistram duo vicarii generales pluvialibus induti super rochettum, cum duobus canonicis alba et dalmaticis induti, diaconi et subdiaconi munia impleturis.

Procedebant praefati praelati inter numerosissimam fidelium turbam undique ea occasione confluentium, comitante, ex utroque latere, militum caterva qui, honoris causa, isti solemni festo pie cum suis ducibus consociati, ordini tutamen et decorem religioni suppeditabant.

Ad ingressum in ecclesiam, episcopis genuflexis super pulvinaribus ad altare, metropolitanus sacras reliquias super altare expositas thurificavit, osculo veneratus est, et deinde venerabundas coepiscopis praebuit.

Tunc in faldistoriis iuxta ordinem dispositis consedere praedicti praelati et post episcopos, capitulum metropolitanum, capitulorum procuratores et theologi in sedibus assignatis.

Circa chorum, ea occasione in navi ecclesiae metropolitanae dispositum, adstabat corona venerabilis presbyterorum, id est canonicorum ad honores ecclesiae metropolitanae, canonicorum extraneorum, et cleri numerosissimi totius provinciae; et in fidelium multitudine praefulgebant dominus praefectus provinciae Gertii, et legionis militaris in urbe Auscitana degentis duces insigniores.

Metropolitanus autem in throno suo archiepiscopali resedit, et mox pontificalibus ornamentis cum pallio indutus, missam celebravit de *Spiritu sancto*, ritu solemni decantatam.

Cantato evangelio, dominus Chevallier, canonicus, illustrissimi ac reverendissimi archiepiscopi allocutionem seu mandatum de concilio provinciali, B metropolitani iussu ac nomine, ad fideles, gallico idiomate proclamavit.

Post *Agnus Dei*, quilibet episcopus suo ordine ad osculum pacis metropolitano celebranti accessit. Omnes alii assistentes canonici et theologi acceptum a subdiacono pacis osculum alter ad alterum transmisere.

Mox, suo tempore, communio generalis episcoporum et omnium qui quocumque titulo vel nomine concilio erant addicti.

Peracta missa, metropolitanus depositis pontificalibus ornamentis, retenta tantum alba cum cingulo, iterum stola et pluviale rubri coloris indutus, ad perficiendam solemnitatem iuxta rubricas pontificalis Romani, ad altare devenit, ibique, sedentibus cum mitra a dextro et a sinistro latere praefatis episcopis in faldistoriis iuxta ordinem suum dispositis, ipsemet metropolitanus in suo faldistorio sedit C facie ad populum versa.

Interea, in medio chori, super mensam apparatu convenienti cum pulvino decoratam, positus videbatur liber sanctorum evangeliorum, iuxta quem eminebat crux archiepiscopalis.

Decantatis psalmis et precibus quae in pontificali praescribuntur, reverendi promotores ad illustrissimum metropolitanum motionem reverenter fecere quatenus placeret promulgari decretum *de aperienda synodo*. Quod quidem decretum e deosculata archiepiscopi manu susceptum unus e secretariis promulgavit e suggestu, et statim ab altero secretario tum a reverendissimo metropolitano, tum ab aliis comprovincialibus episcopis reverenter fuit expostulatum an decretum placeret. Cum singuli respondissent: *Placet*, dominus archiepiscopus comprobavit et sancivit.

Eodem modo et ordine promulgatum fuit decretum de modo vivendi in concilio. D

Dein, requirentibus promotoribus, promulgatum fuit decretum de professione fidei emittenda: quo promulgato, dominus metropolitanus in medio chori genuflexus, super sancta Dei evangelia manum tenens, fidei professionem alta voce pronuntiavit; et statim ad suam sedem contra altare reversus, librum evangeliorum super genua tenens, singulorum episcoporum comprovincialium et post eos omnium de iure aut consuetudine concilio assistentium, fidei professionem suscepit.

Demum, promulgatum fuit a secretario decretum de indictione proximae sessionis quae die dominica sequenti, id est vigesima quarta augusti, in qua occurrit celebrandum festum sancti Bartholomaei apostoli, in sacello seminarii dioecesani habenda est.

Per solemnem metropolitani benedictionem expleta est sessio prima haec, et, inchoato per metropolitanum hymno *Te Deum*, omnes processionaliter, A longo praeclaro cleri ordine, adstantibus et mirantibus numerosissimis fidelium turbis omnibusque Deum omnipotentem et ecclesiae provincialis misericordem consolatorem magnificantibus, in seminarium maius devenere in quo ad peragenda concilii acta, reverendissimi patres, cum suis presbyteris, honorifico hospitio recepti, usque ad finem synodi debebant remanere.

CONGREGATIO GENERALIS SECUNDA.

Die vigesima secunda augusti, hora post meridiem sesquiquinta, habita est, in aedibus seminarii maioris Auscitani, secunda congregatio generalis, cui interfuere, praesidente reverendissimo metropolitano, episcopi comprovinciales, dominus archiepiscopus Sardianus, dominus episcopus Aniciensis, capitulorum procuratores et theologi.

Recitatis precibus assuetis, requirentibus promotoribus, iubente metropolitano et annuentibus patribus, secretarius primae congregationis particularis legit alta et clara voce decreta singula, omnibus interea prae oculis illa tenentibus scripta et adnotata, quae quidem reverendissimi patres prius elucubrata et typis mandata, omnibus capitulorum procuratoribus necnon et theologis concilio addictis, de sua benignitate voluerant communicari et tradi.

Post singulorum capitulorum recitationem, singuli delegati et theologi, nominatim ab uno e secretariis interpellati, suam sententiam libere et reverenter aperire potuerunt, annuentibus patribus, et secretarius alter omnes has opiniones et observationes diligenter adnotabat, episcoporum congregationi privatae postea subiiciendas.

Eo modo successive lecta sunt et examinata tituli primi *de fide et doctrina* quinque prima capita, et tituli secundi *de hierarchia* etiam quinque prima capita, quae in prima congregatione particulari iam elaborata fuerant.

Hora sesquiseptima iam elapsa, absoluta est haec secunda congregatio generalis.

SESSIO SECUNDA.

Die vigesima quarta augusti, dominica XI post pentecosten, qua die occurebat festum sancti Bartholomaei apostoli, celebrata est, in sacello seminarii maioris, sessio secunda in hunc diem per ultimum primae sessionis decretum indicta.

Hora octava, reverendissimus metropolitanus, comprovinciales episcopi, archiepiscopus Sardianus et episcopus Aniciensis, capitulorum procuratores et theologi processionaliter in sacellum seminarii rite paratum devenere.

Illustrissimus ac reverendissimus episcopus Tarbiensis missam voce submissa celebravit.

Finita missa, dominus archiepiscopus, iuxta easdem quae in prima sessione adimpletae sunt caeremonias, preces in pontificali indictas recitavit, et in choro decantati sunt hymni et psalmi praescripti. Tunc, humiliter requirente promotore, iubente illustrissimo praeside, proclamata sunt e suggestu a duobus alternatim secretariis decreta plurima, id est tituli primi quinque prima capita, et tituli secundi etiam quinque prima capita. Denique, promulgatum est decretum indictionis futurae sessionis, id est tertiae, in diem vigesimam septimam augusti, in ecclesia metropolitana.

Per publicationem indulgentiae centum dierum et benedictionem domini archiepiscopi absoluta est secunda sessio.

CONGREGATIO GENERALIS TERTIA.

Die vigesima quinta eiusdem mensis augusti, in festo sancti Ludovici, regis Franciae, hora matutina

nona, habita fuit in aedibus seminarii maioris tertia congregatio generalis, servatis quae in secunda congregatione generali.

Per secretarium primae congregationis lecta sunt decreta: *De parochis; de vicariis parochialibus et capellanis; de presbyteris infirmis et senio confectis.*

Deinde, per secretarium secundae congregationis lectum est decretum *de sacramentis* quod totidem constat paragraphis quot sunt sacramenta, et, post singula capita et singulos paragraphos interpellati nominatim singuli deputati et theologi, opinionem suam aperuerunt a secretario successive notatam, ut providerent patres.

Dicta oratione *Sub tuum*, absoluta est congregatio.

### SESSIO TERTIA.

Die vigesima septima augusti, feria quarta, hora octava matutina, celebrata fuit sessio tertia concilii provincialis Auscitani in ecclesia metropolitana.

Omnes concilio assistentes, cum capitulo metropolitano et numerosis presbyteris, processionaliter eodem ordine et habitu qui in prima sessione, ex aedibus maioris seminarii ad ecclesiam metropolitanam deveniunt, clericis interea litanias sanctorum cantantibus.

Finita missa synodali, quam submissa voce celebravit dominus metropolitanus, cantati sunt hymni et psalmi, et recitatae preces iuxta pontificalis rubricas.

Post hymnum *Veni Creator*, illustrissimus ac reverendissimus episcopus Baionensis e suggestu concionem habuit ad populum luculentam de ecclesiae auctoritate et de divina, quae per episcopos non interrupta traditione in ecclesia vigebat, missione apostolorum.

Finita concione, promulgata sunt ritu solito a duobus secretariis alternatim decreta: *De parochis; de vicariis et capellanis; de sacerdotibus infirmis et senio confectis; de sacramentis.*

Denique, proclamatum est decretum indictionis sessionis quartae, in diem trigesimam mensis labentis, in sacello seminarii maioris. Publicatis indulgentiis, data pontificali benedictione, in seminarium omnes redierunt, clero interea hymnum *Te Deum* cantante.

### CONGREGATIO GENERALIS QUARTA.

Die vigesima septima augusti, hora quinta vespertina habita est, in aedibus seminarii maioris, congregatio generalis quarta, praesentibus eisdem episcopis et concilii membris, servatis ritu et forma alias notatis.

Lecta sunt novem ultima capita tituli tertii *de cultu divino*, et integer titulus quartus *de disciplina*.

Per orationem *Sub tuum* absoluta congregatione, nomine presbyterorum huic synodo provinciali interessentium, annuentibus ecclesiae metropolitanae canonicis seu titularibus seu ad honores qui concilio aderant, antiquior inter capitulorum procuratores, reverendus dominus Laporte, canonicus Baionensis, illustrissimo et reverendissimo archiepiscopo metropolitano, sancti Augustini, patroni sui, crastina die festum celebranti, omnium venerationem, amorem et vota, eleganti oratione obsequentissime obtulit. Quae quidem a reverendissimo archiepiscopo non sine grati animi et consuetae humilitatis manifestatione benigne et peramanter excepta sunt.

### SESSIO QUARTA.

Die trigesima augusti, sabbato hebdomadis XI post pentecosten, celebrata est in sacello seminarii maioris sessio quarta in hanc diem indicta.

Iisdem ordine, modo et habitu ut in sessione tertia, interfuere omnes iidem praelati et presbyteri concilio assistentes. Missa a domino metropolitano submissa voce celebrata, et decantatis vel recitatis hymnis, psalmis et precibus in pontificali praescriptis, ritu solito promulgata sunt, é suggestu, a secretariis, plurima decreta, nempe novem ultima capita tituli tertii de *cultu divino* et integer titulus quartus *de disciplina*.

Indicta quinta et ultima sessione in diem secundam mensis septembris, in ecclesia metropolitana, et publicatis indulgentiis, per solemnem domini archiepiscopi benedictionem expleta est concilii sessio quarta.

### CONGREGATIO GENERALIS QUINTA.

Die trigesima prima augusti, dominica XII post pentecosten, habita est, in aedibus seminarii maioris, hora matutina nona, quinta generalis congregatio, cui interfuere cum reverendissimo domino archiepiscopo praesidente, episcopi comprovinciales, necnon reverendissimus dominus archiepiscopus Sardianus et episcopus Aniciensis, una cum capitulorum procuratoribus et theologis, iisdem modo et habitu ac in praecedentibus congregationibus.

Post assuetas preces, et servatis quae in secunda congregatione generali notantur, lecta sunt decreta *de edenda professione fidei; de monialibus*; et integer titulus quintus *de ratione studiorum ecclesiasticorum*.

Uniuscuiusque deputati et theologi sententia libere et reverenter expressa et singulis observationibus a secretario diligentissime notatis ut ad congregationem episcoporum privatam deferrentur, requirente promotore, omnes concilio addicti, sive capitulorum procuratores, sive theologi, nominatim interpellati, suum quisque secretariis tradidere quem in manibus, durante concilio, habuerant propositorum decretorum codicem typis mandatum, nunc quidem lacerandum et cremandum.

Dicta oratione *sub tuum*, absoluta est quinta generalis congregatio.

### SESSIO QUINTA ET ULTIMA.

Anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, die vero mensis septembris secunda, celebrata fuit in ecclesia metropolitana quinta et ultima sessio concilii provincialis Auscitani.

Hora octava ante meridiem ordinata fuit solemnis processio e seminario ad metropolitanam ecclesiam. Omnibus dispositis ut in prima sessione, incedunt presbyteri numerosissimi et etiam e vicinioribus dioecesibus adunati, litanias sanctorum cantantes. Sequuntur theologi, capitulorum procuratores, capitulum metropolitanum, reverendissimus dominus episcopus Aniciensis, reverendissimus dominus archiepiscopus Sardianus et tandem reverendissimi concilii patres. Hinc et inde comitatur et protegit magna militum copia et totam viam marginat innumera fidelium turba.

Missam sine cantu celebravit illustrissimus metropolitanus. Post missam, peractis precibus a pontificali praescriptis, factae sunt successive postulationes, proclamationes et approbationes sequentium decretorum: *de edenda professione fidei; de monialibus; de seminariis et eorum moderatoribus; de studiis in minoribus seminariis; de studiis in maioribus seminariis; de obligatione sacerdotum studio incumbendi; de collationibus ecclesiasticis.*

Post praedictorum decretorum approbationem, reverendissimus dominus episcopus Aturensis cathedram conscendit, et orationem ad populum habuit de concilii laboribus, et beatae Mariae totius provinciae patronae tutelam in clerum, magistratus et populum adprecatus est.

**Deinde, proclamatur e suggestu decretum sequens** A **de consecratione totius provinciae amantissimo cordi Iesu.**

*De sacratissimo corde domini nostri Iesu Christi.*

„Mirabilium erga nos beneficiorum domini nostri Iesu Christi memores, *adeamus*, adhortante apostolo, *cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno*[1]. Amantissimus enim redemptor et salvator noster ineffabiles cordis sui divitias nobis aperire dignatus est. De plenitudine eius nos omnes indesinenter accipere iuvat, qui est iugis thesaurus sapientiae et scientiae, fons perennis gratiae, et origo bonorum omnium nunquam deficiens. Ex illo divino corde in cruce lancea perforato, nata est ecclesia, manarunt sacramenta, exivimus et nos omnes qui ex aqua et sanguine inde profluentibus renati sumus per baptismum. Quid retribuemus B pro omnibus et tantis quae retributa sunt nobis? Aequissimum est singulari ac solemni quadam significatione amorem verum rependere, gratosque et memores testari animos erga sacratissimum cor Iesu, pro divino et ardentissimo amore quo nos, etsi saepe saepius ingratos, prosequi nunquam destitit.

Quapropter, patres hic congregati, finem facientes synodo provinciae Auscitanae, labores suos, monita et decreta sacratissimo cordi Iesu dedicant, ut fructum plurimum afferant, et fructus maneat; seipsos etiam et sacerdotes qui isti synodo interfuerunt, et omnem clerum et fideles omnes dioeceseon suarum eidem amantissimo cordi devovent et consecrant, eiusque tutelae commendant, ut inhabitantes *in adiutorio altissimi, in protectione Dei caeli* contra omnia adversa et pericula securi commorentur, et illaesi pertranseant usque ad domum Dei.“

Post huius decreti proclamationem, omnibus genu- C flexis, illustrissimus et reverendissimus metropolitanus, tam suo quam coepiscoporum suorum et totius provinciae nomine, in gradu altaris genuflexus, sequentem legit consecrationem.

*Consecratio sacratissimo cordi domini nostri Iesu Christi.*

„O cor amantissimum domini Iesu, pastoris boni, summi aeternique pontificis: in quo omnes aeternae caritatis thesauri nobis revelati sunt: en coram te, humiliter simul ac confidenter adsumus, vehementi accensi desiderio tuam majorem procurandi gloriam, omnesque tibi illatas reparandi iniurias. Idcirco, nos nostraque omnia, dioeceses nostras, universum clerum cum omni populo sollicitudini nostrae commisso, tibi offerimus, dedicamus et consecramus, ut ex illo gratiarum fonte omnes indesinenter hauriamus, gustantes et videntes omnibus diebus vitae D nostrae quoniam suavis est Dominus, praesertim iis qui ad se pertineant.

Serva, enixe tuam precamur misericordiam, serva incolumes et in dilectione tua perseverantes quos ad gregis tui custodiam destinasti; salvum fac populum tuum, tibi specialiter consecratum, et benedic haereditati tuae. Confirma per gratiam tuam quod operatus es in nobis ut hoc concilium, quod te inspirante celebravimus, ad omnipotentis Dei honorem, ecclesiae decus animarumque salutem proficiat et in perpetuum nostrae erga cor dulcissimum tuum devotionis et amoris indefessi monumentum existat. Amen.“

Postmodum, lecto et approbato decreto *de subscriptione, fine et promulgatione concilii*, metropolitanus conscendit altare, et ibi obsignat propria manu

[1] Hebr. IV, 16.

decreta, et similiter faciant successive tres alii comprovinciales episcopi. Postea, illustrissimus archiepiscopus, stans cum mitra in gradu altaris, facie ad populum versa, osculum pacis singulis episcopis dat, qui hoc idem dant postmodum sibi invicem.

Exinde incipiunt acclamationes alternatim a reverendo domino Sentis secretario, ex suggestu, et ab omni clero caeterisque assistentibus: quae cum summo gaudio ab omnibus cantantur et non sine nonnullorum lacrymis. Textum hic annectimus in memoriam.

*Acclamationes.*

*Secretarius*: Deo omnipotenti, aeterno Iehova, in essentia uni, in personis trino, laus, honor, benedictio in aeternum.

*Clerus et assistentes (hic omnes flectunt genua).* — Adoremus et procidamus ante Dominum qui fecit nos. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

*Secretarius*: Iesu, Dei Filio, hominum salvatori, eius cordi amantissimo, omnium gratiarum fonti inexhausto, obsequium, adoratio et amor in toto orbe terrarum.

*Assistentes*: Accipiat Christus gentes haereditatem suam, dominetur a mari usque ad mare, hauriant omnes aquas de fontibus salvatoris. Ament et redameat eum in perpetuum.

*Secretarius*: Beatissimae virgini Mariae sine labe conceptae, almae deiparae, totius provinciae nostrae patronae: beatam eam dicant omnes generationes.

*Assistentes*: Tu gloria Ierusalem, tu laetitia Israel; dominare nostri, tu et filius tuus. Loquere regi pro nobis, et tuere nos in hac lacrymarum valle.

*Secretarius*: Sanctis Taurino et Orientio, Leoni, Vincentio et Iustino, provinciae Auscitanae patronis, necnon viro Deo et hominibus dilecto, Vincentio a Paulo, beatis omnibus qui in regione nostra ecclesias fundaverunt vel illustrarunt sanctis laboribus vel fuso sanguine; sit memoria eorum in perpetua benedictione.

*Assistentes*: Laudemus viros gloriosos, parentes nostros; filii eorum in aeternum maneant, et nos tantam habentes impositam nubem testium, per patientiam, curramus ad propositum nobis certamen, et cum eis percipiamus gloriae coronam.

*Secretarius*: Beatissimo domino nostro papae Pio nono, Christi vicario, omnium christianorum patri et doctori, anni multi, in Urbis pace, lenimen cordis, universorum obsequium.

*Assistentes*: Tribuat ei Dominus secundum cor eius, et omne consilium eius confirmet. Notam faciat semper filiis hominum magnificentiam regni sui.

*Secretarius*: Illustrissimo ac reverendissimo archiepiscopo Auscitano, cuius zelo et indefessa sollicitudine pro instauranda disciplina absoluta est haec synodus.

*Assistentes*: Ecclesiae Auscitanae, ad multos annos, conservet Christus quem ei dedit pastorem iuxta cor suum. Retribuat ei Dominus, multiplicet fructum operum eius, ut de profectu ovium fiat gaudium aeternum pastoris.

*Secretarius*: Illustrissimis ac reverendissimis huius provinciae episcopis, post sanctos labores synodi, ad ecclesias suas felix reditus, continuumque auxilium de sancto super eos.

*Assistentes*: Angelus Domini comitetur illos, ut cum pace, salute et gaudio ad suos redeant; eos incolumes ad synodum post triennium reducat: princeps pastorum conservet eos et benedicat omnibus operibus eorum.

*Secretarius*: Reverendissimis praesulibus exterarum provinciarum, qui huic synodo interfuere, ut augeretur corona fratrum, magnae gratiae.

A

*Assistentes*: Felices eos reducat Deus ad gregem suum, et iugiter pascant haereditatis Domini partem, in innocentia cordis sui.

*Secretarius*: Omnibus deputatis et ordinibus, qui ad hoc concilium accesserunt, vitae sanctitas et felicitas in Deo.

*Assistentes*: Abundet semper in eis totius forma virtutis, et petitiones eorum apud Deum innotescant.

*Secretarius*: Francorum genti quae matrem ecclesiam, primogenita filia, semper fideli amore prosecuta est, et in angustiis magnanimi fortitudine defendit, gratiarum actio, salus, pax et prosperitas.

*Assistentes*: Reddat ei Dominus de caelo pro opere suo: plenam mercedem recipiat a Deo; de Sion tueatur eam, et det ei concordiam, fidei et religionis incrementum.

*Secretarius*: Urbi Auscitanae, antiquae Novempopulaniae metropoli, clero et fidelibus totius provinciae nostrae, pax vera et prosperitas in Deo.

B

*Assistentes*: Benedicat Dominus populo suo fideli: deducat eum per vias rectas, ut non obliviscatur operum altissimi, et mandata eius semper exquirat.

*Secretarius*: Haec provincialis synodus, ad gloriam Dei omnipotentis, ad tutelam fidei et morum perfectionem, ad instaurationem disciplinae, Deo favente celebrata est: votis omnium succedat, decreta eius serventur, ut, eis fideliter inhaerentes, crescamus in gratia.

*Assistentes*: Ita credimus, ita sentimus, ita volumus, ita speramus. Fiat. Fiat. Amen. Amen.

Absolutis acclamationibus et publicatis indulgentiis, illustrissimus metropolitanus solemniter benedixit clero et populo et inchoavit hymnum *Te Deum*. Quo incoepto, ordinata est processio ad reditum eadem pompa et eodem ordine ac supra, pulsatis interim omnibus campanis, clero *Te Deum* cantante, innumerabili plebe hinc et inde benedictiones patrum humiliter et devote suscipiente.

Huic sessioni aderant regionis praefectus cum suis consiliariis in officii sui habitu, multi ex concilio generali provinciae Gertii et iudices, qui omnes ex parte evangelii sedebant. A cornu autem epistolae aderat dux militiae totius regionis cum aliis non paucis ducibus legionis equitum urbis praesidium occupantis, etc., etc.

Post reditum illustrissimorum et reverendissimorum patrum, in principali consistorio seminarii, reverendus dominus Bonnafont, vicarius generalis reverendissimi archiepiscopi Auscitani, episcopos, nomine theologorum allocutus est, fausta ipsis quaeque precans. Huic respondit, nomine domini metropolitani et reverendissimorum coepiscoporum, illustrissimus episcopus Baionensis, qui toto corde gratum expressit animum pro laboribus theologorum.

Haec sunt acta concilii provincialis Auscitani, quae, requirentibus promotoribus, iubente illustrissimo ac reverendissimo archiepiscopo metropolitano, a nobis secretariis concilii accurate, quantum fieri potuit, exarata sunt. In cuius rei fidem subscripsimus.

G. Sentis, canonicus honorarius, secretarius.

Dulin, canonicus secretarius.

## SYNODUS DIOECESANA CENOMANENSIS
### 1851 septembris 6-8.

C

Synodus dioecesana Cenomanensis in Gallia, celebrata diebus 6, 7 et 8 septembris 1851, sub Ioanne-Baptista Bouvier, episcopo Cenomanensi.

Exstant constitutiones synodales in operibus quibus tituli:

1) Statuta dioecesis Cenomanensis, promulgata in synodo habita anno Domini 1851, ab illustrissimo et reverendissimo in Christo pp. Joanne-Baptista Bouvier, episcopo Cenomanensi. *[Insigne.]* Cenomani, apud Monnoyer, dd. episcopi typographum, MDCCCLII.

In-8°, 120 p.-2 f.-40 p. — Le Mans, évêché; Le Mans, ville; Paris, Bibl. nat., B 17145.

De hac synodo confer opera quibus tituli:

2) Cérémonial du synode diocésain, publié par ordre de Mgr Bouvier.

Le Mans, Monnoyer, 1851, in-12, 59 p. — Le Mans, ville. — *Ipse non vidi.*

4) Synode du Mans. *[In fine:]* Le Mans, imprimerie de Gallienne, rue de la Paille, 10, 1851.

*[Initio:]* Extrait du journal *Le Maine*, 10 septembre 1851.

In-8°, 4 f.-68 p.-2 f. (index). — Paris, Bibl. nat., B 17643; Paris, Saint-Sulpice.

Haec synodus celebrata est a die 6 ad 8 septembris 1851. Mentio habetur ultimae synodi habitae, anno 1788, sub Francisco Casparo de Jouffroy-Gonssans, episcopo Cenomanensi.

5) Histoire du synode diocesain du Mans, tenu par Mgr Jean-Baptiste Bouvier, évêque du Mans, les 6, 7 et 8 septembre 1851, publiée par les notaires du synode, avec approbation de monseigneur l'évêque. Le Mans, Monnoyer, imprimeur de l'évêché, 1852.

In-8°, 61 p. — Le Mans, ville; Paris, Bibl. nat. B 18799.

## SYNODUS DIOECESANA CORISOPITENSIS
### 1851 septembris 22-6.

D

Synodus dioecesana Corisopitensis in Gallia, celebrata a die 22 ad diem 26 septembris 1851, sub Iosepho-Maria Graveran, episcopo Corisopitensi.

Exstant constitutiones synodales in opere cui titulus:

Statuts et règlements du diocèse de Quimper, publiés à la suite du synode célébré en septembre 1851. *[Insigne.]* Quimper, imprimerie de E. Blot, imprimeur de Mgr l'évêque, MDCCCLII.

In-8°, XXVI p.-1 f.-127 p.-2 f. (index). — Lucca, Grande-Chartreuse; Lyon, missionaires diocésains; Paris, Saint-Sulpice; Paris, Bibl. nat. B 17171.

P. XIV-XXV, haec statuta edita sunt in synodo dioecesana celebrata a die 22 ad diem 26 septembris 1852.

## SYNODUS DIOECESANA LEODIENSIS
### 1851 septembris 23-5,

Synodus dioecesana Leodiensis in Belgio, celebrata diebus 23, 24 et 25 septembris 1851, sub Richardo-Antonio van Bommel, episcopo Leodiensi.

Exstant constitutiones synodales in opere cui titulus:

Statuta dioecesis Leodiensis, in synodo dioe-

cesana promulgata anno 1851. Leodii, excudebat A H. Dessain, cancellariae episcop. typographus, MDCCCLI.

In-12, 2 f. - L - 425 p. — Annecy, séminaire.

P. VIII, XLI et XLII, haec synodus dioecesana celebrata est diebus 23, 24 et 25 septembris 1851.

P. VIII: „Cum a plusquam duobus seculis nullius synodi in hac dioecesi celebrata vestigia superesse videantur . . ."

## SYNODUS DIOECESANA REMENSIS
1851 septembris 23 - 8.

Synodus dioecesana Remensis in Gallia, celebrata a die 23 ad diem 28 septembris 1851, sub Thoma-Maria-Iosepho Gousset, cardinali archiepiscopo Remensi.

Exstant constitutiones synodales in opere cui titulus:

Statuta synodi dioecesanae, ab eminentissimo et reverendissimo Thoma-Maria-Josepho Gousset, s. R. e. presbytero-cardinali tituli S. Callixti, archiepiscopo Remensi, habitae anno Domini MDCCCLI. *[Insigne.]* Remis, ex typis L. Jacquet, bibliopolae, MDCCCLI.

In-8°, 1 f. - 110 p. — Paris, Bibl. nat. B 17147.

P. 3, haec synodus dioecesana celebrata est a die 23 ad diem 28 septembris 1851.

P. 47 - 110, appendix documentorum ad hanc synodum attinentium.

## SYNODUS DIOECESANA VIVARIENSIS
1851 septembris 29 - octobris 2.

Synodus dioecesana Vivariensis in Gallia, celebrata diebus 29 et 30 septembris et 1 et 2 octobris 1851, sub Iosepho-Hippolyto Guibert, episcopo Vivariensi.

Exstant constitutiones synodales in opere cui titulus:

Ordonnances synodales du diocèse de Viviers, promulguées dans le synode diocésain tenu à Viviers B les 29, 30 septembre, 1er et 2 octobre 1851. Lyon, J.-B. Pélagaud et Cie, imprimeurs-libraires de n. s. p. le pape, grande rue Mercière, 26, ancienne maison Rusand, 1852.

In-8°, XX-400 p. — Grenoble, séminaire; Lucca, Grande-Chartreuse; Lyon, séminaire; Paris, Bibl. nat. B 21298; Paris, Saint-Sulpice.

## SYNODUS DIOCESANA AMBIANENSIS
1851 septembris 30 - octobris 4.

Synodus dioecesana Ambianensis in Gallia, celebrata diebus 30 septembris et 1, 2, 3 et 4 octobris 1851, sub Antonio de Salinis, episcopo Ambianensi. C

Exstant constitutiones synodales in opere cui titulus:

Acta et statuta synodi Ambianensis, anno MDCCCLI habitae, a r. r. d. d. Antonio de Salinis, episcopo Ambianensi. *[Insigne.]* Ambiani, excudebant Caron et Lambert, d. d. episcopi typographi ac bibliopolae, 1852.

In-8°, 56 p. — Amiens, ville; Autun, séminaire.

P. 7, 9, 11, 12 et 14, haec synodus dioecesana celebrata est diebus 30 septembris et 1, 2, 3 et 4 octobris 1851.

## SYNODUS DIOECESANA VENETENSIS
1851 septembris 30 - octobris 1.

Synodus dioecesana Venetensis in Gallia, celebrata diebus 30 septembris et 1 octobris 1851, sub Carolo-Ioanne de La Motte de Broons et de Vauvert, episcopo Venetensi.

Exstant constitutiones synodales in opere cui titulus:

1) Statuts diocésains publiés par monseigneur de la Motte de Broons et de Vauvert, évêque de Vannes. *[Insigne.]* Vannes, imprimerie de J.-M. Galles, imp. de Mgr l'évêque, 1851.

In-12, 82 p. — Paris, Bibl. nat. B 17179.

P. 14, haec synodus dioecesana celebrata est diebus 30 septembris et 1 octobris 1851.

D De hac synodo confer etiam opus cui titulus:

2) Extrait du procès-verbal des séances du synode diocésain réuni à Vannes le 30 septembre 1851. Vannes, imprimerie de J.-M. Galles, imprimeur de Mgr l'évêque, rue de la Préfecture.

Sine anno [1851], in-8, 19 p. — Paris, Bibl. nat. B 18360.

## SYNODUS DIOECESANA GRATIANOPOLITANA
1851 octobris 1.

Synodus dioecesana Gratianopolitana in Gallia, celebrata die 1 octobris 1851, sub Philiberto de Bruillard, episcopo Gratianopolitano.

Exstant constitutiones synodales in opere cui titulus:

Instructions et ordonnances synodales du diocèse de Grenoble, précédées de la lettre pastorale de monseigneur l'évêque pour la convocation du synode diocésain de 1851 et d'un précis dudit synode. *[Insigne.]* Grenoble, Baratier frères, libraires, imprimeurs de l'évêché, Grand' Rue, 1851.

In-8°, 1 f. - 373 p. — Grenoble, séminaire; Paris, Saint-Sulpice.

P. 12, haec synodus dioecesana celebrata est a Philiberto de Bruillard, episcopo Gratianopolitano, die 1 octobris 1851.

## SYNODUS DIOECESANA BUFFALENSIS
1851.

Synodus dioecesana Buffalensis in Foederatis Statibus Americae septentrionalis, celebrata anno 1851, sub Ioanne Timon, episcopo Buffalensi.

De hac synodo confer opus cui titulus:

Statuta dioecesis Buffalensis, lata in synodo dioecesana a. D. 1854 habita, cum decretis emen-

datis ex synodis a. D. 1847, 1849, 1851 et 1852 A habitis. [Insigne.] Buffalo, typis Wieckmann et Brandt, 1854.

In-8°, 17 p. — Baltimore, St. Mary's seminary; Roma, Vittorio-Emanuele.

## SYNODUS DIOECESANA RUPELLENSIS
1851.

Synodus dioecesana Rupellensis in Gallia, celebrata anno 1851, sub Clemente de Villecourt, episcopo Rupellensi.

Exstant constitutiones synodales in opere cui titulus:

Statuta synodi Rupellensis, congregatae anno MDCCCLI, publicata ab illustrissimo et reverendissimo d. d. Clemente Villecourt, episcopo Rupellensi ac Santonensi. *[Insigne.]* Rupellae, typis Frederici Boutet, typographi d. d. episcopi et cleri, 1852.

In-8°, 180 p. — Paris, Saint-Sulpice; Sens, séminaire.

## SYNODUS DIOECESANA BRIOCENSIS
1852 februarii 10-2.

Synodus dioecesana Briocensis in Gallia, celebrata diebus 10, 11 et 12 februarii 1852, sub Iacobo-Ioanne-Petro Le Mée, episcopo Briocensi.

Exstant constitutiones synodales in operibus quibus tituli:

1) Statuts diocésains publiés par Mgr J.-Jn Pierre Le Mée, évêque de Saint-Brieuc, à la suite du synode célébré en février 1852. *[Insigne.]* Saint-Brieuc, L. Prud'homme, imprimeur de Mgr l'évêque, 1852.

In-18, xj-417 p. — Paris, Saint-Sulpice.

2) Statuts diocésains promulgués par Mgr Jacques-Jean-Pierre Le Mée, évêque de S.-Brieuc et Tréguier, à la suite du synode célébré en février 1852; nouvelle édition, publiée par ordre de Mgr B Martial, évêque de Saint-Brieuc et Tréguier. *[Insigne.]* Saint-Brieuc, imprimerie de L. Prud'homme, imprimeur de Mgr l'évêque, 1861.

In-18, XI-417-48 p. — Paris, Bibl. nat. B 18499.

De hac synodo confer etiam opus cui titulus:

3) Histoire du synode diocésain de Saint-Brieuc, tenu par Mgr J.-Jn-Pierre Le Mée, évêque de Saint-Brieuc, les 10, 11 et 12 février 1852, publiée par M. l'abbé Onfroy-Kelmoalquin, chanoine honoraire, l'un des protonotaires du synode; avec approbation de monseigneur l'évêque. St-Brieuc, L. Prudhomme, imprimeur de Mgr l'évêque.

Sine anno [1852], in-18, 2 f.-180 p.-1 f. — Paris, Bibl. nat. B 13609.

# CONCILIUM PLENARIUM BALTIMORENSE
1852 maii 9-20.

Concilium Baltimorense plenarium in Foederatis C Statibus Americae septentrionalis, celebratum a die 9 ad diem 20 maii 1852, sub Francisco-Patricio Kenrick, archiepiscopo Baltimorensi.

**Bibliographia:**

1) Concilium plenarium totius Americae septentrionalis foederatae, Baltimori habitum, anno 1852. Baltimori, apud Joannem Murphy et socios, typographos ac bibliopolas, via Mercatoria n° 178. MDCCCLIII.

Parvum in-4°, 72 p. — Avignon, séminaire; Washington, catholic university.

Hoc concilium celebratum est, quatuor sessionibus, diebus 9, 13, 16 et 20 maii 1852.

2) Decreta conciliorum provincialium Baltimorensium (1-7) et plenarii (1852). Baltimori, Murphy, 1854.

In-12, 43 p. — Washington, catholic university. — *Ipse non vidi.*

P. 3-15, decreta concilii provincialis I anno 1791 celebrati. P. 16-7, decreta c. p. II anno 1833 celebrati. P. 17-20, decreta c. p. III anno 1837 celebrati. P. 20-5, decreta c. p. IV anno 1840 celebrati. P. 25-8, decreta c. p. V anno 1843 celebrati. P. 28-9, decreta c. p. VI, anno 1846 celebrati. P. 30, decreta c. p. VII anno 1849 celebrati. P. 31-7, decreta concilii plenarii anno 1852.

3) Acta et decreta sacrorum conciliorum recentiorum, collectio Lacensis, auctoribus presbyteris s. J., e domo b. v. M. sine labe conceptae ad Lacum. Tomus tertius... Friburgi Brisgoviae, sumtibus Herder, MDCCCLXXV, col. 129-54, 1143-56.

### BREVE APOSTOLICUM,

*quo reverendissimus dominus archiepiscopus Baltimorensis huius concilii plenarii praeses constituitur.*

PIUS PAPA IX.

*Venerabili fratri Francisco-Patritio Kenrick, archiepiscopo Baltimorensi.*

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

In apostolicae sedis fastigio, Deo sic volente, collocati, quae ad rectam disciplinae rationem in ecclesia statuendam tuendamque pertineant, illa ex apostolici nostri muneris officio probanda ac promovenda censemus. Cum igitur venerabiles fratres antistites Foederatorum Statuum Americae septentrionalis a nobis petierint, ut plenarium haberi possit concilium ex omnibus regionis illius episcopis, ea D potissimum de causa, ut, collatis consiliis, proponantur quae ad disciplinae uniformitatem servandam opportuna esse possint, nos communibus eorumdem antistitum votis adnuendum duximus, ac de consilio venerabilium fratrum nostrorum sanctae ecclesiae Romanae cardinalium Propagandae fidei praepositorum, te in delegatum apostolicum eligendum existimavimus, ut concilio eidem praesis, quippe quod de singulari tua in ecclesiasticis disciplinis peritia, catholicae fidei zelo, et obsequio erga apostolicam sedem praeclara habemus argumenta. Te igitur, quem ob eadem illustria merita ab episcopali sede Philadelphiensi ad archiepiscopalem ecclesiam Baltimorensem per similes nostras apostolicas litteras hoc ipso die datas transtulimus, in delegatum apostolicum eligimus, constituimus et renuntiamus ad praesidendum memorato plenario concilio cum con-

nibus et singulis facultatibus necessariis et opportunis, iuxta instructiones per congregationem Propagandae fidei tibi transmittendas, potissimum vero ut acta ac decreta ad sedem apostolicam mittenda cures, quatenus iudicium de iis proferri valeat, ac, si visum fuerit, comprobentur. Hoc decernimus et mandamus, non obstantibus apostolicis, atque in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae, apud Sanctum-Petrum, sub annulo piscatoris, die XIX augusti 1851, pontificatus nostri anno sexto.

A. cardinalis Lambruschini.

## LITTERAE INDICTIONIS.

Franciscus-Patritius Kenrick, Dei et sanctae sedis apostolicae gratia archiepiscopus Baltimorensis, et delegatus apostolicus.

Reverendissimis fratribus archiepiscopis et episcopis in Foederatae Americae septentrionalis statibus ac territoriis, caeterisque ecclesiasticis viris qui de iure vel consuetudine concilio plenario interesse debent, salutem in Domino.

Notum est apud omnes quam salutaria fuerint rei catholicae in hisce provinciis concilia provincialia, quae hucusque Baltimori celebrata fuerunt: quantum nimirum adiuverint ad confirmandam, ut par erat, reverentiam et obsequium erga cathedram Petri; ad vincula caritatis inter nosmetipsos arctius stringenda, disciplinae firmitatem ac uniformitatem stabiliendam, tollendos abusus, moresque in melius reformandos. His rationibus permoti, patres concilii Baltimorensis provincialis VII a sancta sede petierunt ut plenarium, anno 1852, haberi posset concilium ex omnibus regionis istius episcopis, summusque pontifex communibus eorum votis benigne annuens, nos, per breve epistolare die 19 augusti 1851 datum, delegatum apostolicum constituit ad praesidendum memorato plenario concilio.

Cum igitur, ex apostolicae sedis mandato, nostri sit officii plenarium concilium indicere et convocare; cupientes, quantum in nobis est, hac in parte munus nobis commissum, uti debemus, implere, necnon et perficere quae a patribus concilii provincialis VII ea de re statuta sunt: dictum plenarium concilium in civitate Baltimorensi, ecclesiaque nostra metropolitana, ad Dei omnipotentis laudem et gloriam, celebrare decrevimus, illudque ad quartam post pascha dominicam proxime futuram, hoc est, ad diem nonam maii 1852, indicimus atque convocamus.

Quapropter, omnes et singulos reverendissimos in Christo fratres nostros coepiscopos ex omnibus Foederatae Americae septentrionalis statibus et Territoriis, ac alios quoscumque qui de iure vel consuetudine plenario concilio interesse debent, monemus, hortamur, quo possumus caritatis affectu invitamus, atque etiam vigore facultatum nobis specialiter a sancta sede tributarum praecipimus, ut ad dictum plenarium concilium ibi celebrandum, die assignata, per se vel per legitimum procuratorem (si forte iustum impedimentum obrepserit) conveniant et compareant: ut, collatis consiliis, ea quae ad religionis decus et incrementum, nostramque ac ovium nostrarum salutem maxime spectant, assistente Spiritu sancto, decernamus et exequamur.

Reverendissimos archiepiscopos et episcopos rogamus, ut in suis dioecesibus eos omnes de huius concilii indictione moneant, qui ex iure, vel consuetudine, vel privilegio, eidem interesse tenentur.

Datum Baltimori, anno 1851, mensis autem novembris die 21.

† Franciscus-Patritius, archiepiscopus Baltimorensis, delegatus apostolicus.

De mandato illustrissimi ac reverendissimi domini archiepiscopi Baltimorensis.

Thomas Foley, secretarius.

## ACTA CONCILII.

Sabbato, quod erat dies octavus maii, anno salutis 1852, hora sexta post meridiem, convenere in aedibus archiepiscopalibus illustrissimi et reverendissimi praelati, quos ad concilium plenarium habendum illustrissimus et reverendissimus dominus Baltimorensis, ex auctoritate et mandato sanctae sedis, Baltimorum convocaverat.

Aderant autem reverendissimi et illustrissimi archiepiscopi sex, nempe: I. Baltimorensis; II. Oregonensis; III. Sancti-Ludovici; IV. Neo-Aurelianensis; V. Neo-Eboracensis; VI. Cincinnatensis.

Reverendissimi et illustrissimi episcopi, eorum suffraganei, viginti tres: I. Mobiliensis; II. Dubuquensis; III. Nashvillensis; IV. Natchetensis; V. Vehelingensis; VI. Zelanus, Detroitensis coadiutor et administrator; VII. Galvestoniensis; VIII. Pittsburgensis; IX. Petriculanus; X. Albanensis; XI. Carolopolitanus; XII. Bostoniensis; XIII. Clevelandiensis; XIV. Buffalensis; XV. Ludovicopolitanus; XVI. Chicaginensis; XVII. Nesqualensis; XVIII. Hartfordensis; XIX. Savannensis; XX. Richmondensis; XXI. Agathoniensis, Novi-Mexici vicarius apostolicus; XXII. Messeniensis, territorii Indorum ad orientalem Montium Saxosorum plagam vicarius apostolicus; XXIII. Philadelphiensis.

Adfuit insuper reverendissimus et illustrissimus dominus episcopus Montisregii in California, impraesentiarum sanctae sedi immediate subiectus, quem huic concilio interesse voluit sanctissimus.

Adfuit etiam reverendissimus et illustrissimus dominus Torontinus, archiepiscopi Quebecensis suffraganeus.

Aberant autem reverendissimi et illustrissimi Vincennopolitanus, qui propter quaedam dioeceseos suae negotia Europam petierat, et Milwauchiensis atque Sancti-Pauli, quos tamen semet in viam dedisse, ac propediem adventuros nuntiatum est.

Conveniunt igitur, hora iam dicta, reverendissimi et illustrissimi supradicti praelati, veste talari, vel tantum habitu, ut aiunt, civili induti, ad consessum privatum habendum apud reverendissimum dominum archiepiscopum Baltimorensem, ut regulas quasdam statuant pro negotiis concilii ordine tractandis, et ut illorum nomina proponantur, quos crastino die in officiales concilii eligere placeat; necnon ut illustrissimus et reverendissimus Baltimorensis, quae in concilio agenda sint, patribus generatim exponat.

Consessui praefuit ipsemet Baltimorensis, utpote qui per breve apostolicum, die 19 augusti 1851 datum, delegatus sedis apostolicae fuerit constitutus, ut concilium hoc plenarium convocare, eique praeesse possit.

Proponente eodem reverendissimo archiepiscopo, sedis apostolicae delegato, sequentes officiales nominantur, qui in sessione solemni crastino die habenda, a patribus eligantur, nempe:

Promotores: reverendissimus et illustrissimus Ioannes-Iosephus Chanche, episcopus Natchetensis, et admodum reverendus dominus Franciscus Lhom-

me, congregationis Sancti-Sulpitii, vicarius generalis A
Baltimorensis.

Notarius: reverendus dominus Eduardus-Ludovicus Damphoux, sanctae theologiae doctor.

Secretarii: admodum reverendus dominus Patritius N. Lynch, sanctae theologiae doctor, vicarius generalis Carolopolitanus, et reverendus dominus Thomas Foley.

Magister caeremoniarum: reverendus dominus Franciscus Burlando, congregationi Missionis.

Cantores: admodum reverendus dominus L. de Goesbriand, vicarius generalis Clevelandiensis, et dominus Ioannes Dougherty.

Proponente eodem reverendissimo et illustrissimo domino, et re inter patres aliquantulum agitata, sequentia communi consilio stabilita sunt:

De novarum sedium episcopalium erectione, et de sacerdotum in eas nominatione, hic sit agendi modus. Metropolita et suffraganei illius provinciae, B in qua nova sedes erigenda, vel novus episcopus nominandus sit, rem, collatis consiliis, in prima instantia decernent, ac sententiam suam per metropolitam congregationi particulari omnium archiepiscoporum aperient, simulque, si res ferat, tres sacerdotes proponent, quos omnino dignos censent qui ad sedem, de qua quaestio erit, promoveantur. Archiepiscoporum autem congregatio praedicta, re iterum agitata, consilium suum patribus omnibus in congregatione generali privata significabit, quorum erit, ultimo iudicio, quid ea in re a sancta sede postulandum decernere.

De aliis generatim rebus, in quinque congregationibus patrum particularibus agatur.

Primae congregationi, de quaestionibus ad ius canonicum pertinentibus, praeerit reverendissimus et illustrissimus dominus archiepiscopus Neo-Aurelianensis, intereruntque reverendissimi domini Ze- C lanus, Pittsburgensis, Bostoniensis, Ludovicopolitanus, Montisregii, Hartfordensis.

Secundae congregationi, de rerum temporalium administratione, praeerit reverendissimus et illustrissimus dominus Neo-Eboracensis, intereruntque reverendissimi domini Nashvillensis, Pittsburgensis, Nesqualensis, Petriculanus, Buffalensis, Agathoniensis.

Tertiae congregationi, cuius erit de recta iuventutis institutione, et de quibusdam aliis agere, praeerit reverendissimus et illustrissimus dominus archiepiscopus Cincinnatensis, intereruntque reverendissimi domini Natchetensis, Vehelingensis, Albanensis, Montisregii, Richmondensis, Philadelphiensis.

Quartae congregationi, de sacris ritibus, praeerit reverendissimus et illustrissimus dominus archiepiscopus Oregonensis, intereruntque reverendissimi domini Dubuquensis, Galvestoniensis, Chicaginensis, D Savannensis, Messeniensis.

Quintae congregationi, de gravaminibus et querelis, praeerit reverendissimus et illustrissimus dominus episcopus Mobiliensis, intereruntque reverendissimi domini Zelanus, Natchetensis, Milwauchiensis, Vehelingensis, Carolopolitanus, Clevelandiensis.

Congregationes hae particulares iis temporibus locisque habebuntur, quae praelatis ipsis magis commoda erunt.

Quotidie vero, hora 11 ante meridiem, convenient patres omnes in ecclesia, ubi, post invocationem Spiritus sancti, et orationem a praeside, archiepiscopus, vel alius congregationis particularis praeses, ordine servato, referet ea quae visa fuerint plerisque, et decretum proponetur, nisi praesul aliquis examen ulterius habendum postulaverit. Quae spectant sedium novarum erectionem, et nominationem sacerdotum in episcopos, hora 12 tractabuntur.

Theologos a propriis episcopis, ut congregationi particulari alicui intersint, invitari licet; congregationibus autem generalibus privatis patrum soli officiales concilii, praeter patres, adsint: immo ex illis nonnisi notarius et reverendus dominus promotor, quando de sedium erectione aut episcopis nominandis agendum erit.

Hora 4 post meridiem, praesules et sacerdotes omnes, qui quovis nomine concilio intersunt, convenient in ecclesia, ubi ea legentur quae decernenda visa fuerint, vel quae praesules theologorum examini subiicere velint; et si quis animadversiones facere cupiat, audiatur.

Hora 2 post meridiem, prandium erit apud reverendissimum dominum Baltimorensem, ad quod praesules omnes invitantur. Legetur capitulum scripturae, et sub finem martyrologium: colloquia tamen miscebunt praesules inter prandendum, ut recreentur animi, et dilectio foveatur.

Cum autem in praesentiarum reverendissimus et illustrissimus episcopus Torontinus Baltimori commoretur; et reverendissimi domini archiepiscopi Halifaxiensis adventus in dies expectetur, voluerunt patres, istos et quemcumque reverendissimum dominum episcopum, sedis apostolicae communione fruentem qui ad istam civitatem durante concilio advenerit, comiter esse invitandos, ut sessionibus publicis interesse dignentur, necnon, si placet, congregationibus, cum voce, ut aiunt, consultiva. Torontinus sessionibus tribus publicis interfuit; quoniam autem exercitiis spiritualibus vacabat, congregationibus interesse non potuit: caeteri non advenere.

Statutum est regulas vivendi a concilio Tridentino sessione II praescriptas, ab omnibus durante concilio esse servandas.

Statutum est sequentes epistolas esse scribendas:

1. Primam a Pittsburgensi, latino sermone, quae nomine patrum ad summum pontificem mittatur.

2. Secundam a Mobiliensi, gallico sermone, ad piam ad Propagandam fidem societatem.

3. Tertiam a Philadelphiensi, germanico sermone, ad Leopoldinam et alias pias Germaniae societates, quae missiones adiuvant.

4. Quartam a Cincinnatensi, quae reverendissimi primatis totius Hiberniae epistolae respondeat.

5. Quintam, pastoralem, ab archiepiscopo Sancti-Ludovici, ad clerum populumque fidelem harum provinciarum.

Voluerunt patres conciones quotidie ad populum haberi in ecclesia metropolitana, horis vespertinis. Hi autem conciones eiusmodi habuerunt:

Dominica, maii 9, reverendissimus et illustrissimus dominus Albanensis.

Die lunae, 10, admodum reverendus pater Wilhelmus S. Murphy, societatis Iesu.

Die martis, 11, reverendissimus et illustrissimus dominus Cincinnatensis.

Die mercurii, 12, reverendissimus et illustrissimus dominus Sancti-Ludovici.

Die iovis, 13, reverendissimus et illustrissimus dominus Richmondensis.

Die veneris, 14, admodum reverendus dominus Patritius Lynch, sacrae theologiae doctor.

Die lunae, 17, admodum revendus pater Carolus Stonestreet, societatis Iesu.

Die martis, 18, reverendissimus et illustrissimus dominus Neo-Eboracensis.

Die mercurii, 19, reverendissimus et illustrissimus dominus Sancti-Ludovici.

In fine huius consessus, reverendissimus et illu- A strissimus praeses notum fecit patribus de quarum sedium novarum erectione foret agendum.

## SESSIO PRIMA SOLEMNIS.

Die 9 maii, qui erat tertia dominica post paschatis festum, anno salutis 1852, hora 10 ante meridiem, conveniunt patres omnes cum suis theologis, ordinumque religiosorum congregationumque proceres, necnon et alii permulti sacerdotes, in aedibus archiepiscopalibus, unde ordinata processione per vias frequentissimas metropolitanam ecclesiam Sanctae Mariae petunt, archiepiscopi et episcopi pluvialibus induti ac mitris; abbas autem Sanctae Mariae de Trappa, pluviali et mitra; ordinum religiosorum ac congregationum superiores vel pluvialibus, vel ordinis habitu, ac biretis; sacerdotes tandem indumentis sacerdotalibus, stolis nempe et planetis.

Ut processioni via pateret inter turbas densissimas tum fidelium, tum acatholicorum, curavit egregia societas iuventuti catholicae amica, quae hoc munus, tum hodie, tum quandocumque processio facienda erat, eo decore, ea erga omnes morum suavitate persolvit, ut omnium laudes plaususque merito exciperet.

Ubi vero ad ecclesiam perventum est, omnibus sedes iuxta ordinem adsignantur, archiepiscopis quidem et episcopis scamna ornata hinc inde a dextris et a sinistris altaris maioris; caeteris vero scamna tum intra, tum extra cancellos chori, necnon et apud altaria Sancti Iosephi et Boni Pastoris: non enim omnibus intra chorum sedendi copiam permisit sacerdotum, aliorumque multitudo.

Missam *de Spiritu sancto* celebravit ipsemet reverendissimus et illustrissimus dominus archiepiscopus Baltimorensis, sedis apostolicae delegatus, C cui adstiterunt archidiaconus, admodum reverendus dominus F. Lhomme; diaconus, reverendus Alexius I. Elder; subdiaconus, reverendus dominus Carolus M. E. Voirdye; diaconi vero iuxta thronum adsistentes, admodum reverendus dominus Henricus B. Coskery et reverendus dominus Thomas Foley.

Absoluto sacro, concionem ad populum habuit reverendissimus et illustrissimus dominus archiepiscopus Neo-Eboracensis: qua finita, sessio prima solemnis huius plenarii concilii habita est.

Haec autem nomina sunt et dignitates eorum qui eidem interfuerunt:

Illustrissimus et reverendissimus dominus Franciscus-Patritius Kenrick, archiepiscopus Baltimorensis, ac sedis apostolicae delegatus;

Illustrissimus et reverendissimus dominus Franciscus-Norbertus Blanchet, archiepiscopus Oregonensis;

Illustrissimus et reverendissimus dominus Petrus-Richardus Kenrick, archiepiscopus Sancti-Ludovici;

Illustrissimus et reverendissimus dominus Antonius Blanc, archiepiscopus Neo-Aurelianensis;

Illustrissimus et reverendissimus dominus Ioannes Hughes, archiepiscopus Neo-Eboracensis;

Illustrissimus et reverendissimus dominus Ioannes-Baptista Purcell, archiepiscopus Cincinnatensis;

Illustrissimus et reverendissimus dominus Michael Portier, episcopus Mobiliensis;

Illustrissimus et reverendissimus dominus Matthias Loras, episcopus Dubuquensis;

Illustrissimus et reverendissimus dominus Richardus-Pius Miles, episcopus Nashvillensis;

Illustrissimus et reverendissimus dominus Ioannes-Ioseph Chanche, episcopus Natchetensis;

Illustrissimus et reverendissimus dominus Richardus-Vincentius Whelan, episcopus Vehelingensis;

Illustrissimus et reverendissimus dominus Petrus-Paulus Lefevère, episcopus Zelanus et coadiutor administrator Detroitensis;

Illustrissimus et reverendissimus dominus Ioannes-Maria Odin, episcopus Galvestoniensis;

Illustrissimus et reverendissimus dominus Michael O'Connor, episcopus Pittsburgensis;

Illustrissimus et reverendissimus dominus Andreas Byrne, episcopus Petriculanus;

Illustrissimus et reverendissimus dominus Ioannes McCloskey, episcopus Albanensis;

Illustrissimus et reverendissimus dominus Ignatius-Aloysius Reynolds, episcopus Carolopolitanus;

Illustrissimus et reverendissimus dominus Ioannes-Bernardus Fitzpatrick, episcopus Bostoniensis;

Illustrissimus et reverendissimus dominus Amedeus Rappe, episcopus Clevelandiensis;

Illustrissimus et reverendissimus dominus Ioan- B nes Timon, episcopus Buffalensis;

Illustrissimus et reverendissimus dominus Martinus-Ioannes Spalding, episcopus Ludovicopolitanus;

Illustrissimus et reverendissimus dominus Iacobus-Olivarius Vandevelde, episcopus Chicaginensis;

Illustrissimus et reverendissimus dominus Augustinus-M.-A. Blanchet, episcopus Nesqualensis;

Illustrissimus et reverendissimus dominus Iosephus-Sadoc Alemany, episcopus Montisregii;

Illustrissimus et reverendissimus dominus Bernardus O'Reilly, episcopus Hartfordensis;

Illustrissimus et reverendissimus dominus Franciscus-Xaverius Gartland, episcopus Savannensis;

Illustrissimus et reverendissimus dominus Ioannes McGill, episcopus Richmondensis;

Illustrissimus et reverendissimus dominus Ioannes Lamy, episcopus Agathoniensis, Novi-Mexici vicarius apostolicus;

Illustrissimus et reverendissimus dominus Ioannes-Baptista Miège, episcopus Messeniensis, territorii Indorum ad plagam orientalem Montium Saxosorum vicarius apostolicus;

Illustrissimus et reverendissimus dominus Ioannes-Nepomucenus Neumann, episcopus Philadelphiensis;

Illustrissimus et reverendissimus dominus Amandus de Charbonnel, episcopus Torontinus.

Abbates, superiores, et officiales ordinum religiosorum, nempe:

Reverendissimus pater Maria-Eutropius, abbas Sanctae Mariae de Trappa;

Admodum reverendus pater Patritius-Eugenius Moriarty, sacrae theologiae doctor, assistens generalis ordinis Sancti Augusti et commissarius generalis eiusdem ordinis in Statibus Foederatis Americae;

Admodum reverendus pater Robertus Augusti- D nus White, sacrae theologiae magister, visitator generalis ordinis fratrum Praedicatorum;

Admodum reverendus pater Bonifacius Wimmer, superior ordinis Sancti Benedicti in Statibus Foederatis Americae septentrionalis;

Admodum reverendus pater Wilhelmus Unterthiner, ordinis fratrum Minorum superior;

Admodum reverendus pater Iosephus Aschwanden, societatis Iesu, provinciae Marylandiae viceprovincialis;

Admodum reverendus pater Wilhelmus Murphy, societatis Iesu, vice-provinciae Missuriensis provincialis;

Admodum reverendus pater Clemens Boulanger, societatis Iesu, superior missionis Canadensis et Neo-Eboracensis;

Admodum reverendus pater Antonius Jourdant, societatis Iesu, superior missionis Neo-Aurelianensis;

**Admodum reverendus pater Bernardus-Ioseph Hafkenscheid, congregationis Sanctissimi Redemptoris provincialis;** A

**Admodum reverendus dominus Marianus Maller, congregationis Missionis, sororum Charitatis director;**

**Admodum reverendus dominus Franciscus Lhomme, societatis Sancti-Sulpitii, seminarii Sanctae Mariae rector, vicarius generalis Baltimorensis.**

Theologi vero hi fuere a singulis archiepiscopis et episcopis vel secum adducti, vel Baltimori designati:

A reverendissimo et illustrissimo archiepiscopo Baltimorensi, admodum reverendus dominus Henricus B. Coskery, vicarius generalis; reverendi domini Carolus I. White, sacrae theologiae doctor, et Augustinus Vérot, societatis Sancti-Sulpitii;

A reverendissimo et illustrissimo Oregonensi, reverendi domini Ioannes Hickey et Alexius I. Elder;

A reverendissimo et illustrissimo Sancti-Ludovici, reverendi domini Antonius O'Regan et Georgius O. Oertlieb;

A reverendissimo et illustrissimo Neo-Aurelianensi, reverendi domini Nicolaus Perché et Iacobus Dolan;

A reverendissimo et illustrissimo Neo-Eboracensi, admodum reverendus dominus Ioannes Loughlin, vicarius generalis, et reverendus dominus Iacobus R. Bayley;

A reverendissimo et illustrissimo Cincinnatensi, admodum reverendus dominus Ioseph Ferneding, vicarius generalis, et reverendus dominus Iosue M. Young;

A reverendissimo et illustrissimo episcopo Mobiliensi, reverendus dominus Iacobus I. Mullon;

A reverendissimo et illustrissimo Dubuquensi, admodum reverendus dominus Antonius Pelamourgues, vicarius generalis;

A reverendissimo et illustrissimo Nashvillensi, reverendi domini Ludovicus Obermeyer et Ioannes B. Byrne;

A reverendissimo et illustrissimo Natchetensi, reverendus dominus Iacobus Fitton;

A reverendissimo et illustrissimo Vehelingensi, reverendus dominus Hugo P. Galagher;

A reverendissimo et illustrissimo Zelano, reverendus dominus Petrus Kindekens, vicarius generalis;

A reverendissimo et illustrissimo Galvestoniensi, reverendus dominus Eduardus Quigley;

A reverendissimo et illustrissimo Pittsburgensi, reverendi domini Eduardus F. Garland et Alexander I. Peyton;

A reverendissimo et illustrissimo Albanensi, admodum reverendus dominus Ioannes I. Conroy, vicarius generalis;

A reverendissimo et illustrissimo Petriculano, reverendus dominus Patritius Behan;

**A reverendissimo et illustrissimo Carolopolitano, reverendi domini Ioannes M. Forbes et Sylvester Malone;**

**A reverendissimo et illustrissimo Bostoniensi, reverendus dominus Daniel Hearne;**

**A reverendissimo et illustrissimo Clevelandiensi, admodum reverendus dominus Alexius I. Caron, vicarius generalis;**

**A reverendissimo et illustrissimo Buffalensi, reverendus dominus Wilhelmus O'Reilly;**

**A reverendissimo et illustrissimo Ludovicopolitano, reverendus dominus Carolus I. Boeswald;**

**A reverendissimo et illustrissimo Chicaginensi, admodum reverendus dominus Gualterius I. Quarter, vicarius generalis;**

**A reverendissimo et illustrissimo Nesqualensi, reverendus dominus Robertus Mullen;**

**A reverendissimo et illustrissimo Montisregis, reverendus pater Thomas Martin, ordinis pater;**

**A reverendissimo et illustrissimo Hartfordensi, reverendus pater Ioannes McElroy, societatis Iesu;**

**A reverendissimo et illustrissimo Savannensi, reverendus dominus Ioannes McCaffrey, sacrae theologiae doctor;**

A reverendissimo et illustrissimo Richmondensi, reverendus domini Larain de Gandarillas;

A reverendissimo et illustrissimo Messeniensi, reverendus dominus Franciscus Burlando, congregationis Missionis;

A reverendissimo et illustrissimo Agathoniensi, reverendus dominus Ioannes a Iesu Truxillo;

A reverendissimo et illustrissimo Philadelphiensi, admodum reverendus dominus Eduardus I. Sourin, vicarius generalis;

Adfuerunt etiam reverendus dominus Eduardus
B L. Damphoux, designatus notarius, et admodum reverendus dominus Patritius Lynch, reverendus dominus Thomas Foley, designati secretarii.

Cantatis igitur psalmis, litaniis, orationibusque solitis, prout in pontificali Romano inveniuntur, illustrissimus et reverendissimus dominus archiepiscopus Baltimorensis, sanctae sedis delegatus, sedens cum mitra in plano altaris, ita patres allocutus est:

„Reverendissimi patres, venerabiles fratres, placetne vobis, ad Dei gloriam et honorem, et ad catholicae ecclesiae amplificationem, concilium plenarium Baltimorense legitime convocatum, et hic congregatum, hodierno die aperiri et inchoari?" Respondentibus autem singulis patribus: „Placet, aperiatur;" ita versus ad populum, alta voce prosecutus est:

„Christi nomine invocato, decernimus sanctum concilium plenarium Baltimorense esse apertum, et
C ita iudicamus."

Lecto dein a primo secretario, ex mandato illustrissimi et reverendissimi archiepiscopi, officialium designatorum catalogo, iuxta schema heri in consessu privato approbatum, iterum a patribus quaesivit: „Placetne vobis, venerabiles fratres, hosce in officiales concilii eligendos?" Singuli vero responderunt: „Placet."

Tum secretarius, ex mandato illustrissimi et reverendissimi archiepiscopi, decretum de officialibus clara voce legit:

„Reverendissimus et illustrissimus dominus archiepiscopus Baltimorensis, sedis apostolicae delegatus, una cum archiepiscopis et episcopis in hoc sancto concilio plenario congregatis, hosce reverendos viros in officiales huius concilii eligendos esse, et legitime iam electos decernunt, nempe: Promotores, reverendissimum et illustrissimum dominum Ioan-
D nem-Ioseph Chanche, episcopum Natchetensem, et admodum reverendum dominum Franciscum Lhomme; notarium, reverendum dominum Eduardum Ludovicum Damphoux, sacrae theologiae doctorem; secretarios, admodum reverendum dominum Patritium N. Lynch, sacrae theologiae doctorem, et reverendum dominum Thomam Foley; magistrum caeremoniarum, reverendum dominum Franciscum Burlando, congregationis Missionis; cantores admodum reverendum dominum L. de Goesbriand et dominum Ioannem Dougherty."

**Reverendissimus et illustrissimus promotor deinde postulavit ut decreta Tridentina *de professione fidei*[1] et *de residentia*[2], legerentur. Conversus autem reverendissimus et illustrissimus dominus archiepiscopus Baltimorensis ad patres, eo interrogavit: „Vene-**

[1] Sess. XXV, *de ref.*, cap. 2.
[2] Sess. VI, *de ref.*, cap. 1, et sess. XXIII, *de ref.*, cap. 1.

rabiles fratres, placetne vobis ut legantur decreta A concilii Tridentini de professione fidei, et de residentia?" Respondentibus omnibus unanimiter: „Placet, legantur;" praedicta decreta alta voce perlegit secretarius secundus.

Absoluta decretorum lectione, fidei professio, iuxta formam in pontificali Romano positam, emissa est.

### FORMA IURAMENTI.

„Ego N. firma fide credo et profiteor omnia, et singula, quae continentur in symbolo fidei, quo sancta Romana ecclesia" (supra col. 36 A - 38 A).

### CONGREGATIO PRIMA PRIVATA,
die lunae, 10 maii, habita.

Hora 11 ante meridiem, conveniunt patres rochettis et mozettis induti, in choro ecclesiae metropolitanae, ad congregationem habendam. Adfuere B omnes qui heri, praeter Galvestoniensem et Ludovicopolitanum qui aegrotabant. Praeter patres, adfuere tantum concilii officiales.

Imprimis quaestio agitata est, num ordinum religiosorum congregationumque superiores proceresque, qui huc ad concilium advenere, ad istas congregationes privatas sint admittendi, necne? Mandatum est archiepiscopo Sancti-Ludovici, et episcopis Mobiliensi et Nashvillensi, ut hac in re quid agendum scriptis exponant.

Illustrissimus et reverendissimus archiepiscopus Baltimorensis, sedis apostolicae delegatus, patribus notum fecit litteras se accepisse, in quibus eorum consilia de sequentibus postulare dignata sit ipsa sancta sedes:

I. Cuinam sedi metropoliticae adiungenda sit, tanquam suffraganea, sedes Montisregis, olim archiepiscopi Mexici suffraganea, quamque nuper ab C istius provincia segregavit summus pontifex?

II. Quid in re districtus de Covington, Cincinnatensem inter et Ludovicopolitanum agitata, faciendum consulant?

III. Quid super facultatibus extraordinariis, episcopis in his provinciis concedi solitis, et quanam ratione grassanti matrimoniorum mixtorum malo occurrendum?

IV. Quid denique faciendum in controversia archiepiscopum Oregonensem inter et Oblatos?

Prima quaestio ad omnes archiepiscopos, ut ei responderent, demandata est. De secunda, cum deesset Ludovicopolitanus, non est hodie actum. Tertia demum ad congregationem *de iure canonico*, et quarta ad eam *de gravaminibus et querelis* mandatae sunt.

Ex mente Buffalensis, onus Buffalensi, Montisregis et Nesqualensi datum est formas precum con- D scribendi pro conversione acatholicorum istarum provinciarum.

Item, congregationi *de sacris ritibus* munus datum est caeremoniale et caeremoniarum manuale a Ioanne Murphy, anglico sermone luci danda, examini subiiciendi.

Mandatum est congregationi *de gravaminibus et querelis*, ut exquirant num iustas absentiae causas proferant ii, qui huic concilio intervenire debent, nec tamen adsunt.

Tandum statutum est singulis patribus licere, quibus responderi quaestionibus expedire censent, vel de iis decretum fieri, eas variis congregationibus, pro diversa materiarum ratione, proponere.

Lectum est decretum: *Monitos volumus praesules.*

Delecti sunt Pittsburgensis et Albanensis, qui actis a secretariis latine recte conscribendis invigilarent.

Cum hora advenisset, qua de novis sedibus erigendis episcopisque nominandis agendum esset, recesserunt secretarii.

### CONGREGATIO PRIMA PUBLICA,
eodem die, hora 4 post meridiem in ecclesia metropolitana habita.

Adfuere patres omnes, qui mane adfuerant, et insuper ordinum religiosorum congregationumque superiores et proceres, necnon et theologi a patribus vel adducti, vel designati.

Argumentum erat inter theologos, utrum expediret decretum concilii Tridentini de matrimonio in hisce provinciis publicare, necne?

### CONGREGATIO SECUNDA PRIVATA,
die martis, 11 maii, habita.

Adfuere patres omnes qui heri, cum concilii officialibus.

Reverendissimus et illustrissimus dominus archiepiscopus Sancti-Ludovici retulit quid congregationi particulari de quaestione iis heri commissa videretur. Censuerunt patres reverendissimum P. Mariam-Eutropium, abbatem mitratum Sanctae Mariae de Trappa, de monasterio Gethsemanensi, ius habere congregationibus privatis matutinis interveniendi: ac mandatum est Pittsburgensi, Carolopolitano et Bostoniensi, ut inquirant num votum decisivum, seu tantum consultivum ferre debeat. Caeterum, reliquis superioribus iusserunt patres ut Carolopolitanus et Albanensis comiter significarent, eis tantummodo votum consultivum competere, illudque eos exercere in congregationibus publicis postmeridianis.

Tunc ad sedes erigendas, novosque episcopos nominandos sese converterunt patres, et abierunt secretarii.

### CONGREGATIO SECUNDA PUBLICA,
eodem die, hora 4 post meridiem habita.

Adfuere patres omnes ut mane, et insuper Milwauchiensis qui hodie Baltimorum advenit, quique reverendum patrem Antonium Schmidt, congregationis Sanctissimi Redemptoris, theologum suum designavit.

Adfuere etiam superiores ordinum religiosorum ac congregationum, necnon et theologi.

Inter theologos disceptatum est de recta iuventutis instituendae ratione, deque scholis catholicis.

### CONGREGATIO TERTIA PRIVATA,
die mercurii, 12 maii, hora 11 habita.

Adfuerunt patres qui heri: et insuper Ludovicopolitanus, et Sancti-Pauli qui Baltimorum advenerat.

Pittsburgensis retulit se, ac alios patres ad hoc delectos, examine facto, iudicare reverendissimo patri Mariae-Eutropio abbati nonnisi votum consultivum competere, cum iurisdictionem quasi-episcopalem nullam habeat.

Statutum est supplicandum esse sanctae sedi, ut privilegium, vi cuius forma in rituali Romano posita pro baptismate parvulorum, in hisce provinciis etiam pro baptismate adultorum uti licet, vel perpetuum fiat, vel saltem ad viginti annos iterum concedatur.

Adveniente hora meridiana, quando de nominationibus erat agendum, discesserunt secretarii.

### CONGREGATIO TERTIA PUBLICA,
die 12 maii, hora 4 post meridiem.

Adfuerunt omnes, excepto Galvestoniensi, ordinum religiosorum superiores, et theologi, inter quos reverendus dominus Iosephus H. Plunkett, ab illustrissimo et reverendissimo episcopo Sancti-Pauli delectus theologus.

Argumentati sunt theologi de societatibus se- A cretis, de aedituis contra episcopum insurgentibus, de rerum temporalium administratione, de scholis publicis, et de libertate cultus in exercitu et in classe.

CONGREGATIO QUARTA PRIVATA,

die iovis, 13 maii, habita.

Congregatio ista habita est hora 9 ante meridiem in aedibus archiepiscopalibus. Adfuere patres omnes. Actum est de novis sedibus erigendis, episcopisque nominandis. Abfuerunt igitur secretarii. Lata sunt duo decreta quae incipiunt: *Patres huius concilii*, et *Quae in septem conciliis*.

## SESSIO SECUNDA.

Die iovis, hora 10 ante meridiem, convenerunt in ecclesia patres omnes, ordinum religiosorum superiores, et theologi. Missam pro defunctis praesulibus, qui ab ultimo concilio provinciali habito e B vita excessere, celebravit illustrissimus et reverendissimus dominus episcopus Natchetentis, cui adstiterunt admodum reverendus dominus Marianus Maller, archidiaconus; reverendus dominus Alexius Elder, diaconus; reverendus dominus Henricus Griffin, subdiaconus.

Finita missa, sermone satis eloquenti praedictos praelatos defunctos, nempe reverendissimum et illustrissimum Samuelem Eccleston, archiepiscopum Baltimorensem, Benedictum-Ioseph Flaget, episcopum Ludovicopolitanum, et Wilhelmum Tyler, episcopum Hartfordensem, laudavit reverendissimus dominus Ludovicopolitanus.

Absolutio a reverendissimo et illustrissimo domino Baltimorensi facta est: qua finita, praelati omnes pluvialia et mitras sumpserunt, et habita est sessio secunda solemnis, iuxta praescripta pontificalis Romani: hodie tamen nulla lecta sunt de- C creta.

CONGREGATIO QUARTA PUBLICA.

die iovis, 13 maii, hora 4 post meridiem habita.

Adfuerunt patres omnes, cum superioribus ordinum religiosorum, et theologis. Inter hos ventilata est quaestio, num expediret parochos canonicos in hisce provinciis instituere.

CONGREGATIO QUINTA PRIVATA.

die veneris, 14 maii, hora 11 ante meridiem habita.

Adfuerunt patres omnes cum officialibus.

Archiepiscopis Sancti-Ludovici, Neo-Aurelianensi, et Neo-Eboracensi commissum est, ut scriptis exponant quaenam dispensationes circa ieiunia quadragesimalia ab ordinario dioecesibus occidentalibus con[illegible] soleant.

Similiter [illegible]rolopolitano, Buffalensi ac Ludovicopolitano munus datum est catechismi anglico ser- D mone conscribendi, vel saltem ex editis quemdam seligendi, qui eorum cura, si opus sit, emendatus, per omnes dioeceses usu veniat. Absoluto autem opere, catechismum praedictum in manus Baltimorensis tradant, cuius erit, ut a sancta sede approbetur, agere. Quod si catechismum aliquem ex iam editis illis placuerit seligere, id per litteras omnibus coepiscopis quamprimum significent, ita ut cuique quid sentiat dicendi sit copia.

Mandatum quoque est Philadelphiensi, ut catechismum germanico ore vel conscribat, vel ex iam editis seligat, cum onere illum episcopis omnibus germanice scientibus, et praesertim Baltimorensi, communicandi.

Tandem statutum est nullum in futurum bibliopolis permittendum, in huiusmodi catechismis luci dandis, privilegii ius.

Dein, latum est decretum contra sepulturam catholicorum in coemeteriis non consecratis, ubi adest copia eos in coemeteriis rite consecratis sepeliendi.

Ad sedium erectionem, et episcoporum nominationem cum se converterent patres, abierunt secretarii.

CONGREGATIO QUINTA PUBLICA.

die veneris, 14 maii, hora 4 per meridiem habita.

Adfuerunt patres omnes, superiores religiosi, et theologi. Inter theologos disceptatum est de parochis canonicis instituendis.

CONGREGATIO SEXTA PRIVATA.

die sabbati, 15 maii, hora 10 ante meridiem.

Adfuerunt patres omnes.

Lata sunt decreta quae incipiunt: *Rituale Romanum* et *Manuale caeremoniarum*. Mandatum est Ludovicopolitano, Philadelphiensi et Montisregis, ut die lunae venturo patribus referant quae in rituali proxime edendo mutanda, omittenda, vel addenda sint, praesertim de benedictione mulierum ante partum, et de evangeliis legendis, et orationibus recitandis supra aegrotos. Item, utrum expediat sanctae sedi supplicare ut calendarium hodie in ecclesia Romana usitatum ad istas provincias extendere dignetur.

Latum est decretum quod incipit: *Decretum sextum*.

Congregatio de quaestionibus ad ius canonicum spectantibus, cui delata fuerat quaestio quaedam de diebus festivis, hortatu gubernatoris civilis celebrandis, responderunt morem illum nulli Benedicti XIV constitutioni adversari.

Eidem congregationi commissum est referre quid sanctae sedi rescribendum ad facultates extraordinarias, praesertim circa matrimonia mixta, aut ubi adest primi gradus affinitatis, vel secundi gradus collateralis consanguinitatis impedimentum.

Relatio eiusdem congregationis lecta fuit de non publicando decreto Tridentino.

Latum est decretum quod incipit: *Statuunt patres*, de bannis publicandis; assentientibus viginti tribus patribus, septem e contra dissentientibus.

Mandatum est Albanensi, Pittsburgensi et Galvestoniensi, ut referant utrum expediat sanctae sedi supplicare, ut suprema auctoritate erga illas dioeceses, in quibus concilium Tridentinum vel certo vel probabiliter publicatum est, ita dispenset, ut in iisdem eadem sit ac in caeteris dioecesibus de matrimoniis ineundis ecclesiastica lex; assentientibus decem et octo, dissentientibus tredecim.

Iisdem quoque mandatum est ut hisce quaestionibus, a reverendissimo et illustrissimo domino archiepiscopo Neo-Eboracensi propositis, super bannis publicandis, respondeant: 1. Quid faciendum in casu quo illius qui matrimonium contrahere vult, parentes et consanguinei in urbe domicilium habent, ipse vero iam forsan ab annis aliquot alibi victum labore quaerit, ac matrimonio inito, eodem reversurus est? 2. Quid faciendum de his qui intra limites unius districtus domicilium habent, sed, sede in ecclesia alius districtus locata, inter illius ecclesiae fideles numerantur? 3. Quomodo reputandum domicilium eorum, quibus mos est quotannis de domo in domum transire, quique rarissime per trium annorum spatium in eadem domo manere solent?

Dein, cum de nominationibus esset agendum, abierunt secretarii.

Horis postmeridianis nulla habita est congregatio publica.

## SESSIO TERTIA SOLEMNIS.

Die dominica, mai 16, hora 10 antemeridiana, facta est processio ab aedibus archiepiscopalibus ad

cathedralem ecclesiam, eodem ac dominica anteriori A ordine. Missam solemnem celebravit illustrissimus et reverendissimus dominus archiepiscopus Oregonensis, cui adstiterunt admodum reverendus pater Bernardus J. Hafkenscheid, congregationis sanctissimi Redemptoris, archidiaconus; reverendus pater Antonius Schmidt, congregationis sanctissimi Redemptoris, diaconus, et reverendus dominus H. Griffin, subdiaconus. Diaconi vero prope thronum illustrissimi et reverendissimi archiepiscopi Baltimorensis fuere admodum reverendus pater Patritius E. Moriarty, ordinis Sancti Augustini assessor generalis, et reverendus dominus Ioannes McCaffrey, sacrae theologiae doctor, magistro caeremoniarum reverendus dominus Franciscus Burlando, congregationis missionis.

Absoluto sacro, concionem ad populum habuit illustrissimus et reverendissimus dominus Pittsburgensis; qua finita, habita est sessio tertia so- B lemnis, iuxta praescripta pontificalis Romani pro sessione secunda synodi.

Decreta a patribus hucusque lata publice lecta sunt a primo secretario. Tum illustrissimus et reverendissimus dominus archiepiscopus Baltimorensis, sedis apostolicae delegatus, instante reverendissimo promotore, ita patres allocutus est: „Placetne, vobis venerabiles fratres, haec quae lecta sunt decreta approbare, et confirmare?" Responderunt omnes: „Placet, approbamus, confirmamus."

Data tunc a reverendissimo praeside benedictione, finis huic sessioni impositus est, et omnes processionaliter ad aedes archiepiscopales reverterunt.

Horis postmeridianis nulla habita est congregatio publica.

### CONGREGATIO SEPTIMA PRIVATA.

die lunae, 17 maii, hora 11 ante meridiem habita.

Adfuere patres omnes cum concilii officialibus.

Reverendissimus et illustrissimus dominus Pittsburgensis ex congregatione *de iure canonico* retulit congregationem istam censere, oportere amplas facultates a sancta sede postulari, praesertim super matrimoniis mixtis, et dispensationibus in casu impedimenti ex primo gradu affinitatis, et secundo gradu collateralis consanguinitatis orti; et patres eidem onus dedere epistolam eo sensu ad sanctam sedem mittendam conscribendi. Voluerunt quoque in eadem epistola peti, ut non iuramentum, sed tantum solemnis promissio tam a catholica quam ab acatholica parte, de conditionibus servandis, sit deinceps exigenda.

Certiores fecit patres reverendissimus promotor secretarium primum, ex eius mandato, ad reverendum dominum Timotheum O'Brien sabbato scripsisse, eique notum fecisse iudicium a patribus in D negotio eum inter et reverendissimum dominum Richmondensem latum, praedictumque secretarium responsum a reverendo domino T. O'Brien accepisse, quod lectum est. Secretario mandaverunt patres, ut iterum praedicto reverendo domino rescribat, eos iudicio lato adhaerentes de sua submissione gaudere. Hoc vero die mercurii sequenti fecit.

Adveniente hora qua de nominationibus esset agendum, abierunt secretarii.

### CONGREGATIO SEXTA PUBLICA.

die lunae, 17 maii, hora 4 post meridiem habita.

Adfuere patres omnes, ordinum congregationumque superiores, et theologi.

Theologi disceptarunt de curriculo studiorum in seminariis instituendo, de paroeciis, et de vagorum matrimoniis.

### CONGREGATIO OCTAVA PRIVATA.

die martis, 18 maii, hora 10 ante meridiem habita.

Adfuerunt patres omnes cum officialibus.

Imprimis legit Pittsburgensis epistolam de facultatibus extraordinariis, ad sanctam sedem mittendam, iuxta voluntatem patrum heri indicatam, conscriptam. Voluerunt quidam ut in eadem epistola sanctam sedem orarent ut suprema sua potestate obligationem decreti Tridentini de matrimoniis clandestinis tollat quoad dioeceses in quibus vel certo vel probabiliter fuerit ullo tempore publicatum: sed in hoc consilium noluerunt patres ire.

Plura relata sunt a Ludovicopolitano, ex congregatione particulari, de nova editione ritualis Romani in lucem danda: sed re mature agitata, noluerunt de ea conciliariter agere.

Latum est decretum quod incipit: *Statuunt patres ritus sacros.*

Lecta est epistola reverendissimi et illustrissimi Torontini, qua gratias patribus agit pro humanitate qua eum exceperant, eisque gratulatur de concilio habito.

Tunc lata sunt sequentia decreta: *Hortantur patres ut ubique*, de pia ad propagandam fidem societate in hisce provinciis instituenda; *Monemus sacerdotes*, de aedituorum electione; *Hortamur episcopos*, de scholis instituendis; *Hortandos episcopos*, de sacerdotum consilio adhibendo; *Quoniam quae Deo*, de bonis temporalibus.

Cum illustrissimus et reverendissimus dominus Montisregis exponeret magnam pecuniae summam ad missiones in California sustentandas olim erogatam, gubernio civili Mexici, prout ferebant leges Hispanicae, fuisse locatam, ut illius fructus quotannis missionariis solverentur, quod tamen a multis annis factum non est, nec amplius expectari sinunt C reipublicae mutatae fortunae; cumque insuper potestas civilis in California illam pecuniam ad usus publicos usurpandam ab aerario Mexicano postulare cogitet, ipse a patribus quaerebat quid hac in re opportunum sit fieri. Voluerunt patres congregationem *de iure canonico*, re mature perpensa, ei consilio esse.

Relatio eiusdem congregationis de iis qui impedimenta matrimonii celant, necnon et alia de iuventutis institutione lectae sunt: sed utramque quaestionem seposuerunt patres. Item alia relatio eiusdem congregationis, de mulctis imponendis in dispensationum concessione, lecta est: sed negotium istud melius conciliis provincialibus relinquendum duxerunt.

Tandem congregatio *de gravaminibus* relationem attulit de querelis contra Ludovicopolitanum, propter eius agendi rationem super coemeterio quodam Germanorum. Secretarium iusserunt patres iis, qui querelas suscitarant, respondere, iuxta verba praedictae relationis, reverendissimum et illustrissimum dominum Ludovicopolitanum in eo negotio nonnisi iuris canonici praeceptis, et conciliorum Baltimorensium statutis obtemperasse. Hoc secretarius die iovis perfecit.

Dein, cum de novis sedibus esset agendum, abierunt secretarii.

### CONGREGATIO SEPTIMA ET ULTIMA PUBLICA.

Adfuerunt reverendissimi archiepiscopi et episcopi omnes, ordinum religiosorum superiores, et theologi.

Inter theologos iterum argumentum erat de paroeciarum institutione, et de districtuum ecclesiasticorum partitione.

Antequam huic congregationi ultimae publicae finis imponeretur, reverendissimus et illustrissimus

dominus archiepiscopus Baltimorensis blande theologos allocutus est, eorumque diligentiam doctrinamque in gravissimis argumentis agitandis, modestiamque in sententiis edicendis praeclaram, amplissimis verbis commendavit.

## CONGREGATIO NONA PRIVATA,

die mercurii, 19 maii, hora 10 ante meridiem habita.

Adfuerunt patres omnes cum officialibus.

Lecta est epistola ad sanctissimum dominum papam, nomine concilii mittenda, quam cum approbassent patres, voluerunt eam nitide conscribi, ita ut post congregationem postmeridianam singuli ei subscribere possent.

Latum est decretum *Cum sapientissimo consilio*.

Propositum fuit societates ad scholas catholicas sustentandas instituere; sed, votis patrum exquisitis, dum quindecim statuendas vellent, sexdecim in partem contrariam iverunt.

Lata sunt decreta sequentia: *Visum est patribus valde expedire*, de cancellariis statuendis; *Consulimus episcopis*, de seminariis ecclesiasticis; *Consulendum episcopis ut in suis*, de librorum examine; *Ne, de vi et obligatione*, de promulgatione decretorum huius concilii.

Proposito quodam decreto de coemeteriis, illud sancire noluerunt patres; pariter societatem ad iura fidelium tuenda instituere recusarunt.

Pittsburgensi, Carolopolitano et Ludovicopolitano onus datum est curriculum studiorum satis amplum designare, cui seminariorum ecclesiasticorum alumni sese dent.

Tunc, cum de nominationibus esset agendum, recesserunt secretarii.

## CONGREGATIO DECIMA PRIVATA,

die mercurii, 19 maii, hora 5 post meridiem habita.

Habita est haec congregatio in aedibus archiepiscopalibus. Adfuerunt patres omnes cum officialibus.

Lata sunt decreta sequentia: *Hortantur patres ut ubique*, de piae ad propagandam fidem societatis in hisce provinciis institutione; *Commendamus fidelibus*, de precibus pro conversione acatholicorum; *Expedit episcopos normam*, de censuris ferendis; *Societates omnes*, de societatibus quibusdam laicorum; *Hortandos episcopos*, de consilio sacerdotum adhibendo; *Patres censuerunt*, de ratione rerum temporalium ecclesiarum administrationis quotannis exigenda; *Moneant episcopi sacerdotes*, de scholarum cura.

Iterum lecta sunt ista et multa ex decretis iam latis, ut cuique copia esset emendationes proponendi.

Iterum perlectae sunt et approbatae epistolae sequentes:

Epistolae tres ad summum pontificem.

Epistola una ad eminentissimum principem Iacobum Philippum sanctae Romanae ecclesiae cardinalem Fransoni, sacrae congregationis de Propaganda fide praefectum.

Epistola pastoralis ad clerum populumque harum provinciarum.

Epistola a Mobiliensi, gallico sermone conscripta, ad piam ad Propagandam fidem societatem.

Epistola a Philadelphiensi, germanico sermone, ad piam Leopoldinam aliasque Germaniae societates scripta.

Epistola a domino Montisregis ad illustrissimum et reverendissimum archiepiscopum Mexici.

Dein, cum de novis sedibus esset agendum, recesserunt secretarii.

Circa finem istius congregationis, recedente illustrissimo et reverendissimo domino praeside,

A patres, ex consilio reverendissimi et illustrissimi domini archiepiscopi Cincinnatensis, noluerunt finem huic concilio imponere quin reverendissimo et illustrissimo domino archiepiscopo Baltimorensi, sedis apostolicae delegato, gratias maximas agerent.

## CONGREGATIO UNDECIMA ET ULTIMA PRIVATA.

die iovis, 20 maii, festo Ascensionis domini nostri Iesu Christi, hora $9^{1}/_{2}$, in aedibus archiepiscopalibus habita.

Adfuerunt patres omnes cum officialibus.

Perlecta sunt reliqua ex decretis iam latis, ut cuique patrum liceret emendationes proponere, aut verba limare.

Lecta quoque est, et approbata epistola ad illustrissimum et reverendissimum dominum Paulum Cullen, archiepiscopum Armacanum, primatem totius Hiberniae, a Baltimorensi conscripta, cum ab ea conscribenda sese heri excusasset Cincinnatensis.

B

## SESSIO QUARTA SOLEMNIS,

die iovis, 20 maii, qui erat festum Ascensionis domini nostri Iesu Christi.

Hora $10^{1}/_{2}$ facta est processio patrum omnium, ordinum religiosorum congregationumque superiorum, theologorum et multorum sacerdotum, eodem ac dominicis praeteritis ordine, ab aedibus archiepiscopalibus ad ecclesiam metropolitanam. Missam pontificalem celebravit illustrissimus et reverendissimus dominus Neo-Aurelianensis, cui adstiterunt archidiaconus admodum reverendus dominus F. Lhomme; diaconus, reverendus dominus Eduardus Quigley; subdiaconus, reverendus A. J. Elder; diaconi vero prope thronum assistentes fuere admodum reverendus dominus H. B. Coskery, et reverendus dominus T. Foley.

Absoluta missa, concionem ad populum habuit illustrissimus et reverendissimus dominus Bostoniensis. C Dein, cantati sunt psalmi et orationes iuxta praescripta pontificalis Romani pro ultima sessione.

His finitis, secretarius alta voce perlegit decreta omnia, iis exceptis quae dominica praecedenti lecta et approbata fuerunt. Tunc, instante reverendissimo promotore, reverendissimus et illustrissimus archiepiscopus Baltimorensis patres allocutus est: *Placetne vobis, venerabiles fratres, haec quae lecta sunt decreta approbare et confirmare?* Omnibus autem respondentibus: *Placet, approbamus, confirmamus*; ex mandato eiusdem reverendissimi praesidis, id proclamavit secretarius, his verbis:

*Nos, Franciscus-Patritius, archiepiscopus Baltimorensis, et sedis apostolicae delegatus, aliique archiepiscopi et episcopi, in hoc sacro concilio plenario adunati, decreta haec quae mox lecta sunt, approbamus et confirmamus.*

Deinde patres omnes decretis super altare maius D positis nomina iuxta ordinem subscripsere.

Reverendissimus et illustrissimus dominus Baltimorensis tunc a patribus petiit, num eis placeret decreta ista ad pedes sanctissimi domini nostri papae per manus Chicaginensis deferri, ut sanctae sedis revisioni et recognitioni subiiciantur: cui omnes lubenter assensum praebuerunt.

Illustrissimus et reverendissimus dominus archiepiscopus Neo-Eboracensis surgens inter patres, tunc, nomine omnium, gratias amplissimas reverendissimo Baltimorensi, delegato sedis apostolicae, egit, eique et omnibus de concilio ad tam felicem exitum perducto, verbis gravissimis et ad commovendos animos aptissimis, gratulatus est. Reverendissimus et illustrissimus dominus Baltimorensis, cum ei respondere vellet, lacrymis sermonem abrumpere coactus est.

Reverendissimus promotor tunc petiit finem concilio imponi: reverendissimus autem archipraesul

patres interrogavit: *Venerabiles fratres, placetne* A *vobis, ad Dei omnipotentis laudem, huius concilii plenarii finem iam fieri?* Respondentibus singulis, *Placet*; ita prosecutus est secretarius:

*Nos Franciscus-Patritius, archiepiscopus Baltimorensis, sedis apostolicae delegatus, aliique patres qui huic concilio plenario interfuimus, cum absoluta sint quae pro temporis ratione agi gerique posse videbantur, cumque pastoralis cura ad ecclesiarum nostrarum status et pastorales vigilias revocet, propterea huic sancto concilio finem imponi censuimus.*

His peractis, et stantibus omnibus, factae sunt acclamationes.

## ACCLAMATIONES.

*Archidiaconus:* Regi saeculorum immortali, omnipotenti Deo, sempiternus honor et aeterna gloria.

*Chorus:* Dignus est dominus Deus noster accipere gloriam, et honorem, et benedictionem in sae- B cula saeculorum.

*Archidiaconus:* Sanctissimae et immaculatae virgini, Dei genitrici Mariae, reverentia, laus et piissima gratulatio.

*Chorus:* Beatam illum dicant omnes generationes, et sit benedicta in aeternum,

*Archidiaconus:* Beatissimo Pio papae, successori principis apostolorum, totius ecclesiae capiti, ac vero Christi in terris vicario, pax a Deo, et omnimoda prosperitas.

*Chorus:* Effundat super eum Deus noster abundantes divitas gratiae suae, tantumque pontificem diu ecclesiae suae sospitem et incolumem servet.

*Archidiaconus:* Reverendissimo archiepiscopo Baltimorensi, sedis apostolicae delegato, et huius concilii plenarii praesidi, cum multis annis plurimae gratiae.

*Chorus:* Iam in praesenti tempore accipiat bene- C dictionem a Domino, et in futuro seculo coronam gloriae.

*Archidiaconus:* Reverendissimis archiepiscopis et episcopis qui ad hoc celebrandum concilium accesserunt, incrementum donorum coelestium, et felix ad suas ecclesias reditus.

*Chorus:* Gratia domini nostri Iesu Christi, et caritas Dei, et communicatio sancti Spiritus, sit cum omnibus illis.

*Archidiaconus:* Admodum reverendis abbatibus et communitatum superioribus, ac theologis, qui praesentia, doctrina, laboribus, patres concilii tam egregie iuverunt, magnae grates, et bona in Christo memoria.

*Chorus:* Magnae grates, bona memoria; Dominus retribuat.

*Archidiaconus:* Cunctis fidelibus nostrarum provinciarum, ac universo populo christiano, gratia et pax a Deo Patre, et Christo Iesu domino nostro.

*Chorus:* Ipse Deus pacis sanctificet eos per omnia, ut quietam et tranquillam vitam agant in omni pietate, castitate ac praxi bonorum operum.

*Archidiaconus:* Decreta huius sanctae synodi assidua veneratione prosequamur, et fideliter custodiamus.

*Chorus:* Semper veneremur, semper custodiamus.

*Archidiaconus:* Iuxta monitum apostolicum et propheticum, satagamus nos, fugientes mundi corruptionem, constanter adhaerere Deo, donec occurramus omnes in mensuram aetatis plenitudinis Christi, et in terram viventium.

*Chorus:* Amen, amen.

Tum denique cantatus est ab omnibus hymnus *Te Deum*, necnon ab archiepiscopo Baltimorensi praescriptae orationes; et, impertita ab eodem solemni benedictione, omnes processionaliter ad aedes archiepiscopales reversi sunt.

## DECRETA CONCILII.

1. Patres huius concilii plenarii, ex omnibus Statibus Foederatis Americae septentrionalis congregati, praeside archiepiscopo Baltimorensi tanquam apostolicae sedis delegato, summum quo sedem apostolicam Romanam prosequuntur, obsequium profitentur: agnoscunt quippe, iuxta definitionem in concilio Florentino promulgatam, Romanum pontificem successorem esse beati Petri principis apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque ecclesiae caput, et omnium christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi, in beato Petro, pascendi, regendi et gubernandi universalem ecclesiam a domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse. Beatissimum igitur pontificem Pium IX, caput totius episcopatus agnoscunt divino iure constitutum, eiusque esse fratres in fide confirmare, cum unus D sit omnium pastor.

Doctrinam insuper, quam ab apostolis traditam in ecclesia Romana constat semper esse servatam per episcoporum successionem, profitentur integram, prout in conciliorum oecumenicorum, praesertim Tridentini, decretis, et in summorum pontificum constitutionibus explicata est.

2. Quae in septem conciliis Baltimorensibus decreta sunt, ad omnes dioeceses Foederatorum Statuum, et regionum omnium generali gubernio subditarum, extendi statuimus, easque ubique vim obtinere.

3. Rituale Romanum, iam adoptatum a concilio primo Baltimorensi, accurate servandum in sacris muneribus peragendis ubique in dioecesibus Statuum Foederatorum decernimus, vetantes districte ne consuetudines ritusve a Romanis alieni introducantur. Ritus ecclesiasticos nolumus adhiberi in sepultura fidelium, quandocumque eorum corpora sepeliuntur in coemeteriis sectarum; vel etiam in coemeteriis profanis, quando adsunt coemeteria catholica.

4. Manuale caeremoniarum et librum caeremonialem, iussu concilii Baltimorensis primi praeparata, et Gregorio papa XVI felicis memoriae probata, quae emendatiori stylo iterum in lucem edita sunt, praemissa etiam rituum explicatione, ubique per omnes Foederatos Status adhibenda statuimus.

5. Monitos volumus praesules omnes qui aliqua ex causa e suis dioecesibus ad tempus recedunt, „*legitimae absentiae causas,*“ iuxta Tridentini concilii decretum[1] „*a beatissimo Romano pontifice, aut metropolitano, vel, eo absente, suffraganeo episcopo antiquiori residente, qui idem metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis esse approbandas. Quoniam autem qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia, non videntur abesse, quia statim reversuri sunt; illud absentiae spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum, nullo pacto debere duos aut ad summum tres menses excedere*“. Quae Tridentini patres de absentia propter munus publicum addiderunt, recitanda haud duximus, cum hisce in regionibus nullum huiusmodi munus sit episcopatibus adiunctum.

6. Hortandos episcopos patres censuerunt, ut, ubi fieri poterit, in suis dioecesibus aliquos sacerdotes aetate, scientia, vitae integritate, et rerum agendarum peritia conspicuos seligant, quos consultores constituant, et quorum sententias in administratione dioeceseos, cum opus fuerit, exquirant.

[1] Sess. XXIII, *de ref.*, cap. 1.

Laudandam etiam censuerunt consuetudinem alicubi vigentem consultores singulis saltem mensibus, die determinato, convocandi, ut quae ad dioecesim pertinent discutiantur.

7. Visum est patribus valde expedire ut in unaquaque dioecesi cancellariam statuat ordinarius, pro faciliore rerum ecclesiasticarum administratione, et ad stabilem in iis negotiis agendi normam consequendam.

8. Consulendum episcopis, ut in suis quisque dioecesibus unum aut plures sacerdotes scientia theologiae insignes designent, qui examini subiiciant libros precum, aut aliter ad religionem pertinentes, priusquam ab ordinario aut vicario eius generali approbatione fidelibus commendentur. Optandum etiam ut praxis aliorum quam ordinarii loci, ubi huiusmodi libri publici iuris fiunt, approbationem petendi in desuetudinem abeat.

9. Ne sacerdotes vagi et ignoti nimis facile admittantur ad sacra munera obeunda cum animarum periculo, nolumus sacerdotes ex Europa advenientes in clerum nostrum cooptari, nisi litteris suorum episcoporum prius missis, consensum episcopi in cuius dioecesim transire desiderant, obtinuerint.

10. Valde expedit districtus ecclesiasticos intra certos limites designare; necnon regulas de sacerdotum iurisdictione privilegiisque ordinarios, quamprimum fieri potest, sancire. Hos tamen districtus, secundum rerum adiuncta, episcopi mutare possunt, et eorum est definire quarum ecclesiarum sacerdotibus haec munera pro tempore adnecti debeant.

11. Statuunt patres in omnibus harum provinciarum dioecesibus, post festa paschalia anni proxime venturi, banna matrimoniorum publicanda esse. Ordinarios vero hortantur ut ne hac in re, nisi gravissimis de causis, dispensent.

12. Moneant episcopi sacerdotes curam animarum exercentes, ut institutioni iuventutis in doctrina christiana per se operam dent, nec putent ipsis licere quae sui muneris sunt negligere, reiecto omnino in alios onere iuvenes, aliosque rudes, fidei morumque principia edocendi.

13. Hortamur episcopos, et, attentis gravissimis malis quae ex iuventute haud rite instituta sequi solent, per viscera misericordiae Dei obsecramus, ut scholas unicuique ecclesiae in eorum dioecesibus annexas, instituendas curent; et, si opus fuerit, et rerum adiuncta sinant, provideant ut ex redditibus ecclesiae cui schola annexa sit, idonei magistri in ea habeantur.

14. Consulendum episcopis qui propria seminaria non habent, ut, collatis consiliis cum aliis episcopis eiusdem provinciae, unum saltem seminarium in unaquaque provincia constituant.

15. Patres censuerunt omnino expedire, ut, iuxta mentem concilii Tridentini[1], ordinarius, aut per se, aut per sacerdotem, cui hac in parte vices suas committat, ab administratoribus rerum ecclesiae temporalium, sive laicis, sive clericis, rationem eorum administrationis singulis annis exigat.

16. Quoniam quae Deo sunt donata in cultum divinum et opera caritatis, in ecclesiae transeunt potestatem, cuius est invigilare ut donatorum pia voluntas fideliter impleatur, ideoque sacris canonibus a laicorum usurpatione saepius vindicata sunt: districte vetamus ne laici sese ingerant iis administrandis, absque episcoporum libro consensu. Quod si eorum iniussu ea usurpent, et ad suos usus divertant, vel alia quacumque ratione donatorum voluntatem frustrentur et fraudent, vel quae fidei et curae episcoporum commissa sunt, ex eorum manibus eripere, etiam legis praesidio, conentur, eos poenis a Tridentinis patribus irrogatis rerum ecclesiae usurpatoribus[1] ipso facto subiacere decernimus, et declaramus.

17. Monemus sacerdotes qui ecclesias administrant, quarum titulus episcopis traditus est, ne aedituos in iis absque episcoporum auctoritate constituant, vel eligi a fidelibus permittant, ne liberae earum administrationi impedimentum aliquod nascatur.

18. Statuunt patres ritus sacros pro benedictione sanctissimi sacramenti, in caeremoniali et manuali iam praescriptos, ab omnibus in hisce Foederatis Provinciis stricte esse observandos.

19. Cum sapientissimo consilio per leges ac statuta harum rerumpublicarum cautum sit, ne potestas secularis ullum usurpet ius sese in rebus sacris immiscendi, meminerint episcopi, quo maximo possunt studio, apud auctoritatem civilem laborandum, prudenter tamen, prout Dominus suggesserit, ne unquam catholici qui vel militiae vel classi adscripti sunt, cultui acatholicorum contra suam conscientiam adesse cogantur.

20. Hortantur patres ut ubique per hasce provincias pia ad propagandam fidem societas extendatur ac promoveatur, quae in Galliis cum tanto religionis profectu existit.

21. Commendamus fidelibus ut societatem ineant, preces fundendi causa, ad acatholicorum omnium, qui nobiscum versantur patriae necessitudine coniuncti, conversionem, ut, erroribus omnibus reiectis, uno ore glorificent Deum, in fidei unitatem concurrentes. Porro supplicandum summo pontifici duximus, ut indulgentiarum concessione foveat hoc pium studium, eas omnibus tribuens qui eum in finem preces fundunt.

22. Visum est patribus a sancta sede humiliter petendum, ut pro harum provinciarum necessitudinibus facultates extraordinarias circa matrimonia, etiam delegandas si opus sit, concedere dignetur.

23. Quoniam gravissimae rationes a patribus concilii primi Baltimorensis provincialis, anno salutis 1829, allatae, dum a sanctissimo patre peterent ut pro baptizandis adultis ea in hisce provinciis uti liceret forma quae in rituali Romano pro baptismate parvulorum invenitur, adhuc vigent, immo in dies graviores evasurae videntur: statuunt patres sanctae sedi supplicandum esse, ut privilegium, tunc ad viginti annos iuxta patrum preces concessum, nunc perpetuum fiat, vel saltem ad viginti annos iterum concedatur.

24. Decretum sextum concilii Baltimorensis provincialis VII intelligendum declaramus de iis qui temere coniunguntur coram praecone acatholico, contra leges ecclesiasticas quae vetant communionem in divinis cum haereticis, et usurpati muneris sacri agnitionem. Nolumus sacerdotes suam operam praestare iis quos noverint ministellum adituros, foederis matrimonialis iterandi causa, vel qui foedere sic inito, absque poenitentiae indiciis benedictionem sacerdotalem petunt.

25. Ne de vi et obligatione decretorum huius concilii oriatur dubitatio, declaramus ea pro promulgatis habenda esse quando fuerint in lucem edita, ex auctoritate archiepiscopi Baltimorensis, post eorum a sancta sede revisionem et recognitionem.

Baltimori, festo die Ascensionis, qui fuit 20 maii 1852.

† Ego Franciscus-Patritius, archiepiscopus Baltimorensis, sedis apostolicae delegatus, definiens subscripsi.

[1] Sess. XXII, *de ref.*, cap. 9.

[1] Sess. XXII, *de ref.*, cap. 11.

† Ego Franciscus-Norbertus, archiepiscopus Oregonopolitanus, definiens subscripsi. A

† Ego Petrus-Richardus, archiepiscopus Sancti-Ludovici, definiens subscripsi.

† Ego Antonius, archiepiscopus Novae-Aureliae, definiens subscripsi.

† Ego Ioannes, archiepiscopus Neo-Eboracensis, definiens subscripsi.

† Ego Ioannes-Baptista, archiepiscopus Cincinnatensis, definiens subscripsi.

† Ego Michael, episcopus Mobiliensis, definiens subscripsi.

† Ego Matthias, episcopus Dubuquensis, definiens subscripsi.

† Ego Richardus-Pius, episcopus Nashvillensis, definiens subscripsi.

† Ego Ioannes-Ioseph, episcopus Natchetensis, definiens subscripsi.

† Ego Richardus-Vincentius, episcopus Vehelingensis, definiens subscripsi. B

† Ego Petrus-Paulus, episcopus Zelanus, coadiutor administrator Detroitensis, definiens subscripsi.

† Ego Ioannes-Maria, episcopus Galvestoniensis, definiens subscripsi.

† Ego Michael, episcopus Pittsburgensis, definiens subscripsi.

† Ego Andreas, episcopus Petriculae, definiens subscripsi.

† Ego Ioannes, episcopus Albanensis, definiens subscripsi.

† Ego Ignatius-Aloysius, episcopus Carolopolitanus, definiens subscripsi.

† Ego Ioannes-Martinus, episcopus Milwauchiensis, definiens subscripsi.

† Ego Ioannes-Bernardus, episcopus Bostoniensis, definiens subscripsi.

† Ego Amedeus, episcopus Clevelandiensis, definiens subscripsi. C

† Ego Ioannes, episcopus Buffalensis, definiens subscripsi.

† Ego Martinus-Ioannes, episcopus Ludovicopolitanus, definiens subscripsi.

† Ego Iacobus-Olivarius, episcopus Chicaginensis, definiens subscripsi.

† Ego Augustinus-M.-A., episcopus Nesqualensis, definiens subscripsi.

† Ego Iosephus-Sadoc, episcopus Montisregis, definiens subscripsi.

† Ego Bernardus, episcopus Hartfordensis, definiens subscripsi.

† Ego Franciscus-Xaverius, episcopus Savannensis, definiens subscripsi.

† Ego Ioannes, episcopus Richmondensis, definiens subscripsi.

† Ego Ioannes, vicarius apostolicus Novi-Mexici, episcopus Agathoniensis, definiens subscripsi. D

† Ego Iosephus, episcopus Sancti-Pauli, definiens subscripsi.

† Ego Ioannes-Baptista, episcopus Messeniensis, vicarius apostolicus ad orientem Montium Saxosorum, definiens subscripsi.

† Ego Ioannes-Nepomucenus, episcopus Philadelphiensis, definiens subscripsi.

Patritius N. Lynch,
sacrae theologiae doctor,
vicarius generalis Caropolitanus, secretarius.

Ego Eduardus L. Damphoux, sacrae theologiae doctor, huius plenarii concilii notarius, testor haec decreta actaque lecta fuisse et probata in sessionibus solemnibus, in ecclesia metropolitana Sanctae Mariae Baltimorensi, diebus 16 et 20 quae fuit festum Ascensionis domini nostri Iesu Christi, anno Domini 1852.

E. L. Damphoux,
sacrae theologiae doctor, notarius.

## EPISTOLA

*patrum concilii una cum decretis ad summum pontificem missa.*

Beatissime pater.

Ex vastae huius regionis disiunctis plagis ad concilium plenarium habendum convenientes, ab ipso primo momento ad te, beatissime pater, mentis oculos convertimus. Si enim Christum dominum deliberationibus nostris praeesse volimus, quem alium ducem habere possemus, quam illum cui salvator ipse ovium simul et agnorum curam commisit, et quem ad fratres confirmandos prae omnibus elegit?

Gratum procul dubio paterno cordi tuo erit, audire quanta in hac parte vineae ad nominis sui gloriam promovendam agat Deus. Verum fidem undique annuntiari; oblationem mundam ubique offerri; ubi ante aliquot annos Dei nomen penitus ignotum, ibi nunc illum in spiritu et veritate adorari laetamur. In hac ipsa metropolitana urbe, in qua, infra memoriam adhuc luce fruentium, sacerdos de longe veniens pusillum gregem raro per annum solabatur, ecclesias nunc plures ac frequentissimas, instituta pia non pauca florescere cernimus. Nec in ista civitate tantummodo, sed ubique laboribus nostris uberrimos fructus concedere dignatus est Deus. Infantula ecclesia intra unius vitae spatium tale incrementum accepit, ut ex ea, nedum in dioeceses, sed et in provincias divisa, sex archiepiscopi ac viginti sex episcopi ad concilium celebrandum convenerimus.

Antequam vero ad ecclesias nostras revertamur, vehementer desideramus animorum nostrorum sensus tibi, beatissime pater, aperire. Cupimus etenim amorem et reverentiam et obedientiam erga te et sedem tuam apostolicam, qua repleti sumus, tanquam haereditatem pretiosissimam, quam prae omnibus aliis maximi habemus, ultimis posteris peculiari affectu commendare. Nil enim ad fidem firmandam, et ad pietatem quae ex fide exsurgit urgendam, magis conducere novimus, quam amorem et obedientiam filialem erga sedem apostolicam, omnium ecclesiarum matrem et magistram, fovere.

Sive antiquorum temporum monumenta, sive aetatis nostrae historiam evolvimus, ubique per Petrum fidei lumen servatum videbimus, et haereses et schismata tunc tantum orta, cum imminuta erga sedem apostolicam reverentia, erroribus et vitiis via patebat. Frustra virtutes et praeclara gesta maiorum, frustra terram martyrum sanguine madidam, frustra antiquae pietatis monumenta appellabant illi, apud quos reverentia ista amorque frigescebat. Elanguescere primo fides visa est, serius omnino emori: *humanae* factae sunt ecclesiae illae, et, divina amissa virtute, non tam ad viam salutis ostendendam ecclesiae, quam larvae ad illudendum esse videbantur.

Factum quidem est quandoque, misericordia divina, ut felicior esset rerum exitus. Hoc autem ea tantum de causa evenit, quod tandem aliquando restituto avito sedis apostolicae amore, salus inde petebatur, unde ecclesiarum vitam fluere Deus decreverat.

Etiam tum, cum tu, beatissime pater, a sepulchris apostolorum exulares, et prudentes huius saeculi nil nisi pericula viderent, omnes admirati sumus fortitudinem, sapientiamque qua ecclesiam tibi com-

missam moderabaris, clareque in actis tuis per- A
speximus lucem a Domino promissam, non modo non imminui, sed pro temporum difficultate magis magisque splendescere. Quamvis enim plurimis et immensis esses calamitatibus pressus, verbum Domini non fuit alligatum, sed a Petri cathedra procedens, lumen veritatis pietatisque fervorem ubique diffudit, similè solis radio, ut ait sanctus Chrysostomus, cui vincula coniici nequeunt.

Inter plurima autem tunc a te praeclare gesta peculiari affectu in mentem revocamus, te periculis, quibus ipse premebaris, non fuisse impeditum, quin ad illustrem Hiberniae ecclesiam a scopulis in quos impelli videbatur eripiendam, animum intenderes. Et, si laqueus, quem ecclesiae hostes extendebant, contritus est, et fideles liberati, id tibi, beatissime pater, et venerationi erga sedem tuam, quam a maioribus didicerunt, omnino tribuendum novimus.

Non leve autem, tot inter ploranda aetatis nostrae mala, exinde solamen derivatur, quod, quo magis pericula imminere videntur, eo arctius contrahuntur vincula quae fideles ubique diffusos cum sede apostolica coniungunt, eoque ferventius ecclesiae filii ad sedem apostolicam conveniunt, et veluti infantes sese in gremium matris coniiciunt, a qua cibum et tutamen expectant.

Qui cum animorum nostrorum sensus sint, ex corde cupimus eam ecclesiarum nostrarum praecipuam laudem fore, ut sedem apostolicam summa semper et peculiari reverentia colant diligantque. Ad pedes tuos interea provoluti, ut nobis, et clero populoque curae nostrae commisso benedicas, enixe precamur.

Baltimori, die 19 maii 1852.

## DECRETUM

*sacrae congregationis de Propaganda fide, pro decretorum synodi plenariae approbatione.*

In generali sacrae congregationis conventu, die 30 augusti 1852, referente eminentissimo ac reverendissimo domino Raphaele cardinali Fornari, proposita fuerunt decreta synodi plenariae Baltimorensis, habitae mense maio huius item anni, praesidente sedis apostolicae delegato reverendissimo patre domino Francisco-Patritio Kenrick, archiepiscopo Baltimorensi. Omnibus vero mature perpensis, eminentissimi patres, praescriptis emendationibus nonnullis iuxta peculiarem instructionem eidem delegato apostolico traditam, praedictae synodi decreta probanda censuerunt [1].

Hanc vero sacrae congregationis sententiam, sanctissimo domino nostro Pio papae IX ab infrascripto secretario relatam, in audientia diei 5 septembris eiusdem anni, sanctitas sua ratam habuit, ac decretum ea de re expediri permisit.

Datum Romae, ex aedibus dictae sacrae congregationis de Propaganda fide, die 26 septembris 1852.

I.-Ph. cardinalis Fransoni, praefectus.

Al. Barnabo, a secretis.

## DECRETUM

*quo prorogatur facultas adultos eadem ac parvulos forma baptizandi.*

Archiepiscopi et episcopi plenarii concilii Baltimorensis sanctissimum dominum nostrum Pium papam IX obsecrandum censuerunt ut, permanentibus adhuc causis ob quas sanctae memoriae de-
B cessor eius Pius papa VIII, decretum sanctae congregationis de Propaganda fide approbans, die 26 septembris anni 1830, annuit ut in baptismate adultorum is brevior caeremoniarum ordo adhiberi ad viginti annos posset, qui in rituali Romano ad baptizandos pueros praescribitur, indultum huiusmodi rursus prorogare dignaretur. Precibus istis relatis ab eminentissimo ac reverendissimo domino Raphaele cardinali Fornari in generali sacrae congregationis conventu habito, die 30 augusti 1852, eminentissimi patres censuerunt supplicandum sanctissimo pro indulti prorogatione ad quinquennium, atque ita ut interim episcopi paulatim ad observantiam ritus descripti pro adultorum baptismate in rituali Romano accedere satagant.

Hanc vero sacrae congregationis sententiam, sanctissimo domino nostro Pio papae IX ab infrascripto secretario relatam, in audientia diei 5 sep-
C tembris, sanctitas sua benigne in omnibus probavit, ratamque habuit, contrariis quibuscumque haud obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus dictae sacrae congregationis de Propaganda fide, die 26 septembris 1852.

I.-Ph. cardinalis Fransoni, praefectus.

Al. Barnabo, a secretis.

## INDULTUM

*de sacris ordinibus titulo missionis conferendis.*

**Ex audientia sanctissimi habita die 3 octobris 1852.**

Sanctissimus dominus noster Pius divina providentia papa IX, referente me infrascripto sacrae congregationis de Propaganda fide secretario, singulis archiepiscopis et episcopis Foederatorum Statuum Americae septentrionalis facultatem benigne concessit, a die prima ianuarii 1853 ad quinquen-
D nium duraturam, promovendi titulo missionis ad sacros ordines usque ad sacerdotium inclusive, clericos, servatis servandis circa doctrinam et pietatem, super quo episcoporum conscientia oneratur.

Datum Romae, ex aedibus dictae sacrae congregationis, die et anno quibus supra.

Al. Barnabo, a secretis.

## INDULTUM

*de instituenda sodalitate precum pro conversione acatholicorum.*

Beatissime pater.

Episcopi concilii plenarii Baltimorensis, misericordia moti erga tot animas diabolica fraude deceptas, et a via veritatis errantes, censuerunt instituendam esse sodalitatem precum pro conversione acatholicorum in Foederatis Provinciis Americae septentrionalis, sperantes fore ut ex huiusmodi in-

[1] Supervacaneum est monere decreta, priusquam evulgarentur, ad tramitem praefatae instructionis emendata fuisse. Caeterum, inter ea quae sacra congregatio notanda censuit, haec quae sequuntur hic exscribere operae sane pretium est.

Censuit igitur sacra congregatio hortandos esse episcopos ut festis in usu adiungenda curent festum Circumcisionis domini nostri Iesu Christi, cum constet eo die omnes fere acatholicos, etiam ob ineuntis anni laetitiam, ab operibus servilibus abstinere; necnon Conceptionis immaculatae beatae Mariae virginis festum: eo enim titulo iuxta vota veluti patrona principalis tradita est. Caeterum, deprehendatur licet quoad festa et ieiunia discrimen aliquod inter nonnullas provincias ac dioeceses, aequum tamen haud videtur ut ex eo quod in nonnullis locis minori numero festa vel ieiunia vigeant, idcirco minui etiam debeant, ubi, iuxta universalis ecclesiae disciplinam, alia adhuc servantur. Studium porro episcoporum non eo est dirigendum ut dioeceses istae omnes uniformes evadant in iis quae difformia sunt ab universalis ecclesiae disciplina, id siquidem incongruum esset, et nationalis ecclesiae speciem facilius ingereret. Ob difficilia rerum adiuncta, gravibusque de causis, annuit apostolica sedes, ut in nonnullis disciplina, seu commune ius ecclesiasticum relaxaretur: ad id fit per modum tolerantiae, ac provisoria ratione, neque derogationes huiusmodi sunt magis firmandae atque extendendae; sed potius adnitendum omni ope ut universalis disciplinae observantia paulatim restitui valeat.

stitutione non levia in fratres nostros errantes bona sint redundatura, maxime si sanctitas vestra illam approbatione sua decorare, ac infra memoratis indulgentiis ditare dignetur.

1. Ut singulis confratribus et consororibus praedictae sodalitatis concedatur plenaria indulgentia, cum, rite confessi, paschalem communionem receperint, qui quotidie sequentem orationem quocumque idiomate pie recitaverint: *Omnipotens sempiterne Deus, qui salvas omnes, et neminem vis perire, respice ad animas diabolica fraude deceptas, ut, omnibus erroribus reiectis, errantium corda resipiscant, et ad veritatis tuae redeant unitatem. Per Christum dominum nostrum. Amen.*

2. Item, plenariam indulgentiam in mortis articulo lucrentur, cum vere poenitentes et confessi, sanctissimae eucharistiae sacramentum susceperint; vel quatenus id facere nequiverint, sanctissimum Iesu nomen ore vel saltem corde invocaverint.

3. Ut unusquisque confratrum et consororum indulgentiam centum dierum lucretur, quotiescumque praefatam orationem recitaverint.

4. Ut iis christifidelibus praedictam orationem recitare nescientibus, supra enuntiatae indulgentiae concedantur, dummodo ter *Pater*, *Ave* et *Gloria*, singulis diebus devote recitent.

**Ex audientia sanctissimi, die 5 septembris 1852.**

Sanctissimus dominus noster Pius divina providentia papa IX, referente infrascripto sacrae congregationis de Propaganda fide secretario, supra descriptas preces episcoporum concilii plenarii Baltimorensis, necnon votum eminentissimorum patrum sacrae congregationis, benigne in omnibus annuit iuxta petita, atque indulgentias iuxta propositum tenorem in perpetuum concessit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Al. Barnabo, a secretis.

## EPISTOLA

*eminentissimi praefecti sacrae congregationis de Propaganda fide ad archiepiscopum Baltimorensem, de episcopis per subsidia ex propriis dioecesibus iuvandis, et de presbyteris ordines regulares ingredientibus.*

Illustrissime et reverendissime domine.

Relatum est in plenaria synodo pertractatum quoque fuisse de ratione aliqua ineunda ut ad onera sui muneris sustinenda episcopi iuvari possint subsidiis ex propriis dioecesibus. Aequum profecto id videtur. Cum tamen multiplex proponi methodus valeat, antistitum sententia erit exquirenda: per metropolitanos vero facile amplitudo tua praestare id poterit. Supervacaneum tamen haud erit innuere praesules Canadenses, superiore anno, ea de re pertractasse, cum proposuerint ut vel liceret accipere tertiam partem proventuum unius paroeciae, aut duarum paroeciarum in dioecesi; vel quartam aut quintam partem, si inter tres aut quatuor paroecias divideretur onus; vel decimam partem redituum, si inter plures, aut fere omnes paroecias supradictum onus divideretur, habita ratione circumstantiarum. Sacra congregatio propositionem ultimo loco exhibitam censuit potius esse amplectendam, atque ad eum scopum, sanctissimo domino nostro probante, in favorem Canadensium antistitum fuit latum decretum.

Innotuit pariter aliquando evenire ut, absque licentia episcopi, presbyteri missionibus addicti ordines regulares ingrediantur, unde gravissimum isthic oriri solet detrimentum ob sacerdotum penuriam. Dignosci etiam potuit haud vero presbyteros titulo isthic carere, quo ecclesiasticae leges omnes praeditos exigunt. Enimvero cum alii tituli haud facile isthic suppetere valeant, tradita fuit potestas ordinandi ad titulum missionis; absque enim titulo promoveri nemo valet ad sacros ordines, eoque deficiente, suspensus eo ipso ordinatus intelligitur. Recolendum est insuper in facultate concedendi titulum missionis requiri illud etiam, ut qui eo titulo instruatur edere debeat promissionem cum iuramento inserviendi perpetuo missionibus dioeceseos. Nec demum est praetereundum inter decreta concilii sexti Baltimorensis, numero tertio peculiariter fuisse provisum quoad presbyteros qui regulare aliquod institutum ingredi velint, ut nimirum proprii episcopi veniam assequi debeant: cumque decretum illud tertium probatum cum reliquis fuerit, diligenter erit servandum. Hactenus expositis regulis rite perpensis, atque in executionem deductis, facile episcopi ea omnia poterunt componere, quae ad suorum ecclesiasticorum statum pertinent; referant vero si aliis regulis editis ulterius providendum videatur.

Haec appendicis modo amplitudini tuae erant significanda post ea quae circa nuperrimae synodi decreta paulo antea rescripsi.

Precor Deum, etc.

Datum Romae, ex aedibus sacrae congregationis de Propaganda fide, die 23 octobris 1852.

I.-Ph. cardinalis Fransoni, praefectus.

Al. Barnabo, a secretis.

## ALTERA EPISTOLA

*eminentissimi praefecti sacrae congregationis de Propaganda fide, una cum litteris apostolicis de novarum sedium episcopalium erectione, ad archiepiscopum Baltimorensem missa.*

Illustrissime et reverendissime domine.

Quoad alteram synodi plenariae partem responsio tradi antea haud potuit: necesse siquidem fuit documenta omnia eminentissimis patribus exhibere, quae hactenus super gravissimo negotio pervenerunt, omnibusque rite perpensis providere. Re tandem perfecta, quae nuperrime statuta sunt amplitudini tuae aperiam: siquidem delegatio apostolica pro universo hoc negotio dudum tibi commissa fuerat. Actis ad examen revocatis, illud adnotandum occurrebat ut in iisdem professio fidei iuxta formulam a Pio IV propositam inseratur, quae in futurum pariter ab omnibus emittenda erit, atque actis similiter inserenda.

Ex adiectis vero apostolicis litteris patebit sanctissimum dominum nostrum, ex voto sacrae congregationis, erectionem sedium episcopalium Portland, Burlington, Brooklyn, Newark, Erie, Covington, Quincy, Sanctae-Fidei, Natchitoches decrevisse: insuper sedem archiepiscopalem constitutam in urbe Sancti-Francisci, cui suffraganea existat ecclesia Monteregensis; demum vicariatum apostolicum pro peninsula superiori status Michigan constitutum.

Haud visa est expedire erectio novae sedis episcopalis pro Wilmingtone; placuit quoque differri erectionem vicariatus apostolici pro Florida, atque erectionem archiepiscopalis sedis Bostoniensis.

Demum, quod pertinet ad subsidia pro episcopi sustentatione exhibenda, sacra congregatio probavit quae suggerebantur, nimirum pro nunc sufficere declarationem quoad episcoporum ius in genere; quoad modum vero expectandas esse propositiones conciliorum provincialium.

Superest proinde ut amplitudo tua diligenter A prudenterque haec omnia exequatur, prout caetera delegati apostolici [officia] pro gravissimo hoc negotio plenariae synodi hactenus gessit.

Romae, ex aedibus sacrae congregationis de Propaganda fide, die 12 augusti 1853.

I.-Ph. cardinalis Fransoni, praefectus.

Al. Barnabo, a secretis.

## LITTERAE PASTORALES PATRUM PRIMI CONCILII PLENARII BALTIMORENSIS.

The archbishop and bishops of the United States in national council assembled at Baltimore, to the clergy and laity of their charge, health and benediction.

Venerable brethren, of the clergy, and beloved children of the laity.

Assembled in national council, under the sanction of our most holy father Pius IX, we find no duty more imperative, and, at the same time, more agreeable to our feelings than to address the flock committed to our care. The attachment to the doctrines and practices of our holy religion which B characterizes the catholics of the United States; the docility and obedience which they have uniformly manifested; the cordial union which, notwithstanding the diversity of origin, customs and language, reigns throughout the whole catholic body in this vast country; their general fervor and devotedness in the exercise of the virtues of the gospel, fill our hearts with joy, and more than compensate us for the cares and solicitudes of the pastoral office. We are able to adopt the words of the apostle: „Our mouth is open to you, — our heart is enlarged.“ „Great is our confidence for you; great is our glorying for you. We are filled with comfort: we exceedingly abound with joy in all our tribulation.“

The authority we exercise has been given us by Christ. We are his ministers; ambassadors for him. We claim no power, and seek no influence C which he has not willed us to have. It is our duty to guard the sacred deposit of the faith; for to us has it been committed, and from us will it be one day demanded by our heavenly master. Having vouchsafed to speak, at sundry times, and in divers manners, in times past to the fathers by the prophets, last of all hath God spoken to us by his Son; and this divine Son, — the brightness of his father's glory, the figure of his substance, — has made us the depositaries of his doctrine, and „has given to us the ministry of reconciliation“. Man having had need that God should teach him, ever requires to receive this divine teaching through a channel in which it shall be preserved from whatever might taint its purity, and thus destroy its authority. Not only must we know that God has spoken; we must also be assured that his voice is heard throughout all time. Although no D longer visible to men, Christ, our God, has not left us orphans. He has sent the Holy Spirit; the Paraclete whom he promised; he has infused into the earthly elements which he selected for the formation of his church, the breath of undying life; and that Holy Spirit ever abides in the church, teaches her all truth, preserves her from every error, and renders her a sure guide to the pastures of salvation, to the fontain whence springs up water to eternal life. Thus is fulfilled the word: „He that heareth you, heareth me,“ thus is the church, „the house of the living God, the pillar and the ground of truth;“ and on this is grounded the obligation which we urge with no less confidence than did

Archiepiscopi* et episcopi Civitatum Foederatarum in concilium nationale Baltimorae congregati, clero et populo suae curae commissis, salutem et benedictionem.

Venerabiles fratres clerici, et carissimi filii laici.

Sanctissimi patris Pii IX auctoritate in concilium nationale congregati, nihil habemus antiquius, nec iucundius quidquam facere possumus, quam ut populum curae nostrae creditum alloquamur. Cum enim cernimus, quam insigni studio catholici Foederatarum Civitatum complectantur sanctae religionis nostrae doctrinas et instituta; quantam modestiam obedientiamque, sibi semper similis, ostendant; quae concordia animorumque coniunctio, in tanta originis, morum et linguarum dissimilitudine, totum catholici populi quasi corpus in amplissimis hisce terris contineat; quam ferventer quamque generose vulgo colantur evangelicae virtutes: magna profecto afficimur laetitia, et amplissimum nos curarum ac sollicitudinum pastoralis nostri muneris praemium capere arbitramur; neque immerito usurpare possumus illa apostoli: „*Os nostrum patet ad vos*[1], *cor nostrum dilatatum est*[2]. *Multa* nobis *fiducia est apud vos*, *multa* nobis *gloriatio pro vobis; repleti sumus consolatione, superabundamus gaudio in omni tribulatione nostra.*“

Potestas, quam exercemus, a Christo nobis data est. Illius ministri sumus; pro illo legatione fungimur. Nullam potestatem nobis vindicamus, nullam auctoritatem appetimus, nisi quam ipse habere nos voluit. Nostrum munus est, sanctum fidei depositum tueri; quandoquidem et nobis creditum est, et a nobis de eo rationem reposcet aliquando divinus magister. Postquam enim „*multifariam multisque modis olim Deus loqui* dignatus est *patribus in prophetis, novissime locutus est nobis in filio*“[3]; qui filius Dei, „*splendor* paternae *gloriae et figura substantiae eius,*“[4] suae doctrinae nos custodes constituit, et „*dedit nobis ministerium reconciliationis*“[5]. Quemadmodum autem opus fuit hominem a Deo doceri, ita divina haec doctrina tali quasi alveo ad eum defluat necesse est, in quo sic semper illibata servetur, ut nihil eius sinceritatem violare, atque ita auctoritatem labefactare possit. Neque enim nobis satis est cognoscere, Deum esse locutum; nisi etiam certo sciamus, ipsam eius vocem omni tempore audiri. Et idcirco Christus Deus noster, etsi ab oculis hominum recessit, non tamen reliquit nos orphanos; sed misit Spiritum sanctum, paracletum illum, quem promiserat; terrestribusque elementis, quae ad formandam ecclesiam suam elegerat, *spiraculum* immortalis *vitae* infudit. Atque is sanctus Spiritus perpetuo in ecclesia manet, hanc docet omnem veritatem, hanc ab omni errore custodit, et certam ducem facit ad salutis pascua, ad illum fontem, ex quo scaturit aqua saliens in vitam aeternam. Sic igitur impletum est illud: „*Qui vos audit, me audit;*“[6] sic ecclesia vere est „*domus Dei vivi columna et firmamentum veritatis*“[7]; atque hoc demum fundamento nititur illud officium, quod nihilo minus fidenter inculcamus, quam Christi apostoli:

* Versio curata ab editoribus *Collectionis Lacensis*.

[1] II Cor. VI, 11.
[2] Ib. VII, 4.
[3] Hebr. I, 1, 2.
[4] Ib., 3.
[5] II Cor. V, 18.
[6] Luc. X, 16.
[7] I Tim. III, 15.

the apostles of Christ: „Obey your prelates, and A be subject to them. For they watch as being to render an account of your souls, that they may do this with joy, and not with grief."

The source of this authority is Christ. The channel through which it is communicated to the other members of the church is the bishop of Rome. The successor of saint Peter, is the heir of the privileges conferred on the prince of the apostles; on him as on the solid foundation which the wise architect has chosen, is the church built; to him, in the person of Peter, for whom Christ specially prayed, has it been given to confirm his brethren. As in the case of every other country where the church has been established, our hierarchy has grown up under his fostering care; has developed itself, with his sanction and approval, in dignity and number; and its members, although spread over the wide extent which separates ocean B from ocean, have, on the present occasion, joyfully obeyed his summons to assemble in national council, under the presidency of a special representative of the holy see in the person of the most reverend archbishop of Baltimore. We rejoice at the occasion of proclaiming our attachment to the centre of catholic unity; and we exhort you, brethren, to cherish a love for the holy see, in which is preserved an unbroken succession of pastors from the time of Christ to the present day; which has condemned all the errors that men have sought to combine with the doctrines of revelation; and which ever watches over the integrity of faith and ever guards the purity of ecclesiastical discipline. Let us hope that the erroneous ideas entertained by so many of our fellow-citizens, of the nature of the power which we recognize in the bishop of Rome, as successor of saint Peter, will be removed, and that C this chief see, whence sacerdotal unity has derived its origin, may be acknowledged as the centre of ecclesiastical authority, the source of all that is grand and imposing in the extent, union and permanence of the church. Let us pray, that all who are separated from the church may be brought to the knowledge of the truth; that the appalling extremes to which error is hurrying those who have cast off the authority appointed by Christ, may cause men to recognise a principle which alone can unite them in the one fold of the one shepherd. Let your united prayers ascend to the Father of mercies, who wishes all men to be saved, and to come to the knowledge of the truth, that this most desirable end be attained, remembering that what is impossible to man may be rendered possible by the influence of divine grace.

*„Obedite praepositis vestris et subiacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes.*[1]"

Fons igitur huius auctoritatis Christus est; canalis vero, per quem ad cetera ecclesiae membra dimanat, Romanus episcopus. Sancti Petri successor haeres est earum praerogativarum, quae apostolorum principi sunt collatae: in illo, tamquam in firmo fundamento, quod sapiens architectus elegit, aedificata est ecclesia; illi in persona Petri, pro quo Christus nominatim oravit, datum est confirmare fratres suos. Sicut in alia qualibet regione, ubi constituta est ecclesia, sic apud nos sacra hierarchia, illo fovente, effloruit; illo approbante et sanciente, dignitatis et numeri incrementa cepit. Atque hic episcopalis ordo, esti in vastissimas terras, quae iacent inter utrumque oceanum, diffusus, eidem illi admonenti, ut in concilium nationale, cui praesiderit ut sanctae sedis designatus vicarius reverendissimus archiepiscopus Baltimorensis, conveniret, summa voluntate paruit. Quam occasionem nacti, gaudentes testamur ac profitemur, sedi apostolicae, qua catholica continetur unitas, quam simus addicti; vosque, fratres, cohortamur, ut singulari amore prosequamini illam sedem, in qua inde a Christo usque ad hunc diem perseverat numquam interrupta pastorum successio; quae, quoscumque errores humana ingenia revelatis doctrinis sociare tentarunt, condemnavit; quaeque semper et fidei integritati consulit et ecclesiasticae disciplinae sanctitatem tuetur. Confidamus igitur fore, ut, quae tam multi nostrorum civium de natura eius potestatis, quam nos in Romano episcopo ut sancti Petri successore inesse credimus, perperam ac falso sentiunt, removeantur aliquando, et principalis illa cathedra, ex qua sacerdotalis unitas sumpsit exordium, agnoscatur, sicut est, arx et domicilium ecclesiasticae auctoritatis, eorumque omnium fons et origo, quae magna et excelsa in ecclesiae amplitudine, coagmentatione et perpetuitate miramur. Oremus Deum, ut omnes, qui ab ecclesia disiuncti sunt, ad cognoscendam veritatem adducantur, utque errorum immanitate, ad quam devolvuntur ii, qui a Christo institutam auctoritatem reiecerunt, admoniti homines illud agnoscant, quo solo in unum ovile unius pastoris congregari possunt. Consociatis precibus rogate patrem misericordiarum, qui *„omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire"*[2], ut fiat, quod tantopere expetendum est; memores, quod humanis viribus fieri non possit, id divinae gratiae virtute effici posse.

Among the causes which, in a few instances, D and, principally in days now happily past, led to the forgetfulness of the extent which belongs to the authority that we exercise, must be reckoned the attempt to apply to the catholic church, in the administration of the temporalities belonging to her, principles and rules foreign to her spirit and irreconciliable with the authority of her pastors. The result was such as might have been expected. Peace and harmony were disturbed, the progress of religion checked or entirely impeded, and the church reproached with the misconduct of her unworthy children. For the purpose of guarding against the recurrence of such evils, we deem it necessary to make a public and authentic declaration of catholic principles on this important subject. Whatever is offered to God, and solemnly consecrated

Inter ea, quae interdum et maxime quodam tempore, quod iam praeteriisse gaudemus, in causa fuerunt, cur potestatis, quam exercemus, legitima amplitudo in oblivionem veniret, illud numerari debet, quod inventi sunt, qui ecclesiae, in suis administrandis possessionibus, placita ac leges obtrudere tentarent, et ab eius ingenio aliena et episcoporum auctoritati contraria. Ex quo id consecutum est, quod erat exspectandum: pax et concordia disturbata; incrementum religionis aut retardatum aut omnino impeditum; exprobrata ecclesiae indignorum filiorum vita. Quae mala ne forte recrudescant, palam et publice declarandum censemus, in re tanti momenti quae tandem sit catholica ratio atque doctrina. Quidquid igitur offertur Deo eiusque cultui consecratur, sive illud templum ipsum est, in quod eius cultores congregantur, sive fundus

[1] Hebr. XIII, 17. [2] I Tim. II, 4.

to his service, whether it be the material temple in which his worshippers assemble; or the ground set apart for the interment of those who repose in God'sfield awaiting the promised resurrection, or property, real or personal, intended for the purposes of divine service, or for the education, support and maintenance of the clergy, — every such thing is sacred and belongs to the church, and cannot be withdrawn from the service of God without the guilt of sacrilege. The donor or donors of such gifts can exercise no right of ownership over them. With these temporal things, thus separated from common purposes and set apart for the service of the sanctuary, the church cannot allow any interference that is not subordinate to her authority. The bishop of each diocese is the representative and organ of that authority, and without his sanction, no arrangement, howsoever in itself of a purely temporal nature, that has reference to religious worship, has, or can have, force or validity. Whenever the bishop deems it advisable to acquiesce in arrangements for the administration of church temporalities which have not originated with the ecclesiastical authority, or which may have arisen from ignorance of its right, or from a spirit of opposition to them, we declare that such arrangements have force and effect in the catholic church, in consequence of such acquiescense, and not from any other cause or principle whatever. And we furthermore declare, that whenever the bishop of a diocese recognizes such arrangements, or acquiesces in them, those charged with the care of church-temporalities, whether laymen or clergymen, are bound to render an annual account of their administration to the bishop, agreeably to the rule prescribed in such cases by the holy council of Trent.

We exhort you, brethren, to sustain your prelates in their efforts to maintain the discipline of the church in this no less than in other matters. It is from them, and not from the stranger, and still less from disobedient brethren, — that you are to learn her principles, and those rules of conduct which the experience of centuries has taught her to regard as conducive to your real interests. In this no less than in matters of faith and practice, you have to attend to the apostle's admonition: „Obey your prelates and be subject to them."

The church claims obedience not only when she teaches you the truths of faith, but also when she prescribes rules of conduct. We have the consolation to know that her claims are recognized, to their full extent, by the vast major'ty of her children; but we know also, that some who profess to look upon her as the mother who has brought them forth in Christ, — who alone has the words of eternal life; — have, in disregard of her authority, attached themselves to certain societies, which she either entirely condemns, or views with well founded apprehension. What want, either of body or of mind, is left unprovided for in the principles she teaches and in the holy associations which she has sanctioned? Because men, having rejected the principle of Christian charity, feel the void which they themselves have created, they endeavor to substitute human virtues as the remedy for the evils which nothing less than a divine grace can heal. There can, then, be no necessity for the children of the church to seek out of her what they can find in her alone; nor any excuse for the insubordination which would regard the

iis humandis assignatus, qui in Domino, promissam resurrectionem exspectantes, requiescunt, sive proprietas quaevis, in rebus personisve constituta, et ad Dei honorem vel ad usum cleri educandi, sustentandi alendique destinata: haec igitur omnia res sacrae sunt et ecclesiae propriae; ut Dei servitio subtrahi sine sacrilegii crimine non possint. Has res ne donatores quidem sibi ut proprias vindicare possunt. Denique, in toto hoc temporalium bonorum genere, quod profanis usibus exemptum et ad divinum cultum sepositum est, non potest ecclesia ullum cuiusquam interventum admittere, qui non ex ipsius auctoritate pendeat. Huius autem auctoritatis vicarius est et interpres cuiusque dioecesis episcopus; sine cuius sanctione nulla ordinatio, quae, quamvis genere suo mere civilis, ad religionem tamen pertineat, vim ullam auctoritatemve aut habet aut habere potest. Quodsi idem decretum quodpiam de administratione ecclesiasticorum bonorum probandum censuerit, quod praeter auctoritatem ecclesiae sit factum, aut ex ignorantia eiusdem iurium vel etiam ex infesta in eam voluntate exstiterit: aperte fatemur, huiusmodi decreta in catholica ecclesia rata et firma esse, nulla alia ex ratione causave, nisi quod iis episcopalis consensus accesserit. Illud praeterea declaramus, eos, quibus incumbit bonorum ecclesiasticorum cura, sive laici sint sive clerici, annuam suae administrationis rationem reddere debere, quemadmodum in tali re faciendum praescripsit sancta synodus Tridentina [1].

Hortamur vos, fratres, ut praepositos vestros adiuvetis ad tuendam hac in re non minus, quam in ceteris, ecclesiasticam disciplinam. Ex illis enim, non ex alienis, multo vero minus ex inobedientibus fratribus, discere vos aequum est, quae instituta sibi sequenda putet ecclesia, quave potissimum ratione veris commodis vestris consulendum esse tot saeculorum usu cognoverit. Hac in re non secus, atque in fidei morumque doctrina, vestrum est meminisse illud apostoli: „*Obedite praepositis vestris et subiacete eis.* [2]"

Ecclesia enim, non solum cum ea, quae credenda sunt, tradit, sed etiam cum vivendi leges praescribit, obedientiam a nobis iure suo postulat. Et quidem hoc illius ius omnino a catholicis nostris longe plurimis scimus et gaudemus agnosci. Verum illud quoque scimus, non deesse, qui, cum profiteantur se ecclesiam intueri tamquam matrem, quae ipsos genuerit in Christo, quaeque sola habeat *verba vitae aeternae*, tamen, spreta eius auctoritate, certis se societatibus applicarunt, quas illa vel plane improbat vel certe habet merito suspectas. Quae tandem est necessitas vel corporis vel animae, cui non sit ab ea provisum tum doctrinis atque praeceptis, quae vulgo tradit, tum sanctis sodalitatibus, quas comprobavit? Illi homines, qui legem christianae caritatis abiecerunt, cum lacunam, quae ipsorummet culpa exstitit, sentiant, hanc explere conantur humanis virtutibus, quasi eorum malorum remediis, quae nulla alia re, nisi divina gratia, sanari possunt. Neque igitur quidquam omnino est, quod cogat ecclesiae filios extra illam quaerere, quod in ipsa sola reperiri potest; neque ullam excusationem habet eorum immodestia, qui eius hac

[1] Sess. XXII, de ref., cap. 9. [2] Hebr. XIII, 17.

exercise of her authority in this matter as uncalled A for or injudicious. We exhort our venerable brethren the clergy to urge the faithful to observe all the regulations on this subject that have emanated from the holy see, as also those contained in the decrees of the councils of Baltimore, which have received the sanction of the supreme pastor of the church.

The wants of the church in this vast country, so rapidly advancing in population and prosperity, impose on us, your pastors, and on you, our children in Christ, peculiar and very arduous duties. We not only have to build up the church, by the preaching of the gospel, and the inculcation of all the virtues it teaches, but also to supply the material wants of religious worship in proportion to the unexampled rapidity with which our flocks increase. We have to establish missions in places where, but a few years since, none, or but few, B catholics were to be found, and where now the children of the church cry with clamorous importunity for the bread of life. We have to build the church, where before God's name was not publicly worshipped; and to multiply his temples where they no longer suffice for the constantly increasing wants of the faithful. We have to provide a ministry for the present and future wants of the country, and, in this matter, have to contend with difficulties which are unknown in countries where religion has been long established, and where the piety and zeal of past generations have furnished ample means for this most important object. We have to provide for the catholic education of our youth. Not only have we to erect and maintain the church, the seminary and the school-house, but we have to found hospitals, establish orphanages, and provide for every want of suffering humanity, which C religion forbids us to neglect. We thank the giver of all good gifts for the extraordinary benediction which he has hitherto bestowed upon our efforts, and those of the venerable men whose places we fill. We rejoice at having the opportunity of bearing public testimony to the generous assistance which we have received from our flocks in our respective dioceses. Much, however, as has been done, much still remains to be accomplished. Our churches are nowhere equal to the wants of the catholic population, and in many places are far from being sufficiently spacious to afford one-half our people the opportunity of attending divine worship. We, therefore, exhort you, brethren, to cooperate generously and cheerfully with your pastors, when they appeal to you in behalf of works of charity and religious zeal. In contributing to divine worship, you make an offering to God of the gifts he has bestowed D on you, and a portion of which he requires should be consecrated to his service, as a testimony of your continued dependence on his sovereign mercy. We hope that the examples of your catholic forefathers, and even of some among yourselves, will be generally felt and not unfrequently imitated; and that here, as well as elsewhere, the church will be able to show the proofs of her children's faith in the numerous temples raised to the honor of God's name, in the beauty of his sanctuary which the true Christian will ever love, and in the ample and permanent provision made for the maintenance of public worship.

The education of candidates for the ministry is one of our most urgent wants. Notwithstanding the multiplied privations, difficulties and embarrassments, which our predecessors experienced, and which have not yet entirely disappeared, they

in re auctoritatem, tamquam aut legitimo iure aut iudicio carentem, detrectant. Quare, venerabiles fratres nostri sacerdotes etiam atque etiam admoneant fideles, ut ea omnia diligenter observent, quae hac de re tum a sancta sede praescripta sunt, tum conciliorum Baltimorensium decretis, a summo ecclesiae pastore sancitis, continentur.

Necessitates ecclesiae in hac amplissima regione, ut quae tum populi frequentia tum rerum prosperitate adeo celeriter crescit, et nobis, pastoribus vestris, et vobis, nostris in Christo filiis, peculiaria et sane ardua iniungunt officia. Nostrum enim munus est, sic aedificare ecclesiam Dei, ut non solum praedicemus evangelium, omnesque, quas idem docet, virtutes inseramus, sed etiam res ad usum divini cultus, pro tantis et tam inauditis populorum nostrorum incrementis, provideamus. Instituendae missiones iis in locis, in quibus, cum paucis abhinc annis nulli aut admodum rari reperirentur catholici, nunc plurimi assiduis vocibus ac prope importunis clamoribus panem vitae postulant. Constituenda ecclesia, ubi antea Dei nomen publice non colebatur, novaque exstruenda templa, ubi vetera assidue crescentem fidelium multitudinem iam capere non possunt. Paranda sacrorum ministrorum copia, quae cum praesentibus tum futuris patriae necessitatibus sufficiat; qua in re obstant nobis difficultates in regionibus iam pridem christianis ignotae, ubi maiorum pietas et religionis studium ampla ad id subsidia providit. Consulendum praeterea est catholicae liberorum vestrorum institutioni; nec solum exstruenda et conservanda templa, seminaria, scholae; verum etiam fundanda nosocomia, instituenda orphanotrophia, levandae omnes calamitosorum hominum miseriae, quas negligere nobis per religionem non licet. Gratias agimus largitori bonorum omnium, qui mirum in modum usque ad hoc tempus tum nostros tum venerabilium virorum, quibus successimus, conatus prosperavit; laetique, hanc nacti opportunitatem, palam testamur, quam liberalem populorum nostrorum opem atque operam, in nostra quisque dioecesi, simus experti. Ceterum, quantumvis multa iam facta sint, facienda tamen supersunt multa. Nusquam enim aedes sacrae catholicum populum capiunt, compluribus in locis ne ita quidem amplae sunt, ut dimidia eius pars rei divinae interesse possit. Facite igitur, fratres, ut liberali promptaque opera vestris pastoribus succurratis, quoties caritatis aut religionis causa opem vestram flagitant. Cum enim stipem ad divinum cultum confertis, Deo munus offertis de iis bonis, quae vobis ipse largitus est; quorum ille partem honori suo consecrari iubet, ut ea re profiteamini, ab ipsius vos summa benignitate perpetuo pendere. Fore igitur confidimus, ut catholicorum maiorum vestrorum, immo etiam aliquorum e vobis exempla omnes vulgo moveant, nec paucos ad imitandum provocent; atque ita apud nos non minus, quam alibi, multitudo templorum in honorem nominis Dei surgentium, domus eius decor veris christianis semper carissimus, denique statorum divini cultus subsidiorum parata copia totidem documenta sint, ex quibus ecclesia filiorum suorum fidem perspicere possit.

Illa autem vel imprimis urget necessitas, ut educentur sacri ministerii candidati. Decessores nostri, quamvis magna multarum rerum penuria plurimisque et gravibus difficultatibus impedirentur, quae ne nunc quidem plane sunt expeditae, tamen

spared no sacrifice in order to rear up successors A to their ministry who should be equal to the wants, and worthy of the piety, of their people. These wants increase with the increase of the population; and we have no hesitation in avowing that the efforts hitherto made to supply our churches with priests are far from being adequate. To attain this — the most important of all means to be employed for the maintenance and diffusion of religion, — we need your cooperation, which we are confident will not be refused. We ask not for ourselves, but for you, and for your children. We seek to avert the evil of hearing the cries of the little ones in Christ for the bread of life, without being able to afford them one to break it to them. We seek to avert the evils resulting from the want of a regular and permanent source for the perpetuation of the ministry, which we have so often experienced; and which, if left without a remedy, must continue to B produce most disastrous results.

Without priests educated in the science of the sanctuary and trained up to the practice of its virtues, under our own eyes, or under the care of those to whom we may commit this important trust, we cannot hope to behold the ministry adapted to the wants of the country, or equal to the work which the providence of God has assigned to us. Cooperate, then, generously and perseveringly, with your respective prelates in their efforts to provide a suitable ministry for our infant churches; cultivate the virtuous dispositions of those among your children, who, attracted by the beauty of holiness, manifest in an early age the desire — most frequently the inspiration of divine grace — to consecrate themselves to the service of the altar. Let it be for you a matter of devout thanksgiving and holy exultation, that your offspring prefer the ser- C vice of God's altar to all the attractions of worldly ambition and cupidity. Invoke by fervent prayer the mercy of God, that he may send laborers into his vineyard, that he may raise up ministers of his sanctuary, powerful in word and work, and who, while they possess that knowledge which the lips of the priest are commanded to keep, may exhibit all the virtues of the apostolate which they are called to exercise.

No portion of our charge fills us with greater solicitude than that which our divine master, by word and example, has taught us to regard with more than ordinary sentiments of affection — the younger members of our flock. If our youth grow up in ignorance of their religious duties or unpractised in their consoling fulfilment; if, instead of the words of eternal life, which find so full and sweet an echo in the hearth of innocence, the prin- D ciples of error, unbelief or indifferentism are imparted to them; if the natural repugnance, even in the happiest period of life, to bend under the yoke of discipline, be increased by the example of those whose relation to them gives them influence or authority, — what are we to expect but the disappointment of all the hopes which cause the church to rejoice in the multiplication of her children? We therefore address you, brethren, in the language of affectionate warning and solemn exhortation. Guard carefully those little ones of Christ; „suffer them to approach him, and prevent them not, for of such is the kingdom of heaven." To you, christian parents, God has committed these his children, whom he permits you to regard as yours; and your natural affection towards whom must ever

nulli rei aut sumptui pepercerunt, ut sibi prospicerent ministerii sui successores, catholici populi et necessitatibus pares et pietate dignos. Crescunt autem pariter cum incolarum frequentia hae necessitates: nec dubitamus fateri, eas nullis adhuc nostris conatibus ad parandos ecclesiis sacerdotes aequari potuisse. Hoc ut assequamur, quod unum est omnium, quae adhiberi possunt, ad tuendam propagandamque religionem efficacissimum, vestra indigemus opera, quam nobis minime defuturam esse confidimus. Nihil enim nobis petimus, sed vobis ipsis liberisque vestris. Removere cupimus hoc malum, quod audire cogimur voces parvulorum in Christo petentium panem: qui vero frangat eis, mittere possumus neminem. Mederi studemus penuriae certorum et stabilium subsidiorum propagandi sacerdotii; quam et iam saepe damnosam experti sumus, et posthac, nisi remedium providetur, perennem maximorum malorum fontem fieri necesse est.

Nisi enim suppetat copia sacerdotum, qui et sanctis disciplinis exculti et ad virtutes domo Dei dignas informati fuerint, idque sub oculis nostris, vel eorum cura, quos tam gravi muneri praefecerimus, frustra exspectemus eiusmodi ministerium, quod vel necessitatibus huiusce regionis accommodatum sit, vel operi, quod nobis divinum numen assignavit, respondeat. Adiuvate igitur generose et perseveranter vestrorum quisque antistitum conatus ad providendos his nascentibus ecclesiis idoneos sacrorum ministros; excolite virtutum semina in filiis vestris, si qui, sanctitatis pulchritudine allecti, a primis annis divinae gratiae, ut fere fit, instinctu ad ministerium altaris aspirare videantur. Est profecto, cur exsultetis gaudio et maximas agatis Deo gratias, si liberi vestri sacerdotalis muneris sanctimoniam omnibus ambitionis et cupiditatis invitamentis anteponant. Exorate fervidis precibus Dei misericordiam, ut mittat operarios in messem suam, suscitetque sanctuarii sui ministros sermone et opere potentes, qui cum scientia, quam custodire iubentur labia sacerdotis, instructi sint, tum omnibus apostolici muneris, ad quod gerendum sunt vocati, virtutibus splendeant.

Illa vero nos populi nobis crediti pars maxime sollicitat angitque, quam, divini magistri verbis et exemplis docti, singulari quodam amore complectimur, tenera gregis nostri soboles. Si enim nostra iuventus sic adolescat, ut officia religionis ignoret, aut his, quod maximum est solatium, explendis non assuescat; si non *verbis vitae aeternae*, quae tam plene tamque suaviter cum innocentibus animis quasi consonant, sed erroribus, incredulitate vel religionis despicientia puerorum mentes imbuantur; si illa naturae repugnantia, qua vel felicissima vitae aetas abhorret a iugo et disciplina, eorum exemplis augeatur, qui, qua sunt cum pueris necessitudine coniuncti, vim aut auctoritatem in eosdem habent: quid aliud tandem exspectemus, nisi ut omnis ea fallatur spes, qua proposita, de aucto filiorum suorum numero laetatur ecclesia? Vos igitur, fratres, appellamus, monemusque etiam atque etiam et maiorem in modum hortamur, ut diligentissime custodiatis hos Christi parvulos: „*Sinite illos ad eum venire, et ne prohibueritis eos, talium enim est regnum Dei*"[1]. Vobis, christiani parentes, Deus hos credidit filios suos, quos ut pro vestris habeatis concedit; quorum insita vobis caritas ad illius voluntatem semper conformanda est, „*ex quo omnis*

[1] Marc. X, 14.

be subordinate to the will of him „from whom all paternity in heaven and on earth is named". Remember that if for them you are the representatives of God, the source of their existence, you are to be for them depositaries of his authority, teachers of his law, and models by imitating which they may be perfect, even as their father in heaven is perfect. You are to watch over the purity of their faith and morals with jealous vigilance, and to instill into their young hearts principles of virtue and perfection. What shall be the anguish of the parent's heart, — what the terrible expectation of judgment that will fill his soul, should his children perish through his criminal neglect, or his obstinate refusal to be guided in the discharge of his paternal duties, by the authority of God's church? To avert this evil, give your children a Christian education, that is an education based on religious principles, accompanied by religious practices and always subordinate to religious influence. Be not led astray by the false and delusive theories which are so prevalent, and which leave youth without religion, and, consequently, without anything to control the passions, promote the real happiness of the individual, and make society find in the increase of its members, a source of security and prosperity. Listen not to those who would persuade you that religion can be separated from secular instruction. If your children, while they advance in human sciences, are not taught the science of the saints, their minds will be filled with every error, their hearts will be receptacles of every vice, and that very learning which they have acquired, in itself so good and so necessary, deprived of all that could shed on it the light of heaven, will be an additional means of destroying the happiness of the child, embittering still more the chalice of parental disappointment, and weakening the foundations of social order. Listen to our voice, which tells you to walk in the ancient paths; to bring up your children as you yourselves were brought up by your pious parents; to make religion the foundation of the happiness you wish to secure for those whom you love so tenderly, and the promotion of whose interests is the motive of all your efforts, the solace which sustains you in all your fatigues and privations. Encourage the establishment and support of catholic schools; make every sacrifice which may be necessary for this object; spare our hearts the pain of beholding the youth whom, after the example of our master, we so much love, involved in all the evils of an uncatholic education, evils too multiplied and too obvious to require that we should do more than raise our voices in solemn protest against the system from which they spring. In urging on you the discharge of this duty, we are acting on the suggestion of the sovereign pontiff, who in an encyclical letter, dated 21 november, 1851, calls on all the bishops of the catholic world, to provide for the religious education of youth. We are following the example of the Irish hierarchy, who are courageously opposing the introduction of a system based on the principle which we condemn, and who are now endeavouring to unite religious with secular instruction of the highest order, by the institution of a catholic university, — an undertaking in the success of which we necessarily feel a deep interest, and which, as having been suggested by the sovereign pontiff, powerfully appeals to the sympathies of the whole catholic world.

A *paternitas in coelis et in terra nominatur*"[1]. Mementote, vos, sicut vice Dei, vitae eorum auctoris, apud illos fungimini, sic iisdem esse debere illius auctoritatis ministros, illius legis interpretes, et bene vivendi exempla, quorum imitatione perfecti fiant, sicut pater eorum coelestis perfectus est. Vestrum est pro eorum fide et morum integritate vigilantissime excubare, tenerisque eorum animis virtutem omnemque honestatem inserere. Quos angores parentum, quam formidinem exspectationemque iudicii futuram putatis, si suis ipsimet liberis perniciem contraxerint, dum paterna officia per summum scelus negligunt, aut in his explendis ecclesiam ducem sequi obstinate recusant?[2] Quod malum ut avertatis, impertite liberis vestris educationem christianam, id est, in religionis quasi solo constitutam, religionis exercitationibus sociatam, cui denique religionis semper praesit auctoritas. Vi-
B dete, ne decipiamini falsis et fallacibus, nunc tam late dominantibus doctrinis, quae iuventutem religione inanem relinquunt, atque ita nihil ei praebent, quod cupiditates reprimat, et cum singulis hominibus ad veram felicitatem prosit, tum humanae societatis, aucto hominum numero, securitatem pariter prosperitatemque augeat. Nolite iis credere, qui vobis persuadere volunt, civilem institutionem seiungi a religione posse. Nisi enim liberi vestri, dum humanis in disciplinis proficiunt, scientia sanctorum instruuntur, eorum mentes replebuntur erroribus, corda referta erunt vitiis; doctrina vero, quam acquisiverint, quamvis per se bona et necessaria, tamen ea re plane destituta, quae ei coeleste lumen conciliaret, nihil aliud efficiet, nisi ut filiorum vita reddatur infelicior, parentum spes miserius fallantur, humana societas gravius labefactetur. Audite ergo pastorum voces, monentium veteres sequi vias; ita
C vestros instituere liberos, ut ipsi a piis parentibus estis instituti; in religionis fundamentis collocare eam felicitatem, quam carissimis pignoribus comparare sic studetis, ut eorum fortunae amplificatio omnes vestros conatus sibi vindicet, nihil eius rei causa non aequo animo faciendum ac tolerandum putetis. Date operam, ut instituantur et sustententur catholicae scholae, nulli rei, quae huic proposito necessaria sit, parcite; nolite hoc nos afficere dolore, ut iuventutem, quam divini magistri exemplo carissimam habemus, implicatam videamus non catholicae disciplinae malis; quae quidem adeo multa sunt et manifesta, ut nihil aliud a nobis requirant, nisi ut illud, ex quo dimanant, institutionis genus palam ac publice detestemur. Quod officium cum vobis inculcamus, monenti paremus summo pontifici, qui literis encyclicis, die 21 novembris anno 1851 datis, omnes totius orbis episcopos hortatur, ut
D iuventuti religiose educandae prospiciant. Simul exemplum sequimur Hiberniae antistitum, qui magno animo pugnant, ne illuc introducatur educandi ratio ad ea placita, quae nos damnamus, conformata; quique id nunc consilium agitant, ut religiosam disciplinam cum profana eruditione, eaque summa, coniungant, dum catholicam universitatem instituunt; quod inceptum et nos felix faustumque esse vehementer cupimus, et optamus, et, utpote summi pontificis consilio susceptum, universi catholici orbis studia provocare necesse est.

[1] Eph. III, 15. [2] Ioan. XVII, 12.

Our holy father Pius IX has recommended to A our notice, as well as to that of all the bishops of the church, the society established at Lyons in France, for the purpose of aiding apostolic missionaries in the propagation of the faith. Independently of the authority which has thus spoken, our own feelings would prompt us to address you on the subject. From the time of its first establishment, almost thirty years ago, up to the present time, this association has contributed, generously and uninterruptedly, to the support of our missions. If our churches have so rapidly multiplied; if our religious and educational establishments are now comparatively numerous; if new missions and new dioceses, have, amidst most appalling discouragements, still continued to be founded, — we must, in truth and justice, acknowledge that in all this the association for the propagation of the faith has afforded us the most generous and most enlightened B cooperation. We feel the obligations which we have to an association which is identified with the progress of religion in every part of the world; and we, therefore, exhort you, brethren, to encourage its establishment in your respective districts, agreeably to the wishes of the sovereign pontiff, who desires to see the whole catholic world united in an effort to diffuse the gospel of Christ throughout all nations. The small annual contribution made to this association will not interfere with any other effort of christian zeal or charity; and we cherish the conviction, that its establishment will draw down from God the choicest blessings on all who unite in this truly good work.

Sanctissimus pater Pius IX nobis aeque ac ceteris omnibus ecclesiae episcopis commendavit societatem ad missionarios in propaganda fide iuvandos Lugduni in Gallia conditam. Praeter tantam commendantis auctoritatem, ipse nos animus ultro impellit, ut hac de re ad vos scribamus. Nam ex quo illa exstitit, annis abhinc fere triginta, nunquam intermissa liberalitate missionibus nostris opem tulit. Si nostra templa tam celeriter numero creverunt; si religioni et educationi dicata instituta, pro hac locorum et temporum conditione, apud nos tam frequentia sunt; si novae missiones et dioeceses, inter difficultates prope insuperabiles, continenter fundari potuerunt: vere ac merito confitemur, ad haec omnia nobis societatem Propagandae fidei liberalissime ac sapientissime subvenisse. Memores igitur, quantum illi societati debeamus, quam qui nominat, religionis per omnes orbis partes progressionem significat; hortamur vos, fratres, ut eam in vestris quisque conventibus instituendam curetis; sic enim summi pontificis votis obsequemini; cui optatissimum est, totum catholicum orbem una incumbentem et conspirantem videre ad Christi evangelium inter omnes nationes diffundendum. Annua exiguae stipis collatio, quae in usus eius societatis fieri solet, ceteris christiani zeli caritatisve operibus nullum afferet detrimentum; sicque nobis persuademus, si illa apud nos constituta fuerit, lectissima eis divinitus obventura esse dona, qui in tam egregii operis societatem venerint.

Attachment to the civil institutions under which you live, has always marked your conduct: and if we address you on this subject, it is not from any apprehension that you are likely to vary from the C course which you have hitherto pursued. After the example of the apostle, saint Paul, we cannot, however, deem it altogether unnecessary to exhort you ever to discharge your civil duties from the higher motives which religion suggests. Obey the public authorities, not only for wrath but also for conscience's sake. Show your attachment to the institutions of our beloved country by prompt compliance with all their requirements, and by the cautious jealousy with which you guard against the least deviation from the rules which they prescribe for the maintenance of public order and private rights. Thus will you refute the idle babbling of foolish men, and will best approve yourselves worthy of the privileges you enjoy, and overcome, by the sure test of practical patriotism, all the prejudices which a misapprehension of your principles but too often produces.

Civilium institutorum, quibus utimini, quam sitis tenaces, vita vestra perpetuo declaravit; neque idcirco huius rei mentionem facimus, quod fortasse vereamur, ne vester cursus a pristino itinere deflexerit. Sed, exemplo sancti Pauli, non omnino ab re esse putamus vos hortari, ut semper civilia vestra officia, altioribus ducti rationibus, quas religio suggerit, impleatis. Obedite publicae potestati „*non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*“ [1]. Institutis carissimae patriae vos addictos sic potissimum comprobate, ut, quidquid illa imperant, alacriter praestetis, detisque religiosissime operam, ne a norma earum legum, quae publicam disciplinam et privata iura tuentur, vel minimum deflectatis. Ita demum refelletis vanissimorum quorumdam hominum ineptias, neque ulla alia re melius dignos vos probabitis publicorum bonorum communione, et, testante vestrum patriae amorem ipsa factorum fide, omnem istam vincetis invidiam, quam sinistra instituti vestri interpretatio nimium saepe concitat.

D

We now address, in a particular manner, our venerable brethren of the clergy, our fellow-laborers in the vineyard, the praise of whose labors is not with men but with God, and who await the coming of the master of the vineyard, when the shepherd and bishop of souls shall bestow an eternal recompense on zeal and perseverance. Agreeably to the direction of the holy council of Trent, we have to exhort them, to endeavor, by the whole tenor of their lives, no less than by the exercise of the apostolic ministry, to guide the flock of Christ to safe and salutary pastures. To the ministers of the new law the words spoken by God to the levitical priesthood are more imperatively addressed: „Be ye holy; for I, the lord, your God,

Restat nunc, ut nominatim, venerabiles fratres sacerdotes, nostros in colenda hac vinea socios, alloquamur; quorum laboribus, non apud homines, sed apud Deum sua laus est; qui exspectant, dum veniat dominus vineae, pastor et episcopus animarum nostrarum, aeterna praemia zelo et perseverantiae reddituros. Quos, sanctum concilium Tridentinum secuti, exhortari volumus, ut toto vitae suae tenore non minus, quam apostolici muneris functione, gregem Christi ad tuta et salutaria pascua dirigere studeant. Quae olim ad leviticos sacerdotes a Deo dicta sunt, eadem multo magis novae legis ministris imperantur: „*Sancti estote, quia ego, dominus Deus vester, sanctus sum.*“ [2] Et quoniam tanta est sacerdotii praestantia, tanta eius munium sanctitas, perpetuo meminisse debemus,

[1] Rom. XIII, 5.
[2] Lev. XI, 44.

am holy." Great as is the dignity of the priesthood, holy as are its functions, we must ever remember that we carry about this precious treasure in frail vessels; that we are surrounded with infirmity; and that to us especially is addressed the admonition: „Watch and pray, that ye enter not into temptation." We are the light of the world; and to our actions, even more than to our words, do the faithful look up for the rule they are to follow, the example they are to imitate. We are the salt of the earth; and by the wholesome severity of christian discipline, we are to preserve from the all pervading corruption of the age those whom the providence of God has committed to our guardianship. Not only have we to consider the faithful of our charge: we have also to remember those other sheep which are not yet of the fold of Christ, and whom the shepherd of souls designs to bring within its sacred pale. Let us be mindful of the apostolic admonition, and „give offence to no one, that our ministry may not be reviled": that the prejudices of education may not be strengthened; or the persevering misrepresentation by which we are assailed receive apparent confirmation from the faults or imperfections that may be discovered in us. Let us be the example of the faithful in word, in conversation, in charity, in faith, in chastity; let us attend to reading, to exhortation and to doctrine, and thus we shall save ourselves and those that hear us.

A habere[1] nos pretiosum „*thesaurum istum in vasis fictilibus, circumdatos esse infirmitate*"[2], nobisque praecipue dictum esse illud: „*Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.*[3]" Sumus *lux mundi*; vitam nostram, magis etiam quam verba, intueri solent fideles, ut regulam, quam sequantur, exemplum, quod imitentur. *Sal terrae* sumus; nostrum est salubri disciplinae christianae severitate illos, quos nostrae custodiae divi:. . providentia commisit, a pervadente omnia huius saeculi contagione servare. Nec solum fidelibus nobis creditis consulere debemus, sed aliarum etiam meminisse ovium, quae, etsi nondum sunt ex Christi ovili, tamen pastor animarum in sancta haec septa adducere decrevit. Memores apostolici moniti, „*nemini* demus *ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum*;"[4] ne sinistrae opiniones ab educatione haustae invalescant; neve calumniae, quibus sine intermissione B petimur, culpis aut vitiis, si qua forte animadvertantur in nobis, aliquo modo confirmari videantur. Demus operam, ut „*exemplum* simus *fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate.* Attendamus *lectioni, exhortationi et doctrinae. Hoc enim facientes et* nos ipsos salvos faciemus, *et eos, qui* nos *audiunt*"[5].

Nor can we close this letter without addressing the consecrated virgins, who, in the admirable variety of occupations, suggested by zeal and charity, are now, as in the days of saint Cyprian, the more illustrious portion of the flock of Christ, the flower and ornament of the church. Them we address, after the example of the same holy martyr, in language of affectionate reverence rather than in the words of authority. Them also we must exhort to keep their lamps filled with the oil of good works; to labor assiduously to render themselves still more and more worthy of their heavenly spouse, by going from virtue to virtue; and them also we must admonish, that in proportion to the sublime course of religious perfection on which they have entered, is the solicitude we feel that they should secure the crown which is to be their exceeding great reward. To each of them, the spouse of their souls says: „Behold, I come quickly: hold fast that which thou hast, that no man take thy crown."

Priusquam has literas concludimus, facere non possumus, quin sacras Deo virgines alloquamur, quae in hac mirabili laborum varietate, quos religionis et caritatis studio suscipiunt, nunc non minus, quam sancti Cypriani aetate, illustrior sunt pars gregis Christi, ecclesiae flos et ornamentum. „*Ad* C *has*[6], eiusdem sancti martyris exemplo, *loquimur affectione* ac reverentia *potius quam potestate*;" has pariter hortandas putamus, ut lampades suas oleo bonorum operum plenas servent, assiduoque labore conentur, eundo de virtute in virtutem, digniores se in dies reddere coelesti sponso; his persuasum esse volumus, quo sublimior est religiosae perfectionis via, quam sunt ingressae, eo maiore nos sollicitudine teneri, ut coronam suam et futuram *mercedem magnam nimis* in tuto ponant. Earum unicuique dicit sponsus: „*Ecce venio cito; tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.*"[7]

And to you, beloved children of the laity, — our joy and our crown, — we desire, in concluding, to address a few words of affectionate admonition. We know your faith and the fervor which so many of you exhibit: but our office is one of solicitude and concern. Until the victory is achieved we cannot be without apprehension; and our cares will only cease when we shall have given an account of the stewardship which we have received. Although of the household of God, and children of the faith, you have, by good works, to make your calling and election sure. You are to cooperate with us in preaching the Gospel of Christ by the care of your own households, and by the good example you give to all who come within the sphere of your influence. Walk worthy of your calling; refute the calumnies which are so frequently ut-

Vos quoque, carissimi filii laici, gaudium nostrum et corona nostra, dum finem facimus, paterno affectu paucis admonitos volumus. Novimus vestram fidem D et plurimorum e vobis insigne religionis studium; sed tamen plena curae et sollicitudinis res est nostrum munus. Donec parta sit victoria, securi esse non possumus; nec prius desinemus esse solliciti, quam rationem reddiderimus administrationis nostrae. Etsi enim estis familiares Dei, domestici fidei, satagere tamen debetis, „*ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.*"[8] Vestrum est, nos in praedicando Christi evangelio sic iuvare, ut domesticorum vestrorum curam geratis, et exemplo sitis iis omnibus, ad quos vestra auctoritas pertinet. Digne ambuletis vocatione vestra; calumnias, quae tam crebro vulgantur adversus matrem, quae vos in Christo genuit, refellite, *con-*

[1] II Cor. IV, 7.
[2] Hebr. V, 2.
[3] Matth. XXVI, 41.
[4] II Cor. VI, 3.
[5] I Tim. IV, 12, 13, 16.
[6] *De discipl. et hab. Virg.*
[7] Apoc. III, 11.
[8] II Petr. I, 10.

tered against the mother who has brought you A forth in Christ, by having your conversation good among those who are estranged from her influence; „that whereas they speak against you as evildoers, they may, by the good works which they shall behold in you, glorify God in the day of visitation.“ „For the rest, brethren, whatsoever things are true, whatsoever modest, whatsoever just, whatsoever holy, whatsoever lovely, whatsoever of good fame, if there be any virtue, any praise of discipline, think on these things. The things which you have both learned and received, and heard and seen — these do ye, and the God of peace shall be with you.“ — „The grace of our lord Jesus Christ be with your spirit.“

We direct this our pastoral letter to be read publicly in all the churches subject to our jurisdiction.

Given at Baltimore, in national council, on the B feast of the Ascension, in the year of our Lord 1852.

*versationem vestram habentes bonam inter illos, qui* alieni sunt ab eius auctoritate; *„ut in eo quod detrectant de vobis tanquam malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.*[1] *De cetero, fratres, quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate. Quae et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis, haec agite; et Deus pacis erit vobiscum.*[2] — *Gratia domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro.“*[3].

Mandamus ut hae pastorales literae publice legantur in omnibus ecclesiis nostrae iurisdictioni subiectis.

Datum Baltimorae in nationali concilio, die festo Ascensionis, anno Domini 1852.

[1] I Petr. II, 12. [2] Philipp. IV, 8. 9. [3] Ib., 23.

# CONCILIUM PROVINCIALE WESTMONASTERIENSE I
## 1852 iulii 6-17.

Concilium provinciale Westmonasteriense I in Anglia, celebratum in collegio Sanctae Mariae apud Oscott, a die 6 ad diem 17 iulii 1852, sub Nicolao Wiseman, cardinali archiepiscopo Westmonasteriensi.

### Bibliographia:

1) A. M. D. G. Acta et decreta primi concilii provincialis Westmonasteriensis, habiti, Deo adiu- C vante, mense iulio MDCCCLII, in collegio S. Mariae apud Oscott, adiectis pluribus decretis, rescriptis aliisque documentis ad ipsum spectantibus. Parisiis, ex typis J.-P. Migne, octobre 1853.

In-8°, 1 f.-174 p. — Annecy, séminaire; Paris, Bibl. nat. B 5764.

P. 17 et 27-8, hoc concilium provinciale celebratum est tribus sessionibus, diebus 7, 13 et 17 iulii 1852.

2) Acta et decreta sacrorum conciliorum recentiorum collectio Lacensis, auctoribus presbyteris s. J. e domo b. v. M. sine labe conceptae ad Lacum, (Friburgi, 1875). III, 895-970 et 1329-42.

### DECRETUM
*sacrae congregationis de Propaganda fide.*

Vix datum fuit Angliae antistitibus ea rite disponere quae pro regimine ecclesiarum nuper institutarum illico erant praestanda, eminentissimus ac reverendissimus dominus Nicolaus tituli Sanctae Pudentianae sanctae Romanae ecclesiae cardinalis Wiseman, archiepiscopus Westmonasteriensis, sancti concilii Tridentini praescriptionibus inhaerens, de provinciali synodo cogenda curam suscepit. Habita eadem est apud collegium Sanctae Mariae de Oscott, tribusque sessionibus absoluta; diebus nimirum septima, decima tertia, ac decima septima iulii anni D 1852: actis deinde, decretis aliisque synodalibus placitis, ad sacram congregationem pro revisione ac recognitione transmissis. Porro accurato adhibito examine, in generalis sacrae congregationis conventu habito die 8 martii 1853, relatio proposita est per eminentissimum ac reverendissimum dominum Ludovicum sanctae Romanae ecclesiae cardinalem Altierium, omnibusque rite perpensis, eminentissimi ac reverendissimi patres gesta quidem plurimum commendanda duxerunt, praesertim ob singulare studium quo uno veluti eodemque spiritu de religionis bono atque animarum salute promovenda episcopi, adiuvantibus administris, adlaborarunt. Nonnullis vero iuxta peculiarem instructionem modificationibus peractis, decreta, statuta etiam pro capitulis canonicorum ac methodum circa rectores missionarios, habita praesertim ratione quod canonici iuris observantia haud in omnibus induci adhuc valeat, probanda censuerunt.

Sententiam vero sacrae congregationis, sanctissimo domino Pio papae IX ab infrascripto secretario in audientia diei 13 martii relatam, sanctitas sua benigne in omnibus probavit, contrariis quibuscunque haud obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus sacrae congregationis de Propaganda fide, die 14 maii 1853.

I. Ph. cardinalis Fransoni, praefectus.
Al. Barnabo, a secretis.

*Locus † sigilli.*

## ACTA CONCILII.

### INDICTIO
*synodi provincialis Westmonasteriensis.*

Nicolaus, miseratione divina tituli Sanctae Pudentianae sanctae Romanae ecclesiae presbyter cardinalis Wisemann, archiepiscopus Westmonasteriensis, etc.; illustrissimis et reverendissimis dominis episcopis sedis metropolitanae Westmonasteriensis suffraganeis, salutem in Domino.

Cum iam ab anno et amplius hierarchia ecclesiastica a sancta sede piis catholicorum Anglorum votis benignissime fuerit concessa, cumque a sacrosancto concilio Tridentino sapientissime sancitum fuerit, ut *„metropolitani non praetermittant synodum*

*in sua provincia cogere*"[1]; et accesserit insuper hac A de re sanctae sedis apostolicae nobis expressa semperque veneranda voluntas; nos synodum provincialem episcoporum sedis Westmonasteriensis suffraganeorum, in collegio Sanctae Mariae apud Oscott, qui locus visus est omnibus accessu facilis et alioquin commodissimus, pridie nonas iulias inchoandam, et, divina opitulante gratia, per sequentes dies continuandam donec feliciter absolvatur, per praesentes in Domino indicimus et convocamus.

Quamobrem, illustrissimi et reverendissimi fratres, vos enixe hortamur, ut in sua quisque vestrum dioecesi preces ad Deum omnipotentem devote effundendas praescribat, in hoc praesertim quod imminet quadragesimali tempore: ut ea, quae a patre luminum descendit, divina sapientia nostrum omnium mentes illustret, et ut Spiritus sanctus corda nostra intima sui roris aspersione fecundet; B sicque quidquid ipse diligit diligamus, et quae sunt ei placita statuere et decernere valeamus. Agendum est enim nobis, in hac prima synodo, gravissimis de rebus, ecclesiae catholicae in Anglia statum et disciplinam spectantibus; de divini cultus nitore, de recta sacramentorum administratione, de nostris totiusque cleri muneribus, de catholica puerorum institutione, de fovenda fidelium devotione, de omnium denique in vera orthodoxaque fide constantia, necnon in pietatis studio profectu.

Nos igitur, illustrissimi et reverendissimi fratres, pro officio nobis praeter merita commisso, vos omnes et singulos ad indictam synodum per praesentes vocamus; ut ad praefatum diem et locum nos conveniatis, de huiusmodi causis communi consilio tractaturi. Rogamus insuper ut haec synodi indictio per vos iis omnibus, si qui sint, innotescat, qui in vestris dioecesibus ius aliquod habeant vel praeten- C dant synodo interveniendi: ut nobis titulum quo gaudent, vel se gaudere putant, tempestive patefaciant.

Faxit Deus ut, intercedente beatissima et immaculata virgine Dei genitrice Maria, cum beatis apostolis Petro et Paulo, et Angliae patronis, gloriosissimis scilicet martyribus Georgio et Thoma, haec prima post tot saecula, in recta et catholica fide, apud nos convocata synodus ad ipsius honorem et gloriam, ad exaltationem sanctae matris ecclesiae, ad animarum Christi sanguine redemptarum lucrum, et ad omnium nostrum proficiat in pietate et coelesti sapientia incrementum.

Datum Westmonasterii, in festo Purificationis beatae Mariae virginis, die 2 februarii anni 1852.

Nicolaus, cardinalis Wiseman, archiepicopus Westmonasteriensis.

*Locus † sigilli.*

## ACTA CONCILII PROVINCIALIS WESTMONASTERIENSIS.

*Die 5 iulii.*

### CONVENTUS PRAEPARATORIUS.

Die 5 iulii 1852, hora quarta, habitus est congressus praeparatorius episcoporum qui iam advenerant, scilicet eminentissimi archiepiscopi, episcoporum Beverlacensis, Northantoniensis, Birminghamiensis, Suthwarcensis, Salfordensis, Plymuthensis, Cliftoniensis et Salopiensis; et paulo post coenam in congressum intraverunt episcopi Newportensis et Hagulstadensis. Aderat secretarius, reverendus dominus Bagnall.

Dicta est oratio *Adsumus*.

Cum caeremoniale Romanum praescribat episcoporum praecedentiam determinandam esse iuxta tempus suae promotionis, et litterae apostolicae pro promotione plurium ex episcopis eadem die datae fuerint, statuerunt debere hos episcopos, in concursu eiusmodi, praecedentiam tenere a die consecrationis, et concurrente anniversario consecrationis plurium sub eadem die, praeeminentiam dandam esse episcopo ratione aetatis seniori.

Archiepiscopus secretum de omnibus actibus indixit. Eminentissimus archiepiscopus exposuit ad munus promotoris designari posse episcopum Suthwarcensem, et ad officium examinandi procurationes exhibendas nomine episcoporum absentium aliorumque, illustrissimos ac episcopos Beverlacensem et Birminghamiensem.

Videatur postea nota officialium.

Actum est de procuratoribus episcoporum Liverpolitani et Nottinghamiensis, infirma valetudine detentorum; et episcopi considerantes quod per decretum sacrae congregationis cardinalium interpretum concilii Tridentini synodo relinquatur ius concedendi vel negandi votum decisivum, et quod duo procuratores presbyteralis tantum ordinis in hac prima synodo sint adfuturi, inter undecim episcopos, censuerunt ipsos deliberativa duntaxat voce gaudere debere.

Lecta sunt nomina theologorum episcoporum, et deputatorum capitulorum, et, cum observasset archiepiscopus eosdem theologos, nonnullis in casibus, ab episcopis adductos esse, quos aliqua capitula deputaverant, ex quo non leve incommodum oriri posset, tum ob diminutionem notabilem quae inde proveniret in numero theologorum, tum alias ob causas, res discussa est; et tandem censuerunt patres, in hac synodo tantum duplicem hanc repraesentationem tolerari posse, cum protestatione promotoris, ne transiret in exemplum.

Lecta sunt nomina superiorum regularium admittendorum. Responsum fuerat abbati Sancti Bernardi ordinis Cisterciensis, ob infirmam valetudinem absenti, ipsum non posse procuratorem deputare.

Actum est de opportunitate admittendi procuratores capitulorum ad vocem decisivam, quando de decretis ipsa concernentibus discussio fieri contigerit: nihil vero fuit decisum.

*Die 6, feria III.*

CONGREGATIO PRIMA GENERALIS.

Hora nona convenerunt omnes in aula paramentorum, ex qua in ecclesiam facta est processio D hoc ordine:

Clerici simplices; theologi episcoporum; deputati capitulorum; theologi a synodo invitati; superiores ordinum religiosorum provinciales; abbas praeses generalis congregationis Anglo-Benedictinae; reverendissimus dominus Newsham, praelatus domesticus suae sanctitatis, a synodo invitatus; eminentissimus ac reverendissimus archiepiscopus; episcopi iuxta ordinem, incipiendo a seniore suffraganeo.

Eminentissimus archiepiscopus sedem in medio altaris habebat, et episcopi hinc inde iuxta ordinem suae consecrationis, absentibus episcopis Liverpolitano et Nottinghamiensi. Post episcopos sedebant alii supra memorati. Eminentissimus archiepiscopus, stans cum duobus diaconis suis contra crucem in medio chori positam, recitavit orationem *Adsumus*, omnibus praeter episcopos genua flectentibus.

[1] Sess. XII, cap. 2, *de ref.*

Deinde, sedentibus omnibus, allocutionem habuit A de synodi celebratione et causis eiusdem, et secretum omnibus indixit, usque ad confirmationem decretorum a sancta sede.

Suggerente secretario, per verba: „*Recedant omnes praeter episcopos,*" ipsi soli remanserunt, una cum tribus secretariis et caeremoniariis.

Episcopus Suthwarcensis exhibuit instrumentum suae deputationis in promotorem; et instantiam fecit pro aperiendo concilio, omnibus praeter archiepiscopum stantibus.

DEPUTATIO PROMOTORIS.

Omnibus et singulis notum facimus, in congressu particulari habito die 5 iulii 1852, illustrissimos et reverendissimos episcopos censuisse in synodo provinciali Oscottensi proxime aperienda, esse nominandum promotorem illustrissimum et reverendissimum dominum episcopum Suthwarcensem.

Quapropter, nos eidem episcopo omnia iura et privilegia ad idem munus rite et recte exercendum necessaria conferimus, ut in singulis et omnibus sessionibus et congregationibus tanquam promotor haberi possit et debeat.

Datum apud collegium Sanctae Mariae de Oscott, die 5 iulii 1852.

N., cardinalis Wiseman, archiepiscopus Westmonasteriensis.

De mandato eminentissimi et reverendissimi domini mei archiepiscopi:

F., canonicus Searle, secretarius.

INSTANTIA PRO APERIENDA SYNODO.

Eminentissime et reverendissime domine, cum concilii provincialis Westmonasteriensis, per decretum die 2 februarii huius anni datum, dies praefixa, sexta scilicet iulii, iam advenerit; cumque, prout ex instrumento modo exhibito constat, eminentia vestra me, Thomam episcopum Suthwarcensem, huius synodi promotorem constituerit, pro meo munere comparens, insto ac requiro hoc concilium provinciale, de iure atque de venia sanctae sedis apostolicae rite denuntiatum atque promulgatum, hoc ipso die per vos deliberari et declarari incipere iamque inceptum esse. Cuius prosperum exoptemus exitum, atque a Deo supplices piis orationibus deprecemur.

† Thomas, episcopus Suthwarcensis, promotor.

Ad quam instantiam, iussu eminentissimi archiepiscopi, reverendus dominus Rodolphus Bagnall, secretarius, haec verba pronuntiavit: Eminentissime ac reverendissime domine, reverendissimi patres, placetne vobis, ad laudem omnipotentis Dei, et beatissimae Virginis, sanctorum Thomae et Georgii honorem, praesentem synodum declarare incipere iamque inceptam esse?

Deinde reverendus dominus Clifford, alter ex secretariis, cum uno ex caeremoniariis ad singulos episcopos accedens, excepit uniuscuiusque responsum per verbum *Placet*.

Deinde coram eminentissimo archiepiscopo dixit: Eminentissime ac reverendissime domine, ad propositum quaesitum omnes patres responderunt: *Placet*.

Postea, eminentissimus archiepiscopus decretum de aperienda synodo tradidit reverendo domino Bagnall, qui illud clara voce coram patribus perlegit, iuxta hunc tenorem:

DECRETUM DE APERIENDA SYNODO.

In nomine sacrosanctae et individuae Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Nos Nicolaus, miseratione divina sanctae Romanae ecclesiae titulo sanctae Pudentianae presbyter cardinalis Wiseman, archiepiscopus Westmonasteriensis, ad laudem et gloriam Dei omnipotentis, et salvatoris nostri Iesu Christi, et honorem beatissimae et immaculatae Virginis Dei genitricis Mariae, beatorum apostolorum Petri et Pauli, sanctorum martyrum Thomae et Georgii, et omnium sanctorum, ad aedificationem ecclesiae Dei, ad corrigendos abusus, pietatem fovendam, et zelum animarum augendum tam in clero quam in populo, statuimus et decernimus, de consilio et consensu illustrissimorum ac reverendissimorum dominorum episcoporum Angliae, hoc ipso die, qui est sextus mensis iulii huius anni millesimi octingentesimi quinquagesimi secundi, Deo adiuvante, initium fieri et iam factum esse huius synodi provincialis Angliae, apud collegium Sanctae Mariae de Oscott, quam ad B hunc diem et locum convocavimus et indiximus, per litteras nostras datas die secunda mensis februarii proxime elapsi. Faxit Deus ut quidquid a nobis in hoc concilio coeptum absolutumque fuerit, ad ipsius honorem, ad ecclesiae commodum, et ad animarum salutem, recte fiat et maxime proficiat.

Datum apud Sanctam Mariam de Oscott, die, mense et anno quibus supra.

*Locus † sigilli.* N., cardinalis Wiseman.

De mandato eminentissimi et reverendissimi domini mei archiepiscopi:

F. Searle, secretarius.

Lecto decreto, reverendus dominus Bagnall, secretarius, ad valvas ecclesiae edixit: „Reverendi domini, si quis vestrum ad synodum aliquid referre velit, datur ei libera facultas dicendi."

Reverendus dominus Wheble, caeremoniarius, C idem lingua vernacula pronuntiavit. Postea secretarius dixit: „Accedant procuratores reverendissimorum dominorum episcoporum Liverpolitani et Nottinghamensis, qui volunt audiri."

Secretarius introducens reverendum dominum Iacobum Crooke, dixit: „Eminentissime ac reverendissime domine, adest procurator reverendissimi domini episcopi Liverpolitani, qui habet quod referat."

Procurationem ab ipso exhibitam accepit eminentissimus archiepiscopus per verba: „Admittimus cum voce deliberativa."

Sub eadem forma inductus est reverendus dominus Franciscus Cheadle, procurationem episcopi Nottinghamensis deferens, cuius loco, cum debita forma non esset expressa, pollicitus est se novum mandatum quantocius obtinere curaturum: quod secundum post diem perfectum est.

Hi procuratores paulisper recesserunt, et, post D eorum regressum, sedes ipsis assignatae sunt contra sedem eminentissimi archiepiscopi.

Durante ipsorum absentia actum est de admittenda procuratione capituli Liverpolitani. Difficultas inde orta est quod, ut asserebatur, episcopus anno 1851, vi litterarum apostolicarum mense novembri 1850 datarum, et ante receptionem novarum instructionum sacrae congregationis, et antequam sancta sedes cathedralem pro dioecesis Liverpolitanae capitulo assignasset, capitulum ex una dignitate et duodecim canonicis[1] compositum erexerat; quae institutio minus canonica videbatur. Patribus omnibus placuit huiusmodi difficultates a sancta sede determinandas esse, et ad synodum spectare duntaxat quaestionem utrum instrumentum a procuratore capituli exhibendum rite esset confectum et signatum.

[1] Compertum postea fuit decem solummodo canonicos fuisse designatos, iuxta decreti sacrae congregationis praescripta.

Aliud dubium deinde discussum est, circa pro- A curationem capituli Hagulstadensis, et, cum ex episcopi ipsius expositione constaret, illud capitulum fuisse erectum, absque co quod canonici possessionem suae ecclesiae cathedralis adhuc accepissent per debitam installationem, aut professionem fidei emisissent, episcopi sex censuerunt admitti posse capituli Hagulstadensis procuratorem, et aliis quatuor visum est ipsum non esse admittendum, nisi inter theologos. Omnes tamen censuerunt episcopum Hagulstadensem debere hac de re specialem instantiam synodo exhibere.

Exiit deinde secretarius, et introduxit, ordine sequenti, procuratores capitulorum, qui singuli instrumenta suae delegationis eminentissimo archiepiscopo obtulerunt, et recesserunt.

Procurator capituli Westmonasteriensis; procurator capituli Birminghamiensis; procurator capituli Northantoniensis; procurator capituli Liverpolitani; B procurator capituli Hagulstadensis (ad petitionem episcopi sui); procurator capituli Salfordiensis; procurator capituli Cliftoniensis; procurator capituli Salopiensis.

Quibus omnibus recedentibus, promotor institit apud eminentissimum archiepiscopum ut infra:

„Eminentissime ac reverendissime domine: Ego Thomas, episcopus Suthwarcensis, promotor, humillime rogo, ut protestatio mea recipiatur contra eos omnes qui ius huic synodo interveniendi se habere non potuerint probare.

„Item contra admissionem procuratorum quorumcunque nisi ex favore tantum et benignitate patrum, et praesertim nisi muniti fuerint legitimo suae deputationis mandato.

„Protestor, praeterea, contra praeiudicium quod huic synodo inferri possit, propter absentiam eorum qui ad synodum non fuerint vocati, vel, vocati, ad- C esse noluerint aut nequiverint; et deputatorum capitulorum nondum erectorum, Nottinghamiensis scilicet, Newportensis et Menevensis, et Hagulstadensis, modo iam exposito existentis.

„Cumque advocata fuerint capitula Suthwarcense et Beverlacense, et horum procuratores nondum advenerint, rogo ut protestatio de eorum absentia admittatur, utque ipsi debeant causas suae excusationis exhibere episcopis deputatis Beverlacensi et Birminghamiensi, et pro casu procuratoris Beverlacensis, episcopus Northantoniensis agat vice[s] episcopi Beverlacensis.

„Cumque episcopi Suthwarcensis et Northantoniensis eos viros adduxerint tanquam theologos quos respectiva capitula elegerunt ad se repraesentanda, et cum plurima incommoda ex duplici huiusmodi actione oriri possint, peto ut hi viri, nonnisi cum cautela et protestatione, ne admissio transeat in D exemplum, recipiantur.

„Reservo mihi ius hanc protestationem quoties oportuerit repetendi, volens quod nunc prolata valere debeat eodem prorsus modo ac si in singulis synodi actibus renovata foret.

† Thomas, episcopus Suthwarcensis.“

Eminentissimus archiepiscopus dixit: „Admittimus et committimus.“

Admissi fuerunt procuratores episcoporum absentium.

Tunc dixit archiepiscopus: „Reverendissimi patres, nostisne aliquem absentem esse eorum qui ius habeant ad votum decisivum in hac synodo proferendum?“

Singuli responderunt se neminem nosse, qui ius haberet interveniendi cum voce decisiva, qui ab synodo abesset.

Promotor: „Peto ut legantur decreta in sessione prima feriae quartae proponenda.“

Lecta fuerunt a secretario decreta *de methodo vitae in synodo servanda, de non praeiudicando, de officialibus, de iudicibus in causis personalibus, et de non discedendo.*

Quae cum omnibus placuissent, cum hac advertentia quod clausula de sacra communione quotidie recipienda ab iis qui missam non celebrarent, debeat intelligi in sensu adhortativo, non vero imperativo, eminentissimus archiepiscopus dixit: „Decreta modo lecta placuerunt patribus, de eorum ergo consensu ea statuimus ut lecta sunt.“

Reverendus dominus Crooke, procurator episcopi Liverpolitani, interrogavit patres, utrum ipse posset episcopum suum, decurrente concilio, certiorem facere de decretis et actibus eiusdem; et patres, attento quod ipse episcopus mandatum generale dederit suo delegato, et quod non possit hunc obligare ad suffragium deliberativum in sensum committentis dandum, sed in id tantum quod pro conscientia sua et arbitrio melius esse in Domino procurator ipse iudicaverit, et attenta praesertim lege a sacra congregatione de Propaganda fide praescripta, secreti servandi, et considerantes quod epistolae a procuratore transmissae in alienas manus incidere possint, responderunt, eumdem procuratorem, eadem secreti lege indicta nomine synodi, posse, peracta synodo et non prius, episcopum viva voce docere quaenam decreta lata sint.

Demum, dicta oratione: *Sancta Maria, succurre,* omnes dimissi sunt.

Hora nona pomeridiana, benedictio venerabilis sacramenti data est ab episcopo Beverlacensi.

Eadem die, hora meridiana, convenerant in suis aulis congregationes particulares: *1. liturgica; 2. disciplinaris; 3. moralis* seu *generalis*: et hora tertia pomeridiana iterum habitae sunt. Hora quarta, omnes presbyteri advocati sunt, a cantore et caeremoniariis in cantu et caeremoniis exercitandi; quo in publicis sessionibus peragendis omnia fieri possent ad normam caeremonialis et pontificalis Romani.

Singulis congregationibus deputati fuerunt quorum nomina sequuntur.

*I. Liturgica.*

Reverendissimi domini domini episcopi Beverlacensis, Salfordensis, Newportensis, Salopiensis. Theologi: reverendi domini Newsham; provincialis ordinis Praedicatorum; provincialis ordinis Passionis; reverendi domini Gibson, Roskell, Fisher, Vaughan, Cookson, et domini caeremoniarii. Secretarius: R. Bagnall.

*II. Disciplinaris.*

Reverendissimi domini episcopi Birminghamiensis, Suthwarcensis, Plymuthensis; procurator episcopi Liverpolitani. Theologi: praeses congregationis Anglo-Benedictinae; provincialis societatis Iesu; reverendi domini Weathers, Husenbeth, Forn, societatis Iesu, Morgan, Hall, Whitty, Render, Croskell, Egan. Secretarius: Alex. Goss.

*III. Moralis et generalis.*

Reverendissimi domini episcopi Hagulstadensis, Northantoniensis, Cliftonensis; procurator episcopi Nottinghamiensis. Theologi: provincialis ordinis Caritatis; reverendi domini Cooke, Rooker, Newman, Maguire, Tate, Cox, Dixon, Weedall, Platt. Secretarius: Gul. Clifford.

SESSIO PRIMA.

Die 7, feria IV, hora nona cum dimidio, omnes convenerunt in aula paramentorum, ut sacras vestes

assumerent, eminentissimus archiepiscopus cappa A indutus advenit; et postea paramenta synodo convenientia, et pluviale rubri coloris gerens, et baculum pastorale manu tenens, ad ecclesiam solemniter processit; ante eum ordinata est processio.

Primo cursores synodi. Subdiaconus cum cruce et post eum clerus saecularis; cantores; officiales synodi; crux metropolitana inter duos acolythos; sex acolythi; theologi episcoporum; theologi a synodo invitati; procuratores capitulorum, in habitu chorali; procuratores episcoporum absentium, induti pluvialibus rubri coloris; superiores ordinum regularium; reverendus pater dominus Newsham praelatus, theologus invitatus; diaconus et subdiaconus missae; illustrissimi et reverendissimi episcopi cum duobus capellanis et caudatario, induti pluvialibus rubri coloris supra amictum et rochettum, et mitram habentes auriphrygiatam; inter quos erat illustrissimus et reverendissimus dominus episcopus B Mitylenensis qui benevole synodo hac die intervenire voluerat; presbyter assistens; ministri de baculo pastorali et de mitra, pluvialibus induti; eminentissimus metropolitanus cum duobus diaconis hinc inde assistentibus; ministri de libro et bugia; scutifer, vir nobilis eques Sanctae Isabellae, Petrus de Zulueta.

Episcopi et clerus per viam decantavit psalmos et hymnos praescriptos, et episcopi populo benedicebant.

Peracta processione per interna collegii claustra, omnes ad loca sibi assignata accesserunt, et eminentissimus archiepiscopus, recitatis precibus in pontificali Romano indicatis, assumpsit paramenta missae et pallium, et missam de Spiritu sancto solemniter celebravit.

Post evangelium, eminentissimus cardinalis concionem habuit super verbis: „*Pacem relinquo vobis,* C *pacem meam do vobis.*"[1]

Peracta missa, decantati fuerunt psalmi cum litaniis, et evangelium cum hymno *Veni, sancte,* et postea archiepiscopus, recedente clero, sessionem habuit primam. Eminentissimus archiepiscopus, ad eius initium, nomine patrum ibi congregatorum, invitavit illustrissimum et reverendissimum episcopum Mitylenensem ibi praesentem, ut vellet adesse cum voce deliberativa.

Tunc legit allocutionem *Venerabiles consacerdotes,* ex pontificali Romano.

Promotor: „Eminentissime ac reverendissime domine, peto declarari hanc synodum provinciae Westmonasteriensis inceptam esse, atque ut legatur decretum *de aperienda synodo.*"

Secretarius legit decretum quod in prima congregatione generali lectum fuerat, et patres, rogati ab uno ex secretariis, responderunt sibi placere: D et cardinalis, auditis eorum suffragiis ab altero ex secretariis, dixit: „Decretum placuit patribus, itaque decernimus huius provinciae Westmonasteriensis synodi initium fieri et iam factum esse."

Promotor: „Eminentissime ac reverendissime domine, peto ut legantur decreta *de methodo vitae, de officialibus, de non praeiudicando,* et *de non discedendo.*

Lectis decretis, dixit secretarius: „Reverendissimi patres, placentne haec decreta?"

Alter secretarius collecta suffragia detulit ad eminentissimum archiepiscopum, qui dixit: „Decreta placuerunt, ideo agendae Deo gratiae."

Patres. „Deo gratias."

Promotor: „Peto ut legantur nomina eorum qui interesse debent." Eminentissimus archiepiscopus: A „Ita decernimus et mandamus." Lecta fuerunt nomina episcoporum, et unusquisque respondit: „Adsum;" sed ubi lecta fuerunt nomina episcoporum Liverpolitani et Nottinghamiensis, eorum procuratores dixerunt: „Adest per procuratorem."

Promotor: „Eminentissime ac reverendissime domine, protestor contra omnes qui sint absentes absque legitima excusatione, et peto quod non debeat inferri praeiudicium huic concilio propter absentiam eorum qui per incuriam non fuerint vocati, vel qui vocati adesse noluerint aut nequiverint."

Eminentissimus archiepiscopus admisit protestationem.

Promotor: „Ego Thomas, episcopus Suthwarcensis, peto et insto, ut omnes et singuli episcopi, iuxta decretum sacrosanctae Tridentinae synodi et bullam Pii IV, in hac prima synodo, cui intersunt, emittere professionem fidei non negligant, salvis tamen iuribus eminentissimorum cardinalium, quatenus propter B sua privilegia in hac instantia non debeant comprehendi, vel ad professionem fidei faciendam non teneantur, nisi in manibus summi pontificis vel sacri collegii."

† Thomas, episcopus Suthwarcensis, promotor.

Eminentissimus dedit decretum quod sequitur:

Nicolaus miseratione divina titulo Sanctae Pudentianae sanctae Romanae ecclesiae presbyter cardinalis Wiseman, archiepiscopus Westmonasteriensis, etc.

Cum, annuente Deo, et intercedente beatissima virgine Maria matre Dei, prima sit hodie congregata synodus provinciae Westmonasteriensis, nos † que professionem fidei, iuxta tenorem bullae Pii IV felicis recordationis et constitutiones concilii Tridentini, emittemus, et praescribimus et iniungimus, C sub debitis poenis, omnibus et singulis episcopis, ut eamdem fidei professionem postea emittant, in hac prima sessione.

Datum die septimo iulii 1852, apud collegium Sanctae Mariae de Oscott.

N., cardinalis Wiseman

De mandato eminentissimi et reverendissimi domini mei archiepiscopi.

*Locus † sigilli.* F., canonicus Searle, secretarius.

Eminentissimus archiepiscopus, versus ad altare, et flexis genibus, professionem emisit hisce verbis:

Ego Nicolaus, sanctae Romanae ecclesiae cardinalis Wiseman, archiepiscopus Westmonasteriensis, firma fide credo, etc. */Vide supra col.* 36 A - 38 A

Deinde, sedens in faldistorio, et manibus tenens librum evangeliorum, excepit professionem suorum D suffraganeorum, qui accedentes, et ambas manus super librum extendentes, ea quae sequuntur pronuntiarunt. Primo quidem accesserunt episcopi Beverlacensis, Northantoniensis et Birminghamiensis, deinde, alii eodem ordine successive professionem emiserunt:

„Ego N., episcopus N., omnia et singula quae a sacrosancta Tridentina synodo definita sunt recipio, necnon veram obedientiam summo Romano pontifici spondeo et profiteor; haeresesque omnes a sacris canonibus et generalibus conciliis, praesertimque ab eadem Tridentina synodo damnatas, detestor, et anathematizo; fidemque profiteor iuxta formulam praescriptam a Pio IV, quam nunc legit eminentissimus dominus metropolitanus, et ita ego recipio, spondeo, profiteor, anathematizo, voveo et iuro: sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei evangelia."[1]

[1] Ioan. XIV, 27.

[1] Ex actibus Mediolanensibus.

Promotor petiit decretum de tenenda sessione A secunda, feria tertia hebdomadae futurae; et auditis patrum suffragiis, eminentissimus praecepit ut daretur decretum quod subnectitur:

Nicolaus, miseratione divina titulo Sanctae Pudentianae sanctae Romanae ecclesiae presbyter cardinalis Wiseman, archiepiscopus Westmonasteriensis, etc.

Audita sententia patrum in hac prima synodo praesentium, decernimus, secundam sessionem habendam esse, Dei favente gratia, feria tertia proxime futurae hebdomadae, post dominicam sextam pentecostes; monentes omnes et singulos ut ea die adsint, sub poenis contra contumaces statutis.

Datum apud collegium Sanctae Mariae de Oscott, die 7 mensis iulii 1852.

N., cardinalis Wiseman.

De mandato eminentissimi et reverendissimi domini mei archiepiscopi:

F., canonicus Searle, secretarius.

Postea, per sonitum campanae omnes vocati sunt ad orationem mentalem super tribus punctis, ab archidiacono lectis latina lingua, et, a reverendo admodum patre Ioan. Henr. Newman anglice populo annuntiatis.

Cum, iuxta caeremoniale episcoporum, deferri debuit[1] benedictio in fine missae danda, eam, post quartam partem horae mentali orationi tributam, eminentissimus archiepiscopus impertitus est.

Deinde, omnes processionaliter redierunt in aulam paramentorum.

Postea, affixum est in loco publico decretum de methodo vitae in synodo tenenda.

Hora quarta pomeridiana, congregationes particulares habitae sunt.

Propter causam ab eminentissimo archiepiscopo, C una cum aliis episcopis, et promotore audito, probatam, data est licentia ad breve tempus abeundi reverendo domino Roskell et reverendo domino Croskell, canonicis ecclesiae Salfordensis.

Hora nona pomeridiana, assistentibus episcopis rochetto et mozetta indutis, eminentissimus archiepiscopus benedictionem venerabilis sacramenti dedit.

Eadem die advenit reverendus dominus Iosephus Render, deputatus capituli Beverlacensis, propter populi commotionem Eboraci detentus.

Dilata est admissio deputatorum capitulorum Suthwarcensis et Beverlacensis, propter defectum litterarum delegationis capituli.

Die 8, feria quinta, habitae sunt congregationes particulares ab hora 9 ad 11, et deinceps ab hora $11\frac{1}{2}$ ad $1\frac{1}{2}$, et postea ab hora 5 pomeridiana ad $5\frac{1}{2}$.

Die 9, feria sexta, missam de *Requiem* pro omnibus episcopis Angliae defunctis cantavit illustrissimus ac reverendissimus dominus episcopus Plymuthensis, vice eminentissimi archiepiscopi, qui tamen in cappa violacea assistentiam praebuit.

Absolutiones datae sunt ab eminentissimo archiepiscopo, et a reverendissimis episcopis Salfordensi, Plymuthensi, Cliftonensi et Salopiensi.

Ab hora $11\frac{1}{2}$ ad $1\frac{1}{2}$ et rursus ab hora $3\frac{1}{2}$ ad $5\frac{1}{2}$ habitae sunt congregationes particulares.

Die 10, sabbato, hora nona, habitae sunt congregationes particulares usque ad horam 11.

Hora $11\frac{1}{2}$, congregatio secunda generalis habita est in ecclesia; in qua lecta sunt decreta coram theologis, qui invitati sunt ad sententias suas proponendas; et hora $12\frac{1}{2}$ exierunt omnes, praeter secretarios et caeremoniarium; protestatus est promotor contra ingressum in congregationem praecedentem deputati, qui suum mandatum nondum exhibuerat. Tunc introducti sunt deputati capitulorum Beverlacensis et Suthwarcensis, et examinatis breviter causis ipsorum absentiae, a iudicibus et aliis patribus admissi sunt; et facta reverentia secesserunt.

Patres deliberationem inierunt super decretis iam praelectis, coram theologis in prima parte congregationis.

Ab hora 3 ad $5\frac{1}{2}$ habitae sunt congregationes particulares.

Die 11, die dominica, celebrata est missa ab episcopo Birminghamiensi, et, post evangelium, sermonem ad patres et ad populum habuit reverendus dominus Henricus Manning.

B Hora tertia pomeridiana, congregatio tertia generalis habita est in ecclesia; et, postquam egressi fuissent theologi, patres de decretis in proxima sessione faciendis egerunt. Postea, omnes convenerunt, ut reverendus dominus Manning invitaretur tanquam unus ex theologis synodi. Licentia data est reverendo patri domino Newsham, et reverendo patri Newman, congregationis Oratorii, ut pro una die abesse possent.

Die 12, feria II, hora nona, habita est congregatio quarta generalis; et hora undecima omnes recesserunt, et post dimidium horae, patres in ecclesiam reversi sunt, ut de aliis decretis faciendis tractarent. Commissum est episcopis Newportensi et Plymuthensi negotium praeparandi methodum procedendi in causis a *commissione investigationis* examinandis.

Hora tertia, facta est congregatio generalis quinta, quae post discessum theologorum continuata est ad horam sextam; et resumpta, hora octava cum dimidio, nonnisi hora undecima finem habuit.

## SESSIO SECUNDA.

Die 13, feria tertia, missa de Spiritu sancto ab illustrissimo et reverendissimo episcopo Beverlacensi celebrata est. Post evangelium sermonem habuit reverendus pater Newman, congregationis Oratorii Birminghamiensis praepositus.

Post missam habita est sessio secunda, in qua lata sunt decreta: *de fide orthodoxa*; *de modis tuendi fidem*; *de professione fidei emittenda*; *de hierarchia*; *de capitulis*; *de sacramentis in genere*; *de baptismo*; et *de confirmatione*.

Patres decreverunt laudandum esse, et speciali cum elogio commemorandum sermonem a patre Newman habitum ad missam.

D Prorogata est sessio ad feriam V; et propositum est ut sessio tertia sabbato fieret. Eminentissimus archiepiscopus rogavit a patribus, ut sine nova propositione decretorum fieri possent in iis correctiones mere verbales quae earum substantiam non attingerent.

Propter prorogationem, non facta est oratio mentalis, sed eminentissimus benedictionem theologis aliisque denuo admissis impertitus est.

Horis pomeridianis factae sunt congregationes particulares.

Die 14, feria IV, habitae sunt congregationes particulares horis antemeridianis; et horis pomeridianis, sexta congregatio generalis, in qua eminentissimus archiepiscopus, nomine episcoporum, gratias egit theologis.

Die 15, feria V, post missam lectam ab episcopo Salfordensi, facta est prorogatio sessionis secundae ad diem sequentem.

[1] Legendum videtur *differri debuerit*. Vide *Caerem. ep.*, l. 1, c. 31, n. 14.

Ad horam 11 cum dimidio, facta est congregatio episcoporum, qui deputaverunt sex theologos ad specimen novi catechismi praeparandum.

Hora tertia, facta est congregatio generalis septima.

CONTINUATIO SESSIONIS SECUNDAE.

Die 16, feria VI, post missam lectam ab episcopo Northantoniensi, habita est continuatio sessionis secundae, a feria III praecedenti prorogatae. In ea lata sunt decreta *de sanctissima eucharistia*; *de poenitentia*; *de extrema unctione*, et *de matrimonio*; *de vita et honestate clericorum*; *de rectoribus ecclesiarum*; *de regularibus*; *de seminariis et collegiis*; *de sanctimonialibus*, et *de episcopis*.

Tunc facta est oratio mentalis, et eminentissimus archiepiscopus benedictionem dedit. Horis pomeridianis facta est congregatio particularis episcoporum.

## SESSIO TERTIA ET ULTIMA.

Die 17, sabbato, celebrata est missa solemnis ab eminentissimo et reverendissimo archiepiscopo, qui, post evangelium, sermonem habuit super verbis: „*Dixit Dominus Petro: Duc in altum.*“[1]

Missa finita, cum omnes praeter episcopos, vel eorum procuratores, monentibus ianitoribus, exiissent, promotor institit, dicens: „Legantur nomina omnium;“ qui singuli responderunt per vocem: *Adsum*. Lecta protestatione contra absentes, dixit promotor: „Eminentissime ac reverendissime domine, peto, ut haec sessio tertia declaretur incepta.“

Auditis patribus, eminentissimus ita decrevit: „Placuit patribus hanc tertiam sessionem incipere, et inceptam esse.“

Promotor: „Eminentissime ac reverendissime domine, peto ut omnia, et singula decreta“ (quae omnia prout in elencho decretis annexo referuntur, C hic enumerata fuerunt) „denuo et integre, quantum opus est, pro lectis habeantur, et a patribus confirmentur, et supremo sanctae sedis iudicio emendanda et sancienda submittantur“.

Deinde eminentissimus dixit: „Placuit patribus, et ideo decernimus et statuimus ita fieri debere.“

Promotor: „Eminentissime et reverendissime domine, peto ut decernatur omnes qui ius habent interessendi, ad subscribendum teneri et obligari antequam discedent ex hoc loco.“

Eminentissimus archiepiscopus iussit legi decretum quod sequitur:

Nicolaus, etc.

Admonet reverendissimos patres omnes qui huic synodo iure intersunt, ut post se singuli suo loco et ordine ad altare maius accedant, et iis quae in hac sancta synodo decreta sunt, subscribant. Man- D dat etiam absentium episcoporum procuratoribus ut nemo eorum, proposita excommunicationis poena, hinc discedat nisi prius, sui episcopi nomine, decreta in hac synodo edita, suscipiens, unusquisque illis subscripserit.

*Locus † sigilli.* Nicolaus, cardinalis Wiseman.

De mandato eminentissimi et reverendissimi domini mei archiepiscopi.

F., canonicus Searle, secretarius.

Singuli deinde patres suo ordine accesserunt, et subscripserunt ut in decretis ipsis legitur. Epistolam pariter ad sanctissimum dominum nostrum papam omnes subscripserunt.

Promotor: „Eminentissime ac reverentissime domine metropolitane, cautum est proximam synodum A provincialem in sessione indici: ideo humiliter peto secundam synodum provincialem futuram denuntiari, et indici omnibus, pro die decima iulii, feria scilicet tertia post dominicam sextam post pentecosten, anno millesimo octingentesimo quinquagesimo quinto.“

Auditis patribus, eminentissimus archiepiscopus ita decrevit, ut sequitur.

Nicolaus, etc.

Auditis suffragiis comprovincialium episcoporum in fine sessionis ultimae primae synodi nostrae provinciae praesentium, decernimus secundam futuram synodum provincialem habendam esse, si Deo placuerit, die decima et sequentibus mensis iulii, incipiendo scilicet feria tertia hebdomadae sextae post pentecosten, anno millesimo octingentesimo quinquagesimo quinto.

B In quorum fidem has praesentes in eadem sessione publicari iussimus die 17 iulii 1852.

*Locus † sigilli.* N., cardinalis Wiseman.

De mandato eminentissimi et reverendissimi domini mei archiepiscopi.

F., canonicus Searle, secretarius.

Postea dixit promotor: „Eminentissime ac reverendissime domine, peto ut huic synodo provinciali finis imponatur.“

Secretarius: „Reverendissimi patres, placetne vobis, ad Dei omnipotentis laudem, huius provincialis synodi finem iam fieri?“

Auditis patribus, eminentissimus dedit decretum

Nicolaus, etc.

Deo auctore et adiutore, cum absoluta sint quae pro temporis ratione agi gerique posse videbantur, cumque pastoralis cura reverendissimos episcopos qui huc in concilium evocati sunt, ad ecclesiarum suarum stationem et pastoralem vigilantiam revocet propterea, huius synodi finem iure faciendum censuimus.

Die 17 iulii 1852, datae sunt in synodo.

*Locus † sigilli.* N., cardinalis Wiseman.

De mandato eminentissimi et reverendissimi domini mei archiepiscopi.

F., canonicus Searle, secretarius.

Promotor legit sequentem formulam.

„Patres huius synodi provinciae Westmonasteriensis gratias maximas reddendas esse unanimes decreverunt eminentiae vestrae de benignitate et urbanitate qua erga omnes patres, aliosque in synodo adunatos, usa est: et enixe rogant Deum clementissimum, omnium bonorum largitorem, ut te ad annos multos et felices conservare dignetur.“

Cum clerus et populus iterum in ecclesiam admissi fuissent, archiepiscopus intonavit hymnum *Te Deum*, qui, cum psalmis praescriptis, a cantoribus continuatus est, dum processio per claustra fieret.

Reversis omnibus ad ecclesiam, facta est oratio mentalis; et, post acclamationes, a cantore synodi concentui musicali eximie aptatas, summa cum omnium laetitia decantatas, et episcopos a metropolitano ad osculum pacis admissos, impertitus est archiepiscopus benedictionem, et, publicatis indulgentiis a summis pontificibus concessis, in pace recesserunt.

*Nomina eorum qui interfuerunt huic primae synodo provinciali Westmonasteriensi.*

Praefuit eminentissimus ac reverentissimus dominus Nicolaus tituli Sanctae Pudentianae sanctae Romanae ecclesiae presbyter cardinalis Wiseman, archiepiscopus Westmonasteriensis.

[1] Luc. V. 4.

Interfuerunt illustrissimus et reverendissimus Ioannes Briggs, episcopus Beverlacensis, consecratus die 29 iunii 1833; A

Illustrissimus et reverendissimus Guillelmus Wareing, episcopus Northantoniensis, consecratus die 21 septembris 1840;

Illustrissimus et reverendissimus Thomas-Iosephus Brown, ordinis Sancti Benedicti, episcopus Newportensis et Menevensis, consecratus die 28 octobris 1840;

Illustrissimus et reverendissimus Guillelmus-Bernardus Ullathorne, ordinis Sancti Benedicti, episcopus Birminghamiensis, consecratus die 21 iunii 1846;

Illustrissimus et reverendissimus Guillelmus Hogarth, episcopus Hagulstadensis, consecratus die 24 augusti 1848;

Illustrissimus et reverendissimus Thomas Grant, episcopus Suthwarcensis, consecratus die 6 iulii 1851; B

Illustrissimus et reverendissimus Guillelmus Turner, episcopus Salfordiensis, consecratus die 25 iulii 1851;

Illustrissimus et reverendissimus Georgius Errington, episcopus Plymuthensis, consecratus die 25 iulii 1851;

Illustrissimus et reverendissimus Thomas Burgess, episcopus Cliftoniensis, consecratus die 27 iulii 1851;

Illustrissimus et reverendissimus Iacobus Brown, episcopus Salopiensis, consecratus die 27 iulii 1851;

Admodum reverendus dominus Iacobus Crooke, praepositus ecclesiae cathedralis, procurator episcopi Liverpolitani;

Admodum reverendus dominus Franciscus canonicus Cheadle, procurator episcopi Nottinghamiensis.

*Superiores ordinum regularium.* C

Reverendissimus dominus Ioannes-Albanus, Molyneux, abbas et praeses generalis congregationis Anglo-Benedictinae;

Reverendus pater Ioannes Etheridge, provincialis societatis Iesu.

Reverendus pater Ioannes Pagani, provincialis instituti Caritatis ordinis Sancti Dominici.

Reverendus pater Aylward, provincialis ordinis Sancti Dominici.

Reverendus pater Eugenius, provincialis ordinis Passionis.

*Deputati capitulorum.*

Reverendus admodum dominus Robertus Whitty, sacrae theologiae doctor, praepositus ecclesiae metropolitanae;

Reverendus admodum Fredericus Husenbeth, sacrae theologiae doctor, praepositus ecclesiae Northantoniensis; D

Reverendus admodum dominus Henricus Weedall, sacrae theologiae doctor, praepositus ecclesiae Birminghamiensis;

Reverendus admodum dominus Rodolphus Platt, canonicus ecclesiae Hagulstadensis;

Reverendus admodum dominus Eduardus Cox, sacrae theologiae doctor, canonicus ecclesiae Suthwarcensis;

Reverendus admodum dominus Robertus Croskell, canonicus ecclesiae Salfordiensis;

Reverendus admodum dominus Guillelmus Vaughan, canonicus ecclesiae Cliftonensis;

Reverendus admodum dominus Eugenius Egan, canonicus ecclesiae Salopiensis;

Reverendus admodum dominus Ioannes Fisher, canonicus ecclesiae Liverpolitanae;

Reverendus admodum dominus Iosephus Render, praepositus ecclesiae Beverlacensis.

*Theologi a synodo invitati.*

Revendissimus dominus Carolus Newsham, sacrae theologiae doctor, praelatus domesticus sanctissimi domini nostri, rector collegii Sancti-Cuthberti;

Reverendus admodum dominus Guillelmus Weathers, sacrae theologiae doctor, praeses collegii Sancti-Edmundi;

Reverendus admodum dominus Thomas Rooker, sacrae theologiae doctor, praeses collegii Sanctorum Petri et Pauli;

Reverendus admodum pater Ioannes Newman, sacrae theologiae doctor, praepositus congregationis Oratorii Birminghamiensis;

Reverendus dominus Henricus Manning;

Reverendus pater Robertus Cooke.

*Theologi episcoporum.*

Reverendus dominus Ioannes Maguire, sacrae theologiae doctor, adductus ab eminentissimo archiepiscopo;

Reverendus dominus Fredericus Husenbeth, sacrae theologiae doctor, ab episcopo Northantoniensi;

Reverendus dominus Forn, societatis Iesu, ab episcopo Newportensi et Meneviensi;

Reverendus dominus Georgius Morgan, sacrae theologiae doctor, ab episcopo Birminghamiensi;

Reverendus dominus Michael Gibson, ab episcopo Hagulstadensi;

Reverendus dominus Eduardus Cox, sacrae theologiae doctor, ab episcopo Suthwarcensi;

Reverendus dominus Richardus Roskell, sacrae theologiae doctor, ab episcopo Salfordiensi;

Reverendus dominus Iosephus Dixon, sacrae theologiae doctor, ab episcopo Plymuthensi;

Reverendus dominus Ioannes Hall, ab episcopo Salopiensi;

Reverendus dominus Thomas Cookson, ab episcopi Liverpolitani procuratore.

*Secretarii.*

Reverendi domini Rodolphus Bagnall, Alexander Goss, Guillelmus Clifford.

*Caeremoniarii.*

Reverendi domini Ioannes Wheble, Iacobus Moore, Robertus Chapman.

*Cantor.*

Reverendus dominus Ioannes Crookall, canonicus Suthwarcensis.

## PUNCTA ORATIONIS MENTALIS

in tribus sessionibus synodi.

### I.

*Orationis mentalis, in prima sessione, puncta tria.*

I. Fratres carissimi, sincero cordis affectu vosmet ad Deum convertite, et orate pro incolumitate sanctissimi pontificis nostri Pii, ut longitudine dierum adimplens eum, ostendat illi salutare suum et ut ecclesiae suae sanctae pacem, prosperitatem et incrementum concedere benigne dignetur.

II. Fratres carissimi, levate corda vestra, summa devotione, ad Deum misericordiarum patrem, et rogate pro eminentissimo archiepiscopo, et reverendissimis patribus, hic in provinciali synodo coadunatis; ut eos protegat atque conservet; illuminet gratia et inflammet caritate, elargiens ipsis sanctum Spiritum suum Paraclitum, qui eos in omnem ducat veritatem.

III. Fratres carissimi, qui statis in domo Domini, extollite manus vestras in sancta, et deprecamini

faciem omnipotentis Dei, et patris domini nostri Iesu Christi, dicentes: „Domine, ecce nuper venerunt gentes in haereditatem tuam, et polluerunt templum sanctum tuum[1]. Quamobrem, quaecunque propter peccata nostra nobis infligenda disponis, da nobis patienter et demisse tolerare. Percute nos, Domine, si ita velis, a vertice capitis usque ad plantam pedis: sed in hoc uno parce nobis, et retrahe iudicium tuum a nobis, ut oculi nostri non videant, neque audiant aures nostrae, dulcissimi Iesu, filii tui dilecti, sacratissimum corpus sacrilege fuisse profanatum, et pretiosissimum aeterni testamenti sanguinem pedibus impiorum conculcatum. Aufer hoc opprobrium a nobis, Domine, ne dicant gentes: Dereliquit eos Deus eorum; et ne deficiat cor nostrum in amaritudine hac amarissima, panem angelorum, delicias animae nostrae, sanctum sanctorum, despectum et contemptum videns."

## II.

*Orationis mentalis, in secunda sessione, puncta tria.*

I. Fratres carissimi, levate animas vestras ad Deum patrem omnipotentem, orantes ut, in fortitudine brachii sui, ecclesiam suam sanctam regat et protegat; ut omnium inimicorum in eam conatus retundat et irritet; nefaria consilia confundat; odia exstinguat. Dissipet gentes quae bella volunt, et deducat in bonum qui inquirunt pacem. In patria praesertim tollat dissidia, exstirpet errores, lapsos erigat, errantes dirigat, dubios in veritate confirmet. Omnia denique auferat prava; et quae bona et recta sunt largiatur, et augeat.

II. Fratres carissimi, convertite vos, in toto corde vestro, ad pientissimum dominum nostrum Iesum Christum, orantes ut abundantia misericordiae suae ecclesiam sponsam suam, quam ex aperto dulcissimi cordis sui aditu voluit prodire, irriget et fecundet; sed et ut patriam copiosissimo indulgentiae imbre laetificet, fidem praecipue in sanctissimum eucharistiae sacramentum praebens. Ne reminiscaris, suavissime Domine, delicta nostra vel parentum nostrorum, negligentias nostras et teporem, irreverentiam vel temeritatem. Noli recordari, indulgentissime Domine, sacrilegiorum et blasphemiarum quae impio ausu in hoc amoris tui pignus acta vel prolata fuerunt. Sed converte corda filiorum ad patrem, et ignem, quem venisti mittere in terram, inter nos vehementer accende; ut adoremus, ut amemus, ut amplectamur fide et dilectione te, manna absconditum, latitantem Deum; ut qui nunc fame et siti huius convivii languent, credentes reficiantur, et sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae laeti assideant.

III. Fratres carissimi, mentes vestras ad sanctum Spiritum Paraclitum dirigite, orantes ut lucis suae claritate totum mundum perfundat, ubique veritatem tribuens et caritatem. Sed emittat praecipue in terram nostram tenebrosam et opertam mortis caligine sui splendoris radios. Fidem accendat, excitet spem, caritate inflammet corda. Ignorantiam pellat, falsas mentium opiniones auferat, et omnes in unitatem perducat; ut simus omnes unum, sicut ipse cum Patre et Filio unus vivit et regnat, in saecula saeculorum. Amen.

## III.

*Orationis mentalis, in tertia sessione, puncta tria.*

I. Fratres carissimi, state ante thronum Dei, ibique preces vestras piissime fundite, pro patribus qui hanc synodum, Deo inspirante, inchoarunt, et nunc adiuvante absolverunt. Descendant, Domine, de monte ad populos sibi commissos (velut Moyses tabulas legis ferens) splendentes lumine vultus tui, radios tuae caritatis et sapientiae undequaque spargentes. Regrediantur ad sua in pace et in gaudio, aquas quas hic hauserunt in circuitu sui effusuri, ut floreat quasi lilium desertum, et terra eorum velut hortus irriguus.

II. Fratres carissimi, appropinquate ad thronum Dei, et cordis genua ante ipsum flectite, devotissime orantes pro frequenti venerandorum sacerdotum coetu, qui doctrina prudentiaque sua hanc synodum adiuvarunt, moribus ornarunt, virtutibus illustrarunt. Este ut, ipsis absentibus, vineam eorum, sicut pro sancto Isidoro, angeli coluerint, nec inimicus zizania, seminaverit. Et qui ipsis cum Christo vigilantibus, ad nostrum venere consortium, tranquillitatem et pacem, eadem repetentes, imperturbatam inveniant. Sit inter omnes semper, qui nunc est, amor fraternus, vinculum caritatis; et corda, cordibus sociata, unum Dei regnum in terris diligant, appetant in coelis.

III. Fratres carissimi, accedite ad thronum Dei, ibique humiliter postrati, divinae supplicate maiestati ut devotissimum populum huc concurrentem benedicat et foveat, suoque dignetur prosequi favore. Sit illis copia bonorum omnium, coacervata et in sinum supereffluens, totam ditans familiam, laetificans domum. Et non pro iis solum orate, sed et pro cunctis qui veritatem diligunt, sive apprehensam iam teneant, sive assequi desiderent. Tandem, pro omnibus qui nos afflixerunt, vel qui oderunt nos, dominum Iesum Christum supplices deprecemur, ut bona illis pro malis rependat, corda eorum ad se, per veram fidem, convertens; sicque in sacratissimo suo corde, et in immaculato corde Mariae, illos nobiscum iungat, hic et in aeternum: fiat, fiat.

## ACCLAMATIONES

*in fine synodi Oscott. faciendae.*

*Archidiaconus.* Regi saeculorum immortali et invisibili, soli Deo uni et trino, honor et gloria.

*Chorus.* Semper honor, semper gloria tibi, sancta Trinitas; cuius immensae bonitatis consilio, hoc provinciale concilium inchoatum absolutumque est. Non nobis, Domine, non nobis; sed nomini tuo sit gloria.

*Archidiaconus.* Beatissimo domino nostro Pio, sanctae Romanae et universalis ecclesiae summo pontifici, domini nostri Iesu Christi in terris vicario, omnia fausta, cuncta bona.

*Chorus.* Pastorem bonum, vere pium, qui nostram feliciter instauravit hierarchiam, diu incolumem conserva nobis, Domine; tribuens ei omnia desideria cordis sui; congregans ei oves dispersas, ut sit per universum orbem unum ovile, et unus pastor.

*Archidiaconus.* Eminentissimo et reverendissimo archiepiscopo Westmonasteriensi, qui hoc convocavit et celebravit concilium, in laboribus patientia et in christiana virtute profectus.

*Chorus.* Gregem illi commissum custodi, Domine, et continuis adauge incrementis. Fac illum, Domine, dies videre bonos, et pacem super Israel Dei. Coetum etiam patrum cardinalium benedicendo custodi.

*Archidiaconus.* Reverendissimis dominis episcopis, qui ad synodum lubenter convenerunt, magnae gratiae, et felix ad sedes reditus.

*Chorus.* Magnae gratiae. Dominus custodiat introitum eorum, et exitum eorum, mittatque ange-

[1] Ad synodum pervenerat nuntius, nuper a tumultuante, et in catholicos insaeviente turba, apud Stockport, horrendo sacrilegio, sanctissimam eucharistiam fuisse profanatam.

lum suum sanctum, qui eos in itinere comitetur, A et ad sua salvos et sospites reducat. Longitudine dierum adimple eos. Deus, et ostende illis salutare tuum.

*Archidiaconus.* Nostrae provinciae fidelibus, et cuncto populo christiano, in fide orthodoxa et catholica unitate, pax.

*Chorus.* Deduc populum tuum, domine Deus, in semitam mandatorum tuorum, ut serviat tibi in sanctitate, et iustitia, omnibus diebus vitae suae, et illuminans iis qui in tenebris et in umbra mortis sedent, dirige omnium pedes in viam pacis.

*Archidiaconus.* Haec decreta fideliter observantes, et sanctae ecclesiae leges in omnibus custodientes, intercedente beatissima et immaculata Dei genitrice Maria, cum beatis martyribus Georgio et Thoma, et omnibus sanctis, misericordiam a Deo omnipotente, et vitam consequamur aeternam.

*Chorus.* Fiat, fiat! Amen! amen! B

## THE SECOND SPRING.

*Oratio admodum reverendi patris Ioannis Newman.*

We have familiar experience of the order, the constancy, the perpetual renovation of the material world which surrounds us. Frail and transitory as is every part of it, restless and migratory as are its elements, never-ceasing as are its changes, still it abides. It is bound together by a law of permanence, it is set up in unity; and, though it is ever dying, it is ever coming to life again. Dissolution does but give birth to fresh modes of organization, and one death is the parent of a thousand lives. Each hour, as it comes, is but a testimony, how fleeting, yet how secure, how certain, is the great whole. It is like an image on the C waters, which is ever the same, though the waters ever flow. Change upon change,—yet one change cries out to another, like the alternate Seraphim, in praise and in glory of their maker. The sun sinks to rise again; the day is swallowed up in the gloom of night, to be born out of it, as fresh as if it had never been quenched. Spring passes into summer, and through summer and autumn into winter, only the more surely, by its own ultimate return, to triumph over that grave, towards which it resolutely hastened from its first hour. We mourn over the blossoms of may, because they are to wither; but we know, withal, that may is one day to have its revenge upon november, by the revolution of that solemn circle which never stops,—which teaches us in our height of hope, ever to be sober, and in our depth of desolation, never to despair.

And forcibly as this comes home to every one D of us, not less forcible is the contrast which exists between this material world, so vigorous, so reproductive, amid all its changes, and the moral world, so feeble, so downward, so resourceless, amid all its aspirations. That which ought to come to nought, endures; that which promises a future, disappoints and is no more. The same sun shines in heaven from first to last, and the blue firmament, the everlasting mountains, reflect his rays; but where is there upon earth the champion, the hero, the lawgiver, the body politic, the sovereign race, which was great three hundred years ago, and is great now? Moralists and poets, often do they descant upon this innate vitality of matter, this innate perishableness of mind. Man rises to fall: he tends to dissolution from the moment he begins to be: he lives on, indeed, in his children, he lives on in his name, he lives not on in his own person. He is, as regards the manifestations of his nature here below, as a bubble that breaks, and as water poured out upon the earth. He was young, he is old, he is never young again. This is the lament over him, poured forth in verse and in prose, by christians and by heathen. The greatest work of God's hands under the sun, he, in all the manifestations of his complex being, is born only to die. His bodily frame first begins to feel the power of this constraining law, though it is the last to succumb to it. We look at the bloom of youth with interest, yet with pity; and the more graceful and sweet it is, with pity so much the more; for, whatever be its excellence and its glory, soon it begins to be deformed and dishonoured by the very force of its living on. It grows into exhaustion and collapse, till at length it crumbles into that dust out of which it was originally taken.

So is it, too, with our moral being, a far higher and diviner portion of our natural constitution; it begins with life, it ends with what is worse than the mere loss of life, with a living death. How beautiful is the human heart, when it puts forth its first leaves, and opens and rejoices in its spring-tide. Fair as may be the bodily form, fairer far, in its green foliage and bright blossoms, is natural virtue. It blooms in the young, like some rich flower, so delicate, so fragrant, and so dazzling. Generosity and lightness of heart and amiableness, the confiding spirit, the gentle temper, the elastic cheerfulness, the open hand, the pure affection, the noble aspiration, the heroic resolve, the romantic pursuit, the love in which self has no part,—are not these beautiful? and are they not dressed up and set forth for admiration in their best shapes, in tales and in poems? and ah! what a prospect of good is there! who could believe that it is to fade! and yet, as night follows upon day, as decrepitude follows upon health, so surely are failure, and overthrow, and annihilation the issue of this national virtue, if time only be allowed to it to run its course. There are those who are cut off in the first opening of this excellence, and then, if we may trust their epitaphs, they have lived like angels; but wait a while, let them live on, let the course of life proceed, let the bright soul go through the fire and water of the world's temptations and seductions and corruptions and transformations; and, alas for the insufficiency of nature! alas for its powerlessness to persevere, its waywardness in disappointing its own promise! Wait till youth has become age; and not more different is the miniature which we have of him when a boy, when every feature spoke of hope, put side by side of the large portrait painted to his honour, when he is old, when his limbs are shrunk, his eye dim, his brow furrowed, and his hair gray, than differs the moral grace of that boyhood from the forbidding and repulsive aspect of his soul, now that he has lived to the age of man. For moroseness, and misanthropy, and selfishness, is the ordinary winter of that spring.

Such is man in his own nature, and such, too, is he in his works. The noblest efforts of his genius, the conquests he has made, the doctrines he has originated, the nations he has civilized, the states he has created, they outlive himself, they outlive him by many centuries, but they tend to an end, and that end is dissolution. Powers of the world, sovereignties, dynasties, sooner or later come to nought; they have their fatal hour. The Roman conqueror sheds tears over Carthage, for in the destruction of the rival city he discerned too truly

an augury of the fall of Rome; and at length, with the weight and the responsibilities, the crimes and the glories, of centuries upon centuries, the imperial city fell.

Thus man and all his works are mortal; they die, and they have no power of renovation.

But what is it, my fathers, my brothers, what is it that has happened in England just at this time? Something strange is passing over this land, by the very surprise, by the very commotion, which it excites. Were we not near enough the scene of action to be able to say what is going on, — were we the inhabitants of some sister planet possessed of a more perfect mechanism than this earth has discovered for surveying the transactions of another globe, — and did we turn our eyes thence towards England just at this season, we should be arrested by a political phenomenon as wonderful as any which the astronomer notes down from his physical B field of view. It would be the occurrence of a national commotion, almost without parallel, more violent than has happened here for centuries, — at least in the judgments and intentions of men, if not in act and deed. We should note it down that soon after saint Michael's day, 1850, a storm arose in the moral world, so furious as to demand some great explanation, and to rouse in us an intense desire to gain it. We should observe it increasing from day to day, and spreading from place to place, without remission, almost without lull, up to this very hour, when perhaps it threatens worse still, or at least gives no sure prospect of alleviation. Every party in the body politic undergoes its influence, — from the queen upon her throne, down to the little ones in the infant or day-school. The ten thousands of the constituency, the sum total of protestant sects, the aggregate of religious C societies and associations, the great body of established clergy in town and country, the bar, even the medical profession, nay, even literary and scientific circles, every class, every interest, every fireside, gives tokens of this ubiquitous storm. This would be our report of it, seeing it from the distance, and we should speculate on the cause. What is it all about? against what is it directed? what wonder has happened upon earth? what prodigious, what preternatural event is adequate to the burden of so vast an effect?

We should judge rightly in our curiosity about a phenomenon like this: it must be a portentous event, and it is. It is an innovation, a miracle, I may say, in the course of human events. The physical world revolves year by year, and begins again; but the political order of things does not renew itself, does not return; it continues, but it D proceeds; there is no retrogression. This is so well understood by men of the day, that with them progress is idolized as another name for good. The past never returns — it is never a good; — if we are to escape existing ills, it must be by going forward. The past is out of date; the past is dead. As well may the dead live to us, as well may the dead profit us, as the past return. *This*, then, is the cause of this national transport, this national cry, which encompasses us. The past *has* returned, the dead lives. Thrones are overturned, and are never restored; states live and die, and then are matter only for history. Babylon was great, and Tyre, and Egypt, and Nineve, and shall never be great again. The english church was, and the english church was not, and the english church is once again. This is the portent, worthy of a cry. It is the coming in of a second spring; it is a restoration in the moral world, such as that which yearly takes place in the physical.

Three centuries ago, and the catholic church, that great creation of God's power, stood in this land in pride of place. It had the honours of near a thousand years upon it; it was enthroned in some twenty sees up and down the broad country; it was based in the will of a faithful people; it energized through ten thousand instruments of power and influence; and it was ennobled by a host of saints and martyrs. The churches, one by one, recounted and rejoiced in the line of glorified intercessors, who were the respective objects of their grateful homage. Canterbury alone numbered perhaps some sixteen, from saint Augustine to saint Dunstan and saint Elphege, from saint Anselm and saint Thomas down to saint Edmund. York had its saint Paulinus, saint John, saint Wilfrid, and saint William; London, its saint Erconwald; Durham, its saint Cuthbert; Winton, its saint Swithun. Then there were saint Aidan of Lindisfarne, and saint Hugh of Lincoln, and saint Chad of Lichfield, and saint Thomas of Hereford, and saint Oswald and saint Wulstan of Worcester, and saint Osmund of Salisbury, and saint Birinus of Dorcester, and saint Richard of Chichester. And then, too, its religious orders, its monastic establishments, its universities, its wide relations all over Europe, its high prerogatives in the temporal state, its wealth, its dependencies, its popular honours, — where was there in the whole of christendom a more glorious hierarchy? Mixed up with the civil institutions, with king and nobles, with the people, found in every village and in every town, — it seemed destined to stand, so long as England stood, and to outlast, it might be, England's greatness. But it was the high decree of heaven, that the majesty of that presence should be blotted out. It is a long story, my fathers and brothers — you know it well. I need not go trough it. The vivifying principle of truth, the shadow of saint Peter, the grace of the redeemer, left it. That old church in its day became a corpse (a marvellous, an awful change!), and then it did but corrupt the air which once it refreshed, and cumber the ground which once it beautified. So all seemed to be lost; and there was a struggle for a time, and then its priests were cast out or martyred. There were sacrileges innumerable. Its temples were profaned or destroyed; its revenues seized by covetous nobles, or squandered upon the ministers of a new faith. The presence of catholicism was at length simply removed, — its grace disowned, — its power despised, — its name, except as a matter of history, at length almost unknown. It took a long time to do this thoroughly; much time, much thought, much labour, much expense; but at last it was done. Oh, that miserable day, centuries before we were born! What a martyrdom to live in it, and see the fair form of truth, moral and material, hacked piecemeal, and every limb and organ carried off, and burned in the fire, or cast into the deep! But at last the work was done. Truth was disposed of, and shovelled away, and there was a calm, a silence, a sort of peace; — and such was about the state of things when we were born into this weary world.

My fathers and brothers, you have seen it on one side, and some of us on another; but one and all of us can bear witness to the fact of the utter contempt into which catholicism had fallen by the time that we were born. You, alas, know it far better than I can know it; but it may not be out

of place, if by one or two tokens, as by the strokes A of a pencil, I bear witness to you from without, of what you can witness so much more truly from within. No longer the catholic church in the country; nay, no longer, I may say, a catholic community; — but a few adherents of the old religion, moving silently and sorrowfully about, a memorials of what had been. „The Roman catholics;“ — not a sect, not even an interest, as men conceived of it, — not a body, however small, representative of the great communion abroad, — but a mere handful of individuals, who might be counted, like the pebbles and detritus of the great deluge, and who, forsooth, merely happened to retain a creed which, in its day, indeed, was the profession of a church. Here a set of poor Irishmen, coming and going at harvest-time, or a colony of them lodged in a miserable quarter of the vast metropolis. There, perhaps, an elderly person, seen walking in the B streets, grave and solitary, and strange, though noble in bearing, and said to be of good family, and a „Roman catholic“. An old-fashioned house of gloomy appearance, closed in with high walls, with an iron gate, and yews, and the report attaching to it that „Roman catholics“ lived there; but who they were, or what they did, or what was meant by calling them Roman catholics, no one could tell; — though it had an unpleasant sound, and told of form and superstition. And then, perhaps, as we went to and fro, looking with a boy's curious eyes through the great city, we might come to-day upon some Moravian chapel or Quaker's meeting-house, and to-morrow on a chapel of the „Roman catholics“: but nothing was to be gathered from it, except that there were lights burning there, and some boys in white, swinging censers; and what it all meant could only C be learned from books, from protestant histories and sermons, and they did not report well of „the Roman catholics“, but, on the contrary, deposed that they had once had power and had abused it. And then, again, we might, on one occasion, hear it pointedly put out by some literary man, as the result of his careful investigation, and as a recondite point of information, which few knew, that there was this difference between the Roman catholics of England and the Roman catholics of Ireland, that the latter had bishops, and the former were governed by four officials, called vicars-apostolic.

Such was about the sort of knowledge possessed of christianity by the heathen of old time, who persecuted its adherents from the face of the earth, and then called them a *gens lucifuga*, a people who shunned the light of day. Such were catholics in England, found in corners and alleys, and cellars, D and the housetops, or in the recesses of the country; cut off from the populous world around them, and dimly seen, as if through a mist or in twilight, as ghosts flitting to and fro, by the high protestants, the lords of the earth. At length so feeble did they become, so utterly contemptible, that contempt gave birth to pity; and the more generous of their tyrants actually began to wish to bestow on them some favour, under the notion that their opinions were simply too absurd ever to spread again, and that they themselves, were they but raised in civil importance, would soon unlearn and be ashamed of them. And thus, out of mere kindness to us, they began to vilify our doctrines to the protestant world, that so our very idiocy or our secret unbelief might be our plea for mercy.

A *great* change, an *awful* contrast, between the time-honoured church of saint Augustine and saint Thomas, and the poor remnant of their children in the beginning of the nineteenth century! It was a miracle, I might say, to have pulled down that lordly power; but there was a greater and a truer one in store. No one could have prophesied its fall, but still less would any one have ventured to prophesy its rise again. The fall was wonderful; still after all it was in the order of nature; — all things come to nought: its rise again would be a different sort of wonder, for it is in the order of grace, — and who can hope for miracles, and such a miracle as this! Has the whole course of history a like to show? I must speak cautiously and according to my knowledge, but I recollect no parallel to it. Augustine, indeed, came to the same island to which the early missionaries had come already; but they came to Britons, and he to Saxons. The Arian Goths and Lombards too, cast off their heresy in saint Augustine's age, and joined the church; but they had never fallen away from her. The inspired word seems to imply the almost impossibility of such a grace, as the renovation of those who have crucified to themselves again, and trodden underfoot, the Son of God. Who then could have dared to hope that, out of so sacrilegious a nation as this is, a people would have been formed again unto their saviour? What signs did it show that it was to be singled out from among the nations? Had it been prophesied some fifty years ago, would not the very notion have seemed preposterous and wild?

My fathers, there was one of your own order, then in the maturity of his powers and his reputation. His name is the property of this diocese; yet is too great, too venerable, too dear to all catholics, to be confined to any part of England, when it is rather a household word in the mouths of all of us. What would have been the feelings of that venerable man, the champion of God's ark in an evil time, could *he* have lived to see this day? It is almost presumptuous for one who knew him not, to draw pictures about him, and his thoughts, and his friends, some of whom are even here present; yet am I wrong in fancying that a day such as this, in which we stand, would have seemed to him a dream, or, if he prophesied of it, to his hearers nothing but a mockery? Say that one time, rapt in spirit, he had reached forward to the future, and that his mortal eye had wandered from that lowly chapel in the valley which had been for centuries in the possession of catholics, to the neighbouring height, then waste and solitary. And let him say to those about him: „I see a bleak mount, looking upon an open country, over against that huge town, to whose inhabitants catholicism is of so little account. I see the ground marked out, and an ample enclosure made; and plantations are rising there, clothing and circling in the space. And there on that high spot, far from the haunts of men, yet in the very centre of the island, a large edifice, or rather pile of edifices, appears, with many fronts and courts, and long cloisters and corridors, and story upon story. And there it rises, under the invocation of the same sweet and powerful name which has been our strength and consolation in the valley. I look more attentively at the building, and I see it is fashioned upon that ancient style of art which brings back the past, which had seemed to be perishing from off the face of the earth, or to be preserved only as a curiosity, or to be imitated only as a fancy. I listen, and I hear the sound

of voices, grave and musical, renewing the old chant, with which Augustine greeted Ethelbert in the free air upon the Kentish strand. It comes from a long procession, and it winds along the cloisters. Priests and religious, theologians from the schools, and canons from the cathedral, walk in due precedence. And then there comes a vision of well nigh twelve mitred heads; and last I see a prince of the church, in the royal dye of empire of martyrdom, a pledge to us from Rome of Rome's unwearied love, a token that goodly company is firm in apostolic faith and hope. And the shadow of the saints is there: — saint Benedict is there, speaking to us by the voice of bishop and of priest, and counting over the long ages through which he has prayed, and studied, and laboured; there, too, is saint Dominic's white wool, which no blemish can impair, no stain can dim: — and if saint Bernard be not there, it is only that his absence may make him be remembered more. And the princely patriarch, saint Ignatius, too, the saint George of the modern world, with his chivalrous lance run through his writhing foe, he, too, sheds his blessing upon that train. And others, also, his equals or his juniors in history, whose pictures are above our altars, or soon shall be, the surest proof that the Lord's arm hes not waxen short, nor his mercy failed, — they, too, are looking down from their thrones on high upon the throng. And so that high company moves on into the holy place; and there, with august rite and awful sacrifice, inaugurates the great act which brings it thither." What is that act? it is the first synod of a new hierarchy; it is the resurrection of the church. O my fathers, my brothers, had that revered bishop spoken then, who that had heard him but would have said that he spoke what could not be? What! those few scattered worshippers, *the* Roman catholics, to form a church! Shall the past be rolled back? Shall the grave open? Shall the Saxons live again to God? Shall the shepherds, watching their poor flocks by night, be visited by a multitude of the heavenly army, and hear how their Lord has been new-born in their own city? Yes; for grace can, where nature cannot. The world grows old, but the church is ever young. She can, in any time, at her Lord's will, „inherit the gentiles, and inhabit the desolate cities." „Arise, Jerusalem, for thy light is come, and the glory of the Lord is risen upon thee. Behold, darkness shall cover the earth, and a mist the people; but the Lord shall arise upon thee, and his glory shall be seen upon thee. Lift up thine eyes round about, and see; all these are gathered together, they come to thee; thy sons shall come from afar, and thy daughters shall rise up at thy side."

„Arise, make haste, my love, my dove, my beautiful one, and come. For the winter is now past, and the rain is over and gone. The flowers have appeared in our land ... the figtree hath put forth her green figs; the vineo in flower yield their sweet smell. Arise, my love, my beautiful one, and come." It is the time for thy visitation. Arise, Mary, and go forth in thy strength into that north country, which once was thine own, and take possession of a land which knows thee not. Arise, mother of God, and with thy thrilling voice, speak to those who labour with child, and are in pain, till the babe of grace leaps within them! Shine on us, dear lady, with thy bright countenance, like the sun in his strength, o *stella matutina*, o harbinger of peace, till our year is one perpetual may. From thy sweet eyes, from thy pure smile, from thy majestic brow, let ten thousand influences rain down, not to confound or overwhelm, but to persuade, to win over thine enemies. O Mary, my hope, o mother undefiled, fulfil to us the promise of this spring. A second temple rises on the ruins of the old. Canterbury has gone its way, and York is gone, and Durham is gone, and Winchester is gone. It was sore to part with them. We clung to the vision of past greatness, and would not believe it could come to nought; but the church in England has died, and the church lives again. Westminster and Nottingham, Beverly and Hexham, Northampton and Shrewsbury, if the world lasts, shall be names as musical to the ear, as stirring to the heart, as the glories we have lost; and saints shall rise out of them, if God so will, and doctors once again shall give the law to Israel, and preachers call to penance and to justice, as at the beginning.

Yes, my fathers and brothers, and if it be God's blessed will, not saints alone, not doctors only, not preachers only, shall be ours, — but martyrs, too, shall reconsecrate the soil to God. We know not what is before us, ere we win our own; we are engaged in a great, a joyful work, but in proportion to God's grace is the fury of his enemies. They have welcomed us as the lion greets his prey. Perhaps they may be familiarized in time with our appearance, but perhaps they may be irritated the more. To set up the church again in England is too great an act to be done in a corner. We have had reason to expect that such a boon would not be given to us without a cross. It is not God's way that great blessings should descend without the sacrifice first of great sufferings. If the truth is to be spread to any wide extent among this people, how can we dream, how can we hope, that trial and trouble shall not accompany its going forth? And we have already, if it may be said without presumption, to commence our work withal, a large store of merits. We have no slight outfit for our opening warfare. Can we religiously suppose that the blood of our martyrs three centuries ago and since, shall never receive its recompense? Those priests, secular and regular, did they suffer for no end? or rather, for an end which is not yet accomplished? The long imprisonment, the fetid dungeon, the weary suspense, the tyrannous trial, the barbarous sentence, the savage execution, the rack, the gibbet, the knife, the caldron, the numberless tortures of those holy victims, o my God, are they to have no reward? Are thy martyrs to cry from under thine altar for their loving vengeance on this guilty people, and to cry in vain? Shall they lose life, and not gain a better life for the children of those who persecuted them? Is this thy way, o my God, righteous and true? Is it according to thy promise, o king of saints, if I may dare talk to thee of justice? Didst not thou Thyself pray for thine enemies upon the cross, and convert them? Did not thy first martyr win thy great apostle, then a persecutor, by his loving prayer? And in that day of trial and desolation for England, when hearts were pierced through and through with Mary's woe, at the crucifixion of thy body mystical, was not every tear that flowed, and every drop of blood that was shed, the seeds of a future harvest, when they who sowed in sorrow were to reap in joy?

And as that suffering of the martyrs is not yet recompensed, so, perchance, it is not yet exhausted. Something, for what we know, remains to be undergone, to complete the necessary sacrifice. May God forbid it, for this poor nation's sake! But still, could we be surprised, my fathers

and my brothers, if the winter even now should not yet be quite over? Have we any right to take it strange, if, in this English land, the spring-time of the church should turn out to be an English spring; an uncertain, anxious time of hope and fear, of joy and suffering, — of bright promise and budding hopes, yet withal, of keen blasts, and cold showers, and sudden storms?

One thing alone I know, that according to our need, so will be our strength. One thing I am sure of, that the more the enemy rages against us, so much the more will the saints in heaven plead for us; the more fearful are our trials from the world, the more present to us will be our mother Mary, and our good patrons and Angel-Guardians; the more malicious are the devices of men against us, the louder cry of supplication will ascend from the bosom of the whole church to God for us. We shall not be left orphans; we shall have within us the strength of the paraclete, promised to the church and to every member of it. My fathers, my brothers in the priesthood, I speak from my heart when I declare my conviction, that there is no one among you here present but, if God so willed, would readily become a martyr for his sake. I do not say you would wish it; I do not say that the natural will would not pray, that that chalice might pass away; I do not speak of what you can do by any strength of yours; — but in the strength of God, in the grace of the spirit, in the armour of justice, by the consolations and peace of the church, by the blessing of the apostles Peter and Paul, and in the name of Christ, you would do what nature cannot do. By the intercession of the saints on high, by the penances and good works and the prayers of the people of God on earth, you would be forcibly borne up as upon the waves of the mighty deep, and carried on out of yourselves by the fulness of grace, whether nature wished it or no. I do not mean violently, or with unseemly struggle, but calmly, gracefully, sweetly, joyously, you would mount up and ride forth to the battle, as on the rush of Angels' wings, as your fathers did before you, and gained the prize. You, who day by day offer up the immaculate lamb of God, you who hold in your hands the incarnate word under the visible tokens which he has ordained, you who again and again drain the chalice of the great victim; who is to make you fear? what is to startle you? what to seduce you? who is to stop you,

A whether you are to suffer or to do, whether to lay the foundations of the church in tears, or to put the crown upon the work in jubilation?

My fathers, my brothers, one word more. It may seem as if I were going out of my way in thus addressing you; but I have some sort of plea to urge in extenuation. When the english college at Rome was set up by the solicitude of a great pontiff in the beginning of England's sorrows, and missionaries were trained there for confessorship and martyrdom here, who was it that saluted the fair saxon youths as they passed by him in the streets of the great city, with the salutation „*Salvete flores martyrum*". And when the time came for each in turn to leave that peaceful home, and to go forth to the conflict, to whom did they betake themselves before leaving Rome, to receive a blessing which might nerve them for their work?

B They went for a saint's blessing; they went to a calm old man, who had never seen blood, except in penance; who had longed, indeed, to die for Christ, what time the great saint Francis opened the way to the far east, but who had been fixed as if a sentinel in the holy city, and walked up and down for fifty years on one beat, while his brethren were in the battle. Oh! the fire of that heart, too great for its frail tenement, which tormented him to be kept at home when the whole church was at war! and therefore came those bright-haired strangers to him, ere they set out for the scene of their passion, that the full zeal and love pent up in that burning breast might find a vent, and flow over, from him who was kept at home, upon those who were to face the foe. Therefore one by one, each in his turn, those youthful soldiers came to the old man; and one by one they

C persevered and gained the crown and the palm, — all but one, who had not gone, and would not go, for the salutary blessing.

My fathers, my brothers, that old man was my own saint Philip. Bear with me for his sake. If I have spoken too seriously, his sweet smile shall temper it. As he was with you three centuries ago in Rome, when our Temple fell, so now surely when it is rising, it is a pleasant token that he should have even set out on his travels to you; and that, as if remembering how he interceded for you at home, and recognizing the relations he then formed with you, he should now be wishing to have a name among you, and to be loved by you, and perchance to do you a service, here in your own land.

## DECRETA SYNODI.

### I. *De aperienda synodo.*

In nomine sacrosanctae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Nos, Nicolaus, miseratione divina sanctae Romanae ecclesiae titulo Sanctae Pudentianae presbyter cardinalis Wiseman, archiepiscopus Westmonasteriensis, ad laudem et gloriam Dei omnipotentis, et salvatoris nostri Iesu Christi, ad honorem beatissimae et immaculatae virginis Dei genitricis Mariae, beatorum apostolorum Petri et Pauli, sanctorum martyrum Thomae et Georgii, et omnium sanctorum, ad aedificationem ecclesiae Dei, ad corrigendos abusus, pietatem fovendam et zelum animarum augendum tam in clero quam in populo;

Statuimus et decernimus, de consilio et consensu illustrissimorum ac reverendissimorum dominorum episcoporum Angliae, hoc ipso die, qui est sextus mensis iulii huius anni 1852, Deo adiuvantte, initium fieri, et iam factum esse huius synodi pro-

D vincialis Angliae, apud collegium Sanctae Mariae de Oscott, quam ad hunc diem et locum convocavimus et indiximus, per litteras nostras datas die secundo mensis februarii proxime elapsi. Faxit Deus, ut quidquid a nobis in hoc concilio coeptum absolutumque fuerit, ad ipsius honorem, ad ecclesiae commodum, et ad animarum salutem recte fiat, et maxime proficiat.

### II. *De methodo vitae in synodo servanda.*

Cum neque qui plantat neque qui rigat aliquid valeat, sed solus qui incrementum dat, Deus[1], cumque ex ipso omnis nostra sufficientia, sine quo neque aliquid boni cogitare ex nobis possumus, omne nostrum studium est in eo ponendum, ut Spiritus sanctus illuminet corda nostra, nostrasque deliberationes ad felicem exitum perducat: quamobrem, iniungimus omnibus qui huic synodo inter-

[1] II Cor. III, 7.

venerunt, ut in ipsa sic vivant, quasi Deo placere studeant, sine intermissione orantes ut copiosa Domini nostri gratia in nos iugiter descendat. Mane igitur omnes sacris meditationibus vacent, et vel incruentam hostiam Deo offerant, vel se coelesti hoc cibo quotidie reficiant. In claustris et aulis non audiatur clamor, nec multorum inter se colloquentium sonus, vel deambulantium, strepitus. Sit etiam in recreatione conspicua gravitas incessus, vultus et verborum: ut si quis loquitur, quasi sermones loquatur Dei[1]; neque, a Domino legem severiorem accepturi, veluti Israel in deserto, ludentes deprehendamur, atque ab ipso corripi mereamur.

Mensa sit omnibus synodo assistentibus communis, simplex et frugalis, quae veluti salis spiritualis condimento, lectione sanctae scripturae, et canonum sacrosanctae Tridentinae synodi, reficiatur.

Vespere, hora praefinita, omnes ad examen conscientiae precesque consuetas conveniant. Benedictio quoque sanctissimi sacramenti, quando patribus placuerit, impertietur.

Tandem in congregationibus sit omnibus concessa facultas sententiam libere proferendi: ita tamen ut debitae reverentiae et modestiae limites non excedant. Omnia vero in caritate fiant, cuius vinculum indissolubiliter omnium nostrum corda in pace Christi debet colligare. Neque quis prolixis sermonibus synodi moretur tempora; sed quidquid dicendum, breviter et simpliciter proferatur, incipiendo a iuniore, et sic ad provectiores progrediendo.

*III. De non praeiudicando.*

Cum, in prima hac praesertim synodo, contingere possit ut aliquis error irrepat circa ordinem in quo sedere vel loqui unusquisque debeat, vel circa titulum, honorem seu praeeminentiam alicui debitam, aut locum ei assignandum; idcirco, ad omnem praecavendam in posterum quaestionem vel praetensionem, declaramus neminem per huiusmodi errorem ius vel acquisiturum vel amissurum, sed omnia iura unicuique manere, ac si nihil hac in re in synodo actum fuisset. Neque si quis praeter ius ad synodum vocatus, vel in eam admissus fuerit, aliquod ei posthac privilegium accrescet.

*IV. De officialibus synodi.*

Ut vero omnia secundum ordinem fiant, et ut huius synodi actus recte ac legitime perficiantur, sequentes eligimus ad officia ipsis hic attributa. Sint ergo:

Promotor, illustrissimus et reverendissimus dominus episcopus Suthwarcensis.

Secretarii, reverendi domini Rodolphus Bagnall, Alex. Goss, et Guillelmus Clifford.

Caeremoniarii, reverendi domini Ioan. I. Wheble, Iacobus Moore, Rob. Chapman.

Cantor, reverendus dominus Ioannes Crookall.

Notarius, dominus eques Georgius Bowyer.

*V. De iudicibus in causis personalibus constituendis.*

Ne vero haec synodus tempus insumat in audiendo causas quae personarum iura vel actus respiciant, sicque a gravioribus negotiis distrahatur; huiusmodi causarum iudices constituimus illustrissimos et reverendissimos dominos episcopos Beverlacensem et Birminghamiensem; quorum erit de absentium excusationibus, deque causis discessus ante synodum dimissam, plene inquirere, nobisque referre.

*VI. De non discedendo.*

Omnibus denique et singulis, qui ad hanc synodum convenerunt, districte praecipimus, etiam virtute sanctae obedientiae, et sub poenis in iure latis, ne hinc discedant ante finem synodi, et subscriptionem decretorum, nisi patribus visum fuerit, ob causas sibi allegatas, alicui permissionem discedendi concedere.

[1] I Petr. IV, 11.

*VII. De fide orthodoxa.*

1. Cum, docente apostolo, sine fide impossibile sit placere Deo[1], cumque ipsa fides, testante sancta Tridentina synodo, sit „humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis“[2]: idcirco, ante omnia tenenda ac inviolabilis custodienda est sana et orthodoxa fides, quam tenet semperque tenuit sancta ecclesia catholica. Quidquid igitur in conciliis oecumenicis definitum fuit, praesertim vero omnia et singula quae a sacrosancta Tridentina synodo sancita, definita vel promulgata sunt, summa animi reverentia et amore amplectimur, confitemur, et usque ad extremum spiritum intemerata servare, Dei adiuvante gratia, intendimus. Omniaque prava dogmata, omnesque haereses et errores in dictis conciliis damnatos, nos pariter reiicimus et condemnamus.

2. Sed cum Dominus nos per prophetam adhortetur, dicens: „*Attendite ad petram unde excisi estis; attendite ad Abraham, patrem vestrum,*“[3] aequum est nos, qui immediate ab apostolica sede fidem, sacerdotium veramque religionem accepimus, eidem plus caeteris amoris et observantiae vinculis adstringi. Fundamentum igitur verae et orthodoxae fidei ponimus quod dominus noster Iesus Christus ponere voluit, inconcussam scilicet Petri cathedram, totius orbis magistram et matrem, sanctam Romanam ecclesiam. Quidquid ab ipsa semel definitum est, eo ipso ratum et certum tenemus: ipsius traditiones, ritus, pios usus et omnes apostolicas constitutiones disciplinam respicientes toto corde amplectimur et veneramur. Summo denique pontifici obedientiam et reverentiam, uti Christi vicario, ex animo profitemur, eique arctissime in catholica communione adhaeremus.

3. Cum igitur nostris hisce temporibus hisque in regionibus novam induerit error larvam, et in veniantur non pauci, qui doctrinas ecclesiae se tenere profiteantur, ritus et praxim imitentur, et proinde sese, quamvis a societate sponsae Christi divulsos, catholicos vocitent et simpliciores fallaci spe deludant, se extra ecclesiam salutem consecuturos; huiusmodi errori, veluti tutissimum fidei scutum, opponenda est doctrina unitatis ecclesiae, et inviolabilis communionis necessario habendae cum centro unitatis. Caveant igitur qui cum huiusmodi viris vel scriptis vel coram tractant, ne illos in suo errore confirment. Sed potius cum Hieronymo semper clamemus: „*Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est; si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.*“[4]

*VIII. De modis tuendi fidem.*

Oportet eos qui aedificant civitatem Dei, ita semper ad operis sui praesidium esse accinctos, quemadmodum de populo Hebraeorum, iam a captivitate reduce, legimus: „*Una manu sua faciebat opus, et altera tenebat gladium, aedificantium enim unusquisque gladio erat accinctus renes.*“[5] Sic in colluctatione quam habemus, non quidem adversus carnem et sanguinem, sed adversus spiritus nequitiae[6], duplex veluti opus nobis incumbit: ut

[1] Hebr. XI, 6.
[2] Conc. Trid., sess. VI, *de iustif.*, cap. 8.
[3] Is. LI, 1.
[4] S. Hieron. *ep. 15 ad Damas.* [opp., ed. Migne, I, 355.]
[5] II Esdr. IV, 17.
[6] Eph. VI, 12.

scilicet et nostros per pietatem et virtutem, uti A vivos et electos lapides, in aedificationem corporis Christi pacifice instituamus, et interea quidquid nocere possit, impavidi ab eis arceamus. Quod quidem nostri officii munus recentioribus temporibus magis nos urget, cum infestus hostis Iesu Christi ovile circuit, quaerens quem devoret, et nunc quidem oves vi rapere, nunc vero subtili calliditate conatur seducere.

1. Prima igitur nostra sollicitudo sit de puerorum educatione procuranda. Sacerdotes Domini imprimis hortamur, ut scholas numero puerorum et puellarum in sua congregatione sufficientes erigant, vel si iam erectae satis amplae non sint, augeant, seu multiplicent. Fideles pariter per viscera misericordiae Iesu Christi precamur et supplicamus, ut in hoc opere sacerdotes adiuvent, cum nullo modo melius sibi, coram Deo, consulere poterunt, quam parvulorum in fide et pietate institutionem promo- B vendo. In hisce scholis doctrina christiana, seu catechismus approbatus, omnibus catholicis tradatur: neque sacerdos aliis, quamvis alioquin bonis et religiosis viris, hoc officium ita committat, ut ipse saepius scholas non invisat, et teneris iuniorum animis verae fidei et pietatis principia insinuet.

2. Obsistant sacerdotes, omni quo licet modo, inimicorum conatibus, quibus nituntur catholicos seducere, ut liberos ad scholas heterodoxas mittant. Saepe inter praedicandum agant de necessitate fidei, de parentum in filios officiis, deque ratione Deo in districto suo iudicio reddenda, si ipsorum culpa perierint. Sed praecipue in sacro tribunali eos ab impio animarum sibi creditarum commercio deterreant, monentes quam acriter Deus per prophetam in Israel minas intentaverit, *„eo quod vendiderit pro argento iustum, et pauperem pro calceamentis*[1];" quanto magis (ipsi recte argumentabuntur) parenti- C bus irascetur, qui pro mercede, vel pro vestibus sibi aut filiis donandis, prolem ad scholas acatholicas, cum periculo saltem labefactandae fidei, non dubitant mittere. Excitent etiam zelum catholicorum, qui eleemosynas copiosius elargiendo, saepe parentes miserabiles ab hoc scelere poterunt cohibere.

3. Praeter traditionem catechismi quae quotidie in scholis fit, quavis die dominica, publice in ecclesia habeatur catechesis, in qua mysteria fidei, Dei ecclesiaeque praecepta, et doctrina sacramentorum plane et aperte explicentur. Et quidem studeat sacerdos, ut dum ad parvulorum captum se demittit, verba tamen scientibus non onerosa proferat: imo gravitate eloquii, copiosis et aptis sacrae scripturae locis, et exemplis sanctorum, concinne ad illustrationem sermonis allatis, etiam adultos ad audiendum et discendum inducat.

4. Cum mirum in modum disseminentur ubique, et ipsis catholicorum domibus introducantur, aut etiam eorum manibus inserantur pessimi libelli, in religionem catholicam invehentes, vel eam calumniis, mendaciis et conviciis impugnantes, moneantur fideles, ut ab ipsis legendis sese abstineant; imo ut eos a se penitus reiiciant, revocatis in eorum mentes poenis ab ecclesia indictis contra legentes huiusmodi libros. Sed quo melius huic occurratur pesti, provideat sacerdos librorum piorum et aedificationem praebentium copiam, seu ad captum suorum comparatam bibliothecam, ex qua etiam pauperes et rudiores utilem scientiam haurire valeant, libris ad tempus ipsis praestitis. Disseminentur etiam inter illos, quantum fieri potest, opuscula pia, quae quotidie a nostris typis mandantur.

[1] Amos II, 6.

5. Quod vero de scholis pauperibus destinatis decrevimus, id etiam ad alias scholas in quibus honestae conditionis pueri educantur, volumus applicari. Moneat scilicet parentes sacerdos, ut liberos ad eiusmodi scholas non mittant, ubi cum religionis dispendio vel periculo, scientia mere mundana ipsis traditur.

### *IX. De professione fidei emittenda.*

Iuxta sanctae Tridentinae synodi decreta[1] et summorum pontificum constitutiones[2], praecipimus ut qui ad infra recensita munera designantur, professionem fidei a Pio IV editam[3], prompte et intra terminos praescriptos, emittant, scilicet:

1. Episcopi in prima provinciali synodo cui interfuerint; quod nos praestare non negleximus;
2. Vicarii generales;
3. Canonici post nominationem, in ipso capitulo, B et infra bimestre in manibus episcopi;
4. Rectores ecclesiarum aliive curam animarum habentes;
5. Professores sanctae theologiae et philosophiae in seminariis et collegiis.

### *X. De hierarchia ecclesiastica.*

Quidquid emolumenti ex hac synodo in nostras dioeceses dimanaturum confidimus, id imprimis a restaurata hierarchia ecclesiastica est procul dubio repetendum. Vix enim erat sperandum, manente antiquiore regiminis forma, episcopos synodali conventu fore adunandos, et ea qua par est auctoritate, de rebus ecclesiasticis decreta laturos. Solemni igitur modo Deo agendae sunt gratiae, qui non fecit taliter omni nationi, sed nobis tam praeclarum munus et insigne sui amoris pignus impertitus est.

C Sed etiam sanctissimo domino Pio divina providentia papae IX devotissimo cordis affectu sunt grates rependendae, cuius in nos propensi et paterni animi argumentum inde accepimus, quod ad nostras clerique preces inclinatus, diu anxieque speratam hierarchiam benignissime concesserit. Antequam igitur hoc concilium absolvatur, volumus ut litterae ad sanctissimum dominum conscribantur, atque ab omnibus patribus subscribantur, in quibus unus omnium nostrum filialis affectus reverenter exprimatur, et grati nostri animi testimonium, pro hoc praesertim beneficio, ad ipsum deferatur.

### *XI. De capitulis cathedralibus.*

Quamvis ab apostolica sede, per breve apostolicum die 19 novembris 1850 datum, concessum benignissime fuerit, ut unusquisque episcopus capitulum erigere valeret, iamque in unaquaque fere D dioecesi, virtute concessionis huiusmodi, capitulum legitime constitutum existat, placuit tamen ut ad pleniorem huius institutionis cognitionem hic apponantur, ac in perpetuum mansurae recolantur leges ac alia illuc pertinentia, iam quidem decretis sanctae congregationis de Propaganda fide, die 21 aprilis anni currentis 1852 plene approbata; quorum decretorum tenor actis huius synodi adnectetur[4].

1. Capitulum constabit ex decem canonicis, et una dignitate.
2. In dioecesi tamen Plymuthensi poterit constare ex minori numero, attenta sacerdotum inopia.
3. In dioecesi Newportensi et Menevensi capitulum cathedrale idem erit ac capitulum monasticum ab Anglo-Benedictinis in ea dioecesi erigendum.

[1] Conc. Trid., sess. XXIV, *de ref.*, cap. 1 et cap. 12.
[2] Pius IV in bulla *In sacrosancta*, die 13 nov. 1564.
[3] Pius IV in bulla *Iniunctum nobis*, die 13 nov. 1564.
[4] Vide appendicem, n. I, II, III, IV, V, VI.

4. Cum praeter dioeceses Suthwarcensis, Birminghamensis, Salfordiensis et Nottinghamensis nullae aliae Angliae dioeceses ecclesiis gaudeant quae cathedrales dici mereantur, in qualibet alia dioecesi episcopus designabit ecclesiam vice cathedralis provisoria ratione constituendam, donec idoneum templum, Deo favente, provideatur, ac cathedralis ecclesia designetur, ac in perpetuum constituatur.

5. Dignitas in singulis capitulis *praepositi* titulo distinguetur.

6. Designandi etiam sunt in unoquoque capitulo canonici theologus et poenitentiarius: qui post primam nominationem, episcopo concessam, ad tramites sacrorum canonum eligantur. Canonicus poenitentiarius, quoad fieri potest, penes ecclesiam cathedralem moretur. Theologus vero suo fungetur munere loco ac diebus per episcopum designandis, ad tramites sacrorum canonum: item episcopus argumentum praefiniet.

7. Regula pro canonicis designandis haec erit. Post primas electiones, virtute commemorati brevis apostolici ab episcopis libere effectas, in posterum, observata distinctione mensium circa collationem sanctae sedis rescripto peragendam, in reliquis mensibus, alternis vicibus nominatio fiat, vel libere per episcopum, vel per capitulum, ea tamen ratione ut quoties propositio ad capitulum pertineat, tres ecclesiastici viri semel, iterum et tertio episcopo exhibeantur, ut idoneus et undequaque commendatus ab eodem canonicus instituatur; aliter electio libere ad episcopum pertineat.

8. Cum desint inter nos canonicales praebendae, et canonici vel animarum curae, vel iuventutis institutioni in seminariis vacare ut plurimum debeant, ipsi canonici ab onere residentiae, et sacra officia in cathedrali peragendi, auctoritate pontificia eximuntur; dummodo quolibet mense semel chorum adire, et divina officia peragere diebus per episcopum ineunte anno designandis, habita ratione, si fieri possit, solemnioris alicuius festi in eodem mense incidentis, canonici teneantur. Ea vero occasione capitulares conventus haberi poterunt. Episcopus vero praefiniet quando apud ipsum sit conventus habendus, praesertim pro negotiis circa quae, ex sanctis canonibus, capituli sententia est exquirenda. Episcopi vero assensus obtinendus, cum extraordinario canonici convenire ad capitulum velint.

9. Nulla impraesentiarum erit inter canonicos ordinum distinctio, seu divisio in presbyteros et diaconos.

10. Cum congruum admodum existat, ut qui in ecclesiae senatum, consiliarios episcopi, ac praecipuos adiutores eiusdem pro administratione dioeceseos assumuntur, habitu quoque, aliqua ratione, distinguantur; canonici, ex concessione pontificia, nulla facta distinctione dioeceseos aut gradus, supra superpelliceum assument mozzettam nigri coloris, non tamen sericam, iuxta formam ab eminentissimo archiepiscopo designatam.

11. Canonicos mere titulares, sive, ut aiunt, honorarios, designari prohibemus.

12. Tandem exacte observari praecipimus statuta capitularia, quae in hac synodo lecta et approbata sunt.

### *XII. De modo commendandi ad episcopatum.*

Si, ob praeeminentiam qua pollent, ac officium quo in dioecesi funguntur, canonici toti clero vitae honestate, pietate, doctrina ac zelo praefulgere debeant, quanto magis ipsos convenit omni virtutum genere esse ornatos, quibus competit quodammodo ipsum regimen ecclesiae pastore viduatae, et munus certe praeclarum a sancta sede benignissime concessum, ipsi commendandi, quos ad onus episcopale digne promovendos in Domino censuerint. Pro quo tam insigni beneficio, clero ad nostras preces collato, nos in hac synodo congregati sanctissimo domino nostro Pio [papae] IX humillime ac devotissime gratias reddendas volumus, in epistola quae ipsius concilii provincialis acta comitabitur.

1. Defuncto igitur episcopo, post iusta funebria rite soluta, convenient canonici, praeside praeposito, ac omnia peragent, quae a iure praescribuntur pro electione vicarii capitularis, quae infra octo dies locum habere debet.

2. Infra mensem vero (vel, si agatur extra casum mortis episcopi de eligendo antistite, cum convocantur), capitulariter dignitarius et canonici illius ecclesiae conveniant, sub praesidentia archiepiscopi, vel, ipso impedito, aut si de archiepiscopatu vacante agatur, episcopi senioris, qui tamen nullam in actu partem habeat; ibique ad commendationem procedant, ad normam instructionis hac super re a sacra congregatione de Propaganda fide die 21 aprilis anni currentis emissae et actis huius synodi subiiciendae[1].

3. Tunc, prout ibidem legitur, actus capitularis transmittendus est ad archiepiscopum, vel ad suffraganeum antiquiorem, ut coetus episcopalis, consiliis collatis, circa tria nomina, alphabetico ordine conscripta, ad sacram congregationem referat, annexo suo de singulis commendatis iudicio.

4. Si quis canonicus legitime impediatur, ne ad capitulum accedat, in quo huiusmodi commendatio est facienda, licebit ei, per procuratorem, de gremio capituli electum, tres schedas mittere, quae nomina et praenomina commendandorum contineant.

5. Hanc vero commendandi facultatem ita benigne concessioni sanctae sedis acceptam referimus, ut nullatenus praetendi possit ius aliquod eligendi vel proponendi; sed ipsi summo pontifici liberum erit, quoties expedire iudicaverit, suo uti iure eligendi alterum praeter commendatos.

### *XIII. De regimine congregationum seu missionum.*

Restituta a sanctissimo domino nostro hierarchia ecclesiastica, consentaneum omnino est ut regiminis forma ipsi conveniens, quantum locorum circumstantiae sinant, restauretur. Quod quidem non omni ex parte fieri potest; neque enim paroecias circumscribere vel canonice instituere licet, tum ob locorum ubi existunt ecclesiae inter se distantiam, tum quod, multis in casibus, ecclesiarum loco, missionibus inserviant oratoria virorum laicorum aedibus annexa, necnon alias ob causas quas hic enumerare supervacaneum videtur. Quapropter, archiepiscopi et episcopi supplicandum censuerunt sanctissimo domino nostro, ut dignaretur concedere ac sancire formam regiminis ab ipsis propositam, per quam et incommoda recensita evitarentur, et parochialis regiminis methodus paulatim introduceretur. Quibus nostris precibus sanctissimus annuit, ut patet ex decreto a sacra congregatione de Propaganda fide, die 21 aprilis anni currentis emisso: cuius tenor actis huius synodi adiicietur[2].

1. Huius igitur vigore, donec a sancta sede aliter provideatur, in singulis dioecesibus, auctoritate episcopi, de consilio tamen capituli, ecclesiae nonnullae seligantur, quae magis aptae videntur, ut ad instar paroeciarum haberi possint.

2. Iis ordinarie praeficiatur sacerdos qui titulum habeat rectoris missionarii, qui ecclesiae et animarum curam gerat, quemadmodum caeteri

[1] Vide appendicem, n. VII.
[2] Vide appendicem, n. VIII.

ecclesiis in Anglia praepositi: sed permanenter institutus habeatur.

3. Episcopus, in dioecesana synodo, seligat quinque probatissimos presbyteros, qui commissionem investigationis constituant, atque unus ex his commissioni ipsi, per episcopum, praeficiatur.

4. Rector missionarius permanenter institutus definitive deiici non poterit, nisi tribus saltem ex memorata commissione ad causae examen adhibitis, atque eorum consilio accepto.

De modo procedendi in huiusmodi investigatione providebitur per aliquod statutum, quod ab episcopis nonnullis in synodo deputandis praeparabitur, ac sanctae congregationi pro approbatione submittetur[1].

5. Ad praecavendas quaestiones quae insurgere possent, declaramus quod, non obstante rectoris missionarii deputatione, licebit episcopo, de consilio capituli, intra limites missionis cui praeponitur, novas ecclesias condere, ac portionem districtus iisdem attribuere, si necessitas aut utilitas populi fidelis id requirat. Huiusmodi autem limites quantocius episcopi definiri curent.

In ceteris ecclesiis seu missionibus, simplices missionarii, ad nutum episcopi amovibiles, curam animarum habebunt, intra limites unicuique missioni ab episcopo pro tempore assignatos; ubi vero contingit nullos tales limites ab episcopo designatos esse, volumus mediam distantiam, quantum fieri potest, inter ecclesias viciniores, pro limitibus inter ipsas missiones haberi.

6. Quodsi duo vel plures sint sacerdotes in eadem missione, decernimus, unum tanquam primum designandum, qui gerat curam animarum et administrationem ecclesiae seu congregationis.

*XIV. De vicariis generalibus, aliisque personis regimini ecclesiastico addictis.*

1. Convenit ut in unaquae dioecesi nominetur vicarius generalis, cui per scripta delegandae erunt facultates, quae episcopo visae fuerint; quique, eo absente vel impedito, negotiis ecclesiasticis possit providere, eique adiumentum in regenda ecclesia praebere.

2. Praeter vicarium generalem, poterit episcopus etiam alios vicarios foraneos, seu, prout in Anglia nuncupari solebant, et nunc vulgari sermone dicuntur, *rural deans* (decanos rurales) nominare, cum delegatione scripta quarumdam, quas expedire iudicaverit, facultatum, in certo quodam districtu exercendarum.

3. Vicarii foranei erit praesidere conventibus, vel collationibus de casibus moralibus seu liturgicis, in territorio sibi demandato, infirmis sacerdotibus curam impendere, bonorum ecclesiasticorum administrationi invigilare, curare ut sacra aedificia sarta tecta serventur, ac episcopo seu vicario generali quae correctione egeant referre.

4. Expedit praeterea, ut episcopus viros prudentes, sive de gremio capituli, sive de clero, eligat, ut ipsum in administratione temporali dioeceseos adiuvent. Horum consilium frequenter adhibeat, ut legata pia optimo modo administrentur, ac tuto serventur; atque fidelium collectae sapienter et proficue, ac sine partium studio distribui et applicari valeant.

5. Singuli episcopi, etiam in synodo dioecesana proxime habenda, designent pro suis dioecesibus examinatores synodales.

6. In eadem etiam, quinque spectatissimos presbyteros seligant, qui commissionem investigationis constituant, de qua supra, cap. 13, actum est. Congruum etiam videtur ut horum duo e gremio capituli, reliqui tres de clero assumantur.

7. Unusquisque episcopus habeat suum archivistam, qui debeat custodire omnia instrumenta, et alia documenta ad dioecesim spectantia, et exempla habeat instrumentorum, ne ipsa originalia in alienas manus incidant; et registrum omnium instrumentorum dioeceseos teneat.

*XV. De sacramentis in genere.*

Cum dominus noster Iesus Christus in sacramentis gratiae copiam, in vitam aeternam superefluentem, ponere dignatus sit, nihil ecclesiae sacerdotibus magis cordi esse debet, quam ut fideles semper aquas in gaudio hauriant de hisce fontibus Salvatoris. Sed cum nihil sanctius, nihil augustius huiusmodi institutionibus, sollicite et enixe cavendum, ne quid negligentiae vel irreverentiae, in eisdem pertractandis, admittatur. Casta caste, sancta sancte, divina, quantum humana id sinat fragilitas, perfecto mentis totiusque animae affectu peragenda. Nihil quod eorum administrationem spectat, sive ritus, sive verba, sive loci temporisque adiuncta, parvi est faciendum; sed potius etiam minutissima quaeque ab ecclesia praescripta magni ponderis sunt reputanda, ac summa diligentia observanda. Quamobrem, si propter locorum circumstantias difficile, aut ferme impossibile sit, sacramentorum administrationem eo, quo par est, splendore et exteriore cultu perficere, eo ipso magis studere debemus, ut interiori animae devotione huiusmodi defectui suppleamus, ac fidelium recipientium seu assistentium mentes ad ardentiorem pietatem inflammemus. Propterea, quae sequuntur statuenda censemus.

1. Cum locus congruus sacramentorum administrationi sit ecclesia, curet sacerdos ut illuc veniant qui eadem suscipere desiderant; noscantque omnes certas horas, et locum singulis sacramentis destinatum; ut ita confusio evitetur. Non tamen recuset, quotiescunque petantur, praecipue si vel necessitas urgeat, vel periculum immineat quod non sint rediturі petentes, si repellantur.

2. Ad reverentiam sacramentis conciliandam summopere praestat, ut sacerdos vestibus convenientibus indutus ea ministret, superpelliceo scilicet et stola; nisi necessitas aliter suadeat, vel loci aut temporis circumstantiae non sinant.

3. Opportunam etiam ex ipsa sacramenti administratione occasionem arripiat, doctrinam ecclesiae de sacramentis, generatim sive in specie, plane et simpliciter circumstantibus explicandi. Non raro, de eorum fructibus et natura populum sibi commissum fideliter instruat, utens maxime catechismo Romano ad parochos, veluti fundamento quodam instructionis tradendae.

4. Studeat etiam munditiem et nitorem in iis omnibus servare, quae in sacramentorum administratione adhibenda sunt, ut inde fidelium reverentia magis augeatur.

5. Tandem rubricis ad amussim inhaereat, easque accurate observet.

*XVI. De baptismo.*

Cum inter protestantes nullum sit dogma quod magis, hisce temporibus, corruptum evaserit, quam quod de parvulorum regeneratione per baptismum tractat; oportet ut eo magis sana et clara ecclesiae doctrina hac super re perspicue et saepe tradatur. Sed et ipsa tanti sacramenti administratio maximo decore perfici debet. Proinde sequentia praecipimus observari:

1. In unaquaque ecclesia, cui annexa est cura animarum, sit fons baptismalis, nisi ad tempus

[1] Vide appendicem, n. IX, X.

dispensaverit episcopus, in loco conspicuo et conveniente positus; in quo aqua baptismalis iugiter servetur. Sit decenter ornatus, clave obseratus, et, si locus sinat, cancellis inclusus. Commendamus igitur observantiam regularum quas circa modum custodiendi fontem baptismalem sanctus Carolus Borromaeus tradidit[1]. Monemus etiam, baptisma haud esse administrandum aqua non benedicta, vel benedicta pro alio usu sacro, excluso necessitatis casu, uti a Benedicto XIV explicatur constitutione *Inter omnigenas*, § 20[2]. Insuper notandum quod, ubi parochi, seu rectores missionarii habentur, ad ipsos solemnis baptismi collatio spectat, idque ex eorum venia alii sacerdotes praestant.

2. Oleum catechumenorum et sanctum chrisma, necnon, si placet, sal, et alia ad baptismi administrationem requisita, in baptisterio, vel saltem in sacrario, seorsim, et cum omni reverentia et summa cum munditie asserventur. In novis ecclesiis aedificandis praeparetur locus in quo recondantur, in ipso baptisterio.

3. Liber item baptizatorum a sacerdote sedulo et caute in sacrario servetur, in quo baptizatorum necnon patrini ac matrinae nomina ab ipso sacerdote, forma iniuncta, conscribantur; et uniformitas in iis conscribendis per totam provinciam obtineatur.

4. Baptismus in sola ecclesia debet administrari, nisi in casibus in rituali exceptis, et quidem, secluso casu periculi, vel gravis incommodi, non sine episcopi permissu. Excipiuntur baptismata quae in stationibus a principali ecclesia seu sacello remotis administrantur, quando eas sacerdos, statutis quibusdam temporibus, vel vocatus, invisit.

5. Non admittantur patrini vel matrinae qui non sint catholici, vel qui a iure excluduntur: nimirum, impuberes, excommunicati maiori excommunicatione, nondum confirmati, qui paschalis communionis praeceptum non adimpleant, demum ecclesiastici. Curet sacerdos ut, propter periculum fidei infantium, facile obventurum post mortem parentum, ambo, quoties fieri possit, adhibeantur.

6. Baptizare potest sacerdos infantes parentibus acatholicis natos, dummodo consensus habeatur eos in vera religione esse educandos, et patrinum, seu matrinam catholicam habeant.

7. Cum magis invaluerint causae quae animos vicariorum apostolicorum, ineunte hoc saeculo, impulerunt ut decernerent, omnes post annum 1773 natos et inter protestantes baptizatos, conversos ad fidem, esse baptizandos sub conditione, hanc regulam absolute innovamus, praecipientes, omnes a protestantismo conversos esse baptizandos conditionate, nisi ex indubiis probationibus certissime constet in ipsorum baptismo omnia rite fuisse peracta, quoad D materiae et formae applicationem.

8. Huiusmodi baptismus non fiat publice, sed omnino privatim, cum aqua lustrali et absque caeremoniis. Confessio etiam sacramentalis semper in tali casu est exigenda.

9. Cum mulieres catholicae a chirurgis et obstetricibus acatholicis saepissime tractentur, quibus de baptizando parvulos in periculo constitutos ne quidem levis est cura, instruendi sunt sedulo fideles utriusque sexus de modo baptizandi in casu, ut aiunt, necessitatis; ut infans nullus discedere permittatur absque hoc salutari regenerationis balneo. Quodsi convaluerit, ad ecclesiam feratur, suppleantur caeremoniae. Sed sacerdos bene inquirat de modo quo baptismus ipse fuerit collatus, et ad A tutiorem inclinet partem in ferendo iudicio, et sub conditione, si visum fuerit, non dubitet baptizare.

10. Moneantur etiam frequenter ut parvulorum baptismum parentes non differant, sed ut eos, vix mundo natos, ad aeternam vitam renasci procurent.

## *XVII. De confirmatione.*

Cum [in] hisce regionibus catholici, et praesertim rudes et pauperes, saepissime conatibus exponantur qui ad catholicam fidem labefactandam quotidie fiunt, summa diligentia adhibenda est, ut sacramento confirmationis corroborentur ad resistendum huiusmodi tentationibus; ut firmi et stabiles in fide et bonis operibus perseverent.

1. Quo vero copiosius sanctus Spiritus gratiam, in hoc sacramento elargitam, accipere valeant, ante confirmationem omnes, tam pueri quam adulti, bene de eius natura et fructibus instruantur; et nullus B admittatur quin in doctrina christiana sufficienter sit instructus. Hortamur sacerdotes ut, iuxta laudabilem consuetudinem, utantur ea occasione ad confirmandos in catechismi scientia plene instituendos.

2. Cum saepe etiam fiat ut pueri in ipsa tenera aetate a scholis ad opificia mittantur, neque postea facile ad instructionem revocari possint, praestat illos mature confirmari, modo tamen sufficientem habeant aetatem ad debitam praeparationem faciendam.

3. Conversi pariter ad fidem excitentur, ne hanc gratiam negligant, neve ultra quam necessitas poscat, ad remotum tempus remittant.

4. Teneatur in unaquaque ecclesia registrum confirmatorum, inserto nomine patrini seu matrinae; et elenchus confirmatorum episcopo tradatur.

5. Patrinus vel matrina, pro diversitate sexus, C unicuique ex confirmandis assistat, servatis tamen conditionibus supra pro baptismo expressis[1].

## *XVIII. De sanctissimo eucharistiae sacramento.*

Inter tot amoris pignora nobis tradita a divino humani generis salvatore, cum nullum sanctius, nullum praeclarius illo inveniatur quo corpus suum sacratissimum in cibum, et pretiosissimum suum sanguinem in potum nobis dedit, ita nec ullum fuit, in quod adeo infraenate insaevierit eiusdem humani generis infensissimus hostis. Hinc, adversus divinissimum sanctae eucharistiae sacramentum vix est verbis promere quam nefarie et quam impie in nostris regionibus actum scriptumque sit. Nullus licentiae modus impositus, quin dicteriis, conviciis et blasphemiis, ut sacrilegam profanationem taceamus, impetitum fuerit, et etiamnum impetatur. Sed quo insanior incredulorum rabies, quo gravior divinae bonitatis iniuria, eo debet esse vivacior credentium fides et grati animi sensus; eo insignior cultus ac religionis affectus. Nihil ergo haec synodus antiquius habet, quam pietatem et devotionem erga dominum nostrum in sancta eucharistia fovere, et ubique omnimodo promovere: ut sacerdotum corda, spiritus pinguedine repleta, eant de virtute in virtutem, ac ecclesiae filii veluti novellae olivarum in circuitu dominicae mensae quotidie assistentes, coelestis panis dulcedine recreentur, ac in fortitudine cibi illius ambulent usque ad montem Dei.

1. Quaecunque igitur ad divinissimum hoc sacramentum, et ad sacrificium incruentum referuntur, altaria, vasa sacra, sacraque supellex, si non splendida et pretiosa, saltem nitida, munda et decentia sunto. Nihil lacerum, nihil squalidum, nihil vilioris quam decet pretii, in re sacra facienda sacerdos

[1] In appendice relatae sunt, n. XI.
[2] Data 2 febr. 1744.

[1] Decr. XVI, n. 5.

admittat. Calix et pyxis, si fieri potest, cuppam A saltem habeant argenteam, intus inauratam; quod de patena pariter dicendum. Paramenta sacra ex holoserico, reliquae vestes et tobaleae altaris ex solo lino conficiantur. Ut vero uniformitas hisce in rebus obtineat, adlaborandum est ut forma paramentorum sacrorum usui ecclesiae Romanae accommodetur.

2. Optandum quidem esset missam quotidie ab omnibus sacerdotibus celebrari; sed saltem frequenter ab altari sumant Christum, qui eorum in gratia renovet iuventutem; et indicent fidelibus dies et horas quibus missa in ecclesia per hebdomadam celebrabitur.

3. Et quidem dominicis et festivis diebus, quo potest fieri, solemniori modo celebretur. Serventur autem accurate rubricae, praesertim in missa sine ministris sacris cantanda. Non enim licet huiusmodi usum pro lubitu immutare, sed omnia secundum ordinem fiant, et uniformi modo.

4. Benedictio sanctissimi sacramenti dari non potest sine episcopi licentia. Multo minus processiones, praeter eas quae a rubricis praescribuntur, vel expositio solemnis sanctissimi sacramenti haberi possunt nisi cum eiusdem permissu [1]. In expositione et benedictione exacte servetur ritus iam ab episcopis approbatus, et typis impressus, utpote qui ritui Romae adhibito est conformis, et in synodo Thurlesiana, a sancta sede approbata, fuit pro Hibernia praescriptus. [Vide supra col. 177 D-179 D.]

5. Ante sacram eucharistiam in tabernaculo repositam lampas diu noctuque luceat. Pyxis velo serico albo vel aureo cooperiatur.

6. Si vero, ob periculum sacrilegii, sanctissimum sacramentum in altari vel etiam in ecclesia tuto servari non possit, praeparandus est locus decens et semotus, ab episcopo approbandus; in quo conservetur, cum lampade semper accensa, ut in decreto 5.

7. Sanctissimum sacramentum custodiri non debet, nisi in iis oratoriis quae missionibus inserviunt, et veluti publica proinde reputantur. Sed etiam hoc in casu, clavis tabernaculi non debet aedituo vel alii personae custodienda tradi: sed solus sacerdos penes se eam teneat, et conscientiam suam oneratam sentiat de sacris hostiis frequenter renovandis [2].

8. Fideles ad frequentem communionem exhortandi sunt et excitandi; ac opportune admonendi de communionis necessitate ad sacras indulgentias lucrandas, non solum statutis quibusdam anni temporibus, sed, quantum fieri potest, saepissime; modo congruam tantae gratiae vitam degant, ac se devota praeparatione disponant.

9. Ad hanc devotionem magis magisque fovendam, vehementer optandum est, ut ecclesiae aditus vel continuo diu, vel si rari sit, per aliquot horarum spatium, fidelibus pateat; et doceantur omnes amantissimum salvatorem in sanctissima eucharistia latentem invisere, adorare, ac fervidis precibus supplicare, animamque simul communione spirituali refocillare.

10. Utque pietas fidelis populi augeatur, videtur summopere expedire ut oratio quadraginta horarum per totam Angliam statuatur, ita ut nullum sit temporis punctum, in quo Domino nostro, in hoc sacramento graviter offenso, expiatio aliqua non offeratur, precesque pro ecclesiae pace ac animarum salute fundantur.

[1] Scilicet quae fit per ostensorium. Nam minus solemnis quae fit per pyxidem non requirit eiusmodi permissum; prout constat ex epist. Bened. XIV ad episcopum Warmiensem, 17 aprilis 1746, nec non ex alia ad card. Urbis vicarium, 27 iulii 1755.

[2] Vide *Decretum* hac super re, in append. n. XII.

11. Ad promovendam pariter devotionem erga hoc divinum sacramentum, convenit ut, ubi fieri potest, fundetur sodalitas Sanctissimi Sacramenti, cuius socii cultui altaris processionibus aliisque ritibus providebunt. Haec sodalitas, una cum confraternitate doctrinae christianae, ante omnes alias in congregatione erigi debet [1].

12. Quamvis, ob locorum circumstantias, non liceat, absque sacrilegii et scandali periculo, sanctissimum viaticum aegrotis publice et solemniter deferre, et ideo a sancta sede nobis permissum iam sit sine lumine ac occulte illud portare, nunquam tamen non advertere sacerdos debet, se Deum absconditum sibi adhaerentem habere, et secum ad suorum solatium ferre. Reverenter igitur, imo devote, et veluti in contemplatione defixus, sanctissimum sacramentum in sacculo decenter vel pretiose ornato, ad collum appenso, ad aegroti domum de- B ferat. Et cum saepe miserrimae sint pauperum nostrorum habitationes, ita ut vix decore administrari in iis possit sanctum viaticum, magnopere laudandum usum declaramus, et omnibus commendatum volumus, deferendi secum, vel praemittendi capsulam omnibus requisitis instructam, ad decentem sanctissimi sacramenti administrationem. Quam primum fieri possit, pyxis post communionem infirmorum ad ecclesiam deferatur, et usque ad purificationem in tabernaculo reponatur.

13. Hostiae consecratae, sive pro communione fidelium, sive pro benedictione sanctissimi sacramenti, frequenter renovari debent. Pyxis etiam purificari debet, ita ut fragmenta minutiora in ea non congerantur, cum periculo etiam irreverentiae in administrando [2].

14. Similiter, „linteamina, corporalia, pallae et alia altaris indumenta, integra sint et mundissima, C et saepe abluantur per personas a canonibus deputatas," scilicet quoad corporalia et pallas, per ipsum sacerdotem, ubi subdiaconus non adest, „ad reverentiam et praesentiam salvatoris nostri et totius curiae coelestis, quam huic sacramento conficiendo et confecto non dubium est interesse." [3].

15. Item ab omni alia re vacuum debet esse tabernaculum; quamobrem nec vasa olei sancti nec capsula reliquiarum, neque calix, neque purificatorium ibi servari debent; „ut omnino sacra eucharistia cum suo vase in eo duntaxat conservetur; aliud praeterea nihil." [4]

16. Ut omne dubium de materia sacramenti amoveatur, non cuilibet permittendum ut hostias consecrandas conficiat, sed personis fiducia dignis, et si placet, monialibus hoc munus concredatur. Similiter, vinum ad sacrificium, non a cauponibus, nec a quolibet oenopola est comparandum, cum notorium D sit sincerum vinum ab huiusmodi hominibus saepe non vendi; sed omnis diligentia est adhibenda, curantibus etiam episcopis, ut vinum de genimine vitis presbyteris ubique praesto sit.

17. Cum multis in locis impossibile sit, ob inopiam sacerdotum, omnium fidelium confessiones inter terminum temporis paschalis excipere, a summo pontifice suppliciter petendum videtur, ut extensionem dicti temporis pro tota Anglia concedat, a feria IV Cinerum usque ad dominicam in Albis inclusive [5].

[1] Conc. Mediol. I, parte II [c. 4, Mansi, *Concil.*, XXXIV, 17-8].

[2] „Nec ultra septem dies conserventur hostiae consecratae; sed qualibet septimana renoventur." *Constit. prov. conc. Oxon.*, anno 1222, *de euchar.* [Mansi, *Conc.*, XXII, 1175 C, sed aliis verbis].

[3] Ibid.

[4] Conc. Mediol. IV, parte II [c. 4, Mansi, *Conc.*, XXXIV, 222 A].

[5] Sanctissimus benignissime annuit. Vide rescriptum in append. n. XIII.

18. Nullus sacerdos, sub poenis in iure latis, bis A in die missam celebrare praesumat (praeterquam in sanctae Nativitatis festo), nisi ab episcopo, vel eius vicario, facultatem ex delegatione apostolica concedi permissam in scriptis obtinuerit.

19. Similiter, rubricae missalis Romani et ritualis parvi sanctae memoriae Benedicti XIII stricte serventur [1], quantum servari possint, de tribus ultimis diebus maioris hebdomadae; ita ut unica celebretur in unaquaque ecclesia missa in feria V et sabbato. Neque in hoc celebretur missa, nisi cum toto officio (excepta sola fontis baptismalis benedictione, ubi in ecclesia fons non existat); neque ulla pars pro lubitu omittatur.

20. Tandem meminerint sacerdotes, infinitum huius sacramenti et sacrificii pretium in praesentia domini nostri Iesu Christi consistere, non in exteriori cultus apparatu; ideoque satius esse simpliciter missam lectam fidelibus praebere, quam B ultra vires solemniorem tentare ritum, caeremoniis saepe foede deturpatis, ac musicali inepto concentu devotionem potius pellente quam excitante. Cantus igitur, praecipue in missa et benedictione sanctissimi sacramenti, sit gravis et devotus, ut audientes fideles modo cum Augustino ad lacrymas moveantur, modo cum choris Angelorum, laudes Deo et agno cum ingenti concinant laetitia. Pueri etiam musicen in scholis edoceantur, ut feminarum, maxime pretio conductarum, in choro concentus ab ecclesiis excludantur. Sicque paulatim erit, quod maxime optamus, totum fidelium coetum unanimi vocis et cordis consensu psallentem audire.

Non ita protrahatur cantus, ut missae cursus, nisi ubi rubricae sinunt, interrumpatur.

### XIX. *De sacramento poenitentiae.*

Cum hoc sacramentum secunda recte dicatur post C naufragium tabula, cumque omnes peccaverimus ac gloria Dei egeamus [2], ab ipsa tenera aetate omnibus inculcanda est tam salutaris medicinae efficacia, eiusque usus sedulo exercitandus. Exhortandi etiam sunt fideles, ut non modo semel in anno, vel raro, sed saepe ad hoc lavacrum animae recurrant; imo ut quoties peccati sordes contraxerint, toties munditiem exquirant; quoties aegritudinem sentiant, properent ad medelam. De administratione igitur huiusce sacramenti quae sequuntur observanda decernimus.

1. In omni ecclesia erigendas praecipimus, si iam non existant, sedes confessionales, pro numero sacerdotum. Si locus non sinat, episcopi iudicio res est deferenda. Mulierum confessiones nullibi nisi in confessionali sunt excipiendae, nisi infirmitas vel surditas aliter suadeat. Sed etiam tunc mulieres in loco patenti, ubi facile ab aliis possunt videri, D audiantur.

2. In confessionali sedeat sacerdos, superpelliceo et stola violacea indutus.

3. Pueri doli capaces ad confessionem non solum admittendi, sed attrahendi sunt; eisque rite dispositis absolutio danda. Quare, non probandus usus absolutionem differendi, donec ad primam communionem admittantur. Sed e contra, summa diligentia etiam rudiores et crassioris indolis pueri sunt disponendi ad hoc sacramentum.

4. Medicinalis huius sacramenti ratio poscit ut quantocius post lethale peccati vulnus recipiatur. Propterea, non absque causa iusta ad aliud tempus sine absolutione remandandi qui peccata contrite confitentur. Praesertim vero conversorum ad fidem confessiones generales non sunt ad diuturnum tempus protrahendae; sed, si satis instructi inveniantur, et sincero cordis dolore tacti veniam petant, eam misericorditer ipsis impertiatur Dei clementissimi minister. Quodsi de rudioribus conversis agatur, ipsos bene instrui curet, antequam ad sacramenta admittat.

5. Sed etiam catholicos quos ignorantes deprehenderit vel suspicatus fuerit, diligenter de mysteriis fidei interroget, et nonnisi satis instructos ulterius procedere sinat. Praeterea, huiusmodi homines, et pueros praesertim, aptis interrogationibus adiuvare studeat, ut confessionis integritatem et claritatem reddat certiorem.

6. Fidelibus liberum est etiam in paschate apud quemlibet presbyterum ex approbatis peccata confiteri, neque unquam reiiciendi sunt ab illo quem maluerint sacerdote, hoc praetextu quod ad aliam pertineant congregationem. Nec sacerdos qui animarum curam gerit obicem ponat, vel deterrere praesumat, si quis ad alium convolet sacerdotem; sed potius gaudeat de salute ovis, quamvis ab alterius pastoris ab exitio ereptae manu.

7. Caveant sacerdotes ne retributionem aliquam propter confessionem a poenitentibus accipiant.

8. Sint in unaquaque ecclesia dies et horae pro confessionibus excipiendis designatae, et accurate observentur.

### XX. *De sacramento extremae unctionis.*

Magno pretio habenda est huius sacramenti institutio, quo, in extremo cum salutis hoste certamine, ad victoriam uncti, roboramur.

1. Quamobrem, caveat sacerdos, ne quis fidelium sibi commissorum vel propria incuria, vel ex defectu suae pastoralis vigilantiae, absque hac salutari medicina tam corporis quam animae e vita discedat.

2. Hortetur igitur fideles ut non ad extremum vitae punctum, cum iam sensus deficere coeperint, huius saluberrimi sacramenti receptionem remittant, sed ut potius, ingravescente morbo, statim ac fuerint in periculo constituti, vocent presbyteros ecclesiae, qui eos oleo ungant, sicque pro extremo agone vires praebeant et tutamen.

3. Ideoque aegroti familiares studiose moneat, ac frequenter fidelibus, dum bene valent, insinuet, quod, si medici acatholici ope utantur, insistant, ac frequentibus interrogationibus urgeant, ut statim ac morbus periculi speciem inducat, ipsos admoneat, ne, superveniente repentino aliquo casu, anima huius sacramenti beneficio privetur.

4. Ad custodiam olei infirmorum habeat locum decentem, clave obseratum, si fieri potest, in ecclesia, vel in sacrario, aut etiam, iuxta praescriptum in concilio provinciale Mediolanensi IV, „in ipsa domo, loco decenti ac tuto.“ [1]

[1] „Beatissime pater, vicarii apostolici Angliae ad pedes sanctitatis tuae provoluti, humillime supplicant, ut benigne dignetur, attenta inopia sacerdotum aliisque locorum adiunctis perpensis, indulgere ut in iis diebus in quibus, iuxta rubricas, missa solemnis duntaxat esset celebranda, possit recitari missa, etiam privata, dummodo ea sit parochialis et principalis, et serventur, quantum servari possint, ea quae in rituali parvo Benedicti XIII sanctae memoriae praescripta inveniuntur. Quare, etc.

Ex audientia sanctissimi, habita die 7 martii 1847, sanctissimus dominus noster Pius divina providentia papa IX, referente me infrascripto sacrae congregationis de Propaganda fide secretario, perpensis expositis, benigne annuit pro gratia, in omnibus, iuxta preces. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae, ex aedibus dictae sacrae congregationis, die et anno quibus supra.

„Gratis, sine ulla omnino solutione quocumque titulo.

*Locus † sigilli.* „Ioannes, arch. Thessalonicensis, secretarius.

[2] Rom. III, 23.

[1] Conc. Medioh IV, parte II, [c. 6, Mansi, *Concil.*, XXXIV, 220 A.].

In novis ecclesiis aedificandis, paretur fenestella A prope altare maius, cui inscribatur *Oleum infirmorum*, cum suo ostiolo clave munito.

5. Sacerdos ad moribundum vocatus, si is „vel morbi vi, vel repentino aliquo casu iam sensum omnem amiserit, ut nihil plane intelligat", hoc extremae unctionis sacramentum ministrare debet „si modo adhuc vivat, et, dum usum rationis haberet, pii animi significationem dederit, ut inde iudicari possit, eum hoc sacramentum petiturum, si adhuc integrae mentis esset"[1].

## *XXI. De sacramento ordinis.*

Pastoralis sollicitudinis praecipua pars est, ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei, rectos, fideles, omni virtutum genere praestantes efformare, et in ecclesia constituere.

De clericorum igitur promotione et ordinatione, quae sequuntur sedulo observari praecipimus.

1. Episcopi ordinationes teneant, quantum fieri B potest, temporibus a iure statutis, vel in ecclesiis suis cathedralibus, vel in ecclesiis seu sacellis seminariorum. Fiant autem maxima cum solemnitate, adhibitis omnibus ritibus qui in pontificali Romano praescribuntur.

2. Cum vero inter ordinandos saepe inveniantur, qui ab haeresi conversis, vel parentibus conversis nati, aut etiam alias ob causas irregularitatem contraxerint, hac de re diligenter inquirat episcopus, ut si quis forte ex promovendis tali macula reperiatur notatus, ante ordinationem ab ea liberetur. Supplicandum vero videtur esse sanctissimo domino nostro, ut in seminariis pluribus episcopis communibus, ordinans habeat facultatem absolvendi ab irregularitate, etiam non subditos, de consensu suorum ordinariorum. Et quidem cum dubium exortum fuisset utrum facultas extraordinaria ordinandi extra tempora, in favorem omnium alumno- C rum eiusmodi seminariorum posset exerceri, sacra congregatio de Propaganda fide decretum emisit, die 21 aprilis proxime elapsi datum, a sanctissimo approbatum, quo conceditur facultas episcopis, in quorum dioecesibus talia collegia sita sunt, ordinandi extra tempora alumnos sibi non subditos, praevio tamen consensu respectivi ordinarii[2].

3. Ordinandi per examinatores de ordine suscipiendo districte examinentur: ad primam tonsuram et minores ordines promovendi, de litteratura; ad subdiaconatum, in uno saltem tractatu sanctae theologiae; ad diaconatum in duobus; ad presbyteratum autem provehendi, in tribus tractatibus ad minus, vel si placet in tota theologia dogmatica examinentur. Praemittantur etiam, si fieri potest, proclamationes ordinandorum.

4. Serventur, quantum fieri potest, interstitia, ut unusquisque, antequam ad altiorem gradum D ascendat, ordinem iam susceptum exercendi opportunitatem frequenter habeat, sicque rubricas mature discat.

5. Ut aliquis modus statuatur quo clericus, titulo patrimonii ad subdiaconatum promotus, decentem sustentationem habeat, patres censent neminem ordinari debere nisi habeat legaliter certum redditum quadraginta ad minus librarum sterlinarum. In quo rite constituendo prae oculis habeatur, quantum licet, institutiones XXVI Benedicti XIV, et regula in ea tradita.

6. Sciant autem ii, qui titulo sui patrimonii promoventur, sibi non esse liberum a propria dioecesi discedere, nisi de episcopi consensu, cui reverentiam et obedientiam in ipsa ordinatione promiserunt. „Neque enim," inquit Benedictus XIV[3], „nos pro mera inanique formula habendam esse putamus solemnem illam obedientiae et reverentiae sponsionem: ... quinimo libenter agnoscimus presbyterum, huius promissionis vigore, ea lege inter alias adstrictum teneri, ut a servitio ecclesiae, cui in ordinatione addictus fuerit, discedere nequeat absque licentia episcopi."

## *XXII. De sacramento matrimonii.*

Vix aliud est ecclesiae sacramentum, circa cuius administrationem tam graves insurgere possint difficultates, in regione praesertim ubi leges civiles matrimonia in facie ecclesiae contracta non admittunt, et ubi cum acatholicis fideles permixti vivunt. Summa igitur cum prudentia agendum est a sacerdotibus curam animarum habentibus, in iis quae huius sacramenti administrationem respiciunt.

1. Moneant frequenter sibi subditos de eius sanctitate, utpote a domino nostro Iesu Christo instituti, et primo ipsius miraculo cohonestati. Faciant ut abhorreant a nuptiis alias quam ritu catholico initis; acriterque eos reprehendant qui in templo protestantico matrimonium contrahunt.

2. Servanda lex faciendi publicationes matrimoniorum in ecclesia. Modus vero et tempus eas introducendi relinquenda videntur prudentiae singulorum episcoporum, pro diversis locorum circumstantiis rem diverse tractantium.

3. Eos qui matrimonium sunt contracturi adhortetur sacerdos, et omnino nihil intentatum relinquat, ut inducat ad praeviam peccatorum suorum confessionem, et dignam sanctae eucharistiae perceptionem.

4. Non celebretur matrimonium in ecclesiis quae non habent sibi annexum districtum aliquem, cum cura animarum in eo degentium.

5. Liber matrimoniorum accurate teneatur in omni ecclesia in quibus celebrantur.

6. Sacerdos matrimonium mixtum non celebret, sine praevia promissione obtenta tam a parte catholica quam a parte acatholica, de educanda prole utriusque sexus in religione catholica, necnon a parte acatholica de permittendo libero exercitio religionis parti catholicae; a parte vero catholica de conversione compartis acatholicae curanda.

7. Cum saepe fiat ut exteri in Angliam veniant ad ineundum matrimonium, caveant summopere presbyteri, ne concurrant matrimonio in fraudem legis contrahendo. Propterea, in omni huiusmodi casu, recurrant ad episcopum: prae oculis habita pro hoc casu, necnon pro matrimoniis vagorum, instructione Sancti Officii, die 21 augusti 1670 edita.

8. Cum occurrerit casus impedimenti matrimonialis, mittat sacerdos ad episcopum supplicem libellum, in quo casum exponat, ita ut gradus, vel alia causa in qua petitur dispensatio, accurate describatur: simulque rationes pandat ob quas concedendam censeat. Quodsi episcopo visum fuerit dispensationem largiri, vel propriis facultatibus utens, vel post sanctae sedis petitam et obtentam veniam (si facultatum quibus pollet limites excedat casus), ipse, per se aut per vicarium, dispensationem per scripta, cum omnibus clausulis a iure requisitis, sacerdoti supplicanti tradi curabit, cum annexa scheda attestante executionem dispensationis. Quam quidem sacerdos, a se subscriptam, reddet episcopo, in archivo servandam, in testimonium legitimi matrimonii.

[1] Concil. Mediolan. prov. III, [c. 9, Mansi, *Concil.*, XXXIV, 152 B].

[2] Vide decreta in Append., numeros XIV et XV. De ordinatione vero titulo Missionis, vide ibid., numeros XVI et XVII.

[3] Const. *Ex quo dilectus*, [14 ianuarii 1747].

9. Dispensationes igitur matrimoniales nunquam A viva voce, vel per simplicem epistolam, concedantur, sed per formulam accurate concinnatam.

### XXIII. *De praeceptis ecclesiae.*

1. Optandum quidem esset ut festorum observantia accurata inter nos vigeret; sed cum difficile sit a servilibus operibus abstinere, iis maxime qui ab heris protestantibus dependent, enixe adlaborandum, ut fideles iis diebus, si infra hebdomadam cadunt, saltem missae assistant. Ac propterea debent missionarii, si fieri potest, ad satisfaciendum eorum devotioni, saltem unam missam diluculo celebrandam curare. Ipsos autem moneant, ut non propria auctoritate, sed de licentia sacerdotis, negotiis et operibus in iis diebus incumbant.

2. Ad augendam populi devotionem erga sanctos patronos dioecesium et ecclesiarum, supplicandum erit summo pontifici ut benigne concedat ut liceat B horum dies festos in dominicam proxime sequentem, ni rubricae id vetent, transferre [1].

3. Ieiunii leges diligenter exponant presbyteri, praecipue initio quadragesimae; promiscuitatem ciborum prohibeant, et sanctam severitatem caritate temperatam, in exercenda commissa potestate dispensandi, exhibeant.

4. Cum obligatio decimas solvendi inter nos non existat, moneantur fideles, non idcirco se eximi ab obligatione providendi divino cultui, ac honestae sacrorum ministrorum sustentationi.

5. Fideles qui, ob devotionem vel aliam quamcunque causam, non frequentant ecclesiam quasi parochialem, seu missionariam, cui assignatur eorum domicilium, non ideo se liberatos credant ab officio ipsam adiuvandi, et eius pastores sustentandi. Quin etiam de pauperum inedia sublevanda, et de parvulorum educatione, aeque solliciti esse debent ac C ii qui propriam adeunt ecclesiam. Ideoque, eleemosynis, iuxta vires suos legitimos pastores ad hoc officium communiant, quorum est ut sustineant pondus diei et aestus in vinea Domini colenda.

### XXIV. *De vita et honestate clericorum.*

Recte a Domino ii sal terrae nuncupantur, quorum ministerio aliorum sunt animae a vitiorum putredine conservandae, quique, si ipsi infatuati fuerint, vix ad meliorem frugem poterunt renovari; sed simul cum commisso sibi grege in peius ruent, „eritque sicut populus sic sacerdos." [2] Quodsi ita luceat pastoris lux coram hominibus, ut glorificent patrem eius qui in coelis est, et sacerdos in omnibus seipsum praebeat „exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate, ut is qui ex adverso est vereatur, nihil malum habens dicere de nobis," [3] tunc quidem aedificabit domum Dei vivis D et electis lapidibus, et, crescente ecclesiae sobole et credentium multitudine, dilatabit locum tentorii sui, et pelles tabernaculorum extendet [4]. Maxima igitur sollicitudine omnes qui, in excolenda Domini vinea, nobis collaborant, hortamur, ut, nascente iam novo rerum ecclesiasticarum ordine, renoventur spiritu mentis suae [5], resuscitantes „gratiam Dei quae est in ipsis, per impositionem manuum nostrarum" [6]. Quae ergo sequuntur accurate observanda decernimus.

[1] Sanctitas sua benignissime annuit. Vide rescriptum in append., n. XVIII. Necnon indulgentias aliasque gratias pro Angliae et Hiberniae sanctis patronis concessit. Ibid., n. XIX, XX.
[2] Is. XXIV, 2. Ose. IV, 9.
[3] Tit. II, 7.
[4] Is. LIV, 2.
[5] Eph. IV, 23.
[6] II Tim. I, 6.

1. Abstineant sacerdotes a spectaculis viro ecclesiastico indignis, a venatione clamorosa quae equo et canibus fit, a publicis choreis, ab illicitis ludis, et a comessationibus quae usque ad intempestam noctem protrahuntur [1].

2. Prohibemus districte, ne ecclesiastici sacris ordinibus initiati scenicis spectaculis in publicis theatris intersint, imponentes transgressoribus poenam suspensionis ipso facto incurrendam, hactenus ubique in Anglia vigentem, cum reservatione respective ordinario.

3. In domibus sacerdotum simplex splendeat mundities: neque in supellectile neve in ornatu, aliquid luxui vel mundanis affectibus inserviens deprehendatur. Imagines ludicras et insulsas, aliasve sacerdoti non convenientes, prae oculis ne habeant; sed sit in unoquoque cubiculo imago Domini crucifixi vel sanctissimae Dei genitricis, sanctorumve effigies, vel tabulae vitam Salvatoris vel sacram historiam illustrantes.

4. Famulae quae ipsis serviunt sint provectioris aetatis, modestia, prudentia, vitaeque illibatae experimento probatae; ut canonum sanctiones serventur.

5. Ecclesiasticorum virorum vestes tales esse debent, quae et a laicis eos omnino discernant, et tamen cum ministris heterodoxis non confundant. Sint ergo nigri vel subnigri coloris; neque sub itineris praetextu ad ignominiam saecularis habitus, a quo erepti fuerunt, clerici revertantur. Formam illam commendamus, quae, paucis abhinc annis, a clero saeculari adhiberi coepit. Domi vero habitum talarem, vel, si magis placet, eum qui *zimarra* appellatur, cum bireto, induere eos maxime decet.

6. Sed, cum peculiare insigne cleri catholici per totum fere orbem sit collare quod Romanum vulgo dicitur, cumque iam inter nos etiam a protestantibus pro tali dignoscatur, quin contumeliam aut iniuriam provocet, volumus ut ab omnibus sacerdotibus sacrum ministerium exercentibus feratur: nisi forsan ad tempus arbitrio episcoporum, attento rerum statu, aliter statuatur. Et pro augendo cultus divini decore, necnon pro maiori in sacris officiis uniformitate, praecipimus, ut sacerdotes saeculares et regulares, qui proprium ordinis habitum non gerunt, quotiescunque publice missam celebrant, verbum Dei praedicant, vel aliter vestibus sacris induti, officia in ecclesia peragunt, vel iis assistunt, eodem collari induti conspiciantur, ita ut camisia circa collum nullatenus appareat.

7. Cum devotionis fervor facile refrigescat, et de mundano pulvere, ut ait sanctus Leo, oporteat etiam religiosa corda sordescere, singuli sacerdotes teneantur, quoque saltem biennio, exercitia spiritualia, quae episcopus providebit, adire.

8. Collationes de casibus moralibus, sive aliis de materiis theologicis et liturgicis, in omnibus dioecesibus, certis statutis temporibus, omnino volumus adhiberi. Pro locorum vero diversitate definient episcopi, utrum totius dioecesis clero unus debeat esse penes episcopum conventus; vel plures, sub praesidentia vicariorum foraneorum, in singulis scilicet vicariatibus, sint habendi. Ad suam collationem tenentur convenire, respondere parati, omnes sacerdotes saeculares et regulares, salvis eorum iuribus, qui curam habent animarum [2]. Tenentur etiam conventus ad episcopum suas casuum resolutiones vel conclusiones examinandas et corrigendas mittere. Caeterum, de methodo has collationes tenendi,

[1] Trid. sess. XXIV, *de ref.*, cap. 12; Conc. prov. Mediol. I. parte II, c. 25 [Mansi, *Concil.*, XXXIV, 87-8].
[2] Benedicti XIV institutiones.

necnon de materiis tractandis, singuli episcopi in A suis dioecesibus providebant.

9. Cum „*nemo militans Deo implicet se negotiis saecularibus*“ [1], volumus ut, iuxta praescripta a iure, nullus sacerdos negotiationem exerceat, vel etiam sese rebus immisceat quae negotiationem sapiant, vel solius lucri causa peragantur [2]. Similiter, non assumat vel accipiat munus tutoris vel administratoris bonorum saecularium, sine episcopi licentia.

10. Sacerdotes, iam ad munera ecclesiastica admissi, non ideo studiis, praecipue sacris, valedicant: sed cum ex ore sacerdotis scientiam populi requirere debeant [3], sint assidui in lectione sanctae scripturae, et theologiae tam dogmaticae quam moralis et asceticae. Ita fiet, ut, gregem instruentes, non inanibus verbis hominum tantum pulsent aures, non contra inimicos dimicent velut aerem verberantes, sed et illos fructuose vero vitae pane nutriant, et hos solida argumentatione profligent. B Evitent pariter librorum de rebus ineptis et mundanis tractantium lecturam noxiam, quippe qui et tempus et animum inutiliter consumunt, et facile tentationibus aditum praestant.

11. Expedit ut facultates, aliis quam rectoribus missionariis concessae, limitentur quoad tempus: ita ut in principio ad annum, et sic gradatim ad longius temporis spatium tradantur. Meminerint vero sacerdotes episcopis ius competere, usumque alibi vigere, a Benedicto XIV in *Institutionibus* magnopere commendatum, ante renovationem facultatum, ipsos sacerdotes, praesertim iuniores, iterum ad examen revocandi. Ita quidem fiet, ut, in sacris lectionibus ac verbi Dei studio perseverantes, assistricem coelestibus sedibus sapientiam, quasi matrem honorificatam, sibi occurentem in sacro ministerio inveniant [4].

12. Sed cum in manu Dei simus „*et nos et sermones nostri, et omnis sapientia, et operum scientia* C *et disciplina*“ [5], igitur ipsum invocare debemus, ut veniat in nos spiritus sapientiae [6]. Quamobrem, sacerdotem decet orationi saepe vacare, ut hoc donum a patre luminum descendens obtineat. Quotidie sacris meditationibus vacet, divinum officium devote recitare studeat, sanctissimae eucharistiae sacramentum semel saltem in die visitet, beatissimam virginem Mariam eximia devotione colat.

### *XXV. De rectoribus ecclesiarum.*

Qui praeest ecclesiae, sive simplex sit missionarius, sive titulo rectoris missionarii condecoretur, Dei villicus est habendus, cui concredita est pars dominicae vineae excolenda. Sit ergo utilis et fidelis, in omnibus laborans, memor eamdem esse rectori navis et navigio deferendis salutis vel periculi rationem.

1. Quicunque igitur alicui congregationi prae- D ficitur, emittat in manibus episcopi, vel eius vicarii, professionem fidei, quam integram fidelibus sibi commissis se praedicaturum spondebit.

2. Si iam non existat, totam percurrens suae pastoralis sollicitudinis regionem, eiusdem exactam relationem conscribat, ac librum status animarum, ad normam ritualis Romani, quantum fieri potest, conficiat.

3. Libros etiam baptismorum, confirmatorum, defunctorum et matrimoniorum, accurate teneat.

[1] II Tim. II, 4.
[2] Conc. prov. Mediol. I, parte II, c. 26 [Mansi, *Concil.*, XXXIV, 88]; Constit. prov. conc. Oxon., c. *Ne clerici*. [Mansi, *Concil.*, XXII, 1158 A.]
[3] Mal. II, 7.
[4] Eccli. XV, 2.
[5] Sap. VII, 16.
[6] Sap. VII, 7.

4. Aedificia omnia sacra, scholas, presbyterium, necnon alia omnia ad ecclesiam pertinentia, sarta tecta custodire curet. Nihil innovet, vel addendo, vel alienando, vel etiam notabiliter immutando, inconsulto episcopo.

5. De oneribus missarum diligenter inquirat: eorumdem tabellam in sacrario appensam teneat: nova perpetua non assumat sine episcopi sanctione; si nimis onerosa videantur ea quae iam habet persolvenda, aut non existat congrua dotatio, episcopum adeat, vel in visitatione de re certiorem faciat.

6. Si quis fidelium missam anniversariam vel quotidianam fundare voluerit, negotium cum episcopo est tractandum; et summa ad hoc collata in utilibus investimentis erit insumenda, servatis, in quantum locorum et temporum circumstantiae sinant, canonicis sanctionibus; ut annuum fructum pro dotatione perpetua reddat.

7. De aegrotos visitando et morientes iuvando sit sollicitus; nec post sacramenta suscepta prorsus relinquat; sed saepe, et, si tempus suppetat, quotidie invisat, ac in extremis assistat. Sanctum viaticum, protracto morbo, nec cessante periculo, frequentius administret. Vere laudabile est defunctis, si coemeterium non habeatur, domi iusta persolvi, si ad ecclesiam (quod esset optandum) cadaver deferri non possit. Catholicos vero hortamur, ut ubique vel coemeteria ritu catholico benedicenda sibi comparent, vel ubi publica coemeteria sumptibus communibus praeparantur, partem sibi solis reservari procurent.

8. Cavendum est ne sacerdos in aliquam incidat avaritiae suspicionem, se testamentorum confectioni immiscens, si saltem in commodum ecclesiae vel pauperum bonorum partem moribundus cedat. Sed ab insanis quorumdam clamoribus non deterreatur ab officio monendi eos qui iniuste rapuerunt, ut nunc tandem restitutionem faciant; necnon eos hortandi qui nunquam in pauperes misericordiam fecerunt, ut tandem aliquando peccata sua eleemosynis redimant.

9. Quidquid ad pietatem fovendam aptum est, inter suos instituat; scholas feriales et dominicales, necnon serotinas seu nocturnas nuncupatas aperiat; confraternitatem Doctrinae christianae fundet, cuius socii hisce scholis assistant; eas ipse frequenter visitet [1].

Devotionem erga Domini nostri passionem et beatem Virginem promoveat, exempli gratia viam crucis erigendo, rosarium recitando, necnon pietatem erga sacratissimum cor Iesu et immaculatum cor sanctissimae eius matris excitando, ac benedictionem sanctissimi sacramenti saepius impertiendo [2].

10. Videat tamen ut nihil introducat quod non fuerit ab ecclesia approbatum. Cumque invaluerit usus recitandi in minoribus ecclesiis, praecipue in campestribus, orationes quasdam vulgari idiomate, ante et post missam, volumus ut nullae admittantur preces, maxime vero litaniae, quae ab ecclesia non sint sancitae, vel ab episcopo approbatae. Et quidem optandum videtur, ut haec synodus aliquas personas pias deputet, ad effectum compilandi orationes ex locis probatis, quae ritu uniformi ubique recitentur.

11. Sed volumus praesertim, ut, quoties expedire iudicaverit episcopus, missionem vel exercitia spiritualia ab aliquot viris religiosis, seu de clero, fidelibus sibi commissis tradenda procuret. Ita

[1] Conc. prov. Mediol. II, decr. 2, [tit. I. Mansi, *Concil.*, XXXIV, 108 C].
[2] Videatur rescriptum in append., n. XXI.

eveniet, ut surgant expergefacti qui in delictis dormiunt, tepidi ac debiles animentur et corroborentur, iusti vero ac devoti ad ferventius pietatis studium inflammentur.

12. Rectoris ecclesiae, sive ordinarii, sive missionarii, designatio penes episcopum est: ita ut nullum ius ad huiusmodi praelationem inde acquiratur, quod aliquis sacerdos secundum locum in missione occupaverit, vel etiam pro tempore eam administraverit.

13. Caveat ne assumat onera, temporalia vel spiritualia, successoribus transmittenda; verbi gratia pecunias fenore accipiendo, vel etiam promittendo fidelibus missas pro benefactoribus perpetuo celebrandas, ut opera pia fundare, vel etiam ecclesias extruere eorum inducat animos.

14. Qui curam gerunt animarum, ad residentiam se sciant teneri; et proinde nemo saepe, neque sine rationabili causa, a loco ubi ministerium suum exercet se subtrahat; et is, qui abesse voluerit ultra paucos dies, licentiam in scriptis ab episcopo, vel vicario, obtineat[1].

### XXVI. *De collegiis seu seminariis.*

Summopere religionis augmento profuturum putamus, si seminaria, in quibus seorsim educarentur clerici, possent fundari. Sed cum in nostris collegiis ipsi, iuventuti saeculari immisti, nunc instituantur, debemus pro virili parte adlaborare, ut ecclesiasticus spiritus inter eos vigeat, nec ad mundana desideria ipsorum corda deflectantur.

1. Iuvenes seu pueri igitur eligantur qui signa vocationis non aequivoca dederunt; in quibus iam fulgeat vitae innocentia, docilitas et pietas, cum ingenio non mediocri coniuncta. Examinatores deputentur, qui omnes in collegium inter clericos admittendos examini subiiciant; quique de illorum anteacta vita, non minus quam de [illegible] dotibus, investigationem instituant.

2. Iuvabit etiam, si per concursum alumni in collegia admittantur, ita tamen ut iura nulla existentia vel futura laedantur.

3. Quovis anno rector collegii episcopo, vel episcopis, rationem reddet de profectu et moribus uniuscuiusque alumni.

4. Diligenter instruantur, etiam si expediat seorsim, de re ascetica, in collationibus quovis mense habendis; methodum meditandi doceantur; rubricas ac caeremonias ecclesiae apprime discant.

5. In cantu ecclesiastico exerceantur, postquam theorice didicerint. Et ut uniformitas introducatur, volumus ut ubique, sed maxime [illegible] collegiis, ubicunque in missa et in officiis [illegible]ibetur cantus planus seu Gregorianus, cantus Romanus solus adhibeatur. Orationes ergo, responsoria, epistola, evangelium et alia huiusmodi, prout in caeremoniali episcoporum, vel in aliis authenticis libris traditur, canantur. Idem dicendum de rubricis et caeremoniis ecclesiasticis; in quibus non pro lubito adoptandae consuetudines aliarum nationum, sed adhaerendum stricte definitionibus et regulis, et, his deficientibus, usibus et praxi sanctae Romanae ecclesiae.

### XXVII. *De regularibus.*

Cum in Anglia viri regulari vitae addicti laudabiliter extra monasteria ut plurimum degant, ministerium scilicet sacrum exercentes, expedit ut etiam de illis agatur; ita tamen ut privilegia et exemptiones quibus, suis in domibus vel extra, legitime gaudent, ultro admittamus, nec ullo modo laedere intendamus.

[1] Conc. Trid. sess. XXIII, *de ref.*, c. 1; sess. V, *de ref.*, c. 2.

1. Ecclesiae missionariae et publicae, quae a regularibus deserviuntur, subiectae sunt visitationi episcopi; a quo, testante sancta Tridentina synodo, „quaecumque in dioecesi ad Dei cultum spectant, diligenter curari, atque iis, ubi oportet, provideri, aequum est."[1] Debet igitur episcopus, prout ecclesiis a sacerdotibus saecularibus administratis, ita iis invigilare, in omnibus quae ad divinum cultum, sacramentorum administrationem, verbi Dei praedicationem, et generatim ad curam animarum referentur, ita tamen ut non inhibeat ritus, si qui sint, in celebratione missae pro ordine religioso ecclesiae addicto legitime approbatos, vel calendarii proprii observantiam.

2. Cum grave incommodum provenire facile possit ex inopinata missionariorum regularium translatione seu revocatione, praesertim si fiat invito vel inconsulto episcopo, haec synodus a provincialibus et superioribus ordinum instanter, pro bono pacis et animarum salute, efflagitat, ut cum episcopis concorditer agant in instituendo vel removendo sibi subditos missionarios. Cum enim pastor caeteris diligentius agnoscat vultum pecoris sui, et consideret super gregem suum[2], cumque ipsi a Domino commissa fuerit ovium custodia, decere videtur, ut quod gregi vel valde nocere vel prodesse necessario debeat, ipso non inscio, sed potius, si fieri possit, probante, statuatur[3].

3. Sacerdos regularis a superiore, regulari alicui missioni, vel audiendis saecularium confessionibus destinatus, episcopo est praesentandus, cuius erit ipsius scientiam theologicam, etiam si voluerit per suos examinatores, exploratam habere, antequam petitam approbationem illi concedat.

4. Viri religiosi, qui missionariorum officio funguntur, caeteros antecellere debent arctiori vitae disciplina, mundanarum rerum contemptu, ac sublimioris contemplationis studio. Quamobrem, donec missionibus inserviendis incumbunt, iis decretis se subiectos teneant, quae pro vita honesta clericorum custodienda et confirmanda supra tulimus. Optandum est ergo ut vestibus eisdem, quibus sacerdotes saeculares, induti incedant, nisi sui ordinis proprium habitum gerant, ab iisdem se abstineant; eadem aut potius maiora perficiant.

5. Nulla nova domus religiosa fundetur sine expresso ordinarii consensu[4].

### XXVIII. *De sanctimonialibus.*

1. Monasterium, seu domus nova religiosarum, non fundetur nisi de licentia episcopi, qui de instituto, eiusque legibus ac fine est plene informandus[5].

2. Praeter monasteria exempta, quae superiori alicui regulari iam legitime sunt subiecta, alia omnia visitationi ordinarii subduntur, etiamsi ab aliqua alia domo, etiam trans mare sita, dependeant.

3. Cum, ob mutatas locorum et temporum circumstantias, plura saepe in constitutionibus approbatis, monialium observatu difficilia et plane impossibilia reperiantur, veluti sunt abstinentiae et ieiunia, satius videtur, in talibus casibus, ad scrupulos tollendos ipsam regulam reformare, apostolica obtenta auctoritate, quam dispensationem perpetuam, prout nunc fieri videtur, cum laqueo conscientiae concedere.

[1] Sess. XXI, cap. 8, *de ref.*, lib. 3; *Decretal.*, tit. 37 *de capellis monach.*, sec. 3, 18, [vel potius: cap. un. *de capellis monach.* in VI (3, 18)].
[2] Prov. XXVII, 23.
[3] Videatur hac super re epistola relata in append., n. XXII.
[4] Conc. Trid., sess. XXV, cap. 3 *de regul.*
[5] Ibid.

4. Ad confessiones monialium excipiendas deputentur viri ecclesiastici gravitate, prudentia et virtute conspicui; et confessarius extraordinarius unicuique monasterio assignetur, statutis temporibus.

5. Administrationi oeconomicae monasteriorum non exemptorum invigilet solerter episcopus, providendo vel per se vel per alium rectae bonorum administrationi gerendae. Status administrationis, etiam si moniales ordini regulari subsint, episcopo est exhibendus. Monialium dotes in utilibus investimentis ponantur, ut certum redditum annualem producant; neque extraordinarii inducantur sumptus absque episcopi approbatione.

### *XXIX. De episcopis.*

Cum oporteat iudicium incipere a domo Dei[1], cumque episcopus, factus forma gregis ex animo[2], non tantum sacrarum vestium splendore, nec etiam ecclesiasticae dignitatis gradu, quantum virtutum praestantia et vitae candore, populum et clerum debeat antecellere: idcirco, etiam quae ad nos referuntur non erunt silentio praetereunda; sed potius, timentes ne, dum aliis praedicamus, ipsi reprobi fiamus, circa nostri muneris officia, sequentia praescribenda censemus.

1. Quod de accurata cognitione gregis sibi commissi a sacerdote comparanda supra dictum fuit, id maius vere[3] de episcopis observandum. Ipsi enim, veluti speculatores super muros Ierusalem positi, undequaque indefesso zelo vigilare debent. Igitur, dioecesim accurate addiscant, exactas de singulis locis relationes exigentes.

2. Sed his non contenti, totam dioecesim ipsi perlustrent. Quod quidem facilius evadet, si episcopus dioecesim in tres partes dividat, ita ut unam partem quotannis invisat; totamque in triennio investiget, in unaquaque ecclesia confirmationis sacramentum administrans.

3. Sed quod maximi est momenti, visitationem episcopalem, statutis temporibus, facere non negligat. Et quidem huiusmodi visitatio non quovis modo est habenda, neque iuxta aliquam quae iam vigeat, consuetudinem, sed quantum fieri potest, ad normam in pontificali Romano praescriptam. Episcopus igitur ecclesiam, presbyterium, scholas, coemeterium, et omnia quae in eorum ambitu continentur, et quae in iis servantur, vasa quoque sacra, sacram supellectilem, altaria, tabernaculum, et quidquid ad Dei cultum vel sacramentorum administrationem pertinet, diligenter lustrabit inspicietque. Si quid vero emandandum deprehenderit, decreta emittat ad hunc effectum, quae per vicarium generalem, vel foraneum exsecutioni dari curabit.

Meminerint episcopi, ad normam apostolicarum constitutionum, onus sibi incumbere statutis temporibus Romam veniendi, status propriarum dioecesium sanctae sedi exhibituri, et sanctorum apostolorum limina visitaturi.

4. Cum aliqua nova ecclesia est condenda, totius aedificii ichnographia, cum partium accurata delineatione, est episcopi conspectui subiicienda: non tantum eo fine [illegible] de operis decore vel elegantia iudicium ferat, sed multo magis ut dignoscat, utrum omnia rubricis et ecclesiasticis legibus sint conformia, et etiam utrum ad fidelium pietatem fovendam aedificii ratio possit conducere. Diligenter igitur inspiciat utrum altaria sint magnitudinis sufficientis, et expositioni sanctissimi sacramenti apta, ubi haec fieri solet; utrum gradus presbyterii sint recte dispositi, et sedes ministrantium iuxta rubricas constructae; utrum etiam fideles altare et sacros ritus qui in eo peraguntur, facile discernere valeant. Nec sinat architectum ad aedificationem progredi, nisi in his omnibus, rubricis, decretis et usibus approbatis ecclesiae se conformaverit.

[1] Petr. IV, 17.
[2] Ib., 5.
[3] Fortasse *magis vere*. Sensus est: *potiore iure*. — Nota editorum *Collectionis Lacensis*.

5. Post peractam hanc provincialem synodum, et a sancta sede eius emendata vel approbata decreta, singuli episcopi dioecesanas convocabunt synodos, in quibus provincialis huius concilii promulgabunt decreta, et ea quae hic vel alibi, in tali synodo peragenda vel decernenda praescribuntur, facient et decernent. Dioecesanam synodum, si fieri potest, quotannis celebrabunt.

6. Nullus episcopus ordinet clericos ex aliena dioecesi oriundos, sine litteris testimonialibus, vel dimissoriis proprii episcopi. Servetur autem haec regula relative ad conversos ad fidem, qui se sacro ministerio desiderant mancipare.

7. Sacerdos, a dioecesi cui est addictus discedere volens, debet muniri litteris excorporationis sui ordinarii, neque episcopus alienum sacerdotem sine talibus litteris suae dioecesi aggregare possit[1].

## STATUTA CAPITULARIA

**In synodo prima provinciali Westmonasteriensi approbata.**

### *I. De canonicis in genere.*

1. Canonici meminisse debent se in senatum episcopi dioecesani accitos fuisse, ideoque debere ipsum iuvare, et clericis totius dioecesis praelucere in exercitio virtutum, quae statum ecclesiasticum praecipue decent.

2. Expedit ut singuli saepe legant statuta capituli, quo melius et efficacius servare possint quae in ipsis decernuntur.

3. Singuli attente colligent ex sanctis canonibus authenticisque eorum interpretationibus, quaenam sint obligationes, et quaenam sint iura canonicorum, ut, dum haec accurate perpendunt, illas etiam rigorose adimpleant.

4. Summopere commendamus, ut canonici ad id vires opesque suas conferant, ut paulatim praebendae formentur cathedrali ecclesiae annexae, quatenus, favente Domino, canonici, apud ecclesiam ipsam residentes, divina officia persolvant, et facilius possint episcopum in dioecesi regenda sublevare.

5. Canonici ad hoc saepe implorabunt auxilium atque intercessionem sancti N., sub cuius invocatione ecclesia cathedralis dedicata est.

### *II. De admissione canonicorum.*

6. Canonicus, acceptis litteris suae promotionis, personaliter vel saltem per epistolam, earum exemplum ad reverendum admodum dominum praepositum *(very reverend the provost)* transmittet, eumque rogabit, ut ad possessionem sui canonicatus admittatur. Praepositus ipsi deinde significabit diem proximae convocationis capituli, ad quam praesentare possit litteras praedictas. Canonicus neque privilegiis uti, neque ulla iura exercere valet, nisi post captam possessionem sui canonicatus.

7. Die a capitulo praefixo, novus canonicus, cum duobus canonicis ab ipso rogatis hinc inde assistentibus, litteras suae nominationis capitulo exhibebit. Deinde, professionem fidei coram capitulo exhibebit[2]. Praeterea vero observandum quod Tridentina synodus, sub poenis ibi relatis, im-

[1] De usu pontificalium ab episcopis extra suas dioeceses, vide append., n. XXIII.
[2] Conc. Trid. sess. XXIV. *de ref.*, c. 12.

perat: scilicet ut „teneatur a die adeptae possessionis ad minus intra duos menses, in manibus ipsius episcopi, vel, eo impedito, coram generali eius vicario, seu officiali, orthodoxae suae fidei publicam facere professionem; et in Romanae ecclesiae obedientia se permansurum spondeat ac iuret". Postea emittet declarationem sequentem: A

*Ego N., electus canonicus huius ecclesiae cathedralis, declaro me cum debito obsequio accipere statuta huius capituli, et promitto obedientiam de secreto servando, etiam sub gravi, quoties episcopus vel capitulum praeceperit.*

8. Tunc praepositus canonico electo adsignabit stallum, et convenientibus verbis ipsum nomine totius capituli adloquetur.

9. Capitulum neque exigere neque accipere a novo canonico aliquid potest propter nominationem vel installationem. Optandum est ut dispendium vitetur, quantum fieri potest, quoties capitulum convenire contigerit, et praesertim in celebrando novorum canonicorum ingressu [1]. B

### III. De praecedentia canonicorum.

10. Praeposito competit primum stallum, vel, prima sedes post episcopum.

11. Post ipsum sedebit canonicus senior iuxta tempus suae possessionis; deinde caeteri canonici successive locum suum habere debent.

12. Functiones caeremoniales episcopales non ad vicarium capitularem pertinent, sed ad primam dignitatem capituli [2].

13. Praecedentia debetur vicario capitulari super omnes de capitulo, excepta dignitate vel alio repraesentante capitulum [3].

14. Vicario capitulari locus competit, tam in choro quam in processionibus, a sinistris dignitatis; vel, prima dignitate deferente sanctissimum sacramentum, a sinistris primi et dignioris canonici repraesentantis capitulum [4]. C

15. Vicarius generalis episcopi in choro, in ecclesia, et ubique, praecedere debet omnibus canonicis et praeposito [5]. Sed functiones quae ad episcopum pertinent, ipso absente, a dignitate et canonicis successive, non vero a vicario generali sunt peragendae [6].

16. Attendatur praesertim decretum [7]: „Quoad praecedentiam inter vicarium generalem, et canonicos ecclesiae Casalensis, sacra rituum congregatio censuit non esse recedendum a decretis alias in similibus causis factis; nempe praecedentiam dandam esse vicario generali super omnes dignitates et canonicos, dummodo ipse vicarius non sit de numero ipsarum dignitatum et canonicorum, quia tunc deberet sedere, incedere, in suo loco, sive stallo, ut distributiones quotidianas lucrari posset; et dummodo canonici non sint sacris vestibus parati, quia tunc, ratione paramentorum, debet vicarius cedere locum digniorem canonicis paratis." [8] D

### IV. De divinis officiis et servitio chorali.

17. Inhaerentes decreto sacrae congregationis de Propaganda fide, iniungimus quod singuli canonici, legitimo cessante impedimento, quolibet mense, diebus per episcopum ineunte anno designandis, (salvo tum iure capituli saepius conveniendi, de consensu tamen episcopi, tum etiam iure episcopi illud cum voluerit convocandi,) conveniant ad ecclesiam cathedralem, ut recitent psallendo tertiam officii currentis, et deinde assistant missae solemni. Officia vero celebrantis et ministrorum ita distribuenda erunt, ut regulariter per omnes canonicos adimpleantur. Ubi autem episcopus celebraverit, habet ius eligendi suos ministros, nullo attento praecedentiae ordine.

18. Tertia incipiet hora decima circiter, ad quam omnes adesse debent, et senior canonicus in choro praesens (si exierit praepositus ut paramenta assumat) hebdomadarii vices geret. Duo vero canonici, ad hoc munus eligendi quotannis, cantores vocabuntur, et aliis praecinere debebunt.

19. Horas canonicas alte et intelligibili voce, digne, attente et devote recitent pariter, nec altera pars chori versiculum suum incipiat antequam altera pars suum bene compleverit, interiecta semper congrua pausula ad asteriscum. Unusquisque, recitando officium cum aliis, debet ad integri officii recitationem concurrere, supplens audiendo quod omittet recitando [1].

20. Iuxta rubricas, pro temporis et officii diversa ratione, omnes surgant, stent, sedeant, genuflectant, caput bireto tegant aut detegant, vel inclinent omnes contemporanei et uniformes; et unanimiter omnes eodem corporis situ, unisono vocum concentu, ac mentium elevatione, cantent aut respective attendant.

21. Ad missam canonici meminerint se praestare teneri non solum praesentiam, sed etiam vocem, bini ac bini submisse dicentes ea quae recitari debent iuxta rubricas.

22. Cum omnibus aliis ecclesiis cathedralis praeeminere debeat in iis quae ad cultum divinum spectant, omnes cum maxima devotione, pietate et gravitate ad missae celebrationem adstent, et accurate servent rubricas missalis, et caeremonialis, et authentica sacrae Rituum congregationis responsa et decreta.

23. Ad formam decreti sacrae congregationis interpretum sancti concilii Tridentini, duo canonici, alter ab episcopo, alter a capitulo deputati, invigilare debebunt exactae observantiae omnium quae ad missae et divinorum officiorum convenientem recitationem pertinent [2].

### V. De ecclesia cathedrali.

24. Ius administrationis temporalis et spiritualis ecclesiae cathedralis integrum permaneat apud episcopum, nisi aliter auctoritate sanctae sedis fuerit provisum. Capitulum tamen potest ibi divina officia peragere.

25. Ad formam concilii Tridentini oeconomum de suo gremio capitulum deputabit, sede vacante, ad curam gerendam ecclesiae cathedralis.

### VI. De dignitate, officiis et officialibus.

26. Unica dignitas erit praepositura, quae sanctae sedi reservatur.

27. In capitulo erit canonicus theologus, qui loco, diebus et horis ab episcopo definiendis, lectiones de argumento pariter ab episcopo praefiniendo tradere debet.

28. Canonicus poenitentiarius erit insuper, qui tenebitur audire confessiones in ecclesia ab episcopo designata, tempore Adventus, Quadragesimae, ac

[1] Qua de re prae oculis habenda quae egregie tradit Monacelli, *Formular. legale*, parte III, tit. 8, form. IX.

[2] Sacra Rituum congregatio, 7 augusti 1627.

[3] Eadem, 12 iunii 1638, 2 aprilis 1667.

[4] Eadem, 16 martii 1658.

[5] Eadem, in Nicien., 2 octobris 1677.

[6] Eadem, 26 februarii 1606.

[7] Eadem, in Casalensi, 5 iulii 1614.

[8] De habitu canonicali, vide rescriptum in append., n. XXIV.

[1] Synod. Fulgin.

[2] Congr. Concilii, 16 iunii 1569, apud Crespin., *De visit.*, p. 367.

aliis quibuscunque anni temporibus, quae episcopus illi praescripserit.

29. Vacante canonicatu theologali vel poenitentiario, concursus erit habendus inter eos qui licentiam sui episcopi habuerint ad concurrendum, et ab episcopo loci fuerint admissi. ut, ex approbatis in concursu, sancta sedes vel episcopus eligat magis idoneum. Alii iam canonici possunt concurrere, si fuerint rite admissi.

30. Alternativa propositio trium candidatorum ad canonicatum vacantem, a sancta sede concessa, locum non habet in nominatione canonici theologi vel poenitentiarii, si ea vice nominatio ad capitulum spectare contigerit. Alternativa designatio candidatorum suum cursum debet habere, veluti si nominatio theologi, poenitentiarii vel dignitatis non intercessisset.

31. In primo conventu singulorum annorum, canonici eligent secretarium capituli, thesaurarium, [- et] sacristam et caeremoniarium, pro rebus et muneribus ad capitulum spectantibus.

32. Secretarius debet accurate transcribere acta capituli, et omnia documenta ipsius nomine mittenda vel recepta coram toto capitulo praelegere prima sessione proxime habenda. Ad valorem documentorum requiritur appositio sigilli capitularis et subscriptio praepositi et secretarii, vel eorum qui auctoritate capituli ipsorum vice funguntur. Custodia sigilli est apud praepositum et apud secretarium, cum duabus clavibus diversis.

33. Thesaurarius rationem in sessione ianuarii reddet de omnibus pecuniis ad capitulum quomodocunque pertinentibus, et absque capituli decreto illas expendere nequit.

34. Caeremoniarius et sacrista debent curare ut ecclesia disponatur ad functiones capitulares in ipsa peragendas. Praeterea munere punctatorum fungentur; ita ut ad ipsos spectet absentes punctare, praesentiumque canonicorum notam in libro capitulari tenere. Episcopo vero liberum erit, ut exquirat ac examinet librum quo canonicorum frequentia adnotatur.

### *VII. De sessionibus capitularibus.*

35. Sessiones ordinariae habendae sunt post celebratam missam feriis iam indicatis; extraordinariae, quoties episcopus eas habere voluerit, vel quoties praepositus capitulum convocaverit. Rogatus a maiori parte canonicorum, praepositus obligatur ad convocandum capitulum, dummodo sit facta sub hac forma petitio: „Nos subscripti petimus ut capitulum convocetur die ..., mense ..., anno ... et hora ..., testantes nos hoc requirere gravibus de causis, et horam esse commodam omnibus capitularibus.“ Episcopi vero assensus huiusmodi conventui extraordinario habendo est necessario obtinendus: qui etiam praefiniet quando apud ipsum sit conventus habendus.

36. Ad sessiones tam ordinarias quam extraordinarias vocandi sunt canonici per litteras tenoris sequentis: „Reverendissime domine ... Hora ..., die ..., habebitur sessio capitularis in aula capitulari, vel in aedibus reverendissimi domini episcopi. De mandato episcopi seu praepositi, N., secretarius.“

37. Elapsa quarta parte horae post tempus assignatum, praepositus vel senior canonicus per sonitum campanulae canonicos monebit sessionem esse inceptam; et omnes, genibus flexis, recitabunt orationem: *Adsumus, Domine*.

38. In fine capituli recitabitur antiphona beatae Mariae virginis de tempore.

39. Tunc sedebunt omnes iuxta ordinem sui canonicatus, scilicet suae possessionis, incipiendo A a iuniore capituli; omnes qui loqui voluerint sententiam suam aperiant, super negotio proponendo a praeposito, vel ab alio canonico ab ipso indicato, et, si fieri potest, per eum qui negotium idem pertractandum proposuerit. Postquam semel quis explicaverit quae dicenda sibi videntur, taceat, et nequeat amplius loqui nisi de assensu capituli. Tandem, iuxta constitutionem 36[1] Alexandri VII, singuli secreto, sub poena nullitatis, votum suum conferent.

40. Quoties agendum erit de aliquo negotio tangente commodum alicuius capitularis, vel propinquorum eius usque ad secundum gradum inclusive, idem canonicus non potest interesse capitulo quoad illum actum, ut caetera magis libera sint vota; secus actus ipse sit irritus[2].

41. Praesentibus tribus canonicis tempore praefinito, ad actus capitulares procedi potest etiam B absente dignitate, dummodo canonice facta fuerit capituli convocatio.

42. Post mortem episcopi, singuli canonici aderunt ut eius funeri debito cum honore faciendo assistant. Et intra octo dies a morte episcopi, capitulum nominabit per liberam electionem suum vicarium, qui, ad tramites canonum, dioecesim regere possit, quique semel nominatus non potest revocari a capitulo, quique unus tantum esse potest.

43. Tunc, loco et die ab archiepiscopo, vel, eo impedito vel demortuo, ab episcopo seniore assignando, non tamen ultra mensem a die mortis episcopi, capitulum convocabitur; et, celebrata per canonicum digniorem missa de Spiritu sancto, et praestito a singulis iuramento de secreto servando, canonici suffragia sua secreto deponent in urna ad hoc disposita. In primo suffragio singuli adnotabunt nomen illius personae ecclesiasticae quam ad C sedem vacantem magis idoneam in Domino iudicaverit. Haec vero suffragia in scriptis dabuntur, nulla discussione praecedente in conventu capitulari, et a tribus scrutatoribus in initio sessionis electis excipientur. Ita tamen plicanda sunt ut nonnisi nomen proponendi legi possit. Nomen proponentis interius scribatur, et suffragium sit bene clausum sigillo non noto. Stylus vero scriptionis sit diversus ab eo, quo utitur ordinarie is qui suffragium fert. Deinde, ex comparatione suffragiorum, scietur si quis habuerit totidem suffragia sibi favorabilia, quot excedunt medietatem suffragiorum tam praesentium, quam absentium per procuratores repraesentatorum, non vero absentium absque procuratore. Publicatis post quodlibet scrutinium nominibus, comburantur ipsa suffragia.

44. Absentes tamen non valent per litteras votum suum aperire, sed per procuratorem e gremio D capituli eligendum, et munitum legitimo mandato, quod non potest admitti nisi propter causam vere necessariam, clare descriptam et capitulo probandam; vel propter infirmam valetudinem, quo in casu exprimatur quod de consilio unius saltem medici et unius canonici documento ipsi se subscribentium, capitularis nequit adesse. Procurator est admittendus duntaxat ad tres schedas tradendas continentes nomina et praenomina deligendorum.

45. Quodsi in primo scrutinio nullus fuerit assecutus maiorem numerum, iterum suffragia ferantur usque dum unus fuerit illum assecutus.

46. Hac etiam ratione procedendum erit ad designationem alterius et tertii candidati. De hisce omnibus instrumentum fiet his terminis.

„Vacante propter obitum vel ... reverendissimi

[1] *Pro commissa*, 3 aprilis 1657.
[2] Synodus Fulginatensis.

patris domini sede N., capitulum sessionem secretam A habuit, hac die . . ., sub praesentia reverendissimi patris domini archiepiscopi vel . . ., in qua, post celebratam missam de Spiritu sancto, electi fuerunt scrutatores reverendus dominus . . ., reverendus dominus . . ., reverendus dominus . . .

„Facto ter scrutinio, constat ex maiore numero suffragiorum proponendos esse sanctae sedis iudicio viros ecclesiasticos quorum nomina hic ordine alphabetico describuntur: reverendus dominus A-B, reverendus dominus C-D, reverendus dominus E-F.

„Omnia vero peracta fuerunt ad tramites decretorum sacrae congregationis de Propaganda fide.

„In quorum fidem has praesentes rite publicatas in capitulo, munitas sigillo capitulari, et sub manu praepositi, secretarii et scrutatorum, capitulum dari iussit die . . . mensis . . . anni . . .

*(Locus † sigilli.)*
A, praepositus.
D, secretarius.
G, M, N, scrutatores."

Tria vero exempla authentica fiant, quorum unum apud capitulum asservetur, alterum, apud archiepiscopum, tertium vero ab archiepiscopo ad sacram congregationem de Propaganda fide transmittatur.

47. Idem ordo suffragia ferendi, eaque in manus scrutatorum deferendi, servetur in proponendis tribus [viris] ecclesiasticis ad canonicatus vacantes, quando propositio spectat ad capitulum. Omittatur vero documentum supramemoratum et eius loco substituatur aliud ita expressum.

48. „Vacante canonicatu propter mortem, resignationem etc., capitulum sessionem solemnem habuit die . . . mense . . . 18 . . ., in qua, post missam de sancto Spiritu, electi fuerunt scrutatores A, B et D. Facto ter scrutinio, constat, ex maiore suffragiorum numero, proponendos esse illustrissimo et C reverendissimo episcopo tres [viros] ecclesiasticos quorum nomina sequuntur.

„Ex scrutinio I. Titus, II. Franciscus, III. Iosephus.

„In quorum, etc.

*(Locus † sigilli.)*
„A, praepositus.
„D, secretarius.
„E, G, L, scrutatores."

### *VIII. De decessu canonicorum.*

49. Quoties capitulum convenire nequit ad funus canonico defuncto faciendum, singulos canonicos hortamur ut pro confratre suo missae sacrificium quamprimum offerant.

### *IX. De statutis in genere.*

50. 1. Copiae resolutionum capitularium episcopo requirenti, utpote cui incumbit invigilare et D recognoscere, ne quidquam per capitulares decernatur contra iuris dispositionem, vel in praeiudicium ecclesiae, a canonicis denegari non possunt, illasque a canonicis episcopus exigere valet sub poenis et censuris; non obstante quod aliquando adesse possint lites inter episcopum et capitulum; nedum quia ibi non panduntur motiva et merita et secreta causa, sed eo magis, quia licet tali casu episcopus interventum habere nequeat in capitulo ne tollatur canonicis libertas votandi, facta tamen resolutione, ex hoc capite ei negari nequeunt huiusmodi capitulares resolutiones.

51. 2. Interpretatio statutorum facienda est ex iuris communis principiis.

52. 3. Notandum de iure communi aliquando requiri ad valorem actuum capitularium consensum omnium canonicorum; semper vero saltem maioris numeri omnium in sessione capitulari praesentium, et pro condendis novis statutis duarum saltem ex tribus partibus suffragiorum.

## ELENCHUS

***decretorum synodi provincialis Westmonasteriensis, habitae in collegio Sanctae Mariae de Oscott, cum numero articulorum.***

Decretum de aperienda synodo, articulus unicus:
Decretum de methodo vitae, articulus unicus:
Decretum de non praeiudicando, articulus unicus:
Decretum de officialibus synodi, articulus unicus:
Decretum de non discedendo, articulus unicus;
Decretum de fide orthodoxa, articuli tres;
Decretum de modis tuendi fidem, articuli quinque:
Decretum de professione fidei emittenda, articulus unicus;
Decretum de hierarchia ecclesiastica, articulus B unicus;
Decretum de capitulis cathedralibus, articuli duodecim;
Decretum de modo commendandi ad episcopatum, articuli quinque;
Decretum de regimine missionum, articuli sex;
Decretum de vicariis generalibus, articuli septem;
Decretum de sacramentis in genere, articuli quinque;
Decretum de baptismo, articuli decem;
Decretum de confirmatione, articuli quinque;
Decretum de eucharistia, articuli viginti;
Decretum de poenitentia, articuli octo;
Decretum de extrema unctione, articuli quinque;
Decretum de ordine, articuli sex;
Decretum de matrimonio, articuli novem;
Decretum de praeceptis ecclesiae, articuli quinque;
Decretum de vita et honestate clericorum, articuli duodecim;
Decretum de rectoribus ecclesiarum, articuli quatuordecim:
Decretum de collegiis, articuli quinque;
Decretum de regularibus, articuli quinque;
Decretum de sanctimonialibus, articuli quinque;
Decretum de episcopis, articuli septem;
Decretum de statutis, articuli quinquaginta duo.

Omnia et singula in hac synodo statuta, decreta et acta, qua decet obedientia et reverentia, auctoritati, correctioni et emendationi sanctae Romanae ecclesiae, omnium ecclesiarum matris et magistrae, et Romani pontificis, Christi vicarii, iudicio, emendanda, corrigenda, mutanda subiicimus.

† Ego Nicolaus cardinalis Wiseman, archiepiscopus Westmonasteriensis, definiens subscripsi.

† Ego Ioannes, episcopus Beverlacensis, definiens subscripsi.

† Ego Gulielmus, episcopus Northantoniensis, definiens subscripsi.

† Ego Thomas-Iosephus, ordinis Sancti Benedicti, episcopus Newportensis et Menevensis, definiens subscripsi.

† Ego Gulielmus-Bernardus, episcopus Birminghamiensis, definiens subscripsi.

† Ego Gulielmus, episcopus Hagulstadensis, definiens subscripsi.

† Ego Thomas, episcopus Suthwarcensis, definiens subscripsi.

† Ego Gulielmus, episcopus Salfordensis, definiens subscripsi.

† Ego Georgius, episcopus Plymuthensis, definiens subscripsi.

† Ego Thomas, episcopus Cliftoniensis, definiens subscripsi.

† Ego Iacobus, episcopus Salopiensis, definiens A subscripsi.

Ego Iacobus Crooke, episcopi Liverpolitani procurator, eius nomine subscripsi.

Ego Franciscus Cheadle, procurator episcopi Nottinghamensis, eius nomine subscripsi.

Rodolphus Bagnall, canonicus Birminghamiensis, a secretis.
Alexander Goss, canonicus Liverpolitanus, a secretis.
Gulielmus Clifford, sacrae theologiae doctor, a secretis.

## EPISTOLA PATRUM
### ad sanctissimum dominum nostrum Pium papam IX.

Beatissime pater.

Etsi, cum primum a beatitudine vestra nobis concessa fuit ecclesiastica hierarchia, grati nostri B animi sensum per litteras significare non neglexerimus, nunc tamen, in nostro primo provinciali concilio adunati, hoc veluti incepti nostri principium esse duximus, ut denuo ad sacros beatitudinis vestrae pedes accedentes, quid de tanto beneficio, nunc experientia docti, sentiamus, toto cordis affectu pandamus.

Et quamvis, cum actis huius qualiscunque synodi uberior rerum a nobis peractarum sanctitatis vestrae ratio reddetur, voluimus tamen, et speciali decreto sancivimus, ut, priusquam absolveretur concilium, epistola, ab omnibus episcopis subscripta, beatitudini vestrae filialem nostrum affectum comprobaret, animumque simul gratissimum, quo sanctitatis vestrae praeclara in nos merita prosequimur.

Quae quidem si iam ante amplissima erant et eximia, nunc immensum aucta, novisque beneficiis cumulata cernimus, per ea quae sive erectionem C capitulorum cathedralium, sive normam pro commendatione ad episcopatum, sive denique novam regiminis fere parochialis formam, respiciunt; quae omnia adeo sapienter simul et benigne elargiri beatitudo vestra dignata est. In his enim omnibus pignus fiduciae et amoris paterni recognoscimus, non in nos solum, sed et in optimum Angliae clerum, qui nostros labores nostrasque aerumnas fidelissime nobiscum dividit.

Sed quid de innumeris pene emolumentis dicemus, quae ex hoc provinciali nostro concilio in universum populum nobis commissum haud immerito confidimus dimanatura? Neque enim aliunde nisi ex reparata hierarchia ista effluere unquam facile potuissent. Et re quidem vera, vix nobis verbis proferre licet, quanta cum pace et animi tranquillitate, quanta cum caritate et amore fraterno, omnia inter nos deliberata, discussa, et sine D partium studio, imo, uti speramus, sine aliquo humano affectu, definita et declarata fuerunt. Sed neque in frequentissimo clero, saeculari et regulari, qui undique a nobis vocatus, ad collaborandum nobis huc convenit, vel dissensio, vel aemulatio ulla fuit reprehendenda; omnes potius uno Deum colendi et ecclesiam aedificandi studio acti sunt, partesque sibi commissas diligenti hilarique animo praeclare egerunt.

Cum vero decreta a nobis proposita beatitudinis vestrae supremo iudicio submittantur emendanda et corrigenda, et apostolica auctoritate confirmanda, clare patebit quantum nobis cordi fuerit, ut non solum in iis quae ad fidem pertinent, sed etiam in minimis quibuslibet, nos sanctae ecclesiae Romanae adhaerentes et conformes demonstraremus.

Quare, beatitudinis vestrae sacros exosculantes pedes, summa devotione super nos et super commissos nobis greges apostolicam imploramus benedictionem.

Apud Sanctam Mariam de Oscott, die 17 iulii 1852.

Sanctitatis vestrae humillimus et devotissimus famulus et creatura.

Nicolaus, cardinalis Wiseman.

Humillimi et obsequentissimi et devotissimi filii et famuli:

† Ioannes, episcopus Beverlacensis.
† Gulielmus, episcopus Northantoniensis.
† Thomas-Iosephus, ordinis Sancti Benedicti, episcopus Newportensis et Meneviensis.
† Gulielmus-Bernardus, episcopus Birminghamiensis.
† Gulielmus, episcopus Hagulstadensis.
† Thomas, episcopus Suthwarcensis.
† Gulielmus, episcopus Salfordensis.
† Georgius, episcopus Plymuthensis.
† Thomas, episcopus Cliftoniensis.
† Iacobus, episcopus Salopiensis.

Procurator episcopi Liverpolitani, Ioannes Crooke, eius nomine subscripsi.

Procurator episcopi Nottinghamiensis, Franciscus Cheadle, eius nomine subscripsi.

## RESPONSUM
### sanctissimi domini nostri.

*Dilecto filio Nicolao sanctae Romanae ecclesiae presbytero cardinali Wiseman, [tituli] Sanctae Pudentianae, archiepiscopo Westmonasteriensi, et venerabilibus fratribus episcopis Angliae, Pius papa IX.*

Dilecte fili noster, ac venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. Summae quidem laetitiae et iucunditati nobis fuerunt litterae, quas, dilecte fili noster ac venerabiles fratres, die 17 proximi mensis iulii datas et a vobis subscriptas ad nos mittere voluistis, antequam provinciale concilium a vobis nuper concelebratum finem haberet, ut denuo maiorem in modum gratissimi animi vestri sensus profiteremini, ob ordinarium episcopale regimen a nobis iuxta communes ecclesiae regulas in isto Angliae regno restitutum. In iisdem enim litteris mirifice elucet eximia vestra religio, pietas, ac singularis erga nos et hanc Petri cathedram, catholicae unitatis centrum, fides, amor et observantia, atque egregia pastoralis cura et sollicitudo, qua tantopere animati estis in Dei gloriam amplificandam, ac dilectarum ovium salutem omni studio procurandam. Qui quidem religiosissimae vestrae mentis sensus vehementer nos delectarunt, etiamsi nec novi, nec inexspectati nobis fuerint; cum haud ignoremus qua virtute et quo catholicae rei studio praestetis. Iucundissimum autem nobis fuit, ex iisdem litteris agnoscere, omnem istum clerum summa animorum concordia auxiliariam vobis in provinciali concilio habendo praestitisse operam, ac luculenta suae pietatis exhibuisse specimina, nihilque vobis in eiusdem concilii actis conficiendis potius, nihil antiquius fuisse, quam Romanae ecclesiae, omnium ecclesiarum matris et magistrae, doctrinae firmiter adhaerere, atque intentissimo studio ea statuere, quae ad catholicam fidem tuendam, ad divini cultus splendorem augendum, ad ecclesiasticam disciplinam tutandam, ad spiritualem populorum salutem procurandam magis opportuna esse existimastis. Ac persuasissimum vobis sit, nos libentissimo prorsus animo eiusdem concilii acta esse excepturos, quae, veluti oportet, nostro et huius sanctae sedis iudicio subiicere optatis. Plane autem non dubitamus, dilecte fili noster, ac venerabiles fratres, quin vos, divino auxilio freti, ac maiori ea-

que alacritate ministerium vestrum implentes, in A omnibus vigilantes ac laborantes, veluti boni milites Christi Iesu, vestras omnes curas, cogitationes, studia, consilia in id potissimum semper conferre pergatis, ut catholica ecclesia eiusque salutaris doctrina maiora istic in dies incrementa suscipiat; ut ecclesiastici viri propriae vocationis et dignitatis semper memores, quotidie magis morum gravitate, vitae sanctitate, ac sacrarum praesertim disciplinarum scientia fulgere contendant, omniumque virtutum exempla christiano populo praebeant, ac proprii ministerii munia sub vestro ductu naviter, scienter ac religiose obeant, ac sempiternae hominum saluti studiosissime inserviant; ut fideles vobis concrediti magis magisque enutriti verbis fidei, et per gratiarum charismata confirmati, crescant in scientia Dei, et alacri pede incedant per semitas Domini; ut miseri errantes, discussa mentis caligine, et errorum tenebris dispulsis, veritatis lucem aspiciant, B et ad unicum Christi ovile redeant. Atque inter gravissimas angustias et difficultates, quae hisce praesertim asperrimis temporibus ab episcopali vestro ministerio abesse non possunt, ne despondeatis unquam animum; sed confortati in Domino et in potentia virtutis eius, pergite certare bonum certamen fidei, prae oculis habentes immarcessibilem illam gloriae coronam ab aeterno pastorum principe perseverantibus promissam; ac memoria repetentes, quod qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates. Pro certo autem habete nihil nobis gratius, nihil optabilius fore quam ea omnia peragere, quae ad maiorem vestram atque istarum ecclesiarum utilitatem conducere posse, noverimus. Interim vero haud omittimus in omni oratione et obsecratione, cum gratiarum actione, clementissimum misericordem patrem, et Deum totius consolationis humiliter enixeque exorare, ut uberrima quaeque suae bonitatis dona super vos propitius semper effundat, ac pastoralibus vestris curis et laboribus benedicat, quo in istis regionibus ecclesia sua sancta amplioribus ac splendidioribus augeatur et exornetur triumphis. Ac divini huius praesidii auspicem et potissimae nostrae in vos benevolentiae testem accipite apostolicam benedictionem, quam ex intimo corde profectam singulis vestrum, dilecte fili noster, et venerabiles fratres, cunctisque clericis, laicisque fidelibus vestrae vigilantiae concreditis peramanter impertimur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die 26 augusti anno 1852, pontificatus nostri anno septimo.

Pius papa IX.

# APPENDIX I.

## PARS I,

*continens documenta quae in actis synodi, tam in textu quam in notis, allegantur.*

### I. LITTERAE APOSTOLICAE

**pro institutione capitulorum cathedralium.**

PIUS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam. Nostris apostolicis C litteris, quae die 29 mensis septembris proxime elapsi, sub annulo piscatoris datae sunt, instauravimus in florentissimo Angliae regno ordinariam episcopalem hierarchiam, constituentes in illo metropolitanam ecclesiam Westmonasteriensem, et eiusdem suffraganeas episcopales ecclesias Suthwarcensem, Hagulstadensem, Beverlacensem, Liverpolitanam, Salfordensem, Cliftoniensem, Plymuthensem, Nottinghamiensem, Birminghamiensem, Northamptoniensem, Salopiensem, necnon Meneviensem et Newportensem invicem unitas, atque insuper declaravimus illorum omnium procurationem exigendam esse ad communes ecclesiastici iuris regulas, quas quidem eo in regno in omnibus, quae ad religionem et ecclesiam catholicam pertinent, servandas fore decrevimus, prout in supradictis nostris litteris uberius explicatum est. Deinde, aliis pluribus litteris apostolicis, datis pariter sub annulo piscatoris, suos D tribuimus pastores tum archiepiscopali ecclesiae Westmonasteriensi, tum aliis septem ecclesiis, Hagulstadensi nimirum, Beverlacensi, Liverpolitanae, Cliftoniensi, Birminghamiensi, Northamptoniensi et ecclesiis invicem unitis Meneviensi et Newportensi; ac tempus praestolantes, quo caeteris etiam suos dare episcopos valeamus, commisimus interea Westmonasteriensi archiepiscopo administrationem ecclesiae Suthwarcensis, episcopo Liverpolitano administrationem ecclesiae Salfordensis, episcopo Cliftoniensi administrationem ecclesiae Plymuthensis, episcopo Birminghamiensi administrationem ecclesiae Nottinghamiensis, ac tandem episcopo ecclesiarum unitarum Meneviensis et Newportensis administrationem demandavimus ecclesiae Salopiensis. Hisce igitur per diversas supra commemoratas nostras apostolicas litteras ita constitutis, curas modo nostras convertimus ad institutionem collegiorum canonicalium, eamque, ut celerius perfici valeat, ipsis praesulibus iam institutis duximus committendam. Itaque, motu proprio, et ex plenitudine apostolicae nostrae auctoritatis, dilecto filio nostro cardinali archiepiscopo Westmonasteriensi, et venerabilibus fratribus episcopis Hagulstadensi, Beverlacensi, Liverpolitano, Cliftoniensi, Birminghamiensi, Northamptoniensi, et episcopo unitarum ecclesiarum Meneviensis ac Newportensis committimus atque mandamus ut unusquisque illorum, nostro nomine et ex delegata a nobis potestate, constituat in dioecesi sua capitulum, quod ex una saltem dignitate et decem canonicis constet. Ad memoratas autem unitas ecclesias Meneviensem et Newportensem quod attinet, satis in praesens esse censemus, ut unicum pro utraque capitulare collegium instituatur. Mandamus insuper et eidem metropolitano antistiti, atque episcopis Liverpolitano, Cliftoniensi, Birminghamiensi, necnon episcopo unitarum ecclesiarum Meneviensis et Newportensis potestatem facimus, ut quisque illorum cathedrale capitulum eodem plane modo et ex delegata pariter apostolica auctoritate constituat in ea etiam ecclesia cuius administratio eidem a nobis demandata est. Iam vero capitula ipsa, ut primum instituta fuerint, omnibus fruentur iuribus, omnibusque obligationibus tenebuntur, quae metropolitani aut cathedralis cuiuscunque capituli ex communi sacrorum canonum iure propria sunt. Igitur, quoties deinde contigerit ut aliqua ex metropolitana aut episcopalibus Angliae ecclesiis pastore suo viduetur, et aemo sit, cui eiusdem administratio a sancta hac sede fuerit demandata, pertinebit ad capitulum in illa institutum, ut dioecesis procurationi prospiciat per deputationem vicarii capitularis, atque ad eum modum, qui communi canonum iure et Tridentini concilii decreto praescriptus est. Quod si eiusmodi alicuius ecclesiae vacatio contingat antequam in illa capituli institutio facta fuerit, vel si capitulum in ea constitutum officio suo rite atque praefinito tempore functum non sit, servandae pariter erunt communis ecclesiae iuris Tridentinique concilii regulae, ad quarum tramites cura eadem et vicarii deputatio ad metropolitanum antistitem, vel ad antiquiorem

alium episcopum pro casuum varietate spectabit. A Haec decernimus, mandamus, committimus et declaramus, non obstantibus iis omnibus, quae in supradictis nostris apostolicis litteris die 29 septembris huius anni datis non obstare decrevimus, caeterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annulo piscatoris, die 19 mensis novembris 1850, pontificatus nostri anno quinto.

A. cardinalis Lambruschini.

*(Locus † sigilli.)*

## II. EXTENSIO PRAECEDENTIUM FACULTATUM.

Ex audientia sanctissimi, habita die 10 augusti 1851. Sanctissimus dominus noster Pius, divina providentia papa IX, referente me infrascripto sacrae congregationis de Propaganda fide secretario, ad preces reverendissimi patris domini Thomae Grant, B episcopi Suthwarcensis, benigne annuit ut, quatenus vel in omnibus vel saltem in nonnullis ecclesiis Anglicani regni canonicorum capitula nondum erecta fuerint per antistites, quibus cura huiusmodi fuerat demandata in apostolicis litteraris diei 19 mensis novembris 1850, idem per episcopos qui memoratis ecclesiis praeficiuntur executioni demandetur, quibus proinde facultates omnes in antedictis apostolicis litteris concessae tribuuntur. Contrariis quibuscunque minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus dictae sacrae congregationis, die et anno ut supra.

Gratis sine ulla omnino solutione quocunque titulo.

*(Locus † sigilli.)* Al. Barnabo, a secretis.

## III. DECRETUM SACRAE CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE C

**circa capitula cathedralia pro ecclesiis noviter erectis in Angliae regno.**

21 aprilis 1852.

Quae circa erectionem capitulorum cathedralium, ex conventu superiore anno inter episcopos Angliae habito, ab eminentissimo ac reverendissimo domino Nicolao Wisemann, archiepiscopo Westmonasteriensi, fuerunt relata, in sacra congregatione diei 5 aprilis 1852 proposita sunt; cumque manifestum existat, ob adiuncta ecclesiarum recenter institutarum, nonnulla quae in iure canonico de capitulo ecclesiae cathedralis constituta habentur, exsecutioni statim in memoratis ecclesiis mandari haud posse: si sanctissimo domino placuerit, eminentissimi patres instructionem transmittendam censuerunt, ut ratio traderetur ea in re servanda, donec aliter decernatur.

Cum canonicales praebendae desint, et canonici curae animarum, iuventutis institutioni, aliisque offi- D ciis pro religionis bono, attento etiam mediocri sacerdotum numero, per dioecesim vacare debeant: existimarunt eminentissimi patres annuendum ut iidem ab onere residentiae penes cathedralem, et sacra officia persolvendi eximantur, ita tamen ut in proxima synodo provinciali episcopi curent de nonnullis diebus designandis, in quibus canonici chorum adire atque officia peragere teneantur, utque etiam apud episcopum congregentur, praesertim pro negotiis circa quae, ex sacris canonibus, capituli sententia est exquirenda.

Item, probanda visa est methodus proposita pro eligendis canonicis, adeo ut prima vice omnes, comprehensis quoque dignitatibus, per episcopos libere eligantur iuxta breve apostolicum; in posterum vero, observata mensium distinctione circa collationem [ex] sanctae sedis rescripto peragendam, in reliquis alternis vicibus nominatio fiat, vel libere per episcopum vel per capitulum, ea tamen ratione ut tres ecclesiastici viri semel, iterum vel tertio, episcopo exhibeantur, ut idoneus et undequaque commendatus ab eodem canonicus instituatur; aliter electio libere ad episcopum pertineat.

Placuit etiam eminentissimis patribus propositio episcoporum, ut dignitas in litteris apostolicis pro singulis cathedralibus capitulis decreta, titulo praepositi distinguatur.

Constituendi pariter erunt canonici theologus ac poenitentiarius, qui prima hac vice absque concursu ab episcopis pariter eligantur; deinde vero ad tramites sacrorum canonum. Poenitentiarius autem, quoad fieri potest, penes cathedralem ecclesiam moretur, in proxima vero synodo agatur de lectionibus per canonicum theologum habendis ad tramites dispositionum canonicarum, habito tamen respectu ad temporum locorumque circumstantias.

Cumque demum congruum admodum existat, ut qui in ecclesiae senatum, consiliarios episcopi ac praecipuos adiutores eiusdem pro administratione dioeceseos assumuntur, habitu quoque aliqua ratione distinguantur, admissa fuit antistitum petitio ut canonici, nulla facta distinctione dioeceseos aut gradus, supra superpelliceum assumant mozzetam nigri coloris, non tamen sericam, iuxta formam ab eminentissimo ac reverendissimo archiepiscopo Westmonasteriensi designandam.

Sententiam sacrae congregationis, sanctissimo domino nostro Pio papae IX ab infrascripto secretario relatam in audientia diei 6 aprilis, sanctitas sua benigne probavit, opportunis facultatibus concessis, eademque servari praecepit, contrariis quibuscunque non obstantibus.

Datum, etc.

Al. Barnabo, secretarius.

## IV. DECRETUM

**sacrae congregationis de Propaganda fide,**

*de capitulo Plymuthensi.*

21 aprilis 1852.

Cum in erectione capituli cathedralis ecclesiae Plymuthensis, iuxta litteras apostolicas sanctissimi domini nostri datas die 19 novembris anni 1850, difficultates occurrere possint, quod statim canonici eo numero haud valeant constitui, prout in memoratis litteris praefinitus reperitur: sacra congregatio de Propaganda fide, in generali conventu diei 5 aprilis 1852, ex voto eminentissimi ac reverendissimi domini archiepiscopi Westmonasteriensis ac reverendissimorum patrum dominorum Angliae episcoporum, censuit supplicandum sanctissimo, ut, firma in reliquis dispositione brevis remanente, capitulum Plymuthense erigatur, etiamsi praestitutus canonicorum numerus haud statim compleri valeat.

Hanc vero sacrae congregationis sententiam, sanctissimo domino nostro Pio papae IX ab infrascripto secretario relatam in audientia diei 6 eiusdem mensis et anni, sanctitas sua benigne in omnibus probavit, contrariis quibuscunque non obstantibus.

Datum, etc.

Al. Barnabo, secretarius.

## V. DECRETUM

**sacrae congregationis de Propaganda fide,**

*de capitulo Newportensi et Meneviensi.*

21 aprilis 1852.

Cum perspecta existant singularia merita monastici ordinis Sancti Benedicti quoad propagationem christianae religionis per Angliam, adeo ut pri-

vilegiis singularibus iamdiu in bonum ecclesiae A illius, institutum istud exornari meruerit; cum modo etiam congregatio Anglo-Benedictina in ea sit voluntate, ut suam operam in bonum ecclesiae Newportensis et Meneviensis maximo studio conferat; eminentissimus ac reverendissimus dominus sanctae Romanae ecclesiae cardinalis Nicolaus Wiseman, archiepiscopus Westmonasteriensis, ac reverendissimi patres domini Angliae episcopi votum suum sacrae congregationi aperuerunt, ut capitulum cathedrale, quod, iuxta tenorem litterarum apostolicarum die 19 novembris 1850, pro memorata ecclesia unicum modo esse debet, ex ipso monastico capitulo congregationis Anglo-Benedictinae in Newportensi urbe constituendo efficiatur, addita etiam facultate eligendi minorem numerum capitularium, si statim decem iuxta litteras apostolicas haberi nequeant.

Re autem proposita in generali sacrae congre- B gationis conventu habito die 5 aprilis 1852, omnibusque rite perpensis, eminentissimi patres annuendum censuerunt, ea tamen ratione ut integrum sedi apostolicae ius maneat eligendi episcopum etiam extra monachos, quoties necessitas aut utilitas id requirat; archiepiscopus vero et episcopi, auditis superioribus memoratae congregationis, instructionem conficiendam curent sacrae congregationis examini deinde subiiciendam, ut quae generatim pro regimine ecclesiarum Angliae constituuntur, ecclesiae Newportensi et Meneviensi, indulti huius ratione habita, aptari possint.

Hanc vero sacrae congregationis sententiam, sanctissimo domino nostro Pio papae IX relatam ab infrascripto secretario in audientia diei 6 eiusdem mensis et anni, sanctitas sua benigne in omnibus probavit ac ratam habuit iuxta tenorem superius expositum, contrariis quibuscumque haud ob- C stantibus, etc.

Datum, etc.

Al. Barnabo, secretarius.

## VI. DECRETUM

**sacrae congregationis de Propaganda fide,**

*de ecclesiis cathedralibus.*

21 aprilis 1852.

Restituta in Angliae regno episcopali hierarchia, datis quoque apostolicis litteris pro erectione capitulorum cathedralium, cathedrales ecclesiae pro archidioecesi Westmonasteriensi ac singulis dioecesibus ad tramitem sacrorum canonum essent constituendae. Porro, eminentissimus ac reverendissimus dominus sanctae Romanae ecclesiae cardinalis Nicolaus Wiseman, archiepiscopus Westmonasteriensis, collatis quoque consiliis cum reverendissimis D patribus dominis Anglicis episcopis, significavit nonnullas civitates in episcopales sedes adlectas talia adhuc haud habere templa, quae amplitudine, magnificentia atque omnimoda opportunitate, mereantur in perpetuum assumi in ecclesias cathedrales.

Proinde, preces porriguntur, ut pro Birminghamiensi quidem ecclesia cathedrale templum constituatur, quod in honorem sanctae Ceaddae, episcopi et confessoris, dicatum reperitur; pro Suthwarcensi, sancti Georgii; pro Nottinghamiensi, sancti Barnabae apostoli; pro Salfordiensi, sancti Ioannis apostoli: archiepiscopo vero Westmonasteriensi, caeterisque episcopis facultas detur constituendi, vice cathedralis ecclesiae, provisoria ratione, templum quod modo opportunius praesto sit, ut interim omnia ibidem peragantur veluti in ecclesia cathedrali, quae deinde erit suo tempore designanda atque in perpetuum constituenda.

Cum vero preces huiusmodi rationabiles visae sint eminentissimis patribus sacrae congregationis, in generali conventu habito die 5 aprilis, sanctissimus dominus noster Pius papa IX, audita relatione per infrascriptum secretarium eiusdem sacrae congregationis proposita in audientia diei 6 eiusdem mensis et anni, benigne eminentissimorum patrum sententiam probavit, ac precibus pro utraque parte indulsit; contrariis quibuscunque non obstantibus.

Datum, etc.

Alexander Barnabo, secretarius.

## VII. INSTRUCTIO

**sacrae congregationis de Propaganda fide pro Anglia, circa commendandos ad episcopatum.**

21 aprilis 1852.

Ut ecclesiae noviter per sanctissimum dominum nostrum in Angliae regno constitutae magis in dies floreant, iisdemque antistites iugiter praeficiantur qui vitae probitate, doctrina, zelo ac prudentia spectatissimi existant; peropportunum visum est, si ab ecclesiasticis viris, qui sacris obeundis muneribus inter alios praestiterunt, potissimum vero testimonio episcoporum pro tempore existentium, nonnulli apostolicae sedi commendentur, ex quibus eadem ad episcopalem gradum, quem magis idoneum censuerit, eligere valeat.

Commendatio vero huiusmodi tanti momenti esse noscitur, ut, inspectis animadversionibus ab eminentissimo ac reverendissimo domino Nicolao sanctae Romanae ecclesiae cardinali Wiseman ac reverendissimis patribus dominis episcopis Angliae redditis, ac re accurate perpensa, sacra congregatio de Propaganda fide, in generali conventu habito die 5 aprilis 1852, peculiari instructione methodum proponendam censuerit.

Cum episcopus est constituendus, capitulariter dignitarius et canonici illius ecclesiae conveniant, precibus de more praemissis ac praestito iuramento de secreto servando, tribus vicibus suffragia ferantur circa personas sanctae sedi veluti digniores commendandas. Si in aliqua ex tribus vicibus in favorem nullius adsint suffragia tot numero quae excedant maiorem partem vocum, actus nullius momenti existat, atque iterum suffragia ferantur.

Actus capitularis, rite descriptus atque obsignatus, transmittendus erit ad archiepiscopum, vel ad suffraganeum antiquiorem vacante sede archiepiscopali, vel si de commendandis ad ipsum archiepiscopatum agatur; ut coetus episcopalis, consiliis collatis, circa tria nomina alphabetico ordine descripta, quae in singulis votationibus maiorem suffragiorum partem obtinuerint ad sacram congregationem referat, suamque opinionem tradat, transmisso etiam ipso authentico capitulari actu.

Demum, cum contingere aliquando possit, ut canonici legitime impediantur ne ad capitulum, in quo huiusmodi fieri debet commendatio, accedant, censuit sacra congregatio admittendos tunc esse eorumdem procuratores ad effectum tantum tradendi schedam cum nomine et praenomine eligendi [1].

Caeterum, animadvertendum ac declarandum censuit sacra congregatio, his omnibus contineri tantummodo commendationem, adeo ut, quando necessarium vel opportunum videatur, apostolica

[1] Sive, prout postea a sacra congregatione explicatum est, tres schedas, cum nominibus trium virorum proponendorum. Notandum est generatim quod, sicubi aliqua discrepantia inveniatur, inter decreta synodi et documenta ipsa ad quae referuntur, hoc inde eveniat, quod ista ab ipsa sacra congregatione per subsequentes epistolas modificata fuerint. In praxi igitur adhaerendum textui synodi. — Nota cardinalis Wiseman.

sedes suo utatur iure alterum quoque, praeter A commendatos, eligendi.

Cum vero haec omnia sanctissimo domino nostro Pio papae IX ab infrascripto sacrae congregationis secretario relata fuerint in audientia diei 6 eiusdem mensis et anni, sanctitas sua benigne eadem probavit ac servari decrevit; contrariis quibuscunque haud obstantibus.

Datum, etc.

Alexander Barnabo, secretarius.

## VIII. DECRETUM

**sacrae congregationis de Propaganda fide,**

***de rectoribus missionariis instituendis.***

21 aprilis 1852.

Licet in episcopalis hierarchiae restitutione per Angliae regnum, communis ecclesiastici iuris observantia generatim praescripta fuerit, attamen ex- B ploratum est, cum praerequisita necessaria nonnullis in capitibus desint, quoad haec, perfici illud statim haud posse; adeo ut status missionis aliqua ex parte cum institutione dioecesium sit componendus, prout in aliis pluribus evenit, donec, Deo favente, ecclesiasticae communes regulae plenissime observari valeant. Huiusmodi profecto ea esse noscitur pars canonici iuris quae respicit ad paroeciarum institutionem; hinc factum est, ut eminentissimus ac reverendissimus dominus Nicolaus Wiseman, archiepiscopus Westmonasteriensis, ac reverendissimi patres domini episcopi Angliae quae sequuntur sanctae sedi approbanda subiecerint.

In singulis dioecesibus, auctoritate episcopi, attamen de consilio capituli, ecclesiae seligantur nonnullae quae magis aptae videntur ut ad instar paroeciarum haberi possint.

Iis ordinario praeficiatur rector missionarius, C qui ecclesiae et animarum curam gerat quemadmodum caeteri ecclesiis ibidem praepositi: attamen permanenter institutus habeatur.

In dioecesana synodo episcopus quinque presbyteros ex probatissimis eligat, qui *commissionem investigationis* constituant, atque unus ex his commissioni ipsi per episcopum praeficiatur.

Rectores missionarii permanenter instituti definitive deiici haud possint, nisi tribus, saltem ex memorata commissione ad causae examen adhibitis, atque eorum consilio accepto.

His vero relatis in generali sacrae congregationis conventu habito die 5 mensis aprilis 1852, eminentissimi patres iis quae proponuntur annuendum censuerunt.

Sanctissimus vero dominus noster, in audientia diei 6 aprilis, audita relatione per infrascriptum sacrae congregationis secretarium exhibita, senten- D tiam sacrae congregationis ac suprадictam methodum probavit ac servari interim voluit; contrariis quibuscunque non obstantibus.

Datum, etc.

Al. Barnabo, secretarius.

## IX. DECRETUM

**sacrae congregationis de Propaganda fide,**

***quo approbatur modus procedendi circa rectores missionarios.***

In generali sacrae congregationis conventu habito die 8 martii 1853, referente eminentissimo ac reverendissimo domino cardinali Raphaele Fornario, occasione recognitionis actorum ac decretorum synodi provincialis per Angliae antistites habitae, examini quoque proposita est formula ad mentem ipsius synodi elucubrata, et ab eminentissimo archiepiscopo Westmonasteriensi transmissa, quaeque inscribitur: ***Modus procedendi in consilio capiendo a concilio investigationis, priusquam finaliter deiiciatur rector missionarius***, quatuordecim articulis comprehensa: quaestione vero proposita num memorata methodus esset probanda, eminentissimi ac reverendissimi patres responderunt: ***affirmative.***

Datum Romae, ex aedibus sacrae congregationis de Propaganda fide, die 4 augusti 1853.

I.-Ph. cardinalis Fransoni, praefectus.

*(Locus † sigilli.)*

## X. MODUS

**procedendi in consilio capiendo a concilio investigationis priusquam finaliter deiiciatur rector missionarius.**

1. Ad concilium investigationis non recurratur, nisi prius clare et praecise exposita ab episcopo causa ad deiectionem finalem movente, ipse rector missionarius malit rem ad concilium deferri, quam sese sua sponte a munere et officio dimittere.

2. Cum episcopo visum fuerit consilium capere a *concilio investigationis* de rectore missionario finaliter deiiciendo, vicario suo generali vel alii sacerdoti ad hoc ab ipso deputato committat, ut relationem causae ad deiectionem moventis in scriptis conficiat, cum expositione investigationis hucusque peractae, et circumstantiarum quae causam vel eiusdem demonstrationem specialiter afficiant.

3. Locum, diem et horam opportunam ad conveniendum indicet, per litteras ad singulos consiliarios missas.

4. Rectorem missionarium, de quo agitur, ad locum et diem constitutum ad concilium habendum vocet per litteras; exponens, nisi prudentia vetet, causam ad deiectionem moventem, per extensum; monensque ipsum rectorem ut responsum rationibus suffultum praeparet in scriptis, ad ea quae in causae expositione vel iam antea oretenus, vel nunc in scriptis relata sunt.

5. Convenientibus consiliariis tempore et loco praefinitis, praecipiat episcopus silentium servandum de iis quae in concilio audiantur; moneat quoque investigationem non esse processum iudicialem, sed eo fine habitam, et eo modo faciendam, ut ad cognitionem veri quacunque ratione perveniatur, adeo ut unusquisque consiliarius, omnibus coram Deo perpensis, opinionem de veritate factorum quibus causa innititur, efformare quam accurate possit.

Moneat etiam ne quid in investigatione fiat, quod aut ipsos, aut alios periculo damni aut gravaminis exponat, praesertim ne locus detur actioni libelli famosi, vel alii cuicunque processui coram tribunali civili.

6. Relatio causae legatur coram concilio ab episcopi officiali, qui etiam ad interpellationes respondebit a praeside vel ab aliis consiliariis per praesidem faciendas ad uberiorem rei notitiam assequendam.

7. Deinde in concilium introducatur rector missionarius, qui responsum a se confectum leget et ad interpellationes similiter respondebit.

8. Tunc, collatis consiliis, si duabus saltem ex tribus partibus consiliariorum satis constare de factis videatur, sententiam suam unusquisque consiliarius in scriptis det, rationibus quibus nititur expressis; conferantur sententiae; acta in concilio ab episcopi officiali redigantur, et a praeside in nomine concilii subscribantur, et simul cum sententiis singulorum in extenso ad episcopum deferantur.

9. Quodsi ulterior investigatio necessaria vel congrua videatur, eo ipso die, vel alio ad conveniendum a concilio constituto, testes vocentur

quos opportunos concilium iudicaverit, audito etiam A rectore missionario de iis quos ipse advocandos esse voluerit.

10. Examinentur seorsim testes, pro causa, a praeside et ab aliis per praesidem, absente primum rectore missionario, quantum fieri potest accurate, non adhibito iuramento, sed, si non renuant ipsi, asserentibus testibus se paratos esse ad testimonium suum iuramento confirmandum, si occasio daretur.

11. Consentientibus testibus, et dirigente prudentia concilii, repetatur testimonium coram rectore missionario qui et ipse testes tunc interroget per praesidem.

12. Similiter examinentur testes contra causam.

13. Collatis tunc consiliis, fiat ut supra n. 8.

14. Quodsi testes nolint aut nequeant concilio assistere, aut eorum testimonium nondum satis luculentum negotium reddat, duo saltem ex consiliariis a concilio deputentur, qui testes adeuntes, B loca invisentes, vel alio quocunque modo possint, lumen ad dubia solvenda requirentes, relationem suae investigationis ad concilium deferant, ut ita nulla via intentata relinquatur ad verum moraliter certo cognoscendum.

## XI. INSTRUCTIO

**de custodia fontis baptismalis,**

*ex actis concilii Mediolanensis provincialis IV excerpta* [1].

**Fons baptismalis qua ratione construendus.**

Fons baptismalis e marmore, aut e solido lapide constet: qui si prae rimulis, aliave ratione ejusmodi est, ut inde aqua sensim effluat, lapis alius bene firmus, solidus ac tutus quamprimum comparetur.

Interea vero, ad aquam baptismalem tuto continendam, dum ille alter paretur, non vas fictile C alteriusve generis, sed aereum, stanno ab interiori parte illitum, tanta magnitudine quanta lapidis vacuitas est, ita ponatur, ut intrinsecus illum undique strictim attingens, beneque compactum eidem cohaerescat.

Habeat operimentum vel ciborium ad sacra olea tuto decenterque conservanda, in eo ipso fonte accomodatum, nisi ubi ex instructionibus nostris aliter exstruendum est. Conopaeo etiam e tela saltem opertum sit.

Tabellam habeat item intrinsecus, quae dimidia tantum aperiatur, fontisque ostium compresse claudens, aquam a pulvere et aliis sordibus cautius tueatur.

Quae tabella in omnibus fontibus sit, in quibus per infusionem baptizatur: in iis vero, in quibus immersio adhibetur, si petra ipsa pro eius magnitudine id patietur sine impedimento immersionis. D

Sepiatur omnino unumquodque baptisterium, si ferro vel lapide episcopi iudicio non poterit, saltem ligneis cancellis.

Praeterea, si extra fornicatam capellam, aut parietis concavitatem hemicycli instar constructam, totum aut ex parte sit; tum tegmen habeat, quod ex marmore, vel ex asseribus constet, aut saltem e tela decenter picta.

Decebit etiam in capella, aut in pariete proximo, sancti Ioannis imago Christum dominum baptizantis.

In ecclesiae ingressu collocatus sit fons baptismalis, isque a sinistra ingredientium parte, nisi quibus in ecclesiis pro situs ratione illum ab altera parte potius collocandum episcopus iudicarit. Quae vero baptisteria in ecclesiis capellisve eo potissimum nomine exstructis, cathedrali vel parochiali ecclesiae fere adhaerentibus exstant, illa non amoveantur: sed ecclesiae aut capellae ubi illa sunt, instaurentur aut reconcinnentur; ubi vero in ecclesiis praesertim insignioribus non sunt, in posterum eas vel ecclesias vel capellas aedificari, in illisque baptisterium construi idem episcopus curet.

In baptismali fonte, ubi per infusionem baptizatur, id plane caveatur, ut ne aqua capiti infantis infusa in eumdem fontem recidat, sed in sacrarium profluat: idque propterea sacrarium e marmore solidove lapide prope fontem construatur, ad praescriptum instructionum.

In baptismalis fontis ciborio, mantilia duo, eaque candida, ab omnique sorde munda asserventur, quae infantis capiti abstergendo usui sint.

Pluraque ideo in sacristia id generis mantilia certo loco conserventur.

Si vero vel mantilia vel sudariola ad eum usum aliquando afferuntur, ea nisi nova ne adhibeantur: tum nova adhibita, ne in profanum, sed in ecclesiae usum cui recte accommodari possint, convertantur; alioqui comburantur.

## XII. INSTUCTIO

**ad archiepiscopum Westmonasteriensem et episcopos Angliae, quoad facultatem servandi sanctissimam eucharistiam in nonnullis nobilium virorum oratoriis.**

Apud rusticanas aedes spectabilium virorum catholicorum capellae quasi ad ecclesiarum formam haud raro isthic occurrunt, interdum vero petitiones ad sanctam sedem diriguntur pro facultate obtinenda ut in illis sanctissima eucharistia asservari possit. In re quidem gravioris momenti uniformis quaedam methodus inducenda erat, proindeque episcoporum sententia visa est exquirenda, quae quidem, eminentia sua curante, occasione provincialis synodi superiore anno habitae, reddita fuit.

Omnibus itaque accurate perpensis, capellas hasce ex episcoporum sententia in tres classes placuit distinguere, iuxta nimirum differentias quasdam, quae in iisdem solent occurrere, nimirum ut opportuno singulis casibus provideatur.

Primo itaque capellae huiusmodi aliquando haud valde ab ecclesia distant: sunt vero *oratoria domestica*, prout strictim usu ecclesiastico dictio huiusmodi usurpatur, in bonum spirituale familiae constituta: in iis proinde regulae ecclesiasticae ea de re latae atque indultorum formulae erunt servandae; quoad alia in singulis casibus sanctae sedis sententia erit expostulanda.

Secundo, aliae occurrunt capellae, apud quas conveniunt non modo domestici et familiares, sed coloni quoque et cultores proximi territorii, atque insuper opportune admodum, praesto missionariis esse possunt, ut inde sanctissimam eucharistiam ad infirmos deferendam sumant, cum intervallo quodam haud exiguo ecclesia procul inde existat.

Demum tertio loco recensentur quae magis ab ecclesia distant, atque ea ratione constitutae sunt ut haberi possint veluti succursales et filiales quoad ecclesias pro animarum cura designatas.

Quoad itaque capellas secundae et tertiae speciei, eminentissimi patres censuerunt permittendum ut ex episcopi sententia sanctissimum sacramentum in iis haberi possit; ita tamen ut iudicio ipsius episcopi oratoria huiusmodi *publica* vel *quasi publica* habeantur; insuper vero quotidie vel saltem in hebdomada sacrosanctum missae sacrificium in iisdem offeratur; demum servatis servandis, atque antistitum necnon virorum ad quos capellae pertinent, onerata conscientia.

Cum vero sanctissimus dominus noster eminentissimorum patrum sententiam in omnibus probaverit,

[1] Parte II, cap. 2. [Mansi, Concil., XXXIV, [illegible]].

facultatesque opportunas ad sanctae sedis beneplacitum tribuerit, haec significantur eminentiae suae, ut caeteri quoque Angliae antistites regulas ea de re servandas opportune dignoscere valeant.

Datum Romae, ex aedibus sacrae congregationis de Propaganda fide, die 14 maii 1853.

J. Ph. cardinalis Fransoni, praefectus.
Al. Barnabò, a secretis.

*(Locus † sigilli.)*

## XIII. EXTENSIO TEMPORIS PASCHALIS.

Beatissime pater.

Attenta paucitate missionariorum per Angliam, cumque Hiberni, quorum plures in Anglia degunt, extensionem temporis ad paschale praeceptum adimplendum obtinuerint, archiepiscopus et episcopi concilii provincialis Angliae petunt pro toto [regno] Angliae extensionem temporis paschalis a feria IV Cinerum ad dominicam in Albis.

Ex audientia sanctissimi habita die 13 martii 1853.

Sanctissimus dominus noster Pius divina providentia papa IX, referente infrascripto sacrae congregationis de Propaganda fide secretario, ex voto eminentissimorum patrum eiusdem sacrae congregationis, benigne annuit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus sacrae congregationis de Propaganda fide, die 14 mai 1853.

Gratis sine ulla omnino solutione quocumque titulo.

*(Locus † sigilli.)* Al. Barnabò, a secretis.

## XIV. DE ABSOLUTIONE
### ab irregularitate, ab alieno episcopo ordinante impertienda.

Beatissime pater.

Cum in formula secunda quae episcopis Angliae concedi solet, statuatur nullum episcopum posse facultatibus in ea datis uti extra fines suae dioeceseos, cumque saepenumero accidat, quod unus episcopus ordinationes habere debeat pro seminario pluribus dioecesibus communi, archiepiscopus et episcopi concilii provincialis Angliae petunt, ut episcopus ordinans vel in seminario vel extra possit, de consensu ordinarii cuiusque ex candidatis, ipsos absolvere ab irregularitate qua forte ligantur, servato caeteroquin tenore eiusdem formulae secundae.

Ex audientia sanctissimi habita die 13 martii 1853.

Sanctissimus dominus noster Pius, divina providentia papa IX, referente me infrascripto sacrae congregationis de Propaganda fide secretario, iuxta eminentissimorum patrum sententiam, benigne petitioni annuit, contrariis quibuscumque haud obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus dictae sacrae congregationis, die 14 maii 1853.

*(Locus † sigilli.)* Al. Barnabò, a secretis.

## XV. DECRETUM
### sacrae congregationis de Propaganda fide.
*De ordinationibus extra tempora.*

21 aprilis 1852.

Eminentissimus ac reverendissimus dominus cardinalis N. Wiseman, archiepiscopus Westmonasteriensis, ac reverendissimi patres domini episcopi Angliae, significarunt dubia aliquando exoriri, circa facultatem extraordinariam quae in formula iisdem concessa numero primo continetur, pro ordinationibus extra tempora in iure canonico praefinita exercendis, cum in Anglia seminaria quaedam pluribus dioecesibus communia reperiantur, in quibus clerici aliis episcopis subiecti instituuntur. Precibus itaque propositis, in generali conventu habito die 5 aprilis anni 1852, eminentissimi patres annuendum censuerunt, ut episcopi in cuius dioecesibus seminaria huiusmodi constituta habeantur, memorata facultate favore etiam non subditorum utantur, praevio tamen consensu respectivi ordinarii.

Hanc vero sacrae congregationis sententiam sanctissimo domino nostro Pio papae IX ab infrascripto sacrae congregationis secretario relatam, in audientia diei 6 eiusdem mensis et anni, sanctitas sua benigne probavit, atque ea ratione porrectis precibus indulsit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum, etc. Al. Barnabò, secretarius.

## XVI. DE ORDINATIONE
### ad titulum missionis.

*Decretum sacrae congregationis de Propaganda fide.*

Eminentissimus ac reverendissimus dominus sanctae Romanae ecclesiae cardinalis Nicolaus Wiseman, archiepiscopus Westmonasteriensis, et reverendissimi patres domini episcopi Angliae, adnotandum duxerunt, attento suarum ecclesiarum statu, haud facile clericos ad maiores ordines per titulos passim receptos promoveri posse: proindeque postularunt ut pro quodam numero casuum facultas sibi tribueretur ordinandi ad titulum missionis. Relatis hisce precibus in generali conventu sacrae congregationis habito die 5 aprilis 1852, eminentissimi patres censuerunt, si sanctissimo placuerit, tribuendam esse facultatem iuxta tenorem concessionis quae anno 1741 Hiberniae episcopis facta est, nempe ut episcopi qui Anglicis ecclesiis praesunt, clericos suarum respective dioecesum ad titulum missionis, usque ad numerum duodecim promovere possint, praestito tamen prius ab ipsis ordinandis iuramento exercendi missiones, ad formam iuramenti alumnorum pontificiorum, atque onerata in omnibus conscientia ordinariorum.

Hanc vero sacrae congregationis sententiam sanctissimo domino nostro Pio papae IX, in audientia diei 6 eiusdem mensis et anni ab infrascripto secretario relatam, sanctitas sua benigne probavit, ac facultatem iuxta propositum tenorem concessit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus sacrae congregationis de Propaganda fide, die 21 aprilis 1852.

J.-Ph. cardinalis Fransoni, praefectus.

*(Locus † sigilli.)* Alexander Barnabò, a secretis.

## XVII. EXTENSIO PRAECEDENTIS RESCRIPTI.

Beatissime pater.

Cum, propter locorum necessitates, vix sperari possit quod beneficia ad ordinandorum titulum constituendum sufficientia erigantur, nec facile etiam sit patrimonii titulo supplere, archiepiscopus Westmonasteriensis et episcopi Angliae, ex provinciali concilio, supplicant ut sanctitas vestra dignetur ulterius extendere indultum superiori anno impertitum, ut titulo missionis ordinare valeant.

Ex audientia sanctissimi habita die 13 martii 1853.

Sanctissimus dominus noster Pius divina providentia papa IX, referente me infrascripto sacrae congregationis de Propapanda fide secretario, ex voto eminentissimorum patrum sacrae congregationis benigne annuit ut archiepiscopus et episcopi singuli duodecim candidatos missionis titulo promovere valeant, servatis praescriptionibus primi indulti, contrariis quibuscumque haud obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus dictae sacrae congregationis, die 14 martii 1853.

*(Locus † sigilli.)* Alexander Barnabò, a secretis.

### XVIII. DE FESTIS SANCTORUM PATRONORUM A
**ad dominicam sequentem transferendis.**

Beatissime pater.

Archiepiscopus et episcopi concilium provinciale in Anglia habentes, cum devotionem erga sanctos patronos per Angliam promovere exoptent, pro singulis episcopis facultatem petunt ut indulgere possint, ubi expedire iudicaverint, quod celebretur missa sancti patroni loci vel sancti sub cuius invocatione ecclesia constituta existit, dominica proxime sequenti festum ipsum absque ulla immutatione in reliquis officii currentis, et hoc etiamsi patronus electus non fuerit ad tramitem constitutionis Urbani VIII super eligendis patronis, vel etiamsi ecclesia non fuerit consecrata.

Ex audientia sanctissimi habita die 13 martii 1853.

Sanctissimus dominus noster Pius divina providentia papa IX, referente me infrascripto sanctae congregationis de Propaganda fide secretario, atque B attento eminentissimorum patrum sacrae congregationis suffragio, benigne annuit, dummodo non agatur de dominica vel festo occurrente ex solemnioribus: id vero permisit, contrariis quibuscumque haud obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus dictae sacrae congregationis, die 14 maii 1853.

*(Locus † sigilli.)* Al. Barnabò, a secretis.

### XIX. INDULGENTIAE IN FESTIS
**sancti Georgii et sancti Patritii.**

Beatissime pater.

Ad promovendam devotionem erga sanctum Patritium, Hiberniae apostolum, et sanctum Georgium, Angliae patronum, archiepiscopus Westmonasteriensis et episcopi Angliae, concilium provinciale habentes, petunt in perpetuum indulgentiam ple- C nariam animabus defunctorum applicabilem, lucrandam ab iis omnibus qui, a primis vesperis usque ad occasum solis festorum sancti Georgii et sancti Patritii, confessi et sancta synaxi refecti, pias ad Deum preces fuderint in aliqua Angliae ecclesia vel sacello, iuxta mentem summi pontificis.

Ex audientia sanctissimi habita die 13 martii 1853.

Sanctissimus dominus noster Pius divina providentia papa IX, proposita per infrascriptum sacrae congregationis de Propaganda fide relatione descripti supplicis libelli, necnon favorabilis voti sacrae congregationis, benigne in omnibus annuit iuxta petita, contrariis quibuscumque haud obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus dictae sacrae congregationis de Propaganda fide, die 16 maii 1853.

Gratis sine ulla omnino solutione quovis titulo.

*(Locus † sigilli.)* Al. Barnabò, a secretis.

### XX. DE FESTO SANCTI PATRITII
**sub ritu duplici in Anglia celebrando.**

Beatissime pater.

Cum ingens sit ubique terrarum gloria praeclari episcopi et confessoris sancti Patritii, Hiberniae apostoli, plurimique inveniantur Hiberni in omnibus fere Angliae congregationibus, archiepiscopus Westmonasteriensis et episcopi Angliae, in concilio provinciali congregati, humillime postulant ut sanctitas vestra benigne dignetur festum eiusdem ad ritum duplicis maioris pro Anglia elevare.

Ex audientia sanctissimi habita die 13 martii 1853.

Sanctissimus dominus noster Pius divina providentia papa IX, referente me infrascripto sacrae congregationis de Propaganda fide secretario, descriptas preces, necnon votum eminentissimorum patrum sanctae eiusdem congregationis, benigne annuit iuxta petita; contrariis quibuscumque haud obstantibus.

Datum [Romae], ex aedibus dictae sacrae congregationis de Propaganda fide, die 14 maii 1853.

Gratis absque ulla omnino solutione quocumque titulo.

*(Locus † sigilli.)* Al. Barnabò, a secretis.

### XXI. CONCEDITUR EPISCOPIS
**facultas erigendi confraternitates.**

Ex audientia sanctissimi habita die 31 augusti 1851.

Sanctissimus dominus noster Pius divina providentia papa IX, referente me infrascripto sacrae congregationis de Propaganda fide secretario, ad preces reverendissimi patris domini Thomae Grant, episcopi Suthwarcensis, benigne concessit eminentissimo ac reverendissimo archiepiscopo Westmonasteriensi, necnon omnibus ac singulis reverendissimis patribus dominis episcopis suffraganeis regni Anglicani, facultatem, ad quinquennium, erigendi in locis respectivae iurisdictionis, pium exercitium viae crucis et omnes confraternitates a sancta sede approbatas, cum potestate eisdem ascribendi utriusque sexus fideles, ac benedicendi scapularia et insignia earumdem confraternitatum propria, cum applicatione omnium indulgentiarum et privilegiorum quae a summis pontificibus tum praefatum exercitium viae crucis peragentibus, tum confraternitatibus, scapularibus, etc., impertita sunt.

Datum Romae, ex aedibus dictae sacrae congregationis, die et anno ut supra.

Gratis sine ulla omnino solutione quovis titulo.

*(Locus † sigilli.)* Al. Barnabò, a secretis.

### XXII. EPISTOLA
**de missionariorum regularium remotione.**

Eminentissime ac reverendissime domine mi observandissime.

Ut nonnullae missiones Anglici regni creditae regularibus rite administrentur, attento etiam quod ibidem haud plurimi suppetant, sacra congregatio, cum examen synodi provincialis perageret, non modo probavit vota episcoporum quoad methodum pro casu remotionis, quae decreto XXVII, n. 2, continentur, verum peculiariter eamdem methodum commendandam decrevit, utque insuper instructio traderetur nuper edita pro missionariis regularibus apud Sinas. Sententia sacrae congregationis per sanctissimum dominum nostrum probata, eminentiae tuae peculiari epistola exhibetur, quae appendicis D modo decretis synodalibus adiungi valeat, simulque porriguntur memoratae instructionis exemplaria nonnulla, ut episcopis et superioribus ordinum regularium per eminentiam tuam manifesta eadem reddatur.

Interea, manus obsequenter deosculans, maneo eminentiae tuae, humillimus et addictissimus famulus

J.-Ph., cardinalis Fransoni, praefectus.

Al. Barnabò, a secretis.

Eminentissimo ac reverendissimo domino cardinali N. Wiseman, archiepiscopo Westmonasteriensi, Londinum.

### XXIII. DECRETUM
**sacrae congregationis de Propaganda fide, pro episcopis Angliae, ut pontificalia extra propriam dioecesim exercere valeant.**

21 aprilis 1852.

Ex negligentia antistitum circa onus residentiae ut ubique mala gravissima obvenirent, potissimum

id valet quoad regiones in quibus, ob admistionem A infidelium vel haereticorum, gravioribus periculis fideles obiiciuntur. Proinde, episcopis et vicariis apostolicis regionum, ad quas sacrae congregationis de Propaganda fide sollicitudo extenditur, indictum haud semel fuit, ne, extra propriam dioecesim vel vicariatum, pontificalia, etiam de consensu ordinariorum, exerceant.

Porro, cum dubitari haud valeat de studio episcoporum Angliae in huiusmodi residentiae lege servanda, iidemque postulaverint ut tenor regulae huiusmodi in suum favorem relaxetur, sacra congregatio de Propaganda fide, in generali conventu habito die 5 aprilis 1852, attento quod haud raro necessarium vel opportunum admodum existat, ut iidem admitti possint ad pontificalia exercenda in aliis Angliae ipsius dioecesibus, aliquando etiam in proximis regionibus Hiberniae et Scotiae; censuit supplicandum sanctissimo pro relaxatione memoratae B inhibitionis in favorem episcoporum Angliae quoad tria regna unita, in quibus proinde, de consensu ordinariorum, pontificalia iidem exercere valeant.

Hanc vero sacrae congregationis sententiam sanctissimo domino nostro Pio papae IX ab infrascripto secretario relatam, in audientia diei 6 eiusdem mensis et anni, sanctitas sua benigne probavit, et iuxta propositum tenorem facultates concessit; contrariis quibuscumque haud obstantibus.

Datum, etc.

J. Ph. cardinalis Fransoni, praefectus.

*(Locus † sigilli.)* Al. Barnabò, a secretis.

## XXIV. DE HABITU CANONICALI
### in ecclesia propria gerendo.

Beatissime pater.

Cum raro admodum in Anglia possint canonici convenire, congruum autem videatur ut distinctiori habitu ipsis concesso frequentius valeant uti: archiepiscopus Westmonasteriensis et episcopi ad provinciale concilium collecti, humillime petunt ut canonicus quilibet in ecclesia cui inservit, etiamsi non sit cathedralis, habitum canonicalem deferre valeat.

Ex audientia sanctissimi habita die 13 martii 1853.

Sanctissimus dominus noster Pius divina providentia papa IX, referente me infrascripto sacrae congregationis de Propaganda fide secretario, ex voto sacrae congregationis, benigne precibus annuit, contrariis quibuscumque haud obstantibus.

Datum Romae ex aedibus sacrae congregationis, die 14 mai 1853.

*(Locus † sigilli.)* Al. Barnabò, a secretis.

## PARS II,

*continens alia documenta ecclesiastica ad synodum pertinentia, sed in actis non allegata.*

## I. DITTERAE APOSTOLICAE
### sanctissimi domini nostri quibus hierarchia episcopalis in Anglia restituitur.

PIUS PAPA IX

ad perpetuam rei memoriam.

Universalis ecclesiae regendae potestas Romano pontifici in sancto Petro apostolorum principe a domino nostro Iesu Christo tradita praeclaram illam in apostolica sede sollicitudinem quacunque aetate servavit, qua religionis catholicae bono ubicunque terrarum consuleret, eiusque incremento studiose provideret. Id autem divini ipsius fundatoris consilio respondit, qui, capite constituto, ecclesiae incolumitati usque ad consummationem saeculi singulari sapientia prospexit. Pontificiae huius sollicitudinis fructum sensit, una cum aliis populis, inclytum Angliae regnum, cuius historiae testantur christianam religionem vel a primis ecclesiae saeculis in Britanniam invectam esse, atque in ea deinde plurimum floruisse; sed medio circiter saeculo quinto, posteaquam Angli et Saxones in eam insulam advocati sunt, non modo publicas illic res, sed etiam religionem maximis fuisse detrimentis affectam. Con- D stat vero simul sanctissimum praedecessorem nostrum Gregorium Magnum, misso primum cum sociis Augustino monacho, atque eo postmodum aliisque pluribus ad episcopalem dignitatem evectis, additaque iis magna presbyterorum monachorum copia, Anglo-Saxonis adduxisse, ut christianam religionem amplecterentur, et virtute sua effecisse, ut in Britannia, quae Anglia etiam appellari coepit, catholica iterum restituta undique fuerit et amplificata religio.

Sed ut quae sunt recentiora commemoremus, nihil in tota Anglicani schismatis, quod saeculo decimo sexto excitatum est, historia manifestius arbitramur, quam Romanorum pontificum praedecessorum nostrorum impensam curam, et nunquam intermissam, ut religioni catholicae in eo regno in maximum periculum, et ad extremum discrimen adductae succurrerent, et quaecunque possent ratione auxilium afferrent. Quo inter alia spectant, ea quae a summis pontificibus, vel ipsis mandantibus, atque probantibus provisa gestaque sunt, ut in Anglia haudquaquam deessent qui catholicarum illic rerum curam susciperent, itemque ut adolescentes catholici bonae indolis, ex Anglia in continentem venientes, educarentur, atque ad scientias praesertim ecclesiasticas diligenter informarentur; qui sacris subinde C ordinibus insigniti et in patriam reversi, sedulam navarent operam popularibus suis verbi et sacramentorum ministerio iuvandis, et verae fidei ibidem tuendae ac propagandae. Verum ea sunt fortasse clariora, quae praedecessorum nostrorum studium respiciunt, ut Angli catholici, quos tam atrox et saeve tempestas episcoporum praesentia et pastorali cura privaverat, praesules iterum haberent episcopali charactere insignitos. Iam vero Gregorii XV litterae apostolicae incipientes *Ecclesia Romana*, datae die 23 martii anni 1623, ostendunt, summum pontificem, ubi primum potuit, Gulielmum Bishopium, consecratum episcopum Chalcedonensem, cum satis ampla facultatum copia, et cum ordinariorum propria potestate ad Angliae et Scotiae catholicos gubernandos destinasse; quod postea Urbanus VIII, Bishopio mortuo, missis ad Richardum Smith similis exempli litteris apostolis die 4 februarii anni 1625, renovavit, episcopatu Chalcedonensi, et iisdem, quae Bishopio concessae fuerant, facultatibus Smithio tributis. Visa sunt in posterum, cum Iacobus II in Anglia regnare coepisset, catholicae religioni feliciora tempora obventura esse. Hac vero opportunitate Innocentius XI statim usus, Ioannem Leyburnium, episcopum Andrumetenum, totius Angliae regni vicarium apostolicum annum 1685 deputavit. Quo facto, aliis litteris apostolicis die 30 ianuarii anni 1688 editis, quarum initium est *Super cathedram*, Leyburnio tres alios episcopos ecclesiarum in partibus infidelium titulis insignitos, vicarios apostolicos adiunxit. Quapropter, Angliam universam, operam dante apostolico in Anglia nuntio Ferdinando, archiepiscopo Amasiensi, in quatuor districtus pontifex ille partitus est Londinensem scilicet, occidentalem, medium, et septentrionalem, quibus omnibus vicarii apostolici cum opportunis facultatibus, et cum ordinarii locorum propria potestate

praeesse coeperunt. Eis autem auctoritate sua, sapientissimisque responsis tum Benedicti XIV edita die 30 maii 1753 constitutione, quae incipit: *Apostolicum ministerium*, tum alii pontifices praedecessores nostri, ac nostra Propagandae fidei congregatio ad tam grave munus rite recteque gerendum, normae et adiumento fuerunt. Haec vero totius Angliae in quatuor vicariatus apostolicos partitio usque ad Gregorii XVI tempora perduravit, qui, litteris apostolicis die 3 iulii anni 1840 datis, incipientibus *Muneris apostolici*, habita praesertim ratione incrementi, quod religio catholica in eo regno iam acceperat, novaque facta regionum ecclesiastica partitione, duplo maiorem vicariatuum apostolicorum numerum excitavit, et Angliam totam vicariis apostolicis Londinensi, occidentali, orientali, centrali, Walliensi, Lancastriensi, Eboracensi, et septentrionali, in spiritualibus gubernandam commisit. Quae cursim hoc loco, aliis pluribus praetermissis, indicavimus, perspicuo documento sunt, praedecessores nostros in id vehementer incubuisse, ut quantum auctoritate sua valebant, ad ecclesiam in Anglia ex permagna calamitate recreandam ac reficiendam, adniterentur et laborarent. Habentes itaque ob oculos praeclarum huiusmodi decessorum nostrorum exemplum, illudque pro supremi apostolatus officio aemulari volentes, et animi etiam nostri inclinationi erga dilectam illam dominicae vineae partem obsecundantes, vel ab ipso pontificatus nostri exordio nobis proposuimus opus tam bene coeptum prosequi, et ad ecclesiae utilitatem in eo regno quotidie magis augendam nostra impensiora studia revocare.

Quamobrem, universum, ut nunc est, in Anglia rei catholicae statum diligenter considerantes, ac permagnum catholicorum numerum, qui passim ibi amplior evadit, animo rependentes, atque impedimenta illa in dies auferri nobiscum cogitantes, quae catholicae religionis propagationi valde obfuerunt, tempus advenisse reputavimus, ut regiminis ecclesiastici forma in Anglia ad eum modum restitui possit, in quo libere est apud alias gentes, in quibus, nulla sit peculiaris causa, ut extraordinario illa vicariorum apostolicorum ministerio regantur. Temporum scilicet ac rerum adiuncta effecisse sentiebamus, ut necesse non sit diutius Angliae catholicos a vicariis apostolicis gubernari, immo vero talem inibi rerum conversionem factam esse, ut ordinarii episcopalis regiminis formam flagitaret. Accessit his, Angliae vicarios apostolicos ipsos id interea a nobis communi suffragio petiisse, permultos, tam clericos quam laicos virtute ac genere spectatos viros hoc idem a nobis precatos esse, aliosque Angliae catholicos longe plurimos id in votis habere. Haec animo volventes non omisimus Dei optimi maximi auxilium implorare, ut in rei tam gravis deliberatione id quod ad ecclesiae bonum augendum expeditius futurum esset, nos intelligere et recte implere possemus. Beatissimae praeterea Mariae virginis deiparae, et sanctorum, qui Angliam virtute sua illustrarunt, opem invocavimus, ut ad negotium istud feliciter absolvendum, suo apud Deum patrocinio nobis adesse dignarentur.

Tum vero rem universam venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus nostrae congregationis Propagandae fidei sedulo graviterque perpendendam commisimus. Eorum autem sententia fuit desiderio illi nostro prorsus consentanea, quam libenter probandam, et ad affectum perducendam iudicavimus. Itaque, post rem universam a nobis etiam accurata consideratione perpensam, motu proprio, certa scientia, ac de plenitudine apostolicae nostrae potestatis, constituimus atque decernimus, ut in regno Angliae refloreat, iuxta communes ecclesiae regulas, hierarchia ordinariorum episcoporum, qui a sedibus nuncupabuntur, quas hisce ipsis nostris litteris in singulis apostolicorum vicariatuum districtibus constituimus. Atque, ut a districtu Londinensi initium faciamus, duae in eo sedes erunt, Westmonasteriensis scilicet, quam ad metropolitanae seu archiepiscopalis dignitatis gradum evehimus, et Suthwarcensis, quam, uti et reliquas mox indicandas, eidem suffraganeas assignamus. Et Westmonasteriensis quidem dioecesis eam habebit memorati districtus partem, quae ad septentrionem protenditur fluminis Tamesis, et comitatus Middlesexiensem, Essexiensem atque Hertfordiensem complectitur. Suthwarcensis vero partem reliquam ad meridiem fluminis, videlicet comitatus Bercheriensem, Suth-Hantoniensim, Surreiensem, Sussexiensem, et Kantiensem, una cum insulis Vecta, Ierseia, Guerneseia, aliisque prope illas sitis. In districtu septentrionali unica erit sedes episcopalis, ab urbe Hagulstadensi nuncupanda, cuius dioecesis iisdem, quibus districtus ille, finibus continebitur. Eboracensis etiam districtus unicam efficiet dioecesim, cuius episcopus in urbe Beverlaco sedem habebit. In districtu Lancastriensi duo erunt episcopi, quorum alter a Liverpolitana sede appellandus, pro dioecesi habebit, cum insula Mona, centurias Lonsdale, Amounderness, et West Derby; alter vero sedem habiturus a Salfordiensi urbe nuncupandam, pro dioecesi obtinebit centurias Salford, Blackburn et Leyland. Quod vero attinet ad Cestriensem comitatum, etsi ad districtum ipsum pertineat, eum nunc alii dioecesi adiungemus. In districtu Walliensi erunt binae sedes episcopales, Salopiensis scilicet, ac Meneviensis et Newportensis invicem unitae. Salopiensis quidem dioecesis, ad septentrionalem districtus partem, complectetur comitatus qui dicuntur Angleseia, Caernarvonensis, Denbighensis, Flintensis, Mervinensis et Montgomeriensis, quibus adiungimus Cestriensem comitatum ex districtu Lancastriensi, et ex centrali districtu comitatum Salopiensem. Episcopo autem Meneviensi et Newportensi pro dioecesi assignamus, ad meridionalem districtus partem, comitatus Brechiniensim, Maridunensem, Ceretícensem, Glamorganiensem, Penbrochiensem et Radnoriensem necnon Anglos comitatus Monumenthensem et Herefordensem. In districtu occidentali duas constituimus episcopales sedes: Cliftoniensem et Plymuthensem, quarum illi pro dioecesi assignamus comitatus Glocestriensem, Somersettensem et Wiltoniensem: huic vero comitatus Devoniensem, Dorcestriensem et Cornubiensem. Centralis districtus a quo Salopianum comitatum iam seiunximus, duas habebit episcopales sedes: Nottinghamiensem et Birminghamiensem; quarum primae pro dioecesi assignamus comitatus Nottinghamiensem, Derbiensem, Leicestriensem, nec non comitatus Lincolniensem et Rutlandensem, quos a districtu orientali separamus; alteri vero Staffordiensem, Warwicensem, Wigorniensem et Oxoniensem. Tandem, in districtu orientali unica erit episcopalis sedes, quae a Northantoniensi urbe nuncupabitur, habebitque pro dioecesi districtum iisdem quibus in praesens limitibus definitum, exceptis tamen comitatibus Rutlandensi et Lincolniensi, quos supradictae Nottinghamiensi dioecesi iam assignavimus. Ita igitur in florentissimo Angliae regno unica erit provincia ecclesiastica ex uno archiepiscopo seu metropolitano antistite, et duodecim episcopis illius suffraganeis constituta; quorum studiis et pastoralibus curis catholicam illic rem, Deo dante, uberibus in dies auctibus amplificandam confidimus.

Quare, nobis et Romanis pontificibus successoribus nostris iam nunc reservatum volumus ut provinciam ipsam in plures dispertiamus, et augeamus prout res tulerit dioecesium numerum; ac generatim, ut quemadmodum opportunum in Domino visum fuerit, novas illarum circumscriptiones libere decernamus. Interea, archiepiscopo et episcopis supradictis mandamus, ut relationes de suarum ecclesiarum statu ad nostram congregationem Propagandae fidei debitis temporibus trasmittant, nec desistant eamdem instructam reddere de iis omnibus, quae spirituali suarum ovium bono noverint profutura. Nos enim in rebus ad Anglicanas ecclesias pertinentibus ministerio eiusdem congregationis uti pergemus. Verum in sacro cleri populique regimine, atque in caeteris quae ad pastorale officium pertinent, archiepiscopus et episcopi Angliae iam nunc omnibus fruentur iuribus et facultatibus, quibus alii aliarum gentium catholici archiepiscopi et episcopi ex communi sacrorum canonum et apostolicarum constitutionum ordinatione utuntur et uti possunt, atque obstringentur pariter iis obligationibus quae alios archiepiscopos et episcopos ex eadem communi catholicae ecclesiae disciplina obstringunt. Quaecunque autem sive in antiqua ecclesiarum Angliae ratione, sive in subsequenti missionum statu ex specialibus constitutionibus, aut privilegiis vel consuetudinibus peculiaribus viguerint, mutata nunc temporum causa, nullum posthac sive ius sive obligationem inducent: qua de re ut nulla remanere dubitatio valeat nos iisdem illis peculiaribus constitutionibus, ac privilegiis cuiusque generis et consuetudinibus a quocunque etiam vetustissimo et immemorabili tempore inductis omnem prorsus obligandi aut iuris afferendi vim ex plenitudine apostolicae nostrae auctoritatis tollimus et abrogamus. Hinc, archiepiscopo et episcopis Angliae integrum erit ea porro decernere, quae ad communis iuris exsecutionem pertinent, quaeve ex generali ipsa ecclesiae disciplina episcoporum auctoritati permissa sunt. Nos autem haud certe omittemus adesse illis apostolica auctoritate nostra, et perlibenti etiam animo obsecundabimus eorumdem postulationibus in iis, quae ad maiorem divini nominis gloriam animarumque salutem conducere visa fuerint. Enimvero nos in restitutione ordinariae episcoporum hierarchiae, et communis ecclesiae iuris observatione nostris hisce litteris decernenda eo quidem praecipue spectavimus, ut catholicae religionis per Angliae regnum prosperitati et incremento prospiceremus; sed una simul propositum nobis fuit votis annuere tum venerabilium fratrum eo in regno sacras res vicaria apostolicae sedis auctoritate moderantium, tum plurimorum dilectorum filiorum ex catholico clero ac populo, a quibus impensissimas in eum finem preces acceperamus. Hoc ipsum non semel postulaverant illorum maiores a praedecessoribus nostris, qui sane vicarios apostolicos tum demum in Anglia deputare orsi fuerant cum nulli ibidem manere poterant catholici antistites propriam in regno ipso ecclesiam ordinario iure obtinentes, atque hinc illorum consilium in vicariorum numero et vicarialibus ipsis districtibus deinceps iterum atque iterum multiplicandis, non eo certe spectabat ut catholicam rem in Angliae regno extraordinaria iugiter ratione moderarentur; sed potius ut eius incremento, prout tempora ferebant, prospicientes, viam una simul pararent ordinariae illic hierarchiae tandem aliquando insturandae.

Itaque nos, quibus tantum opus perficere summo Dei beneficio datum est, hoc ipso in loco declaratum volumus, longe prorsus abesse a mente consiliisque nostris, ut antistites Angliae, ordinariorum episcoporum nomine ac iuribus insigniti, quacunque alia in re commodis destituantur, quibus antehac una cum apostolicorum vicariorum titulo fruebantur. Nec enim ratio sinit, ut in illorum detrimentum cedant quae a nobis ex catholicorum Anglorum voto in bonum sacrae apud ipsos rei decreta sunt. Iuxta haec, firmissima immo spe nitimur fore ut iidem dilecti nostri in Christo filii qui in regno Angliae catholicam rem, et antistites vicaria illam auctoritate moderantes in tanta varietate temporum eleemosynis ac largitionibus suis iuvare numquam destiterant, maiori porro liberalitate usuri sint erga episcopos ipsos Anglicanis ecclesiis stabiliori nunc vinculo alligatos, quo scilicet iisdem minime desint temporalia subsidia in templorum et divini cultus splendorem, in cleri pauperumque sustentationem, atque in alios usus ecclesiasticos eroganda. Ad extremum, levantes oculos nostros in montes, unde veniet auxilium nobis a Deo optimo maximo, in omni oratione et obsecratione, cum gratiarum actione, supplices poscimus, ut quae a nobis pro ecclesiae bono decreta sunt, divini auxilii sui virtute confirmet, iisque, ad quos rerum a nobis decretarum exequutio plurimum pertinet, gratiae suae robur adiiciat, ut pascant, qui in iis est gregem Dei, atque ut ad maiorem eius nominis gloriam propagandam semper impensius incumbant. Atque ad uberiora in idipsum coelestis gratiae praesidia impetranda, deprecatores apud Deum denuo invocamus sanctissimam Dei matrem, beatos apostolos Petrum et Paulum, cum caeteris coelitibus Angliae patronis, ac nominatim sanctum Gregorium Magnum, ut, quoniam nobis etiam meritis adeo imparibus datum nunc est episcopales sedes in Anglia renovare, prout ille cum summa ecclesiae utilitate aetate sua perfecit, haec quoque facta a nobis in eo regno episcopalium dioecesium restitutio religioni catholicae benevertat. Decernentes has nostras apostolicas litteras nullo unquam tempore de subreptionis et obreptionis vitio, vel intentionis nostrae aut alio quocumque defectu notari vel impugnari posse; sed semper validas et firmas fore, suosque effectus in omnibus obtinere, atque inviolabiliter observari debere. Non obstantibus apostolicis, atque in synodalibus, provincialibus et universalibus conciliis editis generalibus vel specialibus sanctionibus, nec non veterum Angliae sedium, et missionum ac vicariatuum apostolicorum inibi postea constitutorum, et quarumcumque ecclesiarum ac piorum locorum iuribus aut privilegiis iuramento etiam, confirmatione apostolica, aut alia quacumque firmitate roboratis; caeterisque contrariis quibuscumque. His enim omnibus, tametsi pro illorum derogatione specialis mentio facienda esset, aut alia quantumvis exquisita forma servanda, quatenus supradictis obstant, expresse derogamus. Irritum quoque et inane decernimus si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, manuque publici notarii subscriptis, et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum suo sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae nostrae voluntatis significationi, ipso hoc diplomate ostenso haberetur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annulo piscatoris, die 29 septembris 1850, pontificatus nostri anno quinto.

A. cardinalis Lambruschini.

## II. EPISTOLA

**Eminentissimi ac reverendissimi domini archiepiscopi Westmonasteriensis ad sanctissimum dominum nostrum, de actis et decretis synodi Romam missis.**

Beatissime pater.

Paucos ante dies, occasionem nactus, acta et decreta nostrae qualiscunque synodi provincialis Westmonasteriensis ad eminentissimum sacrae congregationis de Propaganda fide praefectum mittenda curavi, ut illa ad sacros beatitudinis vestrae pedes, omni qua par est devotione et humilitate, deponat. Quaecunque enim in iis reperiuntur, ea omnia iudicio et correctioni sanctae sedis apostolicae esse subiicienda, ut demum ipsius auctoritate roborata et sancita vim acquirerent, patres ibi adunati apprime sentiebant. Nihil enim ipsis antiquius erat quam in omnibus cathedrae Petri, id est beatitudini vestrae adhaerere, consentire, et arctissimis obedientiae ac unitatis nexibus devinciri. Accipe igitur, beatissime pater, hasce primitias instauratae nostrae hierarchiae ecclesiasticae, quam sanctitati vestrae acceptam referimus, sintque tenue et filialis affectus et gratissimi nostri animi pignus. Quae si forsan suprema beatitudinis vestrae approbatione, aliqua saltem ex parte, non indignae repertae fuerint, non nos impensi studii pigebit, nec nos incassum allaborasse reputabimus.

Adiunxi etiam, beatissime pater, episcoporum votis inhaerens, supplices libellos, varias concessiones et gratias exposcentes, quas sanctitatis vestrae benignitati et paternae benevolentiae humillime commendo.

Gaudens in Domino, beatitudinem vestram certiorem facio, omnia in synodo fuisse non solum tranquille et pacifice, sed summa cum caritate et dilectione peracta; vel potius dicam, gratia Dei favente, ad mutuam aedificationem, et communem profectum in ecclesiastico fervore promovendum instructos omnes convenisse. In deliberando gravitas, in iudicando prudentia, in eloquendo concinnitas, in religiosis exercitiis omnium elucebat pietas. Rituum ac caeremoniarum praescriptarum exactissima fuit observantia, officiorum sacrorum decora et solemnis celebratio. Regulae a patribus iniunctae ad amussim servatae fuerunt; una erat omnibus frugalis mensa, unaque vitae ratio. Iucundum sane erat tot viros omnibus regni partibus adscitos, antea inter se ignotos, contemplari, veluti fratres in unum habitantes, et, ac si uno animo unoque corde praeditos, eidem operae assidue et absque ullo partium studio incumbentes. Iuste igitur Deo gratiae reddendae erant, pro tantis et tam eximiis suae bonitatis beneficiis, quod quidem rite per omnes Angliae ecclesias in festo Assumptae in coelos Deiparae, iubentibus patribus, publice persolutum fuit.

Hoc mihi unum restat ut beatitudinis vestrae sacros deosculans pedes, benedictionem apostolicam in me meosque suffraganeos copiosissime effundendam enixis precibus implorem.

Beatitudinis vestrae humillimus, devotissimus, devinctissimus famulus et creatura

Nicolaus cardinalis Wiseman.

## III. RESPONSUM

**ad praecedentem epistolam.**

*Dilecto filio nostro Nicolao tituli Sanctae Pudentianae sanctae Romanae ecclesiae presbytero cardinali Wiseman, archiepiscopo Westmonasteriensi.*

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Maximam quidem laetitiam nobis attulerunt obsequentissimae tuae litterae, quibus significasti primam provincialem Westmonasteriensem synodum ab in-
A staurata istic a nobis ecclesiastica hierarchia a te, aliisque venerabilibus fratribus Angliae episcopis, fuisse concelebratam, eiusque synodi acta ad cardinalem praefectum nostrae congregationis Fidei propagandae praepositae missa, ut ex more examinentur atque probentur. Etenim ex iisdem litteris non levi certe iucunditate iterum perspeximus quae sit eximia tua et eorumdem antistitum erga nos et hanc Petri cathedram pietas, amor et observantia. Gratissimum autem nobis fuit cognoscere, nihil tibi ipsisque antistitibus antiquius fuisse, quam concordissimis animis mutuae caritatis vinculo coniunctis, ac summa cura, studio, prudentia, omnem impendere operam in iis praesertim statuendis, quae ad maiorem istic Dei gloriam promovendam, eiusque sanctae ecclesiae causam tutandam, ad cleri sanctitatem et animarum salutem procurandam, magis conducere posse quisque vestrum existimavit. Hinc evenit, ut, Deo bene iuvante, synodus ipsa
B tranquille, rite, prospere feliciterque fuerit peracta et absoluta. Itaque, tum tibi, dilecte fili noster, tum iisdem venerabilibus fratribus episcopis tuis suffraganeis de hac re vehementer in Domino gratulamur, ac meritas laudes libentissimo prorsus animo deferimus. Quod autem attinet ad eiusdem synodi acta, et ad varias petitiones de quibus loqueris, commemorata nostra congregatio Fidei propagandae praeposita congruum de illis responsum dare haud omittet. Interim vero, tam tibi quam iisdem episcopis addimus animos, ut vos omnes divino auxilio freti, pergatis maiore usque alacritate episcopale vestrum ministerium implere, et salutarem urgere talentorum negotiationem, quae est de animabus Christo lucrandis, nihilque unquam intentatum relinquere, quo in istis regionibus sanctissima nostra religio quotidie magis vigeat et efflorescat, ac miseri
C errantes, discussa mentis caligine, depulsisque errorum tenebris, veritatis lucem aspiciant, et ad salutis ac iustitiae semitas redeant. Denique, pro certo habeas velimus, praecipuam esse benevolentiam, qua te et alios Angliae episcopos in Domino prosequimur. Cuius studiosissimae nostrae voluntatis testem et omnium coelestium munerum auspicem apostolicam benedictionem, ex intimo corde profectam, tibi ipsi, dilecte fili noster, atque iisdem episcopis, cunctisque istarum ecclesiarum clericis, laicisque fidelibus peramanter impertimur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die 2 decembris anno 1852, pontificatus nostri anno septimo.

Pius papa IX.

## IV. CONCESSIO INDULGENTIARUM

**in festis [domini nostri Iesu Christi et] beatissimae virginis Mariae.**

D Beatissime pater,

Ad excitandam fidelium devotionem, archiepiscopus Westmonasteriensis et episcopi ad provinciale concilium convenientes, humillime supplicant, ut sanctitas vestra dignetur benigne omnibus dioecesibus Angliae communicare indulgentias nonnullis locis regni alias concessas, adeo ut a primis vesperis usque ad occasum solis omnium festorum domini nostri Iesu Christi et Immaculatae ipsius matris, in perpetuum singuli fideles lucrari valeant indulgentiam plenariam animabus in purgatorio detentis applicabilem; dummodo rite confessi et sancta synaxi refecti, coram aliquo altari pias ad Deum preces fuderint iuxta mentem summi pontificis.

Ex audientia sanctissimi, habita die 13 martii 1853.

Sanctissimus dominus noster Pius divina providentia papa IX, referente me infrascripto sacrae

congregationis de Propaganda fide secretario, iuxta A votum eminentissimorum patrum sacrae congregationis, benigne annuit in omnibus iuxta preces; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus sacrae congregationis de Propaganda fide, 14 maii 1853.

Gratis sine ulla omnino solutione quocumque titulo.

*(Locus † sigilli.)* Al. Barnabò, a secretis.

### V. ASSIGNATIO
antiphonae peculiaris sancto Georgio martyri.

Beatissime pater,

Archiepiscopus Westmonasteriensis et episcopi suffraganei, in concilio provinciali collecti, humillime supplicant ut sanctitas vestra benigne dignetur, quo specialior sancto Georgio, Angliae patrono, tribuatur cultus, et confusio devitetur in concurrentia aliarum B commemorationum, extendere ad omnes Angliae dioeceses indultum concessum per decretum sacrae congregationis sanctissimorum Rituum, sub die 22 ianuarii 1852, cuius vi permissum in dioecesi Northamptoniensi, ut recitari possit ad vesperas et laudes, in suffragiis, haec commemoratio: Antiphona. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones.* Versus. *Scuto bonae voluntatis tuae.* Resp. *Coronasti eum, Domine,* cum oratione consueta.

Ex audientia sanctissimi, habita die 13 martii 1853.

Sanctissimus dominus noster Pius, divina providentia papa IX, referente me infrascripto sacrae congregationis de Propoganda fide secretario, preces supra descriptas, necnon votum eminentissimorum patrum sacrae congregationis benigne excepit, et in omnibus pro gratia annuit iuxta petita; contrariis quibuscumque haud obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus sacrae congregationis de Propaganda fide, die 14 maii 1853.

Gratis sine ulla omnino solutione quocumque titulo.

*(Locus † sigilli.)* Al. Barnabò, a secretis.

## PARS III,
*continens rescripta sanctissimi cum synodo non colligata, sed ad sacerdotum commodum hic annexa.*

### I. PERMISSIO LEGENDI MISSAM DE REQUIEM IN FESTIS DUPLICIBUS.

Beatissime pater,

Vicarii apostolici Angliae atque eorum nomine Nicolaus Wiseman, episcopus Melipotamensis et in districtu centrali vicarii apostolici coadiutor, ad pedes sanctitatis tuae provoluti, humillime supplicant, ut benigne dignetur concedere indultum in Scotia iam existens, ut scilicet in iis locis in quibus C ob sacerdotum inopiam missa cantari non possit, legi possint, etiam in festis duplicibus, missae privatae *de requiem* praesente cadavere. Quare, etc.

Ex audientia sanctissimi, habita 7 martii 1847.

Sanctissimus dominus noster Pius, divina providentia papa IX, referente me infrascripto sacrae congregationis de Propaganda fide secretario, perpensis expositis, indultum iam alias concessum vicariatibus apostolicis Scotiae, benigne extendit ad omnes vicariatus apostolicos Angliae; servatis in reliquis tenore ac forma indulti memorati. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus dictae sacrae congregationis, die et anno quibus supra.

Gratis sine ulla omnino solutione quocumque titulo.

Ioannes, archiepiscopus Thessalonicensis, secretarius.

*(Locus † sigilli.)*

### II. DE MISSA PRO POPULO IN FESTIS APPLICANDA.

Beatissime pater,

Cum in clero Angliae orta fuerit ex parte aliorum difficultas et anxietas, et ex parte aliorum negligentia irrepserit, circa applicationem missae *pro populo,* diebus festivis suppressis, episcopi vicarii apostolici, ad pedes sanctitatis tuae provoluti, humillime petunt, ut benigne dignetur declarare utrum obligatio huius applicationis restricta sit festis iam observatis ab universa ecclesia, vel etiam iis quae in sola Anglia colebantur, quaeque plurima numero fuerunt ante saeculum XVI. Rogant praeterea ut sanctitas tua, attenta quae de hac obligatione invaluit ignorantia, velit pro sua paterna indulgentia condonare quoad praeteritum, imposito onere celebrandi duodecim missas, iis qui, dum curam haberent animarum, talem applicationem omiserint. Et quandoquidem in multis missionibus ea applicatio in diebus festivis suppressis difficilis evadat propter defectum alicuius qui sacerdoti missam celebranti inserviat, supplicatur praeterea ut singuli vicarii apostolici possint pro talibus missionibus et adiunctis, super ea lege dispensationem impertiri. Quare, etc.

Ex audientia sanctissimi, habita die 18 martii 1847.

Sanctissimus dominus noster Pius, divina providentia papa IX, referente me infrascripto sacrae congregationis de Propaganda fide secretario, perpensis expositis, benigne annuit, ut sequitur:

1. Concessit veniam pro tempore praeterito, firma remanente obligatione pro festis actualibus.

2. Circa vero festa suppressa sanctitas sua voluit, ut firma remaneat obligatio pro illis quae suppressit in Anglia Pius VIII sanctae memoriae. In reliquis, eadem sanctitas sua declarat, ut obligatio applicationis missae adimpleatur iis diebus qui describuntur circa finem ordinarii Romani, ac in festis sancti Gregorii Magni, Angliae apostoli, sancti Augustini eius discipuli, sancti Georgii, regni protectoris, ac sancti Thomae Cantuariensis, protectoris cleri saecularis Angliae.

3. Concessit tandem vicariis apostolicis facultatem, ut in re de qua agitur, dispensare possint cum sacerdotibus eorum spirituali iurisdictioni sub- D iectis, non generatim sed in casibus peculiaribus.

Datum Romae, ex aedibus dictae sacrae congregationis, die et anno quibus supra.

Gratis sine ulla omnino solutione quocumque titulo.

Ioannes, archiepiscopus Thessalonicensis, secretarius.

*(Locus † sigilli.)*

*Tabula festorum suppressorum,*
in quibus omnes, qui curam habent animarum, in Anglia, tenentur missam celebrare et applicare pro populo.[1]

Festum annunciationis beatae Mariae virginis.
Feriae II et III hebdomadis paschae.

[1] Soli episcopi tenentur in Anglia missam pro populo celebrare, vide rescriptum sequens.

Feriae II et III hebdomadae Pentecostes.
24 februarii, festum sancti Matthiae apostoli.
12 martii, festum sancti Gregorii Magni, Angliae apostoli.
20 martii, festum sancti Cuthberti, in comitatu Dunelmensi tantum.
23 aprilis, festum sancti Georgii, Angliae protectoris.
1 maii, festum sanctorum Philippi et Iacobi apostolorum.
3 maii, festum inventionis sanctae Crucis.
26 maii, festum sancti Augustini, Angliae apostoli.
25 iulii, festum sancti Iacobi apostoli.
26 iulii, festum sancti Annae, matris beatae Mariae virginis.
10 augusti, festum sancti Laurentii martyris.
24 augusti, festum sancti Bartholomaei apostoli.
21 septembris, festum sancti Matthaei apostoli.
28 octobris, festum sanctorum apostolorum Simonis et Iudae.
30 novembris, festum sancti Andreae apostoli.
21 decembris, festum sancti Thomae apostoli.
26 decembris, festum sancti Stephani protomartyris.
28 decembris, festum sanctorum Innocentium martyrum.
29 decembris, festum sancti Thomae Cantuariensis, protectoris cleri saecularis Angliae.
31 decembris, festum sancti Silvestri papae et confessoris.

*De missa pro populo.*

Epistola sacrae congregationis de Propaganda fide.

Illustrissimo e reverendissimo signore,

In data del 12 aprile di quest' anno, vostra signoria, in unione coi vescovi suoi suffraganei, proponeva alla santa congregazione i sequenti dubbii: C

1. An episcopi teneantur praeter missam *pro populo* secundam missam applicari curare pro congregatione fidelium prope ecclesiam cathedralem intra certos limites existente.

2. An stante recentiore expositione quoad festos dies sublatos in constitutione *Amantissimi redemptoris*, permitti possit ut episcopi servent dies indicatos in rescripto 14 martii 1847.

3. An teneantur missionarii rectores in Anglia missam pro populo applicare.

4. An teneantur alii sacerdotes in qualibet missione soli vel primi missam pro populo applicare.

I dubbii surriferiti sono stati accuratamente discussi, ed ecco quanto ho a risponderle sui medesimi.

Riguardo al primo, posso dirle che non essendo le diocesi d' Inghilterra divise in vere e propriamente dette parrocchie, i vescovi che, oltre l' amministrazione generale della diocesi, si riservano la D cura di un qualche distretto, non sono punto tenuti all' applicazione del popolo di una seconda messa, sebbene ciò abbia a dirsi *decere ex charitate*.

Al secondo dubbio la risposta è affermativa, cioè deve osservarsi il rescritto del 14 marzo 1847. Una legge generale infatti non deroga mai nè alle leggi speciali, nè a particolari statuti, se almeno in generale non ne fa menzione. Ora, la costituzione *Amantissimi* non solo non fa menzione di ciò in veruna guisa, ma espressamente dichiara, che se alcuno avesse ottenuto qualche indulto, questo per la detta costituzione non debba intendersi annullato.

La risposta al terzo dubbio è *negative*: cioè i missionarii rettori in Inghilterra non sono astretti da alcuna propriamente detta obbligazione ad applicare la messa *pro populo*, sebbene *id deceat ex charitate*. La ragione è ovvia. In Inghilterra i missionarii, anche rettori, non sono *parrocchi*, ma A bensì entrano nel novero di meri e semplici missionarii. Ora, ha già risposta questa santa congregazione, ai 23 marzo del 1863, che i semplici missionarii nei luoghi ove le parrocchie non sono stati canonicamente erette, non sono tenuti alla messa *pro populo*, ma che solamente può dirsi per mera virtù di carità esser ciò conveniente.

Finalmente, mi astengo di respondere al quarto dubbio, trovandosi ad esso abbastanza risposto nella soluzione del terzo.

Una doppia difficoltà tuttavia è stata accennata in proposito alla quale trovo opportuno di dare una risposta. Se i missionarii d' Inghilterra non sono tenuti *de iure communi* ad applicare la messa *pro populo*, non potrebbero esservi obbligati dal rescritto del 14 marzo 1847, o *dalla consuetudine*, la quale potrebbe dirsi incominciata dall' epoca di quel rescritto, allorchè presso la petizione dei vicarii B apostolici intorno la messa *pro populo* nelle feste soppresse, la santa sede determinò i giorni delle medesime? Ma quì è da osservare in primo luogo come sarebbe strano il pensare che la santa sede col detto rescritto intendesse di creare un diritto nuovo, e d' imporre ai missionarii d' Inghilterra un peso che non avessero. Secondo la natura della risposta, egli è chiaro che la santa sede intese riferirsi al tenore della domanda fatta, e conseguentemente rispondere *iuxta exposita*, cioè fondandosi sopra l' ipotesi delle cose esposte. Quindi è che la risposta fu implicitamente condizionata, e solo da valere nella ipotesi fatta dagli oratori, che cioè in Inghilterra i missionarii fossero obbligati alla messa *pro populo*. In secondo luogo è da avvertire, che la pretesa consuetudine avrebbe in ogni caso una troppo breve vita, cioè di soli 19 anni, e che non sarebbe già *praeter ius* come da alcuno si è creduto, ma *contra ius*, perchè di materia nella quale il gius comune ha statuito precisamente il contrario disponendo cioè che per esser tenuto alla messa *pro populo* bisogna essere vero parroco, e che chiunque non è tale deve esserne esentato. Ma, tralasciando anche ciò, vostra signoria ha saviamente notato che tratterebbesi di una consuetudine fondata sopra un errore. Ora, è noto a tutti che una consuetudine erronea non ha alcuna forza.

Tanto aveva a parteciparle in proposito, e pregandola a far conoscere ai vescovi d' Inghilterra le riposte anzidette, prego il Signore che la conservi lungamente e la prosperi.

Roma, dalla Propaganda, 3 decembre 1866.

Di vostra signoria,

Affmo. per servirla

Al. C. Barnabò, prefetto.

A. Capalti, segretario.

Monsignor Enrico Edoardo Manning, arcivescovo di Westminster, Londra.

## III. CONFIRMATIO INDULGENTIARUM

### olim in Anglia vigentium, octo statutis anni temporibus.

Beatissime pater,

Thomas Grant, procurator vicariorum apostolicorum Angliae, humillime supplicat ut sanctitas vestra benigne dignetur indulgentiam plenariam, pro octo ex festivitatibus praecipuis hucusque publicatam, attento quod fideles occasione eiusdem ad sacramenta accedere soleant, confirmare, servatis conditionibus consuetis, ita quod dubietas, quae ex abrogatione constitutionis *Apostolicum ministerium*, circa vigorem singularium concessionum aut ipsarum originem oriri posset, omnino tollatur. Quare, etc.

Ex audientia sanctissimi, habita die 24 septembris 1850.

Sanctissimus dominus noster Pius, divina providentia papa IX, referente me infrascripto sacrae congregationis de Propaganda fide secretario, riteque perpensis omnibus rerum adiunctis, benigne annuit pro gratis iuxta petita, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus dictae sacrae congregationis de Propaganda fide, die et anno quibus supra.

Gratis absque ulla omnino solutione quocumque titulo.

*(Locus † sigilli.)* Al. Barnabò, a secretis.

## IV. DE FESTIS SANCTI GREGORII MAGNI, ET SANCTI BEDAE CONFESSORIS.

Beatissime pater,

Cum sanctus Gregorius Magnus semper habitus fuerit tanquam apostolus gentis Anglorum, et proinde peculiari quodam honore colendus sit, Nicolaus Wiseman, episcopus Melipotamensis, et Iacobus Sharples, episcopus Samariensis, districtuum centralis et Lancastriensis coadiutores, ad pedes sanctitatis vestrae humillime provoluti, supplicant ut benigne dignetur indulgere ut eiusdem officium sub ritu duplicis secundae classis in Anglia possit in perpetuum observari.

Cumque ingens semper fuerit devotio erga venerabilem Bedam, cuius festum occurrit die 29 octobris, supplicant pariter ut de eodem sancto fieri possit sub ritu duplicis maioris in perpetuum.

Utque magis ac magis augeatur fidelium pietas, petitur insuper ut omnes Christifideles, qui rite confessi et sancta synaxi refecti, diebus festivis sancti Gregorii et venerabilis Bedae ad Deum preces fuderint, iuxta mentem sanctitatis vestrae, indulgentiam plenariam lucrentur, in perpetuum, in Anglia, atque ut eadem indulgentia, per modum suffragii, animabus in Purgatorio detentis applicari possit. Quare, etc.

Ex audientia sanctissimi, habita die 17 iulii 1847.

Sanctissimus dominus noster Pius, divina providentia papa IX, referente me infrascripto sacrae congregationis de Propaganda fide officiali, perpensis expositis, benigne annuit pro gratia in omnibus quae isto supplici libello petuntur, et indulgentias de quibus agitur benigne in perpetuum concessit; contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus sacrae congregationis, die et anno quibus supra.

Gratis sine ulla omnino solutione quocumque titulo.

I.-B. canonicus Palma, sacrae congregationis officialis.

*(Locus † sigilli.)*

## V. INSTRUZIONE SULLA DIPENDENZA DEI MISSIONARI REGOLARI

**dai vicari apostolici ed altri superiori di missioni.**

È ben dolente la sagra congregazione che non di rado si metta in dubbio da alcuni missionarj, specialmente regolari, l'autorità dei vicarj apostolici ed altri superiori di missioni, et di tratto in tratto vadansi riproducendo delle questioni di dipendenza, inesauste sorgenti di conseguenze funestissime al bene ed al progresso delle missioni medesime, quantunque dalla medesima sagra congregazione sian state più volte esaminate e definite; cui si aggiunse la suprema autorità della santa sede con sapientissime prescrizioni.

Ad eliminare si disgustose differenze, fin dal 1669 la sagra memoria di Clemente IX nella bolla A *Speculatores, etc.,* stabilì le regole riguardo alla dipendenza dei nominati missionarj, ordinando:

1. Che i missionarj debbano presentare le proprie patenti al vicario apostolico, nonostante che siano spediti in missione direttamente dalla santa sede, o dalla sagra congregazione di Propaganda fide, di modo che, se ricusino di presentarle, possano i detti vicarj come delegati della medesima santa sede inibir loro l'esercizio del ministero.

2. Che i medesimi sono tenuti a chieder licenza ai vicarj apostolici di esercitare le loro facoltà etc., sebbene questi non possano senza grave causa negargliela.

3. Che debbano esercitare la cura d'anime in mancanza del clero secolare; ciò non solo *ex charitate,* ma ben anche *ex iustitia,* tal che possano esservi costretti dai vicarj apostoli.

4. Che esercitando la cura d'anime debbano, B rapporto alla medesima ed alle funzioni parrocchiali, esser sogetti alla visita e correzione dei vicarj.

5. Che debbano render conto, richiesti, ai vicarj apostolici, dell'esecuzione delle pie lascite, se siano deputati ad eseguirle.

6. Che se tra loro nascano questioni, i vicarj apostolici, come delegati della santa sede, possano deciderle e terminarle, etc.

Queste regole furono successivamente ancor meglio dichiarate, e di nuovo inculcate, a seconda delle difficoltà che si ravvisarono incontrarsi nell'osservanza delle medesime, o in occassione di dubbj proposti sull'oggetto stesso. Così nel 1677 la santa sede dichiarò obbligati i citati missionarj, non esclusi i padri della Compagnia di Gesù, all'obbedienza e subordinazione ai vicarj apostolici „*quoad omnia negotia et directionem missionum*". Nel 1680, a togliere ogni equivoco sulla relazione dei reli- C giosi verso i superiori regolari, la santa sede volle chiarito che, sebbene essi, quanto alla disciplina regolare erano soggetti ai superiori dell'instituto, pure questi non li potevan rimuovere dalla missione senza il consenso del rispettivo vicario apostolico. Nel 1701, si confermò che i ricordati missionarj, inquanto all'amministrazione dei sagramenti ed altri ministeri di missione, sono *immediatamente* soggetti alla sagra congregazione di Propaganda, o a chi la medesima li sottopone, cioè a vicarj apostolici. Similmente nel 1702, si ripetè il decreto, che i missionarj regolari nella Cina, di qualunque instituto siano, debbano esser sogetti intieramente ai vicarj apostolici nell'amministrazione dei sagramenti e cura di anime etc., e così successivamente.

Da tuttociò è facile di dedurre su quali cose debbano i religiosi di qualsiasi instituto e società dipendere, ed esser sogetti al vicario apostolico, D ossia al prelato superiore della missione, qualunque sia il titolo sotto cui le regga. In ogni modo, ad escludere ogni ulteriore occasione di dubbiezza, la congregazione particolare per gli affari della Cina, in conformità delle anzidette prescrizioni, ha ingiunto (e il santo padre si è degnato di conformarlo) di dichiarare di nuovo espressamente a vostra signoria, per sua norma e governo, chi i missionarj regolari, compresi e nominatamente inchiusi i padri della Compagnia, eccetuata la sola interna disciplina regolare, *quoad omnia negotia et directionem missionum sub iurisdictione vicariorum apostolicorum esse.* Volle inoltre che si dichiarasse ancora espressamente, e si facesse sentire, che se il missionario deve considerarsi legato da una doppia obbedienza, verso il capo della missione, e verso il superiore regolare, la prima dev'esser sempre la preponderante; e quindi, in caso di conflitto, la prima dee vincere, e non venir paralizzata coll'esiggere l'esser-

vanza della seconda. Sarebbe difatti ben singolare l' esigere, che il religioso dovesse preferire e far precedere l' obbedienza professata al superiore dell' ordine, a quella che è sopra ogni altra, cioè alla suprema autorità della santa sede e del vicario di Gesù Cristo, e far preponderare un qualsiasi punto di regolare ed interna disciplina agli obblighi principali e gravissimi di missionario, ed il bene particolare al pubblico, ed alla salvezza eterna di moltissime anime confidategli. E ben persuasa la sagra congregazione che non potrà giammai aver luogo l' additato conflitto, se il superiore regolare, egli stesso, animato sia dal vero spirito evangelico, e dalla dovuta obbedienza e rispetto alla santa sede, ed ai rappresentanti o vicarj della medesima; e se questi dal canto loro non si fanno regolare che dal vero interesse della religione, che certamente in molta parte dipende dalla santità dei ministri ai quali viene esso affidato. Si apparterrà pertanto a vostra signoria, come di attenersi alle sopradette regole e norme, così di esiggere dai suoi missionarj la più esatta osservanza delle medesime.

Dalla Propaganda, 30 settembre 1848.

Giacomo Filippo cardinale Fransoni, prefetto.

Al. Barnabò, segretario.

Laus Deo et immaculatae virgini Mariae.

## LITERAE SYNODICAE PATRUM IN PROVINCIALEM SYNODUM anno 1852

### *ad [collegium] Sanctae Mariae apud Oscott congregatorum.*

We, the archbishop and bishops of the province of Westminster, in provincial synod assembled, to our dearly beloved brethren and children in Christ, the clergy, secular and regular, and the faithful under our jurisdiction,

Health and benediction in our Lord Jesus Christ.

A few months ago, we separately solicited your prayers, and we enjoined public supplications, to obtain for ourselves the light and guidance of God's holy Spirit, in the synod which had been convoked and appointed to be held by us, on the sixth of july, at saint Mary's college. It is now our more pleasing duty, conjointly to address you, before separating; to announce to you that almighty God has graciously heard your prayers, and to claim from you a tribute of sincere and cordial thanksgiving to him, for his many mercies bestowed upon us. For, although it would ill become us to speak with commendation of anything that we have done, and according to our divine master's commands, we must needs say, at the conclusion of our work, that „we are only unprofitable servants", yet we may not be silent, and withhold from you a share in that joy and gratitude which fill our own hearts; because God has dealt kindly with us in these days, which we have cheerfully devoted to our highest duties.

For to him we attribute the peace and cheerfulness, the union and charity, which have made this our first synod, truly a meeting of brethren dwelling in unity; to him we owe the edifying assiduity and exactness, with which all engaged in this holy work, have discharged their allotted functions; to him we refer the calm, the impartiality and the prudence, which have distinguished the deliberations and conclusions of the theologians invited to assist us; and if it shall please him, that there shall be found aught of wisdom or usefulness in the decisions to which we have come, not to us, but to him and to his holy name, be given all the glory. For on his promises we have relied, and to his light we have looked, and not to our own unworthiness, for being rightly led to conclude what might please him best.

And surely, dearly beloved, it is no small token of the divine favour, that after many ages, during which the synodical action of our holy church has been here suspended, we should have been enabled, so naturally, and so easily, and with so much comfort and fruit, to reassemble, and accurately perform whatever has been prescribed for such

Archiepiscopus et episcopi provinciae Westmonasteriensis in provincialem synodum congregati, nostris in Christo carissimis fratribus et filiis, clero saeculari et regulari populoque fideli nostrae iurisdictionis,

Salutem et benedictionem in domino nostro Iesu Christo.[1]

Pauci menses sunt, cum vestras preces poposcimus separatim, et publicas supplicationes ediximus, ut nobis lumen ductumque Spiritus sancti conciliaremus ad eam synodum, quae in diem 6 iulii convocata et indicta erat, in collegio Sanctae Mariae a nobis habenda. Nunc, priusquam hinc digredimur, illud nobis iucundius faciendum ducimus, ut coniunctim vos alloquamur, certioresque faciamus, omnipotentem Deum clementer audivisse vestras preces, et postulemus a vobis, ut illi pro multa eius in nos misericordia sinceras gratias ex animo persolvatis. Quamvis enim nos minime deceat, quidquam eorum, quae egimus, cum laude commemorare, et, secundum divini magistri praeceptum, absoluto nostro opere, dicere nos plane oporteat, „*servi inutiles sumus*,"[2] non possumus tamen silere, neque id gaudium eosque gratos in Deum sensus, quibus perfundimur, non communicare vobiscum; quoniam Deus propitium se nobis praebuit per hos dies, quos summis nostris officiis gaudentes dicavimus.

Ipsi enim tribuimus illam pacem ac laetitiam, illam concordiam ac caritatem, quibus factum est, ut prima haec nostra synodus vere coetus esset habitantium fratrum in unum;[3] ipsi debemus insignem illam assiduitatem et diligentiam, qua omnes, qui in huius sancti operis partem vocati erant, assignatum sibi quisque munus obierunt; ipsi adscribimus illam gravitatem, aequitatem, prudentiam, quae in theologorum, quorum operam expetivimus, deliberationibus et sententiis eluxit. Quodsi eidem placuerit, ut quidquam a nobis sapienter aut utiliter decretum reperiatur, non nobis, sed ipsi et sancto eius nomini detur omnis gloria[4]. Eius enim promissis confisi sumus, et ad eius lucem, non ad nostram indignitatem respeximus, ut dirigeremur ad ea decernenda, quae maxime illi placerent.

Et profecto, carissimi, non exigua divini favoris significatio est, quod, postquam per complura saecula sanctae ecclesiae nostrae synodorum ratio his in locis erat intermissa, nobis velut sua sponte contigerit, tam facile tantoque cum solatio atque fructu denuo convenire, eaque omnia accurate peragere, quae in huiusmodi celebritatibus prae-

[1] Versio curata ab editoribus *Collectionis Lacensis*.
[2] Luc. XVII, 10. [3] Ps. CXXXII, 1. [4] Ps. CXIII, 9.

solemn occasions, and proceed in peace and undisturbed calm, till we brought our undertaking to its joyful conclusion.

Such mercies must not be passed by without their merited expression of gratitude; and we have therefore appointed the coming festival of the Assumption of the blessed Virgin, sunday the fifteenth of august next, for a day of general and solemn thanksgiving. On it, this our joint synodical letter shall be read and published to our faithful people. In each church or chapel also there shall be performed an act of thanksgiving, either at the close of mass or at benediction in the evening. The *Te Deum*, with its versicles and prayers will be sung (or recited where no music is ordinarily performed); and the prayer for thanksgiving will be inserted in every mass, under the same conclusion as the collect of the day.

We earnestly invite you all, dearly beloved, to join your hearts to ours, in the warm and hearty discharge of this duty of gratitude and love. For we feel assured that you will agree with us in the conviction that through this synod great and lasting blessings have been bestowed upon the catholic church in this country, as soon as the decrees and provisions, therein made, shall be published and put in force. You are not ignorant, that the acts of a provincial council have no authority, and therefore cannot be made public, nor can its decrees be enforced, until they shall have been submitted to the correction and judgment of the holy apostolic see, and so have received its confirmation. Until then, whatever has been enacted, necessarily remains suspended and secret; but we trust it will not be long, before we may communicate it to you.

But, in the mean time, we wish to impart to you such fruit of our deliberations as does not come within the limits of this stricter law; and to address you upon various topics possessing a religious interest, which we think it timely and profitable to urge on your serious attention. They will thus come before you with that weight and authority, which the united voices of all our pastors can bestow.

1. The first and paramount subject, on which we desire to speak to you, as fathers conveying to their children the dearest wishes and interests of their hearts, is the education of the poor. On this topic you are yearly, and even more frequently, addressed by each of us; and it is difficult to add to the repeated and urgent appeals which are made to your consciences and your sympathies. But the more the subject is considered, the more its importance increases, and the more we feel it our duty to awaken your minds and hearts to its pressing claims.

The education of the poor has always been considered as one of the most important duties confided to the church. But while, in every age, she has faithfully discharged her obligation, it is clear that the manner of doing so, will vary with the circumstances of time and place. Where faith is undisturbed and morality unassailed, where the war of life has to be with the inward passions, more than with the outward world, there the training of the child in the way wherein he has to walk, is a simple task. The habit of divine faith gives a solid groundwork for the building which has to be raised; and simple instruction, line upon line, raises it up to the required measure, without hindrance or opposition. The example of all around, the unanimity of their convictions, and the repetition

A scripta sunt, et susceptum opus ad felicem exitum summa cum pace et quiete perducere.

Talia miserentis Dei beneficia fas non est sine debita grati animi significatione praeteriri; et idcirco proximam beatae Virginis in coelum assumptae festam lucem, diem dominicam eamdemque augusti quintam decimam, communi ac solemni gratiarum actioni assignavimus. Illo igitur die haec epistola synodica nostro populo fideli legenda est ac promulganda. In singulis ecclesiis vel sacellis item habenda est gratiarum actio, vel sub finem rei divinae, vel in vespertina caerimonia. Decantandus hymnus *Te Deum* cum suis versiculis et precibus, vel, sicubi cantus esse non solet, recitandus; singulis autem sacris inserenda est oratio *pro gratiarum actione*, collectae diei sub una conclusione adiungenda.

B Vos omnes etiam atque etiam invitamus, dilectissimi, ut intimis nobiscum sensibus conspiretis in hoc grati animi et amoris officio studiosissime praestando. Multa enim ac perpetua hac synodo beneficia in catholicam apud nos ecclesiam esse collata, de hoc nobiscum procul dubio consentietis, ubi primum ea, quae in illa decrevimus ac providimus, promulgata in usum venerint. Neque enim ignoratis, concilii provincialis acta tamdiu auctoritate carere, et idcirco promulganda non esse, neque eius decreta exerceri posse, donec sanctae sedis apostolicae emendationi iudicioque subiecta, et ab ea confirmata sint. Interim, quidquid actum decretumque est, suspensum et secretum manere debet; quanquam confidimus, non longam moram fore, dum ea vobiscum communicare possimus.

C Interea vero eum deliberationum nostrarum fructum, qui gravi illa lege non comprehenditur, vobis impertire cupimus et de variis argumentis magni ad religionem momenti vobiscum agere, quae animis vestris inculcare opportunum atque utile arbitramur. Quae hoc pacto eam apud vos vim atque auctoritatem habebunt, quam iis coniunctae omnium pastorum vestrorum voces conciliare possunt.

1. Earum igitur rerum, de quibus ad vos, ut patres, quorum ardentissima vota atque studia in filios feruntur, dicere volumus, prima et praecipua est pauperum educatio. De qua quidem quotannis aut etiam crebrius quisque nostrum vos appellare solemus; nec sane facile est addere quidquam ad eas cohortationes, quibus iam saepe ac studiose religionem vestram et caritatem excitavimus. Sed tamen quia, quo magis res consideratur, eo maioris D esse momenti cognoscitur, idcirco nobis faciendum esse ducimus, ut ad illam necessitatem mentes vestras animosque magis ac magis intendamus.

Unum e gravissimis ecclesiae iniunctis officiis semper habita est pauperum educatio. Quod quidem officium sicut illa omni aetate fideliter praestitit, ita facile apparet, huius rei efficiendae, pro temporum et locorum conditione, aliam atque aliam esse rationem. Nam ubi nec fides labefactata est, nec morum honestas impugnatur; ubi hoc vitae bellum magis cum intestinis animi perturbationibus gerendum est, quam cum externa saeculi pravitate: ibi facile negotium est pueros in eam, qua incedere debent, viam dirigere. Habitus enim fidei divinae firmum praebet exstruendo aedificio fundamentum; idque simplex institutio, re nulla impediente aut adversante, paulatim ad necessariam altitudinem educit. Commune omnium, quibuscum vivitur, exemplum, eorum in fide consensio, assidua earum-

of identical principles, cooperate with the early A precepts, strengthen them, consolidate them, and help to keep unimpaired the foundation first laid. But, where on every side aggression has to be encountered, where every stone that is added to the building is contested, and has to be defended, where not only counteracting, but destructive, influences have to be resisted, where not merely the superstructure, but the very foundation, must be secured, by endless precautions and multiplied safeguards: the duty of attending to early education becomes complicated and difficult, and requires more serious thought, more time, more agencies, and more vigilance, than at other times. And such is our case now. Except through a laborious education we cannot guarantee to our little ones, a single sound principle, one saving truth. From the doctrine of the blessed Trinity to the smallest precept of the church, they are exposed, even in B childhood, to hear all dogma and all practice assailed, ridiculed, reasoned against, blasphemed. Systems of education, made as tempting as possible, by promises of greater learning, or offers of present advantage, surround parents and their offspring; and too often the fatal bait is swallowed, and the religion of the child is sacrificed to an imaginary temporal welfare.

It is in the midst of this state, that we have now to secure the education of our poor. If we wish to have a generation of catholics to succeed the present one, we must educate it: or others will snatch it up, before our eyes. If we determine to educate it, it must be with all the means and pains necessary to cope, first with the efforts made to defeat our purpose, and then with the dangers and temptations, that will beset those on whom we bestow this heavenly boon. In other C words, our education must be up to the mark of modern demand, and yet it must be solid in faith and in piety.

The first necessity, therefore, is a sufficient provision of education, adequate to the wants of our poor. It must become universal. No congregation should be allowed to remain without its schools, one for each sex. Where the poverty of the people is extreme, we earnestly exhort you, beloved children, whom God has blessed with riches, especially you who, from position, are the natural patrons of those around you, to take upon yourselves lovingly, this burthen of providing, if possible permanently, for the education of your destitute neighbours. Do not rest until you see this want supplied: prefer the establishment of good schools to every other work. Indeed, where- D ever there may seem to be an opening for a new mission, we should prefer the erection of a school, so arranged as to serve temporarily for a chapel, to that of a church without one. For the building raised of living and chosen stones, the spiritual sanctuary of the church, is of far greater importance than the temple made with hands. And it is the good school that secures the virtuous and edifying congregation.

2. We have said that our education must be up to the mark of modern demands: in other words, we must take advantage of the means afforded us, to render the secular part of our education as effective as that which others offer. The great bribe which the age holds out to our children, in exchange for the surrender of their faith, is a

dem doctrinarum inculcatio, prima pueris tradita praecepta adiuvant, confirmant, corroborant, efficiuntque ut iactum ab initio fundamentum incolume servetur. At vero ubi omni ex parte repellendi sunt impetus; ubi quilibet structurae additus lapis oppugnatur et defendendus est; ubi non modo adversae, sed etiam exitiosae vires propulsandae; ubi non tantum quod superstruitur, sed ipsum quoque fundamentum infinitis cautionibus et multiplici praesidio tutari necesse est: ibi profecto impedita et difficilis res est puerilis institutio, et diligentiorem curam, longius tempus, maiorem contentionem, quam aliis temporibus, exposcit. Atque haec nostra nunc est conditio. Nullum enim omnino bene vivendi praeceptum, nullam ad salutem necessariam veritatem, nisi laboriosa institutione parvulis nostris praestare possumus. Qui iam a primis annis in eo versantur periculo, ut omnia suae religionis tum dogmata tum instituta, a doctrina sanctissimae Trinitatis usque ad minimum ecclesiae praeceptum, oppugnari, derideri, argumentis peti, blasphemiis lacerari audiant. Varia institutionis genera, eaque vel pollicitatione maioris progressus, vel praesentis emolumenti mercede, quam maxime ad alliciendum comparata, parentibus et pueris undique obtruduntur; hi fatali esca nimium saepe capiuntur; parvulorum religio inanissimae spei temporalis commodi posthabetur.

Hac igitur rerum conditione, pauperum educationi providere debemus. Si catholicorum hominum sobolem, quae nobis succedat, habere volumus, hanc educemus necesse est: sin minus, alii eam inspectantibus nobis occupabunt. Quodsi illam suscipimus educandam, hoc iis omnibus praesidiis ac laboribus efficiendum est, quibus cum adversus conatus nostro consilio infestos, tum adversus pericula tentationesque, quae eos, quibus hoc coeleste educationis bonum a nobis praestatur, manent, pugnare possimus. Paucis complectimur: nostra educatio ea debet esse, quae et huius aetatis postulationibus respondeat, et solida fidei ac pietatis fundamenta ponat.

Illud igitur primum requiritur, ut eiusmodi provideatur institutio, quae pauperum nostrorum necessitatibus et sufficiat et plane congruat. Et ea quidem ad omnia loca pertineat necesse est. Nulli congregationi liceat scholis suis, una pro unoquoque sexu, carere. Quodsi populi extrema sit paupertas, vos, carissimi filii, quibus Deus divitias largitus est, vosque maxime, qui pro gradu, quem tenetis, eorum, inter quos versamini, veluti natura estis patroni, vehementer hortamur, ut amanter id suscipiatis oneris, ut fratrum ope destitutorum educationi, si fieri possit, in perpetuum consulatis. Nolite prius quiescere, quam huic necessitati provisum sit; neque bonarum scholarum institutioni ullum aliud opus anteponite. Prefecto, ubicunque novae alicui missioni locus patefieri videatur, scholam ita dispositam, ut sacelli usum ad tempus praestare possit, malimus institui, quam sine schola ecclesiam. Nam e vivis et electis lapidibus[1] exstructum aedificium, domus spiritualis ecclesiae, longe maioris momenti est, quam templum manu factum. In bona autem schola certa spes sita est florentis virtute et pietate conventus.

2. Diximus, nostram educationem talem esse oportere, quae huius aetatis quasi postulatis responderet; id autem est dicere, nos iis praesidiis, quae suppetunt, uti debere, ut educationis nostrae pars velut saecularis nihilominus efficiat, quam quae ab aliis offeratur. Praecipua enim merces, quam haec aetas pueris nostris tanquam conditionem

[1] I Petr. II, 5.

greater amount of worldly knowledge. This, it is true, is but a snare: such a one as deceived and ruined our first parents in paradise[1]; and it is our duty ever to cry aloud, and warn foolish parents, that not all the wisdom of Salomon, even if it brought with it the wealth of the whole world, would compensate their children for the loss of their souls. But this will not suffice. We must remove the temptation as far as possible from human frailty: we must not even leave an excuse to lukewarmness. Make your schools equal in every respect to those which are opened to allure away our children. Avail yourselves of every encouragement, and every improvement, which tends to raise the standard of your education: and let there be no pretence tenable for sending catholic children elsewhere.

A defert, ut hi vicissim fidem suam prodant, nimirum haec est, maior quaedam profanae eruditionis summa. Verum haec nihil est aliud, nisi laqueus, idem ille scilicet, quo decepti primi parentes nostri in paradiso perierunt: „*Eritis sicut dii, scientes bonum et malum.*“[1] Quare, nostrum est semper vocem extollere, stultosque admonere parentes, filios ne omni quidem sapientia Salomonis, etiamsi universas totius mundi opes secum afferat, animarum suarum iacturam redimere posse. Verum id nequaquam erit satis. Malorum illecebras, quoad omnino fieri potest, ab humana fragilitate removere debemus, immo vero ne segnitiae quidem ullam excusationem relinquere. Facite igitur, ut scholae vestrae omni ex parte illis pares sint, quae ad liberos vestros pelliciendos aperiuntur. Si quod est incitamenti genus, si qua ratio emendatior et melior, quae valeant ad vestram institutionem altius evehendam, B his utimini: neque sinite, ullam iustam causam relinqui, quare pueri catholici in aliam mittantur disciplinam.

In effecting these most useful purposes, and procuring means for encouraging a high order of education, as well as extensively diffusing its blessings, we consider that the institution established by us, and known as the *poor school committee*, has been eminently useful, and deserves our public approbation and our joint recommendation. Composed, as it is, of priests and laymen, selected from all our dioceses, it has attended to their several interests with fidelity and impartiality; and it has been the instrument for obtaining assistance and means for education, which, without its cooperation, would not have reached us. Through it, the character of our poor school teaching has been signally raised: and the erection of normal and training schools, which we now owe to its exertions and zeal, promises to secure, on a stable basis, the future enjoyment of this blessing. We, therefore, exhort and urge you to support this excellent institution, by your liberal contributions, by your hearty cooperation, and by your friendly encouragement.

Ad haec autem tam utilia exsequenda consilia, et comparanda ea, quibus et magis excitari educatio, et latius propagari eius salubritas possit, summopere profuisse intelligimus illud *Consilium curandis pauperum scholis* (hoc enim nomine vulgo noscitur) a nobis institutum, quod nostram et publicam approbationem et communem commendationem meretur. Cum enim partim sacerdotibus, partim laicis, iisque ex omnibus nostris dioecesibus delectis, constet, variis harum commodis fideliter integreque consuluit; ab eodemque ea sunt comparata educationis adiumenta ac subsidia, quibus sine eius auxilio nunquam essemus potiti. Illius item opera effectum est, cum ut pauperum scholarum disciplina sese insigniter efferret, tum ut conditae instituendis C magistris scholae, quas eiusdem conatibus industriaeque debemus, spem nobis praeberent fore, ut haec bona, firmis quasi radicibus defixa, etiam in futurum tempus fructus suos funderent. Quod ut egregium institutum et liberaliter collata stipe, et coniuncta alacriter opera, et studiorum vestrorum significationibus adiuvetis, vos etiam atque etiam monemus et hortamur.

3. But, while we thus wish to promote a secular instruction equal to what others offer, we consider sound faith, virtue and piety by far the most important elements of education; and these, as we have already declared to you, we are the most anxious to secure and to promote. We cannot, of course, conceal from ourselves that the encouragement which the state or the policy of the age, gives to education, has a tendency to increase the importance of worldly knowledge, if not to the disparagement, at least to the consequent depreciation of religious learning. The inspection, the rewards, the honours derived from the state, are strictly limited to proficiency in the former class of instruction; and the youthful mind is easily led by its own ardour to pursue what obtains public approbation and reward to the neglect of less prized, but far more important, acquirements. It is our duty to find a counterpoise for this undue preponderance: and, after mature deliberation, we have gladly adopted, for this purpose, the excellent suggestions made to us in synod, by the poor school committee, through its worthy chairman. We propose, therefore, to appoint, in our respective dioceses, ecclesiastical inspectors of schools, whose duty it will be to examine the scholars in the religious portion of their education, to grant

3. Verum ita profanam eruditionem quaerimus ei parem, quam promittunt alii, ut sanam fidem, virtutem et pietatem longe potissimam educationis partem esse arbitremur: quam nos quidem, id quod iam significavimus, tueri ac fovere magnopere cupimus et optamus. Illud sane non possumus non animadvertere, ea, quibus publica auctoritas vel huius aetatis prudentia utitur ad excitandam puerilem disciplinam, eo pertinere, ut saecularibus doctrinis maius pretium accedat; ex quo religionis D scientiam, si minus contemni, at certe minoris aestimari necesse est. Scholarum visitationes, praemia, honores, quae publice decernuntur, progressus in priore illo disciplinarum genere unice spectant; atque ita iuveniles animi insito ardore facile inducuntur, ut ea, quae publice probari et ornari videant, consectentur; quae vero, quamvis per se longe graviora, tamen minoris aestimentur, ea parvi pendant. Nostrum est igitur providere, ne illa pars hanc iniuste praeponderet; huiusque rei causa, habita diligenti deliberatione, perlibenter ea comprobavimus, quae consilium curandis pauperum scholis per egregium virum, praesidem suum, ad nos in synodo retulit. Suademus igitur, ut in singulis dioecesibus designentur ecclesiastici viri, qui scholas visitent; quorum officium sit, discentium religionis scientiam tentare, iisque, ut quisque hac

[1] „*You shall be as Gods, knowing good and evil.*“ Gen. III, 5.

certificates and award prizes, for proficiency in it; A and so give any one who aspires to be a teacher of catholic children the means of proving himself morally fitted for the office, and prevent the unworthy from obtaining so serious a trust. This plan, the utility of which must, at first sight, be obvious, will entail additional expense, and increase the demands on the funds of the poor school committee. But we rely on your sense of its vital importance, for redoubled exertions and augmented resources to meet this new exigency.

4. While we thus turn our most serious thoughts towards the education, in sound faith and virtuous morals, of our poorest children, who are most exposed to the evil arts and temptations of enemies, we cannot overlook the wants of other classes, no less dear to us. Where there is a sufficient catholic population to warrant it, we earnestly recommend B the establishment of a middle school, as it is called, in which a good commercial and general education shall be given to the children of families in a better worldly position. At present the youth of this class, aspiring to a higher standard of instruction, and for obvious reasons unable to attend the gratuitous or poor school, are generally sent to day-schools, where religious education is out of the question, and where often their faith is exposed to serious trials. The experiment of establishing such a school as we allude to, has succeeded in several towns; and we beg both clergy and laity to extend this great blessing, wherever they see a reasonable prospect of success.

5. We cannot leave the subject of education, without alluding to the effort that is being made by our venerable and beloved brethren, the bis- C hops of Ireland, for the establishment of a catholic university. Acting under the directions, and with the approbation of the holy see, seconded by the cooperation of their clergy and their flocks, encouraged by the contributions of both hemispheres, these zealous prelates are aiming higher than we can dare — at the providing of an unmixed education of the very highest order. From our hearts we wish them success; and we are glad of this opportunity to testify to them our warmest sympathy. What we have hitherto done, we will continue to do — recommend the undertaking to the charity and liberality of our faithful people. Should such an institution grow up so near us, its advantages to us will be incalculable. We shall see open to future generations, the means of a liberal, scientific and professional education, united with solid religious instruction, a blessing denied to the D present; and we may see revived, what formed the pride of Ireland in early ages of christianity, multitudes who loved heavenly, as well as earthly, wisdom, sailing to her from distant shores, to obtain the still undivided treasure at her hands.

6. You will see, by all that we have addressed to you, how solicitous we are about the preservation of the faith committed to our charge. It is no wonder that we should be so. While this is the groundwork of all piety and of our salvation, though without it we cannot possibly please God, it has become less and less an object of care or of esteem to others. The innumerable contradictions of doctrine, which have long prevailed in every system out of

in parte profecerit, ita testimonia dare et praemia decernere; quo fiet, ut iis, qui catholicorum puerorum magistri esse cupiant, facultas praebeatur idoneos se ad eam rem probandi, indignis vero tam gravis muneris aditus praecludatur. Hoc quidem consilium, quod quam sit utile neminem primo statim aspectu fugere potest, sumptuum accessionem afferet, gravabitque pauperum scholarum aerarium. Verum, summam rei necessitatem ita vobis perspectam fore confidimus, ut ad novum hoc onus ferendum industriae et liberalitatis incrementum merito a vobis exspectemus.

4. Dum autem in eam curam studiosissime incumbimus, ut sana fide et honestis moribus imbuantur pauperrimi illi adolescentuli, qui malis artibus lenociniisque inimicorum maxime obiiciuntur; aliorum, qui non minus nobis cari sunt, necessitates negligere non possumus. Itaque quibus in locis is reperitur catholicorum numerus, qui hoc praestare possit, magnopere cupimus, scholas eius generis, quas medias vocant, constitui, in quibus divitiorum parentum filii cum ad cetera tum ad mercaturam idonea institutione rite impertiantur. Nunc enim haec iuventutis pars, quae aliquanto liberaliorem disciplinam expetit, nec tamen, ut facile cernitur, gratuitas seu pauperum scholas frequentare potest, in scholas diurnas, quas vocant, fere mitti solet, in quibus nec religiosae educationis ulla habetur ratio, et puerorum fides saepe in graves incidit scopulos. Huiusmodi scholae in aliquot urbibus prospere constitui coeptae sunt; quare et clerum et populum fidelem obsecramus, ut tam salutare instituti genus latius propagent, ubicumque se bona spes successus ostenderit.

5. Hunc de educatione locum relinquere non possumus, quin meminerimus illius a venerabilibus et carissimis nostris fratribus, Hiberniae episcopis, suscepti operis ac laboris in catholica univeritate condenda. Duce atque auspice sancta sede, illi sancto studio incensi antistites, adiuti cum cleri tum populorum suorum opera, collatisque ex utraque orbis parte subsidiis confirmati, maiora conantur, quam nos audere possumus; id enim spectant, ut mere catholicum institutionis genus, idemque plane excellens, iuventuti comparent. Quibus nos ut coepta prospere cedant ex animo cupimus; laetique, hac opportunitate usi, summa illis studia nostra testamur. Quod adhuc fecimus, idem facere pergemus, ut inceptum opus fidelis populi nostri caritati et liberalitati commendemus. Si enim tale institutum in tanta propinquitate exstiterit, immensa inde ad nos utilitas redundabit. Posteris aetatibus paratam videbimus disciplinam, liberalia studia, altiores doctrinas artesque ad vitam utiles complectentem, eamque cum accuratissima religionis scientia coniunctam; cuius boni copia huic aetati negata est; rursusque fieri cernemus illud, quod primis christianae religionis saeculis eximia Hiberniae laus fuit, ut divinae pariter et humanae sapientiae avidi iuvenes e longinquis oris ad eam frequentes navigent, utramque illam, nunc quoque coniunctam, thesaurum inde petituri.

6. Atque ex his omnibus, quae vobis diximus, intelligetis, de conservanda fide nostrae custodiae commissa quam simus solliciti. Neque vero id mirum in nobis videri debet. Quamvis enim fides sit fundamentum omnis pietatis et *humanae salutis initium*[1], et *sine illa impossibile sit placere Deo*[2], tamen ab aliis in dies minus curari et in pretio haberi coepta est. Infinita enim contrariarum opinionum certamina, quibus omnes extra catholicam

[1] Conc. Trid., sess. VI, c. 8. [2] Hebr. XI, 6.

the catholic church, fretting and clashing together, have worn themselves down into a smooth apathy; and the simplest hypothesis for getting rid of the scandal of contention about sublimest truths, has been adopted — that they are matters of indifference. Hence, the attachment of the catholic to specific truths, and his jealousy of change in matters of religion are derided as narrow-minded and illiberal; and the very characteristic which saint Leo gave to the worship of pagan Rome is now popularly attributed to genuine christianity, that it is truly religious in proportion as it opens wider its arms, to embrace and comprehend more conflicting errors. The age is one which rejects all strict dogmatism, and its spirit is the enemy of faith. It is difficult to be in contact with it, and not feel its influence. Its reasonings, its disdain, its jeers, its very blasphemies, become familiar, and cease to inspire horror; the sacredness of what is habitually assailed remains less vividly impressed on the mind; and many, who would die for their religion in general and its truth, do not feel so keenly about particular doctrines, each of which is absolutely necessary to form the whole faith of the church, not one of which can be impugned or given up, without destroying the entire structure of truth. Wherefore, dearly beloved, we earnestly exhort you, as the apostle found it necessary to do the first christians, exposed as they were to the same dangers — „to watch, stand fast in the faith, do manfully and be strengthened.“ „Let no man deceive you with vain,“ that is specious „words“. Follow not your own opinions, nor those of other men; but remain steadfast in the teaching of God's church, keeping the very form of sound words which she delivers to you, and not reputing any thing light or unimportant which she communicates. Above all things prize the great blessing of unity, which is so distinguishing a mark of God's church. Let there be no contentions, no dissensions, found among you. Hear the voice of your pastors, who in their turn are careful to preserve themselves in the unity of the spirit, adhering closely to the chair of Peter, wherein sits the inheritor of his jurisdiction and supremacy, holding the keys of Christ's kingdom and the staff of pastoral jurisdiction over all the sheep of his one fold.

7. But faith must be rooted in charity and quickened by good works, to be available unto salvation. And therefore we exhort you to all piety, and the faithful discharge of all your duties. For „godliness is profitable to all things, having promise of the life that now is, and of that which is to come“. In proportion as the times are evil, increase your own fidelity to the religious observances of the church. He who frequently prays to God, who, if possible, daily attends at the adorable sacrifice, purges at short intervals his conscience from stains, by the sacrament of penance, and often devoutly receives the source of life in the most blessed eucharist, will not easily feel his faith weakened. Perform then these duties with cheerful fervour, „not with sadness or of necessity, for God loveth a cheerful giver.“ Towards the most holy sacrament we warmly entreat you to entertain the most tender devotion; promote its honour, its solemn adoration, its silent worship, its frequent reception. In the very blessed and immaculate mother of God, we earnestly

ecclesiam sectae diu laborarunt, cum mutuo sese conflictu destruerent, ea iam consederunt: subiit mollis quidam languor, multique, ut eam de summis veritatibus altercandi infamiam effugerent, ineptissimum illud statuerunt, de toto hoc rerum genere quid quisque sentiret nihil referre. Quare, id studium, quo catholici ecclesiae suae doctrinas retinent, et omnem in religione mutationem aversantur, deridetur ut stultum et illiberale; quodque sanctus Leo, veteris Romae superstitionem describens, ait: „*Et magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem*,“[1] idem nunc vulgo habetur germanae christianitatis insigne. Repudiat enim haec aetas omnem definitam dogmatum formulam; abhorret a fide eius ingenium. Difficile est sic in ea versari, ut nihil de eius contagione trahatur. Eius argumenta, fastidia, irrisiones, blasphemiae ipsae, fiunt assuetudine quasi familiaria, et iam sine horrore audiuntur; earum rerum, quae assidue impugnantur, sanctitas minus acriter movet animos: ac multi, qui pro religione universim eiusque veritate mori parati essent, non eodem studio complectuntur singularia doctrinarum capita, quorum unumquodque plane necessaria pars est fidei ecclesiae; ut ne unum quidem impugnari aut abiici possit, quin totum veritatis aedificium destruatur. Vos igitur, carissimi, iisdem verbis cohortamur, quibus apostolus primos christianos, iisdem periculis obiectos, hortandos putavit: „*Vigilate, state in fide, viriliter agite et confortamini.*[2] *Nemo vos seducat inanibus*, id est speciosis, *verbis.*“[3] Nolite aut vestras proprias, aut aliorum hominum, opiniones sequi, sed constanter perseverate in doctrina ecclesiae Dei, habentes „*formam sanorum verborum*“[4], quam ipsa vobis tradit, nec quidquam eorum, quae docet, leve aut non magni momenti reputantes. Super omnia vero beatam unitatem magni facite, qua una maxime nota distinguitur ecclesia Dei. Neque „*contentiones neque dissensiones sint inter vos*“[5]. Audite pastorum vestrorum voces, qui et ipsi „*solliciti* sunt *servare unitatem spiritus*“[6], dum firmiter adhaerent Petri cathedrae, in qua sedet illius iurisdictionis et primatus haeres, tenens claves regni Christi et baculum pastoralis auctoritatis in omnes oves unius dominici ovilis.

7. Fides autem in caritate radicari[7] et bonis operibus excitari debet, ut ad salutem prosit. Quare, hortamur vos ut pietatem colatis, et omnia vestra diligenter impleatis officia: „*Pietas enim ad omnia utilis est, promissionem habens vitae quae nunc est et futurae.*“[8] Quo peiora sunt tempora, eo fidelius sancta ecclesiae instituta servate. Qui enim frequenter Deum precatur, qui, si modo potest, quotidie divino interest sacrificio, qui brevibus intervallis conscientiae maculas eluit poenitentiae sacramento, et saepe ac pie in sanctissima eucharistia vitae fontem suscipit, hic non facile labefactari fidem suam sentiet. Implete igitur haec officia cum alacritate ac fervore, „*non ex tristitia aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus.*“[9] Erga venerabile sacramentum, etiam atque etiam oramus vos, ut tenerrimam pietatem foveatis; promovete eius honorem, publicam adorationem, tacitam religionem, frequentem sumptionem. Magnopere vos hortamur ut in semper benedicta et immaculata Dei matre fiduciam, qualem filios decet, collocetis: quae qui-

[1] *In natali sanctorum apostolorum.*
[2] I Cor. XVI, 13.
[3] Eph. V, 6.
[4] II Tim. I, 13.
[5] II Cor. XII, 20.
[6] Eph. IV, 3.
[7] Eph. III, 17.
[8] I Tim. IV, 8.
[9] II Cor. IX, 7.

exhort you to feel a filial confidence, which is the fruit of love towards her divine son, and will make you have daily recourse to her patronage and intercession. Love the glory of God's house and the majesty of his worship: and minister to them generously, according to your means. Love the poor of Jesus Christ, his dearest disciples, and assist them charitably, especially by supporting such institutions as secure their spiritual together with their temporal welfare. Edify all around you by the blamelessness of your lives, the christian order of your families, and the virtues suited to your condition. „For the rest, brethren, whatsoever things are true, whatsoever modest, whatsoever just, whatsoever holy, whatsoever lovely, whatsoever of good fame, if there be any virtue, if any praise of discipline, think of these things."

A dem fructus est amoris in divinum eius filium, quaeque efficiet, ut quotidie ad eiusdem praesidium et intercessionem confugiatis. Diligite decorem domus Dei et divini cultus maiestatem, huicque rei necessaria, pro vestris facultatibus, generose subministrate. Diligite pauperes Christi, carissimos eius discipulos, iisque benigne subvenite, maxime iis iuvandis institutis, in quibus illorum animis simul et corporibus providetur. Exemplo estote omnibus, inter quos vivitis, integerrima vitae probitate, christiana familiarum vestrarum disciplina, propriis uniuscuiusque conditionis virtutibus. *„De cetero, fratres, quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate."* [1]

8. But you are exposed to trials of another sort, in which it is likewise our duty to direct you. Dearly beloved, we need not recall to your minds the many and various ways in which your faith, your morals, your pastors, your holiest institutions, your church in fine, and your religion, have been lately assailed. We need not trace the progress of injury from words to deeds, nor show the ripening of ill-judged expressions into destruction of property, shedding of blood, and desecration of what is most holy. And you know too that many persons around you would not hesitate to proceed to greater lengths, were it permitted them. Now, under these circumstances, your line of duty is clear, and we must not refuse to point it out to you.

8. Sed aliis praeterea molestiis et periculis obiecti B estis, in quibus item vos consiliis regere debemus. Nihil opus est, dilectissimi, revocare vobis in memoriam, quam multis quamque variis modis vestra fides, vestri mores, vestri pastores, vestra sanctissima instituta, denique vestra ecclesia et religio nuper impugnata fuerint. Neque necesse est describere, quomodo iniuriae a verbis ad facta progrediantur, aut ostendere, quo pacto inconsiderate dicta, cum tanquam semina ad maturitatem venerint, eversionem proprietatis, effusionem sanguinis, rerum sanctissimarum profanationes efferre consueverint. Nec sane ignoratis, vos circumdari hominibus, qui ulterius, si concessum esset, procedere non dubitarent. Quae cum ita sint, non est obscurum, quae vobis tenenda sit via; neque nos, quominus eam vobis monstremus, recusare possumus.

First then we exhort you, not to be deterred by evil threats, nor by such injuries, from the free, the manly, and the christian discharge of your duties, and the lawful defence of your rights, as citizens. Exercise the prerogatives which belong to you in an honourable and generous spirit. Shrink not from any obligation imposed upon you by your state of life. If in the senate, or among the representatives of the people, or a magistrate, or holding any office of trust or honour, or a simple citizen, remember that your rights are the same as those of other persons similarly situated; and allow no one to daunt you, or drive you from the fearless, peaceful, and dispassionate performance of the duties which ever accompany a privilege.

Primum igitur vos hortamur, ne ullis minis aut id genus iniuriis deterreamini quominus libere, viriliter, C christiane, vestra cum officia exsequamini, tum civilia iura legitime defendatis. Vestra iura ingenuo animo generosoque exercete. Nolite ullam eius muneris partem, quod sua cuique conditio imponit, defugere. Sive senatores estis aut populi delegati aut magistratus, sive grave quodpiam aut honorificum munus geritis, sive duntaxat e numero estis civium, mementote, vestra iura eadem esse ac ceterorum, qui in simili conditione versantur; neque cuiquam hoc concedite, ut vos terreat, aut prohibeat, quominus impavide, pacate moderateque iis fungamini officiis, quae semper privilegium consequuntur.

But in the next place we still more strongly exhort you to patience, to long-suffering, to meekness, to the uttering only of the blameless word, that „he who is on the contrary part may be afraid, having nothing evil to say of us". Let nothing, however bitter, that may be said, however unjust, that may be threatened, rouse you to anger, or provoke intemperance of speech. Let no amount even of actual injury excite you to revenge, or to the desire of it. You particularly, among our poor children, who have felt more sorely than others the violence inflicted on yourselves or your neighbours, through religious animosity, we most earnestly and affectionately entreat, to put away all angry, unkind and uncharitable thoughts. Be followers of him, who „when he was reviled did not revile, and when he suffered, threatened not". „Be not overcome by evil, but overcome evil with good." Look to the justice of the laws for protection from oppression and insults; and not to any unlawful combinations or exercise of your own strength. Remem-

Alterum est, ut vehementius etiam vobis commendemus patientiam eamque invictam, mansuetudinem, *„verbum irreprehensibile, ut is qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum dicere de nobis."* [2] Nulla sit tanta maledictorum acerbitas aut tanta D minarum iniustitia, quae vos ad iracundiam moveat aut ad verborum intemperantiam provocet. Ne illatae quidem iniuriae ulla vos immanitas ad ultionem ultionisve cupiditatem concitet. Vos vero imprimis, carissimi filii, qui, cum sitis pauperes, iniustam vim aut vobis ipsis aut vestris per odium religionis allatam gravius, quam alii, persensistis, monemus et amantissime obsecramus, ut omnem iracundiam, acerbam, a caritate alienam cogitationem abiiciatis. Illius imitatores estote, *„qui, cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur.*[3] *Nolite vinci a malo, sed vincite in bono malum."* [4] A legum iustitia contra vexationes et contumelias exspectate praesidium, non a vetitis quibusdam machinationibus aut a propriarum virium contentione. Recordamini, etiamsi in hac vita ius

[1] Phil. IV, 8.
[2] Tit. II, 8.
[3] I Petr. II, 23.
[4] Rom. XII, 21.

ber, that even should justice be refused you here, God hath prepared a reward hereafter for the patient sufferer, that will amply compensate him for the light and momentary tribulations of this life. Hear then, in this, as in higher things, the voices of your pastors, and fathers in God, most lovingly reminding you, „that tribulation worketh patience, and patience trial, and trial hope; and hope confoundeth not." Thus will your present trials only advance you in perfection, and through the cross and passion of our blessed Lord unite you closer to him, and make you inheritors of his promises.

9. One and only one revenge can we permit you, that of praying for all who afflict or persecute or hate you. Beg of God to turn their hearts to charity and peace, and bring them to the knowledge and love of his blessed truth. But not for them only must you pray, but for all who are not partakers of the same light and grace, as have been vouchsafed to you. You have heard of the great charity with which God has inspired your brethren of other nations, of praying for the return of your beloved country, to the unity of the faith. We surely will not be behind them in our zeal and love, where the motives, the interests, and the rewards of these virtues are so peculiarly our own. Pray then daily, though it be but by one short *Hail Mary*, for the return of your fellow-countrymen to the one fold of Christ; that we may all be one, even as he and his father are one.

And may the father of mercies and God of all consolation pour out abundantly upon you every blessing; strengthening you to every good work, and perfecting you in all virtue and holiness, unto the day of our lord Jesus Christ, who with him, and the holy Ghost, liveth and reigneth for ever and ever.

Given at Saint Mary's college, Oscott, this seventeenth day of july, in the year of our Lord one thousand eight hundred and fifty-two.

vobis denegetur, ei tamen, qui patienter mala tolerarit, a Deo in altera paratam esse mercedem, quae, *„quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis,"*[1] abunde compenset. In his igitur rebus, utpote altioris generis, pastorum vestrorum et in Deo patrum audite voces, illud vos amantissime monentium: *„Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit."*[2] Ita, quae nunc adversa patimini, ea vos ad perfectionem consequendam iuvabunt, et per Dei domini nostri crucem ac passionem arctius cum ipso coniungent, eiusque promissorum haeredes efficient.

9. Unum vobis, unum illud ultionis genus permittere possumus, ut pro iis omnibus oretis, qui vos conturbant vel persequuntur vel oderunt. Obsecrate Deum, ut eorum animos ad caritatem et pacem revocet, ipsosque ad salutaris suae veritatis cognitionem amoremque perducat. Nec vero pro illis tantum orare debetis, sed pro iis omnibus, qui non eiusdem luminis et gratiae, quae vobis concessa sunt, societate fruuntur. Audistis, qua caritate divinitus impulsi fratres vestri aliarum nationum orent, ut carissima vestra patria ad unitatem fidei revertatur. Profecto non patiemur, nos ab illis zelo et amore vinci, cum praesertim earum virtutum incitamenta, commoda et praemia tam singulari modo nostra sint propria. Orate igitur quotidie, vel semel tantum dicto *Ave Maria*, pro popularium vestrorum reditu ad unum Christi ovile; ut omnes unum simus, sicut ipse et Pater unum sunt.

Faxit pater misericordiarum et Deus totius consolationis, ut omnem in vos benedictionem copiose effundat, corroborans vos ad omne opus bonum, et in omni virtute ac sanctitate *perficiens usque in diem Christi Iesu*[3] domini nostri; qui cum ipso et sancto Spiritu vivit et regnat in saecula saeculorum.

Datum in collegio Sanctae Mariae apud Oscott, die 17 iulii, anno Domini nostri millesimo octingentesimo quinquagesimo secundo.

[1] II Cor. IV, 17. [2] Rom. V, 3-5. [3] Phil. I, 6.

## SYNODUS DIOECESANA PETRAGORICENSIS I
1852 augusti 4.

Synodus dioecesana Petragoricensis I in Gallia, celebrata die 4 augusti 1852, sub Ioanne-Baptista-Amadeo-Georgio Massonais, episcopo Petragoricensi.

De hac synodo confer opus cui titulus:

Second synode diocesain tenu à Périgueux, par Mgr Jean Baptiste Amédée George, évêque de Périgueux et de Sarlat, les 30 et 31 juillet et 1er août 1855, et règlement sur les cérémonies. *[Insigne.]* Périgueux, chez Lavertujon fils, imprimeur de Mgr l'évêque, 1857.

In-8, 165 p. -- Lyon, abbé Martin; Paris, Bibl. nat., B 17060; Paris, Saint-Sulpice.

Pag. 5. mentio synodi celebratae die 4 augusti 1852.

## SYNODUS DIOECESANA MONTISALBANENSIS.
1852 augusti 25-7.

Synodus dioecesana Montisalbanensis in Gallia, celebrata diebus 25, 26 et 27 augusti 1852, sub Ioanne-Maria Doney, episcopo Montisalbanensi.

Exstant constitutiones synodales in opere cui titulus:

Statuts synodaux du diocèse de Montauban, publiés dans le synode tenu le 27 août 1852, par monseigneur l'illustr. et révér. Jean-Marie Doney, évêque de Montauban. *[Insigne.]* Montauban, Charles Forestié fils, imprimeur de monseigneur l'évêque, place Royale.

Sine anno [1852], in-8°, 2 f. - L p. - 1 f. - 154 p. — Chambéry, séminaire.

P. XXIII, haec synodus dioecesana celebrata est diebus 25, 26 et 27 augusti 1852.

## SYNODUS DIOECESANA DIVIONENSIS
1852 mense augusto.

Synodus dioecesana Divionensis in Gallia, celebrata mense augusto 1852, sub Francisco-Victore Rivet, episcopo Divionensi.

De hac synodo confer opera quibus tituli:

1) Lettre d'indiction de Mgr l'évêque de Dijon, portant convocation de son synode de 1852. Dijon, Douillier.

Sine anno [1852]. in-4. — Cf. Marcel, *Livres liturgiques de Langres*, (1892), p. 287, note 1.

2) Statuts du diocèse de Dijon, donnés par monseigneur François-Victor Rivet, évêque de Dijon. *[Insigne.]* Dijon, Douillier, libraire, imprimeur de l'évêché, rue des Godrans, 1854.

In-8°, 2 f.-79-XCII p. — Autun, séminaire; Paris, Bibl. nat. B 17163.

Haec statuta edita sunt in synodis dioecesanis celebratis annis 1852 et 1853.

## SYNODUS DIOECESANA SAN-CLAUDIENSIS
1852 mense augusto.

Synodus dioecesana San-Claudiensis in Gallia, celebrata mense augusto 1852, sub Ioanne-Petro Mabile, episcopo San-Claudiensi.

Exstant constitutiones synodales in opere cui titulus:

Statuts synodaux du diocèse de Saint-Claude. Saint-Claude, Adolphe Enard, imprimeur de monseigneur l'évêque, 1855.

In-8°, 157 p. - 1 f. (index). — Lons-le-Saunier, séminaire; Paris, Bibl. nat. B 17174.

P. 14, mentio synodi dioecesanae celebratae mense augusto 1852.

## SYNODUS DIOECESANA AURELIANENSIS
1852 septembris 28-9.

Synodus dioecesana Aurelianensis in Gallia, celebrata diebus 28 et 29 septembris 1852, sub Felice-Antonio-Philiberto Dupanloup, episcopo Aurelianensi.

De hac synodo confer opus cui titulus:

Œuvres choisies de Mgr Dupanloup, évêque d'Orléans, de l'Académie française. Tome II, œuvres pastorales, I. Librairie catholique de Perisse frères, imprimeurs de n. s. p. le pape, Paris, B nouvelle maison Régis Ruffet & Cie, sucrs, 38, rue Saint-Sulpice; Lyon, ancienne maison, rue Mercière, 49 et rue Centrale, 34, 1862, droits de traduction et de reproduction réservés.

In-8°, 2 f.-550 p. — Lyon, Fourvière.

T. II, p. 480-8: „Statuta synodalia de sacris secessibus parochialibus in dioecesi instituendis, in synodo die XXVIII et XXIX septembris, anno reparatae salutis MDCCCLII, condita et promulgata."

## SYNODUS DIOECESANA AEDUENSIS
1852 octobris 4-8.

Synodus dioecesana Aeduensis in Gallia, celebrata a die 4 ad diem 8 octobris 1852, sub Frederico-Gabriele-Maria-Francisco de Marguerye, episcopo Aeduensi.

Exstant constitutiones synodales in opere cui C titulus:

Synodus dioecesana Aeduensis, anno 1852 celebrata, ab illustriss. et rever. d. d. Frederico-Gabriele-Maria-Francisco de Marguerye, episcopo Aeduensi, praelato solio pontificio assistente, etc. *[Insigne.]* Aeduae, ex typis Michaelis Dejussieu, dd. episcopi typographi, 1853.

In-12, 215 p. — Bourges, séminaire; Paris, Saint-Sulpice.

P. 67, haec synodus dioecesana celebrata est a die 4 ad diem 8 octobris 1852.

## SYNODUS DIOECESANA BELVACENSIS
1852 octobris 5-8.

Synodus dioecesana Belvacensis in Gallia, celebrata diebus 5, 6, 7 et 8 octobris 1852, sub Iosepho-Armando Gignoux, episcopo Belvacensi.

Exstant constitutiones synodales in opere cui titulus:

1) Œuvres choisies de monseigneur Joseph-Armand Gignoux, évêque de Beauvais, Noyon et Senlis. Tome deuxième, allocutions synodales, lettres & circulaires relatives au ministère paroissial & à la vie sacerdotale. *[Insigne.]* Beauvais, Delacroix-Pasturel, libraire-éditeur, 21, rue du Châtel, 21, D 1874. *[In fine:]* Arras, typ. veuve Rousseau-Leroy.

In-8°, 4 f.-448 p. — Lyon, Fourvière.

T. II, p. 1-52 et 427-46, synodus dioecesana Belvacensis, celebrata in maiori seminario, diebus 5, 6, 7 et 8 octobris 1852.

2) Notice historique sur le synode diocésain tenu à Beauvais, les 5, 6, 7 et 8 octobre 1852, par Mgr Joseph-Armand Gignoux, évêque de Beauvais, Noyon et Senlis, assistant au trône pontifical, etc., rédigé par les notaires du synode. Beauvais, imprimerie d'Ach. Desjardins, imprimeur de l'évêché, 1852.

In-8°, 2 f.-76 p.-1 f. (index). — Lyon, abbé Martin; Paris, Saint-Sulpice; Roma, Saint-Louis-des-Français.

3) Second synode diocésain tenu à Beauvais, par Mgr Joseph-Armand Gignoux, évêque de Beauvais, Noyon et Senlis, assistant au trône pontifical, etc., les 4, 5, 6, 7 et 8 octobre 1858. *[Insigne.]* Beauvais, imprimerie d'Ach. Desjardins, imprimeur de l'évêché, 1858.

In-8°, 228 p. — Paris, Bibl. nat. B 17059.

Pag. 4, memoratur synodus dioecesana prima celebrata [die 5 octobris] 1852. Pag. 199-226, appendix documentorum.

## STATUTA DIOECESIS FOROIULIENSIS
1852 octobris 10.

Statuta dioecesis Foroiuliensis in Gallia, edita die 10 octobris 1852, sub Casimiro-Alexio Wicart, episcopo Foroiuliensi.

Exstant constitutiones synodales in opere cui titulus:

Ordonnances synodales & statuts du diocèse de Fréjus. *[Insigne.]* Brignoles, imprimerie de Perreymond-Dufort, imprimeur de l'évêché, 1852.

In-8°, 47 p. — Paris, Bibl. nat. B 21604.

Haec statuta edita sunt extra synodum dioecesanam.

## SYNODUS DIOECESANA AQUENSIS
1852 octobris 11-14.

**Synodus dioecesana Aquensis in Gallia, celebrata diebus 11 et 14 octobris 1852, sub Petro-Maria-Iosepho d'Arcimoles, archiepiscopo Aquensi.**

**Exstant constitutiones synodales in opere cui titulus:**

**Ordonnances synodales de monseigneur Pierre-Marie-Joseph Darcimoles, archevêque d'Aix, d'Arles et d'Embrun. Aix, typographie Vitalis, 1853.**

**In 8°, XV-187 p. — Lyon, séminaire; Paris, Bibl. nat. B 13869; Paris, Saint-Sulpice.**

**Haec statuta promulgata sunt in synodo habita Aquis, diebus 11 et 14 octobris 1852.**

## SYNODUS DIOECESANA AGINNENSIS
1852 octobris 19-21.

**Synodus dioecesana Aginnensis in Gallia, celebrata diebus 19, 20 et 21 octobris 1852, sub Ioanne-Amato de Levezou de Vesins, episcopo Aginnensi.**

**Exstant constitutiones synodales in opere cui titulus:**

**Statuta synodalia dioecesis Aginnensis, ab ill. ac rr. dd. Joanne Amato de Levezou de Vesins, episcopo Aginnensi, anno Domini MDCCCLII.** B ***[Insigne.]*** **Aginni, typis P. Noubel, typographi ill. ac rr. dd. episcopi, M. DCCC. LII.**

**In-8°, 2 f. - IV - 39 p. — Lyon, abbé Martin.**

**Pag. 1: „Acta dioecesanae synodi habitae diebus 19, 20 et 21 octobris 1852."**

## SYNODUS DIOECESANA BUFFALENSIS
1852.

**Synodus dioecesana Buffalensis in Foederatis Statibus Americae septentrionalis, celebrata anno 1852, sub Ioanne Timon, episcopo Buffalensi.**

**Exstant constitutiones synodales in opere cui titulus:**

**Statuta dioecesis Buffalensis, lata in synodo dioecesana a. D. 1854 habita, cum decretis a. D. 1847, 1849, 1851 et 1852 habitis.** ***[Insigne.]*** **Buffalo, typis Wieckmann et Brandt, 1854.**

**In-8, 17 p. — Baltimore, St. Mary's seminary; Roma, Vittorio Emanuele.**

## SYNODUS DIOECESANA CAMERACENSIS
1852.

**Synodus dioecesana Cameracensis in Gallia, celebrata anno 1852, sub Renato-Francisco Régnier, archiepiscopo Cameracensi.**

**Exstant constitutiones synodales in operibus quibus tituli:**

**1) Statuta synodalia archidioeceseos Cameracensis, ab illustrissimo ac reverendissimo dd. Renato-Francisco Régnier, Dei et apostolicae sedis gratia, archiepiscopo Cameracensi, edita.** ***[Insigne.]*** **Cameraci, ex typis Fenelonis Deligne, typographi reverendissimi dd. archiepiscopi Cameracensis, MDCCCLVI.**

**In-12°, 3 f. - 249 p. — Paris, Saint-Sulpice.**

**P. 3: „Quae in synodo nostra dioecesana anni 1852 et aliis subsequentibus statuta fuerunt ac decreta, typis mandari curavimus."**

**2) Statuta synodalia archidioecesis Cameracensis, ab illustrissimo ac reverendissimo dd. Renato-Francisco Régnier, archiepiscopo Cameracensi, edita,** C **et a sancta sede approbata; editio secunda.** ***[Insigne.]*** **Cameraci, ex typis Edmundi Deligne, typographi reverendissimi dd. archiepiscopi Cameracensis, MDCCCLXXII.**

**In-12, XI-270 p. — Chambéry, séminaire.**

**P. V, mentio habetur statutorum editorum anno 1781.**

**P. X: „Quae in synodo nostra dioecesana anni 1852 et aliis subsequentibus statuta fuerunt ac decreta, typis mandari curavimus."**

## SYNODUS DIOECESANA CLEVELANDENSIS
1852.

**Synodus dioecesana Clevelandensis in America, celebrata anno 1852, sub Amadeo Rappe, episcopo Clevelandensi.**

**Exstant constitutiones synodales in opere cui titulus:** D

**Statuta dioecesis Clevelandensis, lata in synodo dioecesana habita 1852, et in aliis synodis 1854 et 1857; editio aucta et emendata. Cleveland, H. Kramer, 1857.**

**In-8, 8 p. — Baltimore, St. Mary's seminary. — Ipse non vidi.**

## SYNODUS DIOECESANA PICTAVENSIS I
1852.

**Synodus dioecesana Pictavensis I in Gallia, celebrata anno 1852, sub Ludovico-Francisco-Desiderato-Eduardo Pie, episcopo Pictavensi.**

**Exstant constitutiones synodales in opere cui titulus:**

***Oeuvres de Mgr l'évêque de Poitiers,*** **(1866), I, 530; II, 303.**

# CONCILIUM PROVINCIAE REMENSIS, CELEBRATUM AMBIANIS
1853 ianuarii 10-9.

**Concilium provinciae Remensis, celebratum Ambianis in Gallia, a die 10 ad diem 19 ianuarii 1853, praesidente Thoma Gousset, archiepiscopo Remensi.**

**Bibliographia:**

**1) Acta et decreta concilii provinciae Remensis, in civitate Ambianensi, anno Domini MDCCCLIII, ponti-**

**ficatus Pii papae noni VII celebrati, a sancta sede revisa A et recognita. Ambiani, excudebat Lenoel-Hérouart, dd. episcopi Ambianensis typographus, MDCCCLIII.**

**In-8°, III-81 p. — Autun, séminaire; Lyon, abbé Martin; Lyon, séminaire; Paris, Bibl. nat. B 5759; Paris, Saint-Sulpice.**

**2) Acta et decreta sanctorum conciliorum recentiorum, collectio Lacensis, auctoribus presbyteris s. J., e domo b. v. M. sine labe conceptae ad Lacum. Tomus quartus. . . . Friburgi Brisgoviae, sumtibus Herder, MDCCCLXXIII, col. 157-94.**

***Eminentissimi cardinalis Gousset.***

### LITTERAE AD EPISCOPOS, CLERUM POPULUMQUE PROVINCIAE REMENSIS.

Thomas-Maria-Iosephus, sanctae Romanae ecclesiae tituli Sancti Callixti presbyter cardinalis Gousset, miseratione divina et apostolicae sedis gratia archiepiscopus Remensis, etc., etc.;

Reverendissimis episcopis suffraganeis nostris, clero et populo provinciae nostrae, salutem in Domino.

Statim ut concilium, a nobis, iuxta sacrosanctae synodi Tridentinae praescriptionem, convocatum et in civitate Ambianensi celebratum, finem habuit, illius acta et decreta summi pontificis auctoritati, qua debemus obedientia, subiicienda curavimus. Quapropter, cum assensu nostrorum coepiscoporum, venerabilem fratrem nostrum episcopum Ambianensem delegavimus, ut, pergens Romam, ea secum ferret, et illius iudicio submitteret, cui ecclesiam docendi regendique, et fratres suos confirmandi cura divinitus commissa est. Pervectus autem ad beatissimi patris pedes, delegatus noster suam sanctitatem, nostro nomine, humillime exoravit, ut operam nostram aut emendationibus puriorem, aut additamentis fortiorem, pro sua sapientia, efficere, atque apostolica auctoritate munire dignetur, ita ut omnia istius concilii decreta a clero fidelibusque pro regula bona omninoque tuta haberi possint, C in qua omnes assertiones, omniaque verba ad normam sanae doctrinae redacta fuerint. Qui noster delegatus ab amantissimo patre peculiari benignitate exceptus est: sua enim sanctitas sacri Concilii congregationi mandavit, ut ad examen synodi nostrae sine mora procederet. Hac vero recognitione iuxta omnes regulas statutasque formulas limatissime tractata, et tamen citius quam mos est absoluta, prodiit sanctae sedis apostolicae de nostro concilio iudicium, integraque decretorum nostrorum approbatio. Hanc approbationem cum episcopus Ambianensis, acceptis etiam a sua sanctitate aliis summae benevolentiae signis, ad nos reversus attulerit, concilium nostrum incunctanter publicandum iudicavimus. Mittimus ad vos epistolam, qua praefectus congregationis Concilii, eminentissimus cardinalis Mai, tot nominibus in universa ecclesia B clarissimus, nostra decreta a summo pontifice approbata fuisse nobis renuntiavit. Hanc epistolam perlegite, ut sanctae sedis spiritum et mentem altius intelligatis, et eius hortationibus roboremini. Unusquisque huius provinciae episcopus satagat ut omnia quae de repellendis quibusdam pravis opinionibus, de consuetudinibus in provincia Remensi existentibus, de scriptoribus catholicis, de directione educationis et scholarum, et aliis rebus stabilita et indigitata sunt, ab omnibus fideliter observentur. Interim *Deum pacis* obsecramus, ut *aptet nos in omni bono*, omnes sint in *eodem sensu et eadem sententia*, et veritatem cum charitate facientes, *corde magno* et *animo volenti* sanctae ecclesiae unitati atque utilitati, pro suis quisque viribus, deserviant, laboresque suos impendant, quorum mercedem Christus in coelis copiosam esse testatus est.

Datum Remis, in aedibus nostris, sub signo sigilloque nostris ac subsignatione secretarii nostri, anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo tertio, mensis aprilis die nona.

† Th. cardinalis Gousset

De eminentiae suae mandato:

Theurel, canonicus secretarius

## ACTA CONCILII.

### LITTERAE

*de indicendo et convocando provinciae Remensis concilio.*

Thomas-Maria-Iosephus, sanctae Romanae ecclesiae tituli Sancti Callixti presbyter cardinalis Gousset, miseratione divina et apostolicae sedis gratia archiepiscopus Remensis, etc.;

Reverendissimis fratribus episcopis, necnon venerabilibus capitulis, aliisque provinciae nostrae Remensis, qui de iure vel consuetudine tenentur concilio provinciali interesse, salutem in Domino. D

In ultima sessione synodi nostrae provincialis in civitate Suessionensi habitae, anno 1849, denuntiavimus proximum concilium anno sequenti in ipsa nostra ecclesia metropolitana celebrandum. Cum autem, propter diversa onera et officia a nobis quidem inexspectata, praescriptionis huius executionem procrastinare coacti fuerimus, atque urgeat nos sacrosancta synodus Tridentina, cuius decretis statutum est ut concilia provincialia, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiisque componendis, renoventur, ac propterea metropolitanus, quolibet saltem triennio, non praetermittat synodum in sua provincia cogere: concilium nostrum provinciale in ecclesia Ambianensi celebrandum indiximus, illudque decima die ianuarii proxime futuri inchoari decernimus.

Itaque, reverendissimos in Christo fratres, Catalaunensem, Bellovacensem, Suessionensem et Ambianensem episcopos, nostros comprovinciales, nec non capitula, et alios qui ex privilegio vel consuetudine ius habent in concilio sedendi, hortamur ac mandamus, ut ad praedictam synodum assignata die conveniant: ipsi quidem, nisi legitimo retenti fuerint impedimento, quod per procuratores probare tenerentur.

In hac autem synodo provinciali agetur de seminariorum studiis, de servandis usibus quibusdam piis, et consuetudinibus apud provinciam vigentibus, aliisque ad disciplinam ecclesiasticam spectantibus, prout expedire concilii patres iudicaverint.

Datum Lutetiae Parisiorum, sub signo sigilloque nostris, anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo secundo, mensis autem novembris die vigesima quinta.

† Th. cardinalis Gousset, archiepiscopus Remensis.

De eminentiae suae mandato:

Theurel, canonicus a secretis.

### SESSIO PRIMA.

Anno millesimo octingentesimo quinquagesimo tertio, feria secunda intra octavam Epiphaniae Domini, id est die decima mensis ianuarii, iuxta litteras indictionis supra relatas, concilium provinciae Remensis in urbe Ambiano apertum est.

Prima sessio, hora nona ante meridiem, celebrata est in ecclesia cathedrali. Aderant eminentissimus et reverendissimus dominus dominus Thomas-Maria-Iosephus, sanctae Romanae ecclesiae tituli Sancti Callixti presbyter cardinalis Gousset, Remensis archiepiscopus, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus Iosephus-Armandus Gignoux, episcopus Bellovacensis, Noviomensis et Sylvanectensis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus Antonius de Salinis, episcopus Ambianensis, necnon cum ipsis reverendus dominus Petrus-Iulianus Gaillard, presbyter congregationis Missionis, seminarii Catalaunensis superior, et in praesenti synodo illustrissimi et reverendissimi domini domini Mariae-Iosephi-Victoris Monyer de Prilly, episcopi Catalaunensis, procurator.

Huic sessioni interfuere, tanquam procuratores capitulorum metropolitanae ecclesiae et ecclesiarum cathedralium provinciae Remensis, canonici quorum nomina subsunt:

Pro capitulo Remensi: reverendus dominus Ioannes-Honoratus Bara, canonicus, capituli decanus, necnon parochus archipresbyter in ecclesia metropolitana; reverendus dominus Clarus Bandeville, canonicus.

Pro capitulo Catalaunensi: reverendus dominus Iosephus-Carolus Bégin, canonicus; reverendus dominus Ioannes-Petrus Blion, canonicus.

Pro capitulo Ambianensi: reverendus dominus Antonius-Theophilus Duval, canonicus; reverendus dominus Carolus-Augustinus Petit, canonicus.

Nullus a Bellovacensi capitulo designatus tanquam procurator canonicus adfuit.

Desiderata est in hac prima sessione praesentia illustrissimi et reverendissimi domini domini Pauli-Armandi de Garsignies, episcopi Suessionensis et Laudunensis, simul et canonicorum a Suessionensi capitulo delegatorum, qui sunt: reverendus dominus Ludovicus-Henricus Congnet, canonicus; et reverendus dominus Victor-Iosephus Guyart, canonicus.

Consederunt etiam a patribus admissi, theologi et canonistae infra scripti: reverendus dominus Franciscus-Amatus Querry, vicarius generalis archiepiscopi Remensis; reverendus dominus Claudius-Theodoricus Obré, vicarius generalis episcopi Bellovacensis; reverendus dominus Casimirus de Ladoue, vicarius generalis episcopi Ambianensis; reverendus dominus Philippus Gerbet, doctor et theologiae professor, necnon vicarius generalis archiepiscopi Remensis; reverendus dominus Ioannes-Baptista Theurel, canonicus ecclesiae metropolitanae; reverendus dominus Alphonsus Gousset, e congregatione missionariorum de Bello-Prato in dioecesi Bisuntina; reverendus dominus Ludovicus Heu, canonicus Bellovacensis et maioris seminarii superior; reverendus dominus Ludovicus-Maximilianus Gellée, parochus et archipresbyter in ecclesia cathedrali civitatis Bellovacensis; reverendus dominus Henricus Bourgeois, parochus et archipresbyter ecclesiae Sancti Iacobi in civitate Compendiensi; reverendus dominus Augustinus Caire, protonotarius apostolicus, necnon vicarius generalis episcopi Ambianensis; reverendus dominus Ioannes Brioude, presbyter congregationis Missionis, superior seminarii Ambianensis.

Aberant, tum reverendus pater Achilleus Guidée, superior collegii Ambianensis a Providentia nuncupati, theologus reverendissimi domini domini episcopi Ambianensis, tum theologi et canonistae a reverendissimo domino domino episcopo Suessionensi et Laudunensi convocati, videlicet: reverendus dominus Iosephus Knapp, canonicus; reverendus dominus Ioannes Ludovicus Tévenart, parochus beatae Mariae virginis in urbe Lauduno; reverendus dominus Ludovicus-Iosephus-Clodovaeus Legrand, professor in seminario Suessionensi; reverendus pater Michael Fessard, societatis Iesu, superior maioris seminarii dioecesis Blesensis in Gallia.

Convenerant autem canonici ecclesiae cathedralis Ambianensis clerusque civitatis, necnon ingens fidelium numerus.

A metropolitano missa celebrata est; et omnes sive episcopi sive canonici et theologi sanctam eucharistiam e manibus ipsius receperunt.

Sub fine et postquam cuncti a pontificali Romano praescripti ritus observati fuerunt, lecta sunt tria decreta, scilicet unum *de aperienda synodo*, alterum *de modo vivendi in concilio*, tertium *de professione fidei*.

Illico, fidem catholicam, secundum formulam a Pio IV praescriptam, supra sancta Dei evangelia, professi sunt concilii patres et synodales cuncti sacerdotes.

Sessio absoluta est per canticum *Te Deum*.

### PRIMA CONGREGATIO GENERALIS.

Habita est prima congregatio generalis die decima ianuarii hora sesquisecunda post meridiem. Cui astiterunt praelati, canonici, necnon theologi in actis primae sessionis memorati. Interfuit etiam reverendus pater Michael Fessard.

Oratio *Adsumus* e pontificali desumpta recitata est.

Eminentissimus cardinalis Gousset, archiepiscopus Remensis, praeses concilii, primum declaravit ius ferendi suffragii modo decretorio fuisse concessum a patribus reverendo domino procuratori reverendissimi domini domini episcopi Catalaunensis.

Deinde, iubente eodem praeside, lectum est quod statuerant patres in sua praevia congregatione circa officiarios concilii, ut sequitur:

### DE OFFICIARIIS CONCILII.

Eminentissimus ac reverendissimus cardinalis Gousset, archiepiscopus Remensis, de consilio et consensu illustrissimorum et reverendissimorum patrum concilii, designavit:

Pro officio promotoris concilii: reverendum dominum Ioannem-Honoratum Bara, canonicum, decanum capituli, necnon archipresbyterum ecclesiae metropolitanae; et reverendum dominum Carolum-Augustinum Petit, canonicum ecclesiae Ambianensis.

Pro officio secretarii: reverendum dominum Claudium Theodoricum Obré, vicarium generalem domini domini episcopi Bellovacensis, etc.; et reverendum dominum Casimirum de Ladoue, vicarium generalem domini domini episcopi Ambianensis.

Pro officio magistri caeremoniarum: reverendum dominum Antonium Theophilum Duval, canonicum ecclesiae Ambianensis; et reverendum dominum Clarum Bandeville, canonicum ecclesiae metropolitanae.

Pro officio ordinatoris *(réglementaire)*: reverendum dominum Ludovicum Heu, superiorem maioris seminarii Bellovacensis.

Postea, congregationes a patribus ordinatae pro variis quaestionibus in concilio tractandis denuntiatae sunt, scilicet:

### Congregatio *de decretis*.

Praeses: reverendissimus dominus dominus Iosephus-Armandus Gignoux, episcopus Bellovacensis, etc., etc. Vices-gerens praesidis: reverendus dominus Philippus Gerbet, vicarius generalis archiepiscopi Remensis. Theologi: reverendus dominus Obré, vicarius generalis episcopi Bellovacensis, etc., etc.;

reverendus dominus de Ladoue, vicarius generalis episcopi Ambianensis; reverendus dominus Legrand, professor in seminario Suessionensi.

Congregatio *de consuetudinibus.*

Praeses: reverendissimus dominus dominus Paulus-Armandus de Garsignies, episcopus Suessionensis et Laudunensis. Vices-gerens praesidis: reverendus dominus Caire, protonotarius apostolicus, vicarius generalis episcopi Ambianensis. Theologi: reverendus dominus Bandeville, canonicus Remensis; reverendus dominus Blion, canonicus Catalaunensis; reverendus dominus Congnet, canonicus Suessionensis; reverendus dominus Gousset, missionarius; reverendus dominus Gellée, parochus Sancti Petri in ecclesia cathedrali Bellovacensi; reverendus dominus Knapp, canonicus Suessionensis; reverendus pater Guidée, superior collegii Providentiae in urbe Ambiano.

Congregatio *de studiis.*

Praeses: reverendissimus dominus dominus Antonius de Salinis, episcopus Ambianensis. Vicegerens praesidis: reverendus dominus Querry, vicarius generalis archiepiscopi Remensis. Theologi: reverendus dominus Duval, canonicus Ambianensis; reverendus dominus Theurel, canonicus Remensis; reverendus dominus Bourgeois, parochus Sancti Iacobi in urbe Compendio; reverendus dominus Tévenart, parochus beatae Mariae virginis in urbe Lauduno; reverendus pater Fessard, superior seminarii Blesensis; reverendus dominus Brioude, superior seminarii Ambianensis.

Congregatio *de variis quaestionibus canonicis.*

Praeses: reverendus dominus Petrus-Iulianus Gaillard, procurator reverendissimi domini domini episcopi Catalaunensis. Vices-gerens praesidis: reverendus dominus Bara, canonicus, decanus capituli, archipresbyter ecclesiae metropolitanae. Theologi: reverendus dominus Bégin, canonicus Catalaunensis; reverendus dominus Guyart, canonicus Suessionensis; reverendus dominus Petit, canonicus Ambianensis; reverendus dominus Heu, superior seminarii Bellovacensis.

His patefactis, tradita est regula distributionem temporis variarumque functionum, durante concilio, determinans.

Monuit inde eminentissimus praeses:

1. Ordinem sedendi et procedendi eumdem fore ac in praecedenti concilio provinciali, praetermissa omni quaestione dignitatis uniuscuiusque ecclesiae.

2. Magna utendum esse libertate in enuntianda sententia circa quaestiones examini subiiciendas.

3. Tacenda esse ea quae dicentur in congregationibus sive generalibus sive particularibus, ita ut servetur tum debita concilio reverentia, tum libertas et honor cuiusvis personae.

Denique, statutum est die crastina unamquamque congregationem particularem suo muneri vacandam, congregationem autem generalem nonnisi die subsequenti habendam esse.

Et haec prima congregatio generalis absoluta est per antiphonam in honorem beatae Mariae virginis *Sub tuum praesidium.*

SECUNDA CONGREGATIO GENERALIS.

Die duodecima ianuarii, hora nona matutina, habita est secunda congregatio, et proposita sunt decreta *1. de conciliis provincialibus; 2. de quibusdam pravis opinionibus iura sanctae sedis laedentibus.*

Illustrissimus et reverendissimus Paulus-Armandus de Garsignies, episcopus Suessionensis et Laudunensis, necnon et canonici et theologi Suessionenses, qui pridie advenerant, huic congregationi interfuere. Similiter, sedit in suo loco reverendus pater Guidée. Quorum omnium moram inculpatam fuisse pro vero probavit eminentissimus concilii praeses.

Reverendus Eduardus Jourdain, canonicus Ambianensis, hac die inter concilii theologos adscriptus est ad notarii munus obeundum, et congregationi *de studiis* annumeratus est.

Absoluta est congregatio hora meridiana.

TERTIA CONGREGATIO GENERALIS.

Eadem die, hora secunda post meridiem, habita est ista congregatio in qua continuata est ponderatio decreti supra memorati *de quibusdam pravis opinionibus iura sanctae sedis laedentibus;* et nonnisi hora sexta finem habuit.

QUARTA CONGREGATIO GENERALIS.

Die decima tertia ianuarii, hora nona, incepta congregatio versata est etiam circa decretum pridie perpensum; fuitque absoluta ad horam meridianam.

QUINTA CONGREGATIO GENERALIS.

Eadem die decima tertia, a secunda ad sextam horam, idem decretum discussum fuit.

SEXTA CONGREGATIO GENERALIS.

Die decima quarta ianuarii, hora nona matutina, habita est sexta congregatio *de directorio ad scholas et educationem* pertinente, productaque est usque ad meridiem.

SEPTIMA CONGREGATIO GENERALIS.

Die decima quarta ianuarii, hora secunda pomeridiana, septima congregatio generalis inceptam considerationem *de scholis et educatione* prosecuta est.

OCTAVA CONGREGATIO GENERALIS.

Die decima quinta ianuarii, hora nona matutina, idem decretum *de scholis et educatione* expensum est.

NONA CONGREGATIO GENERALIS.

Eadem die decima quinta, hora secunda, nona haec congregatio examen decreti in praecedentibus consessibus agitatum ad exitum quasi perduxit.

DECIMA CONGREGATIO GENERALIS.

Decima sexta ianuarii, scilicet in festo sanctissimi nominis Iesu, hora secunda pomeridiana, concilium habuit decimam congregationem de ultima parte *directorii scholarum; de quibusdam consuetudinibus in provincia Remensi existentibus; de piis fundationibus; de absolutione sacramentali.*

UNDECIMA CONGREGATIO GENERALIS.

Decima septima ianuarii, hora nona matutina, propositum est decretum *de scriptoribus catholicis.*

DUODECIMA CONGREGATIO GENERALIS.

Eadem die decima septima, hora secunda, postquam decreti *de scriptoribus catholicis* examen absolutum fuit, congregatio generalis duodecima tractavit *de ordinum monasticorum plerumque congregationum cum sancta sede relationibus,* et *de cultu angelorum.*

DECIMA TERTIA CONGREGATIO GENERALIS.

Die decima nona ianuarii, hora tertia pomeridiana, ultima congregatio generalis habita est *de charitatis et misericordiae operibus, de quibusdam piis exercitiis et confraternitatibus, de cultu sacratissimi cordis Iesu, de cultu immaculati cordis Mariae.*

## SESSIO SECUNDA.

Die decima octava mensis ianuarii, in festo cathedrae sancti Petri qua Romae primum sedit, secunda sessio solemnis celebrata est in ecclesia cathedrali.

Hora nona matutina, eminentissimus cardinalis Gousset, metropolitanus, caeteri episcopi comprovinciales, procurator reverendissimi domini domini episcopi Catalaunensis, alii episcopi invitati, scilicet reverendissimus dominus dominus Xaverius-Omnisanctus-Raphael Casanelli d'Istria, episcopus Adiacensis in Gallia, et reverendissimus dominus dominus Martinus Spalding, episcopus Ludovillensis in America septentrionali, praecedentibus canonicis, theologis, canonistisque in concilio admissis, processerunt e sacello puerorum catechisandorum, in ecclesiam cathedralem cantando litanias sanctorum. Quos omnes pluvialibus coloris rubri pretiosis paratos, anteibant quisque in habitu suo chorali, tum capitulum ecclesiae Ambianensis et parochi civitatis, tum parochi, vicarii, capellani qui ex omni parte dioecesis convolarant, denique alumni seminarii maioris Ambianensis, et maxima puerorum chori copia. Amplissimus fidelium numerus se sacris aedibus superfuderat, et per mediam ipsorum strictam aciem deambulabat sacra processio in ambitu ecclesiae, usquedum prope altare venerit. Eminebat altare ad terminum navis, prope a chori aditu, in praecelso suggestu positum, ubi paratae fuerant sedes pro reverendissimis dominis dominis patribus necnon et canonicis a capitulis ecclesiarum provinciae deputatis, et episcoporum theologis et canonistis. Sedebant a parte epistolae, reverendissimus dominus dominus episcopus Bellovacensis, reverendissimus dominus dominus episcopus Ambianensis, reverendissimus dominus dominus episcopus Ludovillensis, et a parte evangelii reverendissimus dominus dominus episcopus Suessionensis, reverendissimus dominus dominus episcopus Adiacensis, reverendus dominus procurator reverendissimi domini domini episcopi Catalaunensis. Et ultra, hinc et inde, progrediendo versus navim, canonici et theologi. Decanus et capitulum ecclesiae cathedralis Ambianensis circum altaria assistebant. In inferiori gradu, pone concilii patres, canonicos et theologos, locus erat parochis civitatis, archipresbyteris et decanis ruralibus, et paululum retro, caeteris presbyteris.

Eminentissimus ac reverendissimus cardinalis Gousset, archiepiscopus Remensis, sacra fecit, presbytero assistente reverendo domino Querry, vicario generali Remensi; diaconis assistentibus reverendis dominis Gerbet, vicario generali Remensi, et Congnet, canonico Suessionensi; diacono et subdiacono missae reverendis dominis Bégin, canonico Cataulaunensi, et Eduardo Jourdain, canonico Ambianensi.

Inter sacra, quotquot aderant episcopi, capitulorum procuratores, theologi et canonistae divinam eucharistiam acceperunt e manibus eminentissimi cardinalis celebrantis.

Post missam, et ritibus sessionis solemnis iuxta pontificale peractis, reverendi domini promotores concilii, praecedentibus caeremoniarum magistris, instantiam fecerunt ut decreta, si quae essent, legerentur.

Accepto folio in quo continebantur decreta, unus e secretariis in concionem ascendit, et promulgavit:

1. Decretum *de conciliis provincialibus*.
2. Praeambula decreti *de scholis et educatione*.
3. Decretum *de cultu angelorum*.

Insuper declaravit alia decreta, ne longius protrahatur praesens caeremonia, die sequenti in sacello puerorum catechisandorum proclamanda esse.

Finita promulgatione, secretarius ad metropolitanum accedens, ab illo quaesivit utrum decreta placerent. Qui respondit: *Placent*. Et cum eidem quaestioni patres concilii et procurator domini domini episcopi Catalaunensis idem responsum dedissent, dixit metropolitanus: *Decreta placuerunt patribus, Deo gratias.*

Tunc, e suggestu ecclesiae, eminentissimus et reverendissimus cardinalis archiepiscopus ad populum habuit paternam concionem de his quae in concilii coetibus peracta sunt.

Deinde solemnes acclamationes ab eodem suggestu cecinit presbyter delegatus, quibus omnes ore animoque uno responderunt.

Et hymno *Te Deum* dicto, clero populoque benedixit eminentissimus metropolitanus.

Ad aedes episcopales cum psalmis et canticis, aut pulsantibus organis, ecclesiam obambulans, regressa est sacra processio.

CONTINUATIO SESSIONIS SECUNDAE.

Die decima nona ianuarii, continuata est sessio secunda in sacello cathedralis ecclesiae adiacenti, in qua consedere, sicut praecedenti die, patres concilii, procurator episcopi Catalaunensis, canonici et theologi, et praesentes fuere reverendissimus dominus dominus episcopus Adiacensis, capitulum Ambianense, parochi civitatis, multique ecclesiastici viri tam e civitate quam e diversis dioecesis partibus.

Ritibus peractis, lecta sunt a suggestu decreta quorum sequitur titulus:

1. *De quibusdam pravis opinionibus iura sanctae sedis laedentibus*; 2. *De consuetudinibus in provincia Remensi existentibus*; 3. *De piis fundationibus*; 4. *De absolutione sacramentali*; 5. *De ordinum monasticorum plerumque congregationum cum sancta sede relationibus*; 6. *De cultu sacratissimi cordis Iesu*; 7. *De cultu immaculati cordis Mariae*; 8. *De quibusdam piis exercitiis et confraternitatibus*; 9. *De charitatis et misericordiae operibus*; 10. *De scriptoribus catholicis*; 11. *De studiis litterariis; de historia; de philosophia.*

Postquam illustrissimi et reverendissimi patres, et reverendus dominus procurator reverendissimi domini domini episcopi Catalaunensis, haec omnia decreta sibi placere, per vices declaraverint, eminentissimus metropolitanus denuntiavit futurum concilium provinciale in ecclesia metropolitana, anno 1856, celebrandum.

Et dictus est hymnus pro gratiarum actione, simul ac patres concilii et procurator antedictus constitutiones synodales super altare explicatas subscripserunt.

# DECRETA CONCILII.

## Caput I.

### *Decretum de aperienda synodo.*

In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti.

Nos Thomas-Maria-Iosephus sanctae Romanae ecclesiae tituli Sancti Callixti presbyter cardinalis Gousset, archiepiscopus Remensis, ad laudem et gloriam Dei et salvatoris nostri Iesu Christi; ad honorem beatissimae et immaculatae semperque virginis Mariae Dei genitricis, sanctorumque angelorum, nec non sancti Petri apostolorum principis, omniumque sanctorum qui provinciam hanc illustrarunt, ad Remensis, Catalaunensis, Bellovacensis, Suessionensis et Ambianensis ecclesiarum decorem, statuimus ac decernimus, de consilio et consensu reverendissimorum episcoporum nostrorum comprovincialium, hac ipsa die decima ianuarii inchoari atque adeo inchoatum esse concilium provinciale, quod nostra metropolitana auctoritate indiximus et convocavi-

mus; Iesum Christum dominum et salvatorem A nostrum humiliter deprecantes, ut quod coepit et ipse perficiat, ac quaecumque ad nostram, clerique et populi aedificationem stabilienda recognovimus, ab omnibus et singulis, Deo adiuvante, observentur.

## Caput II.

### *Decretum de modo vivendi in concilio.*

Cum omne datum optimum et omne donum perfectum desursum sit, descendens a patre luminum, qui postulantibus a se sapientiam dat omnibus affluenter, haec synodus provincialis statuit Christi fideles huiusce civitatis Ambianensis exhortandos esse, prout exhortatur, ut quotidie pro episcopis et sacerdotibus ibidem legitime congregatis orare velint; istos autem episcopos et sacerdotes, ut assidue incumbant in laudibus Dei, atque singulis diebus, in quantum fieri poterit, sanctissimum missae sacrificium peragant, aut saltem sacrorum mysteriorum B celebrationi devote intersint; facientes obsecrationes, orationes et postulationes, pro unitate et libertate ecclesiae, pro sanctissimo patre nostro papa, pro gubernatoribus et caeteris qui in sublimitate constituti sunt, ut tranquillam et quietam vitam agamus, pace fruamur, et fidei augmentum videamus. Praeterea, hortatur illos, ut ieiunent singulis sextis feriis, in memoriam passionis Domini, omnibusque diebus mensa communi et frugali utantur. Et, quoniam oportet episcopos esse irreprehensibiles, ne refectio det locum sermocinationibus otiosis, intra prandium et coenam quotidie fiat lectio spiritualis; familiares vero suos quisque dirigat, ita ut in omnibus honestatem prae se ferant, sicut decet ministros ministrorum Dei.

Quoniam autem synodi provincialis scopus est, ut sacra conciliorum summorumque pontificum decreta renoventur custodianturque, summopere curandum erit, ut accurate referantur, adiunctis quibus- C dam, si opus est, explicationibus; modo tamen non recedatur unquam a mente ecclesiae Romanae, caeterarum ecclesiarum matris ac magistrae.

In sententiis vero dicendis, nullus cuiuscumque sit dignitatis, debet aut immodestis vocibus perstrepere, aut tumultibus perturbare, nullis etiam falsis vanisve aut obstinatis disceptationibus contendere; sed quidquid dicatur, sic mitissima verborum prolatione temperetur, ut nec audientes offendantur, nec recti iudicii acies perturbato animo inflectatur.

Insuper declaramus ac decernimus, quod, si forte contigerit aliquos, durante synodo, debito in loco non sedere, nulli propterea praeiudicium generetur, nullique novum ius acquiratur[1]. In qualicumque enim ordine quisque compareat et sedeat, iura illius salva esse volumus.

Demum, universis qui ad hanc synodum convene- D runt, in virtute sanctae obedientiae praecipimus, ne, antequam synodus dimissa fuerit, discedere praesumant, nisi ob rationabilem causam, facultate petita et obtenta a patribus concilii.

## Caput III.

### *Decretum de professione fidei.*

Cum inter omnes etc. [*vide supra*, col. 35 D - 38 A].

## Caput IV.

### *De conciliis provincialibus.*

Conciliorum provincialium seriem, per tot annos interruptam, prima nostra synodus pro sua parte renovavit, secunda continuat, et tantae libertatis possessio feliciter inchoata usu perseverante roboratur.

Quapropter, in principio grates iterum agimus Christi vicario, quo inspirante, pristina consuetudo, iam sopita, mirabiliter exsurrexit.

Collaudamus etiam, sicut postulat aequitas, sapientiam clarissimi principis, qui concilia non formidat, sed persuasum habet sacras eorum ordinationes et institutiones non parum profuturas esse ut clerus populusque fidelis in fide et charitate proficiant, et, secundum religiosissimum ipsius votum, plurimi homines, ab ignorantia praeceptorum Christi tandem liberati, religioni reddantur.

Et vero concilia provincialia, utpote a iure ecclesiastico praescripta, rite et secundum ordinem determinatum congregata, inter preces sive praevias sive concomitantes celebrata, necnon adiuta diversis canonicorum, theologorum atque canonistarum consiliis liberisque discussionibus, ad exponendas dogmaticas veritates, ad placita morum defensanda aut ad disciplinam servandam ac promovendam, tutum iter, quia canonicum est, ecclesiarum pastoribus offerunt.

Porro, ista concilia duas, ut ita dicamus, functiones exercent. Ex una parte, dioecesim quamque, et totam simul provinciam arctius religant sedi apostolicae, quae communis vitae in omnem ecclesiam diffusae centrum et fons est. Ex altera vero parte, per istam coniunctionem efficiunt ut communis illa ecclesiae vita in dioecesim unamquamque abundantius effluat. Ad duas istas functiones sequentia decreta nostra referentur.

## Caput V.

### *De quibusdam pravis opinionibus iura sanctae sedis laedentibus.*

Etsi omni tempore necesse sit errores repellere quibus obedientia summo pontifici debita labefactatur aut imminuitur, peculiares tamen nostris in temporibus, nostrisque regionibus adsunt rationes cur catholica ista obedientia ita praemuniatur, ut inter omnia discrimina, inter omnes assultus et laqueos, integra atque intacta remaneat.

Inter quas rationes specialiter annumeramus librum, sine nomine auctoris typis mandatum, cui titulus: *Sur la situation présente de l'église Gallicane relativement au droit coutumier*; qui non solum ad episcopos, sed etiam ad seminariorum superiores missus, et a pluribus iam ecclesiasticis perlectus est. Quidquid sit de illusionibus, quibus conscientia auctoris verum sui operis characterem sibi ipsi occultare potuit, manifestum est hunc librum ad hoc spectare ut potestatis pontificiae exercitium restringatur. Tradit enim aut insinuat:

1. Non solius papae iudicio solvendam esse quaestionem de conciliandis inter se iure reservationum quod summo pontifici competit, et iure proprio episcopi ad ordinariam suae dioecesis gubernationem; et introducendum esse ius consuetudinarium, tanquam regulam iuxta quam haec lis dirimenda sit;

2. Non improbabilem esse opinionem secundum quam papae urgenti abolitionem consuetudinis iuri communi contrariae, in aliquibus dioecesibus existentis, episcopi possunt legitimam oppositionem facere, saltem donec rationes necessitatis recognitae fuerint;

3. In regione ubi arcta fuit ecclesiam inter et statum politicum colligatio, rationabilem fuisse consuetudinem qua constitutiones apostolicae, ad ecclesiae disciplinam spectantes, tanquam obligatoriae non reputabantur, quin prius in dioecesibus promulgatae fuissent praevio potestatis civilis placito;

4. In praesenti, episcopos Galliarum posse legitime, vi consuetudinis, nullas constitutiones apostolicas disciplinam respicientes, si excipiantur casus

[1] Conc. Trid., sess. II.

extraordinarii, agnoscere tanquam pro se obligatorias, quae antea non promulgatae fuerint in Galliae dioecesibus;

5. Episcopum, in praesenti quaestionis statu, legitime posse apud nos, vi principiorum iuris de consuetudinibus, excludere a sua dioecesi non modo tantum provisorio sed absoluto, liturgiam Romanam;

6. In haud paucis suis decisionibus recentibus, congregationes Romanas, a summis pontificibus pro generali ecclesiae administratione institutas, sequi viam bono ecclesiarum Galliae nocivam;

7. Necessitatem recurrendi ad Romam, iuxta decisionem congregationis Concilii, pro casu in quo aliquis sacerdos feriretur suspensione *ex informata conscientia*, sibi videri plagam auctoritati metropolitanae inflictam;

8. Nullam apparere rationem praetentionis qua congregatio Romana Concilii, sub praetextu supplendi omissiones, sibi arrogavit ius introducendi additiones in acta conciliorum provincialium;

9. Impulsionem, quae ad amplectendam liturgiam Romanam inducit, haud probandam esse;

Et plura alia quae cum his assertionibus connectuntur.

Praedictas assertiones et opiniones, alias tanquam sanae doctrinae contrarias, alias tanquam saltem menti ecclesiae adversas, sanctae sedi apostolicae et, sub aliquo respectu, episcopis iniuriosas, summopere improbandas ducimus et improbamus.

Insuper, etsi conciliorum provincialium continuationem a se exoptari innuat, nihilominus suggerit aliam viam ab episcopis sequendam, ita ut collectionem ecclesiarum Galliae, quae nullum peculiare auctoritatis et iurisdictionis centrum habent, exhibeat tanquam corpus quod deliberare, agere, decernere possit. Introducit itaque principium regiminis ecclesiastici perturbativum, et periculis gravidum, cum in futurum exurgere possint circumstantiae, prout praeteriti temporis experientia docet, in quibus schismaticis tentaminibus plurimum faveret. Perspicuum est hoc placitum extra viam rectam aberrare. Equidem ecclesiae mos est, imo et praeceptum, episcopos plurimis de rebus decernere communi consilio et actu, quando id suarum dioeceseon utilitas postulaverit. Sed ecclesia, quae est acies bene ordinata, et in qua omnia ex ordine fiunt, non voluit has communes sanctiones concertatione arbitraria, absque regulis, et sine summi pontificis interventu, confici. Sapientissimo enim ordine constitutum est, primo ut episcopi uniuscuiusque provinciae ad concilium rite celebrandum, vocante metropolitano, in unum conveniant; deinde ut omnium conciliorum provincialium decretis, priusquam publicentur, sanctae sedis iudicio submissis, episcoporum actio, in capite ecclesiae ad unitatem redacta, vere communis efficiatur. Cum ergo episcopis incumbit officium declarandi aut statuendi, communi sanctione, regulas circa doctrinam, mores et res ecclesiasticas, synodi provinciales sunt via bona, ecclesiae praxi consentanea, canonibus praescripta, sanctae sedi apostolicae probata, quam solam, nisi adsint obstacula, et extraordinariae necessitates urgeant, et tunc quidem cum intentione submittendi quam primum res actas summo pontifici, a nobis tenendam esse profitemur.

Indigitavimus huius libri summam. Iam vero si quaeratur unde profluat spiritus ille quem in eo reprobavimus, quique totum ipsum quasi inficit, rem penitus scrutantibus nobis apparet situm esse hunc fontem in duabus opinionibus, quarum prior negat auctoritatem summi pontificis supremam esse pro gubernanda ecclesia potestatem, et declarat aliam esse potestatem quae ipsi superior sit; posterior vero qua affirmatur solemnia summi pontificis iudicia, in causis fidei ex cathedra prolata, de se reformabilia esse, eorumque irreformabilitatem ab aliqua extrinseca sanctione pendere. Ex quo enim vicarii Christi auctoritas qualis est non agnoscitur, facile intelligitur qua ratione multipliciter in ipsam peccari possit. Quapropter, duas istas opiniones in ecclesiis, seminariis et scholis nostrarum dioeceseon doceri omnino prohibemus.

## Caput VI.

### *De consuetudinibus in provincia Remensi existentibus.*

Etsi, ecclesiae leges et apostolicae constitutiones, ad generalem ecclesiae disciplinam spectantes, universaliter observari debeant, aequum est ac salutare, secundum ipsius sanctae sedis mentem, illas servari quasdam locorum consuetudines, quae a particularibus iuris communis praescriptionibus ita recedunt ut, conditionibus necessariis vestitae, per hoc in ipsius iuris ambitu contineantur. Ut autem his conditionibus potiantur, necesse est illas, rationabilibus motivis aut necessitatibus fundatas, non tendere ad perturbationem hierarchici ordinis, et nervi, quo ecclesiastica disciplina viget, debilitationem, nec ad alicuius principii abusivi commendationem, nec ad restringendum aut impediendum exercitium supremae potestatis, quae propria est Romani pontificis, ad quem pertinet, in omnibus casibus particularibus, iudicium ferre quid pro maiori bono et utilitate ecclesiae in unaquaque consuetudine probandum sit: quae conditiones requiruntur, ut istae consuetudines etiam longi temporis praescriptione firmari possint.

Quasdam huiusmodi consuetudines apud nos vigere constat. Quarum haud parva pars procedit ex illo statu, diversis sub respectibus extraordinario, in quo, post rerum ecclesiasticarum eversionem et restitutionem, religio in Galliis collocata fuit et adhuc detinetur. Cum enim ecclesia bonis suis spoliata fuerit, cum non amplius proprie dicta beneficia subsistant, cum potestas civilis legem canonicam pro regula non habeat, nec immunitates ecclesiasticas agnoscat: hinc scaturierunt plures iuris exceptiones quae nullo modo vitari poterant. Altera pars, quamvis non sit tam directus huius ferreae necessitatis effectus, nihilominus in illo rerum statu radices habet, aut aliis praesentibus nostrarum ecclesiarum necessitatibus exigitur. In tertia denique parte comprehendi possunt quaedam consuetudines, quae aedificationi fidelium haud nocentes, sed faventes, eorum moribus aut indoli aut affectui tam alte infixae sunt, ut absque magna ipsorum molestia et repulsione supprimi nequeant.

De his consuetudinibus futurum confidimus ut eadem sit apostolicae sedis mens et aequitas, quae iam, de generali cleri gallicani statu manifestata est. Etsi enim in Galliis, ubi nunc maxima pars rectorum qui paroeciis praeficiuntur sunt amovibiles, grandis profecto facta fuerit, sub eo respectu, iuri communi derogatio, summus pontifex hunc ordinem, iustis de causis introductum, non abolendum, sed continuandum esse censuit. Cum autem praedictae consuetudines rationabilibus etiam innitantur fundamentis, nec ullum, quo consuetudines radicitus annullantur, vitium includant, et earum conservationem a nulla praetentione sanctae sedis praerogativis et documentis contraria, apud nos procedere testemur, nostrarum ecclesiarum conditio postulat ut, recognitis nostris necessitatibus, consuetudines illas sancta sedes apostolica pro nostris dioecesibus improbandas non iudicet, atque ita illas in praesens permanere velit, prout iam factum est super quibusdam

articulis, iuri communi derogantibus, qui nostrae synodi Suessionensis decretis includuntur.

### Caput VII.

*De piis fundationibus.*

Si fundationum, quae pro spirituali fidelium bono et ecclesiarum sustentatione constitutae sunt, religiosissimos custodes omni tempore episcopi sese praebere debeant, impensior illis ea de re cura nostris diebus incumbit, cum ecclesia vix paucas pristinae suae opulentiae reliquias hodiedum retineat. Quod officium ut prudenter efficaciterque adimpleant, duo specialiter animadvertenda sunt.

Primo, eo tempore quo saevissima persecutio ecclesiarum res et veteres tabulas disturbavit, multi fundationum tituli periere; pluribus abhinc annis census persolutus non est, nec etiam nunc persolvitur; praescriptionem, quae apud tribunalia civilia praevaleret, debitores possunt nobis opponere, ac proinde cogi nequeunt: multique eorum ad reddendum censum non adducuntur nisi aliqua mitigatio interveniat.

Aliunde ea fuit, lapsu temporum, in aestimanda pecunia immutatio, qua census, olim determinatus, multo minorem ac eo tempore quo constitutus est valorem hodie repraesentet, ita ut, contra aequitatis legem ipsorumque fundatorum voluntatem, oneribus omnino impar evaserit.

Ex his circumstantiis exorta est apud nos, iam a quinquaginta annis, pro multarum fundationum reductione, non rara quidem et per accidens, sed frequens et quasi ordinaria necessitas. Hanc autem ad bonum ecclesiae, prout fieri potest, convertere satagentes, episcopi iis in rebus procedere debent et revera procedunt, non quidem ut gratiarum dispensatores, sed tanquam sapientes oeconomi, qui meliorem depositi sibi commissi conservationem procurare nituntur. Cum enim in favorem eorum, qui census debitores sunt, aliquid remittunt, pars parva dimittitur ut maior servetur. Cum autem, attenta, quae in pecuniae valore facta fuit, immutatione, onera sacerdotibus imposita mitigant, proportionem necessariam, ab ipsis fundatoribus intentam, restituunt. Sed quo magis salutari illa moderatione utuntur, eo diligentiori zelo bona ecclesiae, obligationesque ipsis annexas tueri debent, iuxta sapientissimas regulas a Benedicto XIV traditas[1]. Nihil ergo omittant, tum visitationibus pastoralibus, tum in synodis dioecesanis, tum aliis etiam modis, ut negligentia et abusus detegantur cito, citiusque corrigantur.

### Caput VIII.

*De absolutione sacramentali.*

Iam in concilio Suessionensi doctrinam exposuimus quâ confessarii, laxiores opiniones vitando, a rigidioribus etiam praeservantur. Hausimus in encyclica Leonis papae duodecimi ad extensionem iubilaei, sapientissimam regulam, iuxta quam confessario, ut absolvere possit et debeat, sufficit ab eo non perspici signa quibus peccatores sensu doloris et poenitentiae, saltem ad Dei gratiam in sacramento impetrandam disponente, carere prudenter iudicet. Praenotavimus etiam qua patientia et mansuetudine, qua charitatis industria, cum ipsis agendum sit. His generalibus regulis monitum particulare adiungendum esse ducimus. Nostris temporibus specialiter attendenda est quaedam peccantium categoria, quam apud nos numerosissimam esse quotidie lugemus. Multi sunt qui, a falsa et impia philosophia delusi, nulli tamen sectae haereticae publice aut occulte nomen dantes, quasdam opiniones aut assertiones vel raro et obiter, vel saepius in medium proferunt, quae notioribus fidei articulis aut etiam generatim christianae fidei adversantur. Cum autem illi de sua conversione cogitare incipiunt, experientia constat eos plerumque vitam christianam firmiter amplexuros fore si, devicta, qua praecipue detinentur erga confessionem sacramentalem, repugnantia, tribunal poenitentiae saltem adierint. Confessarii igitur nihil negligant ut eis, hunc primum conversionis gradum inchoantibus, via ad reconciliationem facilior sternatur, caveantque ne rigidiores eis imponant conditiones, priusquam illis absolutionem impertiantur. Prudenter suggerant ea quae ad reparationem scandali opportune fieri possunt, sciantque ad hoc, pluribus in casibus, sufficere publicam vitae christianae professionem.

### Caput IX.

*De ordinum monasticorum piarumque congregationum cum sancta sede relationibus.*

Cum ea pars gregis dominici quae, viam perfectionis evangelicae ingressa, sub conventuali disciplina degit, summo pastori sanctaeque matri ecclesiae magnopere dilectioni et curae semper fuerit: nostrum provinciale concilium, in Suessionensi civitate celebratum, exponendis muneribus et iuribus episcoporum erga ordines monasticos vel congregationes pias, sedulo operam dedit.

Hic autem omnia confirmantes quae ibi proposita sunt, duo addenda iudicamus: primum nempe, quod, ad mentem decreti Clementis VIII, Romae dati die 26 maii 1593, iuxta quod non licet superioribus regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte aut proprio motu id ab eis petierint, presbyteri saeculares piarum congregationum, feminarum praecipue, superiores, non simul ordinario earum confessiones excipiendi munere fungantur.

Secundum et id quoque praestantissimum, videlicet ut si quando adsint in aliqua dioecesi huiusmodi congregationes quae, etsi ordinem proprie regularem non efficientes, tamen regulam sequuntur a Christi vicario approbatam, episcopus, quoad illas, sedulo curet ne fines hic transiliat sibi a pontificia potestate praestitutos.

Quod si illae familiae, quamvis institutum sequantur nondum a Romana sede approbatum, tamen extra limites unius dioeceseos diffundantur, et in ipsis quaestiones, exoriantur quae sive ad constitutiones sive ad regimen generale pertineant, tunc cavebit episcopus ne tanquam supremus moderator et iudex illas dirimere praesumat; id enim ipsius non est, nisi specialem ad hoc a summo pontifice facultatem acceperit. Sed in similibus rerum adiunctis, paterno tantum affectu interveniet sapientibusque consiliis. Quod si, ad solvendas difficultates, haec officiosa ipsius mediatio impar remanserit, tum ad Christi vicarium est recurrendum.

### Caput X.

*De cultu sacratissimi cordis Iesu.*

Inter innumera quae salvator noster Iesus Christus sanctae ecclesiae beneficia contulit, eximium sane locum obtinet cultus sacratissimi sui cordis, quem, sub ea forma qua nunc insignitur, ultimis hisce temporibus sponsae suae inspiravit. Ubicumque enim cultus ille inducitur aut inductus viget, hic splendere incipiunt aut refulgent amor divinae eucharistiae, frequentiorque ipsius visitatio et receptio, quae divina eucharistia vitae totius spiritualis et fons et centrum est, perfectio ac robur. Iam vero per hos effectus, ecquis non videat

[1] *De synodo dioecesana*, lib. XIII, cap. ultim.

potentissimum et maxime opportunum remedium iis A exhiberi malis de quibus maxime dolet piissima mater ecclesia, quod nempe multorum in cordibus refriguerit charitas et a pluribus, heu! christianis deserta sacramenta sint? Quid quod, aetate hac nostra, in immensum veluti creverint superbiae spiritus et inordinatus sui amor? At enim quomodo ista starent, si cor illud coleretur, de quo pronuntiavit Iesus ipse: „*Discite a me, quia mitis sum et humilis corde!*“ [1]

Studeant igitur et sacri verbi praecones, et qui curam gerunt animarum, huic devotioni tum sibi magis ac magis intelligendae et comparandae, tum etiam animabus, iis praecipue quae perfectiora aemulantur, aperiendae ac inculcandae; idque sibi et aliis persuadere nitentes, quod felix plurimorum experientia comprobavit et comprobat, videlicet, cor Iesu amantissimum divitias gratiae suae abundantissime in eos effundere omnes, qui sui cultum am- B plectuntur, et sollicite curant ab aliis amplectendum. Praetereaque, id sibi habeant alte animo infixum, illos nempe concionatores, qui huic devotioni exercendae ac praedicandae sedulo incumbunt, movendorum animorum miranda vi atque arte pollere.

Hanc porro adhortationem eo promptiore mentis affectu commendamus, maiorique instantia, quod pulcher adeo ac fructuosus cultus ille in patria nostra ortum habuerit, et in generali conventu cleri Galliarum, anno 1764 Parisiis habito, praesidente archiepiscopo Remensi, omnes quotquot aderant episcopi consilium unanimiter inierunt, devotionem et officium sacri cordis Iesu in respectivis suis dioecesibus statuendi, et collegas suos absentes encyclicis litteris invitandi ut eamdem agendi rationem sequerentur.

Iam vero ut haec commendatio nostra certius atque plenius scopum suum obtineat, nostri in vinea C Domini cooperatores piis fidelibus auctores sint, ut confraternitati sacratissimi cordis Iesu, tam multis amplisque indulgentiis ab apostolica sede ditatae, sese aggregent, vel, iam aggregati, tali ac tanto nomine digniorem in dies vitam agant.

## Caput XI.

### *De cultu immaculati cordis Mariae.*

Praecedentem cohortationem nostram imperfectam esse putaremus, nisi etiam quotquot in nostra provincia sacro ministerio incumbunt, ad cultum immaculati cordis Deiparae adaugendum excitaremus. Neque enim unquam a filio seiungenda mater. Namque, uti ait sanctus Bernardus, „*opus est mediatore ad mediatorem Christum, nec alter nobis utilior quam Maria.*“ [2]

Quare, id factum videmus, ut quotiescumque in ecclesia, labentibus annis, novae institutae fuerunt D in gloriam Iesu festivitates, paulo post analogae celebratae sint quibus honoraretur Maria. Quod signanter hic evenisse constat. Simul ac enim cordis Iesu cultus divino favore publice haberi coepit, et cordis Mariae cultum frequentavere fideles. Qui igitur, in clero nostro, spiritu Christi aguntur, hoc est nostros omnes in opere Domini adiutores, peramanter adhortamur ut, magno quo flagrant animarum zelo, cordis Virginei cultum promovere sollicite curent. Quod studium, quantum Deo ac Deiparae acceptum sit nemo non videat, cum, per institutam Parisiis sub invocatione immaculati cordis Mariae pro conversione peccatorum archiconfraternitatem, tot tantique, in ecclesia Christi, per totum orbem gratiarum fructus prolati sint et proferantur.

[1] Matth. XI, 29.

[2] Ex sermone *De duodecim stellis. [Dom. infra oct. Assumpt.* n. 2, opp. s. Bern., edit. Migne, II, 429 D.]

## Caput XII.

### *De cultu angelorum.*

Cum, iuxta doctrinam catholicam, Dei providentia datum sit, prout catechismus Tridentinae synodi loquitur, hoc negotium angelis ut custodiant humanum genus, singulisque hominibus praesto sint, tum ne gravius aliquod detrimentum patiantur, tum ut plurima divina, ipsis interpretibus et internuncıis, beneficia recipiant, monemus et in Domino obtestamur omnes verbi Dei dispensatores et praecipue parochos ipsorumque vicarios, ut angelorum cultum, maximeque angeli custodis, fideles probe doceant, instruantque eos quantum in supernorum spirituum protectione et invocatione tutaminis et auxilii habeant et invenire possint.

Quod quidem imprimis praestandum est erga pueros, quorum intelligentia, etsi debilis, hanc devotionem facile percipit et tener animus amplectitur, quique ipsam libenter exercent, valde proficuos exinde fructus laturi.

Porro, monitionem hanc nostram et exhortationem sibi quoque datam existiment quotquot in scholis nostris informandae iuventutis munere funguntur, et qui, inter ipsos, superiores tradunt disciplinas; ii insuper, occurrente aut etiam praeparata occasione, suos alumnos doceant magnas esse in rebus humanis movendis et componendis sive bonorum sive malorum angelorum partes, influxumque praepotentem, a quo si quis abstrahere velit, is profecto nec individuorum hominum nec populorum, nec praesertim sanctae ecclesiae historiam ac vitam intelligere plene exponereque valeat.

Iam vero e nostris sacerdotibus professoribusve nemo non videbit, huic angelorum cultui animose explicando cordateque suadendo sese parum fore idoneum, nisi illius excellentiam et utilitates mente exploratas habuerit, et, quantum dederit divina gratia, proprio experimento sit edoctus.

## Caput XIII.

### *De quibusdam piis exercitiis et confraternitatibus.*

Experientia constat, animarum rectorem suis ovibus plurimum prodesse, earumque saluti efficaciter consulere, si, praeter assueta sui ministerii media, quaedam eis extraordinaria, imprimis ea quae a viris sanctioribus commendata sunt, videlicet missiones, et pia apostolicae praedicationis exercitia, opportuno tempore procurare valeat. Licet enim ex istis singularibus mediis non omnes omnem bonum fructum capiant, multi sunt certe qui per ea, vel iam iusti iustificantur adhuc, vel peccatores convertunt se ad Deum, digna poenitentiae opera facientes.

Quapropter, commonemus et vehementer exhortamur parochos ut, quantum possunt, viros verbo et opere praepotentes, aut saltem verbum veritatis recte tractantes, ex religiosorum societatibus electos, interdum advocent, et ita plebi suae, probante episcopo, salutare *missionis* aut saltem *stationis* beneficium subministrent.

Quod si eorum virorum copia desit, hortamur eosdem ut, in idipsum consentientes, et non quae sua sunt sed quae Iesu Christi quaerentes, a confratribus vicinioribus aut aliis, qui doctrina, virtutibus et facili satis elocutione pollent, auxilia identidem mutuare non omittant. Hanc sacerdotum fraternam cooperationem, non parum ad dandam plebi scientiam salutis in remissionem peccatorum inservire existimamus, eamque fortiter suademus, pro tempore Adventus et Quadragesimae, vel pro mense Mariano, aut episcopi visitationibus. Nihil tamen quod novum et grave appareat, inconsulto

episcopo, faciant, et omnia secundum ordinem et A iuxta prudentiae et pietatis regulas peragant.

Insuper, pias fidelium sodalitates, vel promovere, vel erectas servare, studeant parochi. Sodalitates enim istae, et praesertim quae pristinis usibus et moribus magis sunt consentaneae, ad cultum Dei, beatissimae Mariae virginis et sanctorum provehendum, et ad christianae perfectionis scopum assequendum, pretiosa profecto auxilia conferre videntur. Unde si sodalibus regulae sapienter elucidatae et ab episcopo approbandae dantur, si cuncta pie, caste et absque omni specie mala diriguntur, fideles his confraternitatibus mancipati in fide crescent et charitate, atque Christi bonum odorem in parochia diffundent.

## Caput XIV.

### *De charitatis et misericordiae operibus.*

B

Cum Deus unicuique mandaverit de proximo suo, et fratrum dilectionem necnon misericordiam erga omnes eos qui quocumque modo laborant et onerati sunt ipse Iesus Christus discipulis excolendas proposuerit, commonemus et hortamur cunctos huiusce provinciae parochos, simul et caeteros qui in partem curae pastoralis veniunt sacerdotes, ut opera quae nostris temporibus salubriter charitatis spiritus inspiravit, non verbis solum extollere, sed pro posse, et sicuti permittent et suadebunt rerum animorumque dispositiones, stabilire et extendere satagant.

Non enim hodiedum, post tot et tantas tempestates quae christianum exagitaverunt gregem, et plurimas oves procul egerunt, sufficit ut presbyteri, quibus animarum cura commissa est, inter suae ecclesiae septa reclusi, sacra munia obeant, sed oportet ut has dissipatas oves solerter et indefesse C inquirant, leni voce advocatas coadunent, misericordiae vinculis irretiant, charitatis salutaribus detineant illecebris, et quae dociliores fuerint paternae sollicitudini, eas in veri zeli operibus, habita circumstantiarum ratione, exercitent.

Quapropter, universis huiusce provinciae presbyteris proponimus, et, quantum in nobis est, commendamus:

1. Opus inter alia eximium et admirabile cui nomen inditum est *Propagatio fidei*; notum licet et late divulgatum in nostra provincia, non tamen hucusque, quam votis nostris maxime exoptamus, cooperationem obtinuit. Illud igitur utpote sanctae sedis laudibus et uberrimis benedictionibus cumulatum, et tantopere infidelium saluti proficuum, omnibus sibi commissis amplexandum offerant;

2. Optimam illam tot iuvenum virorumque catholicorum societatem, quae, sub sancti Vincentii patro- D cinio specialiter collocata, fidem et charitatem fraternam tuetur et fovet, simul ac pauperum indigentiam tam diversis mirisque modis, et praesertim piis miserorum visitationibus, sublevat;

3. Opus a sancto Francisco Regis nuncupatum, cuius auxilio miserabilioribus personis matrimonii instrumenta suppeditantur, uniones civiliter contractae in facie ecclesiae celebrantur, et illicita commercia vel cessant vel sanantur;

4. Conventus adultorum hominum qui, sub invocatione sancti Francisci Xaverii, diebus dominicis, moderantibus et faventibus viris admodum catholicis, sive ad vitanda otii tabernarumve pericula, sive ad disciplinas civiles christianasque imprimis accipiendas, laudabiliter efformantur; item sodalitates tironum operariorum, scholas militum, congregationesque matrumfamilias, quae ad reparandos educationis defectus institutae sunt;

5. Opus quo pietatis seliquo laqueis colligantur parvuli etiam tenerrimi, atque, auspice Iesu infante, infantes miseros in infidelium partibus, per tenues eleemosynas et brevissimas, sive suas sive matrum preces, a morte et errorum tenebris, ipsi salvatores, liberant.

6. Collaudamus pariter et enixe commendamus illas quasi sine numero piarum matronarum sodalitates et confraternitates, quae aut pueros utriusque sexus orphanos, aut iuvenculas inter mundi pericula inopiae et inexperientiae causa iactatas, aut mulieres post partum aut easdem aegrotantes, aut alias humanae conditionis miserias, sub diversis nominibus, sed sedulis semper auxiliis, visitationibus, consiliis, eleemosynis maternaque charitate tuentur et sustentant.

7. Bonorum librorum propagationem, quae, ut a perversis lectionibus tot iuvenes hominesque temeraria curiositate abreptos retrahat, necnon ut doctrina sana imbuat animos, in quibusdam dioecesibus, peculiari summae sedis approbatione, stabilita est.

## Caput XV.

### *De scriptoribus catholicis.*

Multos catholicos scriptores, tum ecclesiasticos tum laicos, magna, nostris temporibus, aemulatio impulit, ut libris et etiam periodicis foliis suum religioni tributum solverent. Cum autem hic scribendi zelus sive ad bonum sive ad malum, prout dirigitur, plurimum valeat, oportet quidem adhiberi cautiones, quibus excessus, in quantum fieri potest, praecaveantur. Sed simul necesse est horum laborum effectus summa aequitate a nobis iudicari, ne, dum coercetur licentia, laudabile studium irretiatur.

In hoc animorum aestu accidere, pluribus abhinc annis, reprobatione digna, imo et lugenda, de quibus ecclesia Christi ingemuit. Posthac prodierunt etiam, diversis ex partibus, quidam defectus et naevi quibus controversias utiles identidem laborasse constat. Sed plura exstitere ad ecclesiae utilitatem et profectum, quorum memoria in aliquorum animis nimium forsan intercidit.

Si enim ad exordium huius temporis, in quo disceptationum ardor invaluit, mente redeamus, perspectum habebimus viguisse tunc nostris in regionibus, tum inter fideles tum in parte cleri, infaustas opiniones, praerogativis sanctae sedis plus aut minus adversas, et hostibus ecclesiae ad conterendam ipsius libertatem arma subministrantes, quas saeculo nostro praecedens aetas transfuderat. Sed gradatim, strenuae discussionis ope, praeiudicatae opiniones disturbatae fuerunt, revixitque mens sanior atque praevaluit.

Memoranda est etiam celebris scriptorum catholicorum lucta adversus illum pertinacem rerum statum, iam quasi inveteratum, qui in iuventutis educatione ecclesiae libertatem conculcans, religioni apud nos ruinam nimis certo praevidendam festinanter parabat. Perducta autem, per longum temporis tractum, haec lucta catholicorum animos ita commovit, atque eorum voluntas, dirigente episcopatu, ita crevit et roborata est, ut huic tandem politica potestas obtemperaverit, et diruta mortiferi regiminis mole, liberior christianae reaedificationi campus patuerit.

Nec oblivioni tradendum est quae, non diuturno abhinc tempore, grassabatur de rebus liturgicis opinio, constitutionum apostolicarum quae ad eas pertinent cognitio fere nulla, praeconcepta quaedam adversus sacram liturgiam Romanam repugnantia, et ea scientiae ecclesiasticae quaedam ex parte oblitteratio, qua periculosissima libertas condendi libros

liturgicos particulares, illosve immutandi, pro statu recto et normali a multis habebatur. Omnibus notum est, salutiferae controversiae magna ex parte tribuendam esse illius quaestionis elucidationem, animorumque impulsionem, qua perspecta, tot episcopi et synodi constitutiones apostolicas de rebus liturgicis facilius executioni demandaverunt.

In his autem conflictationibus memoratu dignum est saepe evenisse, ut adversus scriptores, qui meliorem in his rebus statum promovebant, a piis etiam viris iactarentur intemperantis zeli accusationes, non modo propter excessus quosdam impetusque vividiores, qui revera exstiterunt, sed propter ipsius causae, quam tuebantur, substantiam. Quas obiurgationes aequitati dissentaneas fuisse eventus demonstravit, cum hodie manifeste appareat conatus illos, huiusmodi criminationibus impetitos, ad hunc tandem felicem exitum pervenisse, de quo sancta sedes apostolica et ecclesia laetantur. Gravissimum hoc experimentum si omnes ante oculos habeant, facilius vitabitur eiusdem generis accusationum inconsulta festinatio, a qua hodiedum aliqui fortasse non abstinent.

Sed ad servandam tutius erga scriptores catholicos aequitatem, in primis attendendum est eam semper fuisse voluntatem ecclesiae, ut auctores, dum regulas ad doctrinam, mores et gubernationem ecclesiasticam spectantes non infringunt, decenti simul controversiarum libertate potiantur. Obedientia enim catholica legitima est mentium subiectio, non arbitraria compressio. Et quemadmodum necesse est ea omnia quae auctoritate ecclesiae sanciuntur, inconcussa permanere, ita aequum et utile est, praeter hos limites, controversias agitari, quae lapsu temporum, scientiae ecclesiasticae profectum aut incitant aut operantur. Quo igitur maiori constantia, in nostris diebus, intimandae sunt leges quae licentiam constringunt, eo etiam maiori moderatione utendum est ad tudandam, iuxta ecclesiae regulas, rationabilem auctorum commendabilium libertatem et securitatem: nihil enim forsan in animis magis labefactat obedientiam iure praescriptam, quam immoderatus imperandi zelus quo, praeter ius, obedientia exigeretur. Hanc necessariam potestatis temperantiam erga scriptores catholicos semper commendaverunt, tum constitutionibus suis, tum sua agendi ratione, summi pontifices; inter quos Benedictus XIV, scientia et aequitate clarissimus, sapientes regulas sanxit, quarum mentem apud nos observari necesse est, ut regatur simul ac protegatur legitima opinandi scribendique facultas.

Haec enim sunt monita quae in examine librorum, et iudicio de eis ferendo a relatoribus et consultoribus congregationis Indicis sequenda esse decrevit:

„Meminerint non id sibi muneris onerisque impositum, ut libri ad examinandum sibi traditi proscriptionem modis omnibus curent atque urgeant; sed ut diligenti studio, ac sedato animo ipsum expendentes, fideles observationes suas, verasque rationes congregationi suppeditent, ex quibus rectum iudicium de illo ferre, eiusque proscriptionem, emendationem aut dimissionem pro merito decernere valeat.“

„Tametsi hactenus cautum sit, cavendumque deinceps non dubitemus, ut ad referendum et consulendum in praedicta congregatione ii solum admittantur qui scientiam rerum, quas libri delati respective continent, diuturno studio acquisitam possideant: decet enim de artibus solos artifices iudicare; nihilominus, si forte eveniat, ut alicui per errorem materia aliqua discutienda committatur ab illius peculiaribus studiis aliena, idque a censore aut consultore electo ex ipsa libri lectione deprehendatur, noverit is se neque apud Deum, neque apud homines culpa vacaturum, nisi quamprimum id congregationi aut secretario aperiat, seque ad ferendam de huiusmodi libro censuram minus aptum confessus, alium magis idoneum ad id muneris subrogari curet.“

„De variis opinionibus atque sententiis in unoquoque libro contentis, animo a praeiudiciis omnibus vacuo iudicandum sibi esse sciant. Itaque, nationis, familiae, scholae, instituti affectum excutiant; studia partium seponant; ecclesiae sanctae dogmata, et communem catholicorum doctrinam, quae conciliorum generalium decretis, Romanorum pontificum constitutionibus, et orthodoxorum patrum atque doctorum consensu continetur, unice prae oculis habeant; hoc de caetero cogitantes, non paucas esse opiniones, quae uni scholae, instituto aut nationi certo certiores videntur, et nihilominus, sine ullo fidei aut religionis detrimento, ab aliis catholicis viris reiiciuntur atque impugnantur, oppositaeque defenduntur, sciente ac permittente apostolica sede, quae unamquamque opinionem huiusmodi in suo probabilitatis gradu relinquit.“

„Hoc quoque diligenter animadvertendum monemus, haud rectum iudicium de vero auctoris sensu fieri posse, nisi omni ex parte illius liber legatur; quaeque diversis in locis posita et collocata sunt, inter se comparentur; universum praeterea auctoris consilium et institutum attente dispiciatur; neque vero ex una vel altera propositione a suo contextu divulsa, vel seorsim ab aliis, quae in eodem libro continentur, considerata et expensa, de eo pronunciandum esse: saepe enim accidit, ut quod ab auctore in aliquo operis loco perfunctorie aut subobscure traditum est, ita alio in loco distincte, copiose ac dilucide explicetur, ut offusae priori sententiae tenebrae, quibus involuta pravi sensus speciem exhibebat, penitus dispellantur, omnisque labis expers propositio dignoscatur.“

„Quod si ambigua quaedam exciderint auctori, qui alioquin catholicus sit, et integra religionis doctrinaeque fama, aequitas ipsa postulare videtur, ut eius dicta benigne, quantum licuerit, explicata, in bonam partem accipiantur.“

„Has porro, similesque regulas, quae apud optimos scriptores de his agentes facile occurent, semper animo propositas habeant censores et consultores; quo valeant, in hoc gravissimo iudicii genere, conscientiae suae, auctorum famae, ecclesiae bono et fidelium utilitati consulere.“

„In ea, quam superius laudavimus, praedecessoris nostri Clementis papae VIII instructione[1], sapientissime cautum legitur, ut ‚quae famae proximorum, et praesertim ecclesiasticorum et principum, detrahunt, bonisque moribus et christianae disciplinae sunt contraria, expungantur‘. Et paulo post: ‚facetiae etiam aut dicteria, in perniciem aut praeiudicium famae et existimationis aliorum iactata, repudientur.‘ Utinam vero in aspectum lucemque hominum libri eiusmodi, in hac temporum licentia et pravitate, non efferrentur, ut quibus dissidentes auctores mutuis se iurgiis conviciisque proscindunt, aliorum opiniones nondum ab ecclesia damnatas censura perstringunt, adversarios eorumque scholas ac coetus sugillant, et pro ridiculis dicunt, magno equidem bonorum scandalo, haereticorum vero contemptu, qui, digladiantibus inter se catholicis, seque mutuo lacerantibus, plane triumphant. Etsi vero fieri non posse intelligamus, ut disputationes omnes e mundo tollantur, praesertim cum librorum nume-

[1] Tit. *de correct. librör.*, § 2.

rus continenter augeatur, *faciendi enim plures libros nullus est finis,*' ut est apud Ecclesiasten[1]: compertum praeterea nobis sit, magnam aliquando utilitatem ex iis capi posse; modum tamen in defendendis opinionibus et christianam in scribendo moderationem servari merito volumus. ,*Non inutiliter,*' inquit Augustinus, ,*exercentur ingenia, si adhibeatur disceptatio moderata, et absit error opinantium se scire quod nesciunt.*'[2] Qui veritatis studium et purioris doctrinae zelum, quo suarum scriptionum mordacitatem excusent, obtendere solent, ii primum intelligant, non minorem habendam veritatis, quam evangelicae mansuetudinis et christianae charitatis rationem."

„Cohibeatur itaque ea scriptorum licentia, qui, ut aiebat Augustinus, ,*sententiam suam amantes, non quia vera est, sed quia sua est*[3],' aliorum opiniones non modo improbant, sed illiberaliter etiam notant atque traducunt. Non feratur omnino privatas sententias, veluti certa ac definita ecclesiae dogmata, a quopiam in libris obtrudi, opposita vero erroris insimulari, quo turbae in ecclesia excitantur, dissidia inter doctores aut feruntur aut foventur, et christianae charitatis vincula persaepe abrumpuntur[4]."

Ex his regulis apparet non modo quantam charitatem scriptores catholici invicem excolere debeant, sed etiam quam paterna aequitas erga illos ab auctoritate ecclesiastica observanda sit. Peculiari benevolentia circumdandi sunt scriptores laici, qui, etsi rebus saecularibus implicati, religioni defendendae labores suos vitamque sponte impendunt, atque ita duplex munus adimplent haud minoris pretii faciendum. Primo enim, cum, feliciori rerum statu, plurimi de clero multum temporis, pro utilitate ecclesiae, doctis operibus olim tribuere poterant, nunc autem fere omnes, continuis sacri ministerii functionibus gravati, eadem scribendi libertate non fruuntur, perutile est auctores laicos, corde et animo fidei catholicae sanctaeque sedi addictos, militiae ecclesiasticae auxiliares manus admovere. Insuper, nemo est qui non videat, plura a laicis, praesertim in conflictationibus quotidianis, non inopportune in medium proferri posse, quae ab ecclesiasticis proclamari haud aeque congruum foret. Dum autem maiori impetu in aciem prorumpunt, vigilantiori eis attentione opus est ut regulas servent a summo pontifice prius memorato praescriptas, et in omnibus sanorum verborum formam retineant. Verum, quando laborum, quibus insudant, summa laudabilis esse p[illegible]citur, non ultra modum offendendum est quibus[illegible] supervenientibus maculis, quas aut fudit incuria calami velociter scribentium, aut nimius ardor parum cavit; de quibus benigne admonendos potius quam dure increpandos esse aestimamus. Caeterum, inter eos conspicuam veritatis defendendae cupiditatem, propriae utilitatis oblivionem, in adversis patientiam, in prosperis modestiam, nec non aliquando ingenii splendorem, meritis laudibus libenter decoramus.

Sed simul opus est ut adversus errores et lapsus scriptores catholici salutifera directione praemuniantur. Quare, illos admonemus et hortamur ut nunquam obliviscantur sese in exercitu Domini militiae auxiliaris munere fungi, nec ab omnibus tractandas esse theologicas quaestiones quae scientiam inter laicos haud pervulgatam requirunt; idcirco, in his casibus valde expedire ut ecclesiasticos adeant doctrina, pietate prudentiaque conspicuos, a quibus monita postulent et accipiant. Norunt etiam in rebus difficilioribus sapientis esse christiani ut non sine auxilio maturaque consideratione eas dirimentas aggrediatur. Cum autem ipsis cordi sit a recta veritatis via non aberrare, semper in hac firma persuasione salubriter perseverent se hunc scopum tuto assecuturos fore si, dum scribere parant, oculos in episcopatum, atque ante omnia et maxime in apostolicam sedem conversos teneant.

## Caput XVI.

### *Directorium pro scholis et educatione.*

In regimine scholarum haec primaria lex esto: educationis scopus est adolescentes informare praecipue ad vitam christianam, ac simul ad vitam civilem et disciplinas quae ad eam pertinent. Huic officio gymnasia, quae pro pueris instar familiae sunt, non minus perfecte debent satisfacere quam ipsa educatio domestica, cuius vices explent.

Quem ad finem ut scholae recte dirigantur, non sufficit adolescentes sacris concionibus adesse, in quibus veritatum supernaturalium doctrina traditur; sed requiritur insuper ut naturales etiam disciplinae non modo christianae animorum culturae haud noceant, sed ipsi inserviant ac famulentur, et religio sit instar mentis quae studiorum molem agitet, et toto eorum corpore misceatur. Hunc instituendae iuventutis ordinem, omni tempore observandum, praesentis aevi conditio strictius exigit: nihil enim non moliri debet educatio, ut iuvenes efficiantur in fide fortes et robusti, cum eos, e scholis egressos, perversarum doctrinarum illecebrae et assultus undequaque circumveniant.

In hac christiana studiorum ordinatione speciatim attendendum est ad triplicem eorum partem, quae litteras, historiam, philosophiam complectitur. Ut hae tres disciplinae sapienter disponantur, professores in primis meditentur veritatem hanc, totius educationis christianae cardinem, scilicet ordinem naturalem et ordinem supernaturalem, etsi essentialiter distinctos, ita apud christianos coniungi, ut per istam unionem ordo naturalis in se ab altero suscipiat superiores illustrationes, quibus diversimode perficitur.

Primo quidem in litteratura abundant pulchri naturalis elementa, quae ingenium humanum propriis viribus percipit et elaborat. Refulget hic pulchritudinis ordo in multis ethnicorum scriptorum libris, ubi, magna ex parte, in exquisita formarum cultura et mirabili arte situs est. Sed, postquam evangelium hominum animos illustravit et fovit, atque ampliora et altiora intellectui cordique humano spatia reseravit, tunc apparuit novus pulchritudinis supernaturalis ordo, qui, in se sublimior, alterius ordinis substantiam perficit, et pulchri naturalis formas accipiens, propriam tamen suam expressionem gignit, ut videre est in multis libris, poematibus et orationibus quibus christiani ingenii maiestas inclaruit. Professores ergo non exponant ethnicae litteraturae monumenta; quin et christianae documenta atque exemplaria tradant, et elementorum, quae ipsi propria sunt, influxum solerter demonstrent.

De historia idem dicendum est. Apud omnes populos apparent naturalia societatis civilis elementa, nempe, familia, viri et mulieris connubium, parentum et filiorum relationes, divitum et pauperum distinctio, publica privataque iura, imperium et obedientia, et ea quae ex his procedunt. Sed manifestum est haec verba apud populos supernaturali evangelii

[1] XII. 12.

[2] *Enchirid.*, c. 59, prope fin., [opp. s. Aug., ed. Bened., VI. 218 F.].

[3] *Conf.*, l. XII, c. 25, num. 34, [opp. s. Aug., I, 220 F.].

[4] Bulla *Sollicita et provida*, die 9 iulii 1753.

luce illuminatos non omnino easdem ideas includere A quas in tenebris saeculorum paganorum significabant, et christianas harum elementorum notiones non modo plurimum differre ab ideis corruptis inter paganos praevalentibus, sed etiam multo superiores existere notionibus rectis, quas illi solo lumine naturali percipere et efformare poterant. Unde societatis civilis principia, revelationis evangelicae virtute elaborata et quasi transformata, ad maiorem dignitatem et excellentiam elevata sunt. Nullam ergo curam negligant historiae professores, ut hanc elementorum naturalium cum elemento supernaturali coniunctionem, et mirabiles istius unionis effectus suis alumnis gradatim patefaciant.

Quoad philosophiam, plurima quidem sunt in catholicis scholis elementa, quae philosophis etiam paganis ingenii humani vires subministrarunt, sed adsunt alia quae non a solo hoc fonte emanant. Falsissimum est philosophiae disciplinam apud nos B solius rationis naturalis esse foetum. Nam, primo in doctrina catholica regulam habent professores, quae ipsis theses repellendas indigitat, atque etiam admonet haec aut illa ratiocinia vitium aliquod includere, eo ipso quod conclusiones fidei haud consentaneas generent. Unde fit ut in scholis catholicis perfecta et firma sit consensio circa plurimas veritates philosophicis argumentis demonstrandas, de quibus dubium et maxima discordia invenitur in scholis quibus doctrina fidei non praefulget. Qui ergo proclamarent lectiones philosophicas catholicarum scholarum ita instituendas esse, ut a lumine supernaturali praescindatur, illi aut somniarent abstractionem quae mera fictio est, aut, si revera ita fieret, philosophiae documenta, dissoluta sua in scholis nostris unitate, doctrinis variis et peregrinis abducerentur[1], et saepissime, ut evenit in scholis quae foris sunt, omni vento doctrinae circumferren- C tur[2]. Secundo, plurimae sunt de Dei notione eiusque attributis, de mundi origine, de providentia, de religione, de virtutibus, de fine hominis veritates, quas, postquam eas a revelatione didicerint, philosophi christiani suis argumentis comprobant, sed quae a philosophia humana inventae non sunt. Quod evidenter apparet, ut duo tantum exempla promamus, tum dogmate de creatione e nihilo, tum praecepto de summa dilectione erga Deum habenda, quae philosophia christiana unanimiter demonstrat, dum, priusquam evangelii lux oriretur, has veritates praecipuas ethnica sapientia nec habuerit perspectas, nec inquirendas suspexerit. Tertio, clarissimi patres et theologi, et eminentes quidam philosophi christiani, dum, omnium veritatum complexionem intuentes, mutuam earum irradiationem speculabantur, conceptus attigerunt, ut nemo nescit, sublimiores, quibus philosophicas etiam quaestiones vividioris lucis D radius penetravit. Cum ergo philosophia supernaturali revelationis lumine multifariam connectatur, et ab eo dirigatur, foveatur et crescat, periculosa profecto illusio de rationis viribus adolescentium animos invaderet, si ita docerentur ut rectam in scholis nostris philosophiae ordinationem, augmentum et perfectionem, solius rationis operationi attribuere possent. Ostendant ergo professores hanc disciplinam, sub diversis respectibus, apud nos non eam esse quam philosophus, solo ingenii humani adiutorio utens, efformaret, sed eam cui theologia, revelatione fundata, facem praefert, regulam praescribit, et incrementa praestat.

Praemissis generalibus istis regulis, opportunum iudicamus monita particularia adiungere, quae praecisius hodiernis educationis necessitatibus congruant.

### I. De studiis litterariis.

In synodo Suessionensi iam plura de studiis decrevimus. Diximus qua diligentia, qua proportione, cuilibet alumnorum aetati accommodata, sanctae doctrinae catholicae disciplina tradenda sit. Admonuimus etiam magnam erga libros cautelam observandam esse. Retinendus est profecto usus adhibendi clariora ethnicorum auctorum opera in quibus ingenii humani vis, venerabile Dei donum, conspicitur, et quorum culturam maximis apud christianos scriptoribus perutilem fuisse compertum est. Sed necesse est ea in scholis non admitti quin prius expurgata fuerint ab iis omnibus quae castas mentes possent offendere. Oportet insuper professores nullam opportunam occasionem negligere, ut, profanarum litterarum monumenta explanando, excellentiam doctrinae christianae comparatione facta, ostendant; atque e fontibus christianis frequenter haurire argumenta scribendi, quae in concertationibus scholasticis ab alumnis tractanda proponuntur. Quod attinet ad librorum delectum et distributionem, iam etiam hanc gravem materiam in concilio Suessionensi attigeramus, declarantes copiosas sane suppeditandas esse alumnis perveterum auctorum paginas, sed summopere curandum esse ut iis pariter, praesertim in scholis superioribus, non pauca e sanctis patribus et doctoribus selecta subministrentur. Qua quidem ordinatione principium optandae restaurationis iam partim evolvebatur: in his enim rebus mature et gradatim procedendum est. Hanc autem ordinationem nunc opportune perfici posse iudicantes, aestimamus multos christianorum auctorum libros, lingua latina et graeca et vernacula egregie scriptos, aut per excerpta, aut integros si breviores fuerint, in scholis nostrae provinciae ita adhibendos esse, ut, per educationis litterariae stadium, adolescentium mentes salutaribus istis fluentis abundanter imbuantur, et familiari cum illis consuetudine spiritum christianum assidue hauriant. Attenta enim huius aevi contagione, timendum est ne plerumque, adolescentibus nostris, cum ethnicae litteraturae effatis, exemplis et spiritu quotidianum per plures annos commercium habentibus, christiana animorum constitutio, his aspirationibus affecta, debilitetur, ita ut repellendis errorum seductionibus e scholis nimis impares exirent, nisi per sapientem auctorum christianorum frequentationem vivida religionis inspiratio eorum mentes continuo influxu roboraverit. Insuper, attendendum est pueros saepius e familiis mediocriter christianis in scholam introeuntes, et absoluto gymnasii tirocinio, in societatem politicam quae catholicis, ut olim, institutionibus non fulcitur, immissos, atque studiis aut functionibus, a quibus nunc religio abest, occupatos, potentibus auxiliis destitui, quibus, praeteritis saeculis, iuventutis adultae, e scholis egressae, educatio christiana viriliter continuabatur. Propter hanc causam, etiamsi sola esset, pretiosissimo annorum, qui in gymnasiis deguntur, spatio providentius utendum est, ut, etiam per litteraria documenta, catholicis notionibus et sensibus et exemplis puerilis aetas iugiter nutriatur et invalescat, et christiana forma, dum huic suscipiendae duriores non sunt, adolescentium animis penitus imprimatur.

Persuasum habemus hanc docendi rationem tanquam salutarem institui posse, quin catholicorum gymnasiorum usibus, per longum annorum tractum receptis, iniuria irrogetur. Ecclesiae enim annalibus manifestum est plura esse quae aliquo tempore non infausta, dehinc, mutatis circumstantiis, periculosa aut etiam nociva evadunt. Plura sunt quae, cum non sint mala, laudabiliter tolerantur et etiam regulantur ne illa gravissimi abusus corrumpant; plura

[1] Hebr. XIII, 9.
[2] Ephes. IV, 14.

sunt quae, consuetudine firmata, praemature reformanda non sunt, donec salubriori rerum ordini via sufficienter praeparata fuerit.

His attentis quae ad essentiam regiminis pro litterarum disciplina instituendi pertinent, nostrum non est quaestiones litterarias agitare, sed repellere quaedam asserta, ecclesiae iniuriosa, quae harum discussionum occasione prodierunt. Non enim hic praetereunda est opinio quorumdam scriptorum, religioni catholicae infensorum, qui, ut in gymnasiis litteraturae ethnicae culturam quasi unicam commendent, tanquam barbaram despiciunt linguam illam quae, apud excultissimos patres usitata, ipsa ecclesiae liturgia consecrata est; non intelligentes ab ecclesia catholica cum elementis et locutionibus antiqui idiomatis linguam efformatam fuisse, atque ita elaboratam, ut christianis rebus et sensibus intime adaptetur. Turpiter ergo contumeliam irrogant sanctae matri, quae, verbi divini haeres et custos, omnium humanarum disciplinarum, quibus barbaries dissipatur, et alma nutrix et sapiens patrona semper exstitit. A nostris scholis procul esto assertio quae, non minus a decentia quam a veritate abhorrens, alumnorum auribus offensionem animisque scandalum inferret.

## II. De historia.

Viam sequentes quam divus Augustinus in suo libro *De civitate Dei* patefecit, professores, data occasione et quantum iudicaverint expedire, indicent quomodo inter humanas vicissitudines divina providentia appareat, quae, „*ludens*, ut ait scriptura, *in orbe terrarum*," ignaros homines caeca saepe suae sapientiae instrumenta efficit, et, non dempto hominis libero arbitrio, omnia moderatur et eventus dirigit ad supremos fines quos ipsi actores nec praevident nec suspicantur. Quod ut praestare valeant professores, non suo tantum, nec cuiuslibet auctoris iudicio confidant, sed illos duces habeant quos noverint probatissimos.

Cum historiam veterum populorum tractant, particularia facta singillatim narrata concludant generalibus notionibus quae ad religionem referantur. Ostendant diminutas fuisse veritates, moresque corruptos, prout inter populos lumen, quod super homines ortum erat in principio, obnubilatum fuerat; philosophiamque humanam fuisse aut pravis doctrinis extirpandis impotentem, aut peioribus producendis feracem. Sed, dum undequaque circumfusos errores describunt, non negligant colligere veritatum reliquias et fragmenta quae in antiquis populorum monumentis deprehenduntur, aut, scientia crescente, detegentur, et narrationibus ac effatis bibliorum sacrorum aliqua ex parte consona esse videntur. Etsi enim his auxiliis nequaquam indigeat christianae fidei veritas, propriis suis fundamentis innixa, attamen, his eruditionis inquisitionibus sua est in causa religionis utilitas suusque locus, ut plurium apologistarum et patrum ecclesiae exemplo compertum est.

Cum autem horum populorum mores civicos, politicasque institutiones perpendunt, sedulo animadvertant quantum haec populorum christianorum sapientiae et ingenio male adaptarentur, caveantque ne alumnorum imaginationem inconsulta huiusmodi rerum admiratio praeoccupet, qua fieret ut societatem, in qua vitam acturi sunt, iniusta aestimatione aspernarentur, atque insanam paganorum institutionum imitationem somniarent: quae quidem mentis captio perturbationum incitamentum est, ut in praecedentis saeculi occasu lugenda experientia comprobavit.

Populorum vero christianorum gesta narrantes, ea fusius explicent, et studeant praesertim restituere et illustrare eas historiae partes, quas scriptorum protestantium, impiorum, imo et quorumdam catholicorum praeiudicatae opiniones et calumniae tenebris offundere et deturpare aggressae sunt. Quando agitur de saeculis in quibus politica societas, e fundamentis ad fastigium, catholica lege innixa erat, animadvertant duo tunc exstitisse principia, unum scilicet violentum et rebelle, quod a barbarica feritate haud facile domanda primitus processerat; alterum vero christianum, quod, ex adverso, per continuos papatus et ecclesiae labores et decreta virtutem suam exerebat; duorumque istorum principiorum luctam, et crescentem christiani principii victoriam esse huius epochae explicandae cardinem. Romanorum pontificum historiam enucleantes, et illam summariis conclusionibus coronantes, moneant nullam alicubi aut unquam visam fuisse principum seriem, quae continuae successioni vicariorum Christi, a primo saeculo ad nostram aetatem deductae, fortitudine, prudentia, aequitate, temperantia simul ac mirabili charitate aequiparari possit. Attendant insuper plurimorum summorum medii aevi pontificum, etiam in sanctorum albo conscriptorum, consilia et acta a quibusdam ecclesiasticae historiae scriptoribus et theologis, praesertim praecedentis saeculi, apud nos nimium adhuc pervulgatis, non obiter tantum, sed de industria dehonestata fuisse. Disturbent ergo horum errorum caliginem, aestimantes eo turpius fore horum pontificum memoriam in scholis catholicis detrimentum pati, quo scriptores e numero protestantium, aequitate praediti, iniuriam ipsi illatam nostro potissimum tempore vindicaverint. Nec abs re erit demonstrare quantum honoris et utilitatis in religionem christianam redundaverit ex institutione ordinum religiosorum, quorum influxus utrique societati, ecclesiasticae scilicet et civili, tantopere profuerit.

Quoniam insuper diebus nostris politicum papae principatum, sacrilegae rebellionis armis impugnatum, sophismatum etiam caterva insectata est, explicent pervetustas ipsius radices, legitimamque originem et conservationem, necnon manifestam eius, pro totius orbis christiani bono, necessitatem demonstrent eo alacrius, quo felicius, pro ipsius defensione, renovatam gentis nostrae gloriam totius ecclesiae triumpho recenter connexam fuisse laetamur.

Denique, cum eam historiae partem, quae est de temporibus recentioribus, tractabunt professores, quae pars inter omnes fuit omni interpretationis vitio adulterata, haec praecipue monenda censemus, ut sedulo adolescentes praemuniant ab erroribus praeiudiciisque, sive eorum qui haeresum inventores et fautores ostentant et glorificare conantur tanquam libertatis defensores, dum e contra sanctam ecclesiam, eorum errores summa constantia et iustitia reprimentem, intolerantiae et persecutionis nota afficiunt; sive eorum qui, in neutram partem inclinare affectantes, errorem et veritatem in indifferentia tenent, et quas adversus haereticos conflictationes sustinuit ecclesia, inutiles et vanas verborum pugnas vocare non verentur; sive tandem eorum qui omnia, praesertim in rebus politicis, caidam fato aut rerum necessitati, aut legi progressus humani tribuentes, pessimum quemque ab omni crimine absolvere nituntur. Nostros ergo professores in Domino adhortamur, ut haec omnia animadvertentes et, ut decet, confutantes, ad normam veritatis catholicae, sinceram historiae notionem auditoribus tradere studeant.

### III. De philosophia.

Quoad disquisitiones philosophicas quae ad religionem spectant, professores in primis ante oculos habeant constitutiones apostolicas, quibus damnantur varii errores philosophici qui nostro saeculo prodierunt, et specialiter hoc documentum epistolae encyclicae a Gregorio papa decimo sexto anno millesimo [octingentesimo] trigesimo quarto, ad omnem ecclesiam directae: „*Lugendum valde est quonam prolabantur humanae rationis deliramenta, ubi quis novis rebus studeat, atque, contra apostoli monitum, nitatur plus saepe quam oporteat sapere, sibique nimium praefidens, veritatem quaerendam autumet extra catholicam ecclesiam, in qua absque vel levissimo erroris coeno ipsa invenitur, quaeque idcirco columna ac firmamentum veritatis appellatur et est. Probe autem intelligitis, venerabiles fratres, nos hic loqui etiam de fallaci illo, haud ita pridem invecto,* B *philosophiae systemate plane improbando, quo ex proiecta et effraenata novitatum cupiditate veritas, ubi certo consistit, non quaeritur, sanctisque et apostolicis traditionibus posthabitis, doctrinae aliae inanes, futiles, incertae, nec ab ecclesia probatae adsciscuntur, quibus veritatem ipsam fulciri ac sustineri vanissimi homines arbitrantur.*“[1] Nec non et sequentia verba encyclicae datae anno millesimo octingentesimo trigesimo secundo ab eodem pontifice: „*Eos in primis affectu paterno complexi, qui ad sacras praesertim disciplinas et ad philosophicas quaestiones appulere, hortatores auctoresque iisdem sitis, ne, solius ingenii sui viribus freti, imprudentes a veritatis semita in viam abeant impiorum. Meminerint Deum esse sapientiae ducem, emendatoremque sapientium*[2], *ac fieri non posse ut sine Deo Deum discamus, qui per verbum docet homines scire Deum*[3]. *Superbi* C *seu potius insipientis hominis est, fidei mysteria, quae exsuperant omnem sensum, humanis examinare ponderibus, nostraeque mentis rationi confidere, quae naturae humanae conditione debilis est et infirma.*“[4]

His encyclicis statuta est doctrinae regula, quam nemo violare praesumat, neque verborum significationem restringendo, neque illam ultra naturalem et obvium sensum, prout a quibusdam scriptoribus factum est, extendendo. Sed eam accurate observare debent, uti revera nostri professores eam secuti sunt et sequuntur.

Insuper notandum est, in quaestionibus de rationis humanae conditione, duo esse extrema, doctrinae catholicae prorsus contraria; unum, scilicet, quo, in statu naturae lapsae, rationis vires penitus extinctas fuisse affirmatur; alterum, quo omnes religionis veritates hominibus illucentes, rationis humanae emanatio esse dicuntur. Prioris erroris radicem ecclesia rese- D cavit, condemnando doctrinam Lutheri et Baii de statu hominis post lapsum. Posterior autem, non modo particulares fidei articulos, sed omnem catholicam fidem sustulit, cum revelationem a Deo factam fuisse deneget. Inter duo haec extrema occurrunt opiniones, quae, utrumque errorem excludentes, a philosophis catholicis libere discutiuntur. Sed aliud est opinionem speculative considerare, aliud eam adolescentibus in scholis tradere, tanquam disciplinam qua eorum mentes informandae sunt. In hoc magna cautela adhibenda est, ut semoveantur theses, quae, attenta animorum propensione et errorum A grassantium influxu, inducunt in periculum, et illae doceantur quae periculum tutius avertant. Cum autem nostri temporis maximam seductionem in rationalismo, ut aiunt, sitam esse constet, et adolescentes e scholis in mundum exeuntes, in hunc perversum tramitem undequaque impellantur, nostros professores monemus ut opiniones ad praecludendam rationalismi viam aptiores seligant, vitantes ea quae faciliorem istius viae ingressum reddere viderentur. Quod ut tutius praestent, indigitamus eis tum argumenta quibus doctor Angelicus ostendit necesse fuisse ut homines per modum fidei accipiant non solum ea quae supra rationem sunt, sed etiam ea quae per rationem cognosci possunt; tum probationes quibus celebris, in praecedente saeculo, religionis apologista, apud nos vulgatissimus, adversus deistas et atheos hanc revelationis necessitatem adstruit[1]; tum denique notabilem illam B eminentis theologi hodierni sententiam: „*Cum loquimur de facultate qua pollet humana ratio, Deum cognoscendi eiusque existentiam demonstrandi, eam significamus satis exercitam atque evolutam, quod fit ope societatis atque adminiculorum quae in societate reperiuntur, quaeque certe sibi comparare haud potest qui extra caeterorum consortium nutritur et adolescit.*“[2] Praedictas considerationes et argumenta meditantes, intelligent quare et quonam sensu dicatur divinam aliquam interventionem aut disciplinam fuisse homini necessariam. Qua thesi stabilita, error rationalistarum omnem revelationem negantium, radicitus, prout id argumentis philosophicis fieri potest, evellitur.

Quod si in suarum lectionum decursu attingant quaestiones psychologicas, in quibus examinatur quonam gradu utilia vel necessaria sint signa ut facultas intelligendi, naturae humanae insita, evol- C vatur et exerceatur, caveant ne quid dicant quo negaretur aut negari videretur vis interna per quam mens veritatem percipit, et sine qua ipsa quidem signa intelligi nequirent. Insuper, quaecumque sit eorum de praedictis quaestionibus sententia, opinionem adversam iniuriose notare sibi haud licitum esse sciant.

Dum rationalismum impugnant, caveant etiam ne rationis humanae infirmitatem quasi ad impotentiam reducant. Hominem, rationis exercitio fruentem, huius facultatis applicatione posse percipere aut etiam demonstrare plures veritates metaphysicas et morales, inter quas existentia Dei, animae spiritualitas, libertas et immortalitas, atque boni et mali essentialis distinctio etc., etc., annumerantur, constanti scholarum catholicarum doctrina compertum est. Falsum est rationem solvendis istis quae- D stionibus esse omnino impotentem, argumenta quae proponit nil certi exhibere, et argumentis oppositis eiusdem valoris destrui. Falsum est hominem has veritates naturaliter admittere non posse, quin prius per actum fidei supernaturalis revelationi divinae credat; nec esse quaedam fidei praeambula, quae naturaliter cognoscuntur, et non esse motiva credibilitatis quibus assensus fit rationabilis. His erroribus non firmaretur profecto, sed corrumperetur rationalismi confutatio. Si qui, sub traditionalistarum nomine aut quovis alio, in hos excessus prolaberentur, a recta veritatis via procul dubio aberrarent.

Cum insuper in controversia de rationis humanae conditione, multa de lege naturali disputata fuerint, nec semper accurate prolata, monitum aliud pro-

[1] Epist. encycl. *Singulari nos*, data 25 iunii 1834.

[2] Sap. VII, 15.

[3] S. Irenaeus, l. 4, c. 10, [al. c. 5, n. 1, opp. s. Iren., ed. Massuet, I, 232].

[4] Epist. encycl. Gregor. XVI. *Mirari vos*, 15 augusti 1832.

[1] Bergier, *Traité de la religion*.

[2] Perrone, *De locis theologicis*, pars 3, sect. 1, c. 1. [in resp. ad obiect. I, ad 2. edit. Migne I, 1266].

fessoribus nostris damus circa realem legis divinae A naturalis et legis divinae positivae distinctionem, quae ab omni fuco et ambagine praeservanda est. Sciendum est ergo distinctionem illam, iuxta communem patrum et theologorum doctrinam, duplici ex parte resumendam esse. Primo quidem, ex parte obiecti: nam praecepta legis divinae naturalis eo ipso quod essentiales Deum inter et hominem, hominumque inter se relationes exprimant, necessaria Dei voluntate continentur, dum praecepta legis divinae positivae a libera Dei voluntate pendent. Secundo, ex parte subiecti: etenim homo, rationis exercitio pollens, potest percipere veritatem primariorum saltem legis divinae naturalis praeceptorum, etiamsi monumenta revelationis ignoret, et etiam nesciat utrum facta fuerit revelatio: praecepta autem propria legis divinae positivae cognoscere nequit, quin cognoscat prius, in aliquo gradu, revelationis documenta, quorum ecclesia depositum custodit. Ad tuendam distinctionem de qua loquimur, duo haec praefata requiruntur et sufficiunt. Hanc regulam sequantur professores ut philosophiae alumnis, gravi de hac materia, sanam doctrinam tradant.

Quodsi diversa monita, in hoc nostro directorio consignata, fideliter observata fuerint, futurum confidimus ut in gymnasiis nostris educatio primarium suum finem perfectius attingat, et feliciter augeatur illorum adolescentium numerus, qui, ex istis scholis in mundum dispersi, inter huius saeculi pericula robustam fidem servabunt.

## Caput XVII.

*De indictione futuri concilii provincialis.*

Cum sacrosanctae synodi Tridentinae decretis statutum sit, quolibet saltem triennio celebranda esse concilia provincialia, ut ecclesiae menti obsequamur, nos Thomas-Maria-Iosephus sanctae Romanae ecclesiae presbyter cardinalis Gousset, archiepiscopus Remensis, de concilio et consensu reverendissimorum episcoporum comprovincialium, proximum concilium huius provinciae in ipsa nostra ecclesia metropolitana, anno 1856, celebrandum iam denuntiamus et indicimus omnibus qui praesentes adesse debent.

## SUBSCRIPTIONES EPISCOPORUM.

Nos Thomas-Maria-Iosephus sanctae Romanae ecclesiae presbyter cardinalis Gousset, archiepiscopus Remensis, haec decreta a nobis definita subscripsimus.

† Th.-M.-I. cardinalis Gousset, archiepiscopus Remensis.

Ego Iosephus-Armandus Gignoux, episcopus Bellovacensis, Noviomensis et Sylvanectensis, subscripsi.

† Ios.-Ar. episcopus Bellovacencis, Noviomensis et Sylvanectensis.

Ego Paulus-Armandus-Anacletus-Ignatius de Garsignies, episcopus Suessionensis et Laudunensis, subscripsi.

† Paul.-Arm. episcopus Suessionensis et Laudunensis.

Ego Antonius de Salinis, episcopus Ambianensis, subscripsi.

† Antonius, episcopus Ambianensis.

Ego Petrus-Iulianus Gaillard, procurator reverendissimi domini episcopi Catalaunensis, subscripsi.

P.-I. Gaillard, vicarius generalis, moderator seminarii.

## LITTERAE EMINENTISSIMI AC REVERENDISSIMI CARDINALIS MAII,

### sacrae congregationis Concilii praefecti,

## AD EMINENTISSIMUM AC REVERENDISSIMUM CARDINALEM GOUSSET,

### archiepiscopum Remensem.

Eminentissime ac reverendissime domine domine observatissime.

Habebis una cum hisce litteris decretorum exemplar secundae synodi, ab eminentia tua et antistitibus istius Remensis provinciae, ianuarii mense labentis anni celebratae, quam, ex Sixtina lege, huius sacri concilii Tridentino iuri tuendo interpretandoque praepositi iudicio et auctoritati subiiciendam curasti. Hic porro patrum purpuratorum ordo qui vehementer eminentiae tuae alteris litteris diei B 19 februarii 1850 gratulatus iam est de redintegrata a te synodorum ratione, nunc maiorem in modum ipsi tibi plaudit, quod tertio a prima synodali actione anno dilapso, idem opus instauraveris, atque ita saluberrimum Tridentini concilii hac de re praeceptum religiose studueris adimplere. Et vero cum in ista Galliarum natione, coniunctis animis collatisque una consiliis, episcopi vigiles continuo agunt super gregem suum excubias, ut fortes in fide resistant teterrimo humani generis adversario, qui tanquam leo rugiens assidue circuit quaerens quem devoret, profecto, neque huic congregationi concilii, nec ulli dubium de ampliori communi bono esse potest, imo et spes affulget certissima, fore ut amplae istius ditionis ecclesiae, tam diuturno saevissimoque turbine exagitatae, in tutissimo tranquillitatis portu tandem aliquando conquiescant. Etenim, „cum (liceat veritatis magistri sapientissima C uti sententia) *fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quae possidet*“ [1].

Atque huius praeclarae vigilantiae vestrae documentum certe praebuit tempestiva damnatio libelli, quo per veterum artium insidias relaxari, et, si fieri posset, plane disrumpi caritatis et studii vincula enixe tentatum est, quibus inclytae ecclesiae Galliarum Romanae devinciuntur, quaeque arctiora in praesens, Deo miserante, effici visa sunt. Itaque, gratissimum mihi est, quod modo incumbit, munus declarandi eminentiae tuae meritas praeconii laudes, quas non solum eminentissimi collegae mei, sed et pontifex maximus, cui de hoc toto negotio rite relatum est, omnibus concilii patribus impertiri voluerunt.

Caeterum in eo, quod inseritur, folio, reperies, quae pauca speciatim adnotanda censuit sacer hic ordo. Ego vero, qui hactenus meorum collegarum D nomine scripsi, peculiares obsequii mei sensus profiteor eminentiae tuae, cui manus humillime deosculor.

Eminentiae tuae,

A. cardinalis Maius, praefectus.

A. Quaglia, secretarius.

Romae, 31 martii 1853.

*Dilectis filiis nostris sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus et venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis Galliarum.*

PIUS PAPA IX.

Dilecti filii nostri et venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. Inter multiplices angustias, quibus undique premimur pro commissa nobis, licet immeritis, arcano divinae providentiae

[1] Luc. XI, 21.

consilio omnium ecclesiarum sollicitudine asperrimis hisce temporibus, quibus multi nimis ex eorum numero esse videantur, qui, uti praenuntiavit apostolus, *sanam doctrinam non sustinent, sed ad sua desideria coacervantes sibi magistros, a veritate auditum avertunt, et seductores proficiunt in peius, errantes, et in errorem mittentes*[1], maxima certe laetitia perfundimur, cum ad inclytam istam tot sane nominibus illustrem, ac de nobis praeclare meritam Gallorum nationem oculos mentemque nostram convertimus. Summa enim paterni animi nostri consolatione videmus quomodo in ipsa natione, Deo bene iuvante, catholica religio, eiusque salutaris doctrina magis in dies vigeat, floreat ac dominetur, et quanta cura et studio, vos, dilecti filii nostri, ac venerabiles fratres, in sollicitudinis nostrae partem vocati, ministerium vestrum implere, ac dilecti gregis vobis commissi incolumitati et saluti consulere contendatis. Atque huiusmodi nostra consolatio maiorem in modum augetur, cum ex obsequentissimis, quas ad nos scribitis, litteris magis magisque noscamus qua filiali pietate, amore et observantia prosequi gloriemini nos et hanc Petri cathedram, catholicae veritatis et unitatis centrum, et omnium ecclesiarum omnino caput, matrem atque magistram[2], ad quam omnis obedientia et honor est deferendus[3], ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est qui sunt undique fideles[4]. Neque minori certe afficimur iucunditate, cum haud ignoremus, vos gravissimi episcopalis vestri muneris et officii optime memores, sedulam in Dei gloria amplificanda, eiusque sanctae ecclesiae causa propugnanda, impendere operam, atque omnem pastoralem vestram curam et vigilantiam adhibere, ut ecclesiastici vestrarum dioecesium viri quotidie magis digne ambulantes vocatione, qua vocati sunt, virtutum omnium exempla christiano populo praebeant, proprii ministerii munia diligenter obeant, atque ut fideles vobis commissi magis in dies enutriti verbis fidei, et per gratiarum charismata confirmati, crescant in scientia Dei et instent viam quae ducit ad vitam, ac miseri errantes ad salutis semitam redeant. Hinc pari animi nostri gaudio cognoscimus qua alacritate vos nostris desideriis ac monitis obsecundantes, provincialia concilia concelebrare studeatis, ut in vestris dioecesibus et fidei depositum integrum inviolatumque custodiatur, et sana tradatur doctrina, et divini cultus honor augeatur, et cleri institutio ac disciplina corroboretur, et morum honestas, virtus, religio, pietas undique fausto felicique progressu magis in dies excitetur et confirmetur. Atque vehementer gaudemus dum conspicimus, in quamplurimis istis dioecesibus, ubi hactenus peculiaria rerum adiuncta minime obstiterunt, Romanae ecclesiae liturgiam singulari vestro studio iuxta nostra desideria fuisse restitutam. Quae sane res eo magis grata nobis accidit, quod noscebamus in multis Galliae dioecesibus, ob temporum vicissitudinem, haud ea fuisse servata, quae sanctus decessor noster Pius V provide sapienterque statuerat suis apostolicis litteris septimo idus iulii anno 1568 datis, quarum initium *Quod a nobis postulat*. Etsi vero haec omnia non sine magna animi nostri voluptate, et insigni vestri ordinis laude commemorare laetamur, dilecti filii nostri ac venerabiles fratres, tamen dissimulare non possumus gravem sane tristitiam, et moerorem, quo in praesentia vehementer angimur, cum noscamus quas dissensiones antiquus inimicus inter vos excitare conetur ad vestram animorum concordiam labefactandam et infirmandam. Itaque, pro apostolici nostri ministerii munere, et summa illa, qua vos et istos fideles populos prosequimur, caritate, has vobis scribimus litteras, quibus intimo nostro cordis affectu vos alloquimur, dilecti filii nostri et venerabiles fratres, atque una monemus, hortamur et obsecramus, ut quotidie magis arctissimo inter vos caritatis foedere devincti et obstricti, atque unanimes et idipsum invicem sentientes, omnia dissidia quae antiquus hostis commovere adnititur, pro eximia vestra virtute propulsare ac penitus eliminare studeatis, et solliciti sitis cum omni humilitate et mansuetudine servare in omnibus unitatem spiritus in vinculo pacis. Ea enim sapientia praestatis, ut quisque vestrum optime sciat quantopere sacerdotalis et fida animorum, voluntatum et sententiarum concordia ad ecclesiae prosperitatem, atque ad sempiternam hominum salutem procurandam sit necessaria atque proficiat. Quam quidem animorum et voluntatum concordiam, si unquam alias, nunc certe studiis omnibus inter vos foveatis oportet, cum praesertim ob egregiam carissimi in Christo filii nostri Napoleonis, Francorum imperatoris, voluntatem, eiusque gubernii operam, nunc catholica istic ecclesia omni pace, tranquillitate et favore fruatur. Atque haec fausta in isto imperio rerum ac temporum conditio maiori vobis stimulo esse debet, ut una eademque agendi ratione omnia conemini, ut divina Christi religio, eiusque doctrina ac morum honestas, pietas, altissimis ubique in Gallia defigatur radicibus, et optima atque intaminata iuventutis institutio magis in dies procuretur, atque ita facilius hostiles inhibeantur et frangantur impetus, qui iam eorum conatibus manifestantur qui fuere et sunt constantes ecclesiae et Christi Iesu hostes. Quapropter, dilecti filii nostri et venerabiles fratres, maiore quo possumus studio a vobis etiam atque etiam exposcimus, ut in ecclesiae causa, eiusque salutari doctrina, ac libertate tuenda, aliisque omnibus episcopalis vestri muneris partibus obeundis, nihil potius, nihil antiquius habere velitis, quam ut concordissimis animis idipsum dicatis omnes, ac perfecti sitis in eodem sensu et in eadem sententia, et omni fiducia nos et hanc apostolicam sedem consulatis ad omnem cuiusque generis quaestionem et controversiam a vobis penitus removendam. Atque in primis, cum compertum exploratumque vobis sit quantopere ad rei tum sacrae, tum publicae prosperitatem conducat recta praesertim cleri institutio, ne intermittatis concordibus animis in tanti momenti negotium curas cogitationesque vestras conferre. Pergite, ut facitis, nihil unquam intentatum relinquere, ut adolescentes clerici in vestris seminariis ad omnem virtutem, pietatem et ecclesiasticum spiritum mature fingantur, ut in humilitate crescant, sine qua nunquam possumus placere Deo, ac simul humanioribus litteris, severioribusque disciplinis, potissimum sacris, ab omni prorsus cuiusque erroris periculo alienis ita diligenter imbuantur, ut non solum germanam dicendi scribendique elegantiam, eloquentiam tum ex sapientissimis sanctorum patrum operibus, tum ex clarissimis ethnicis scriptoribus ab omni labe purgatis, addiscere, verum etiam perfectam praecipue solidamque theologicarum doctrinarum, ecclesiasticae historiae et sacrorum canonum scientiam ex auctoribus ab hac apostolica sede probatis depromptam consequi valeant. Ita porro illustris iste Galliae clerus, qui tot viris ingenio, pietate, doctrina, eccle-

[1] II Tim. IV, 3, 4; III, 13.

[2] S. Cypr. *Ep.* LV, [*ad Cornelium*, opp. s. Cypr., ed. Baluze, pag. 59]; S. Aug. *Ep.* 162, [alias *Ep.* 43, n. 7, opp. s. Aug., ed. Bened., II, 91, E].

[3] Conc. Ephes., act. IV.

[4] Irenaeus, *Adversus haereses*, [l. 3, c. 3, n. 2, opp. s. Iren., ed. Massuet, I, 175].

siastico spiritu ac singulari in hanc apostolicam A sedem obsequio spectatis refulget, magis in dies abundabit navis et industriis operariis, qui virtutum ornatu praestantes, ac salutaris scientiae praesidio muniti, valeant in tempore auxiliariam vobis in dominica vinea excolenda operam praebere, eos qui contradicunt arguere, ac non solum Galliae fideles in sanctissima nostra religione confirmare, verum etiam illam apud longinquas et infideles nationes sacris expeditionibus propagare, quemadmodum clerus idem summa cum sui nominis laude, religionis bono et animarum salute hactenus peragendum curavit. Et quoniam una nobiscum vehementer doletis de tot pestiferis libris, libellis, ephemeridibus, pagellis, quas virulentus Dei et hominum hostis undequaque evomere non desinit, ad mores corrumpendos, ad fidei fundamenta concutienda, et omnia sanctissimae religionis nostrae dogmata labefactanda: idcirco, dilecti filii nostri ac venerabiles B fratres, pro episcopali vestra sollicitudine et vigilantia, ne cessetis unquam unanimes gregem curae vestrae commissum ab hisce venenatis pascuis omni studio avertere, eumque adversus tot errorum colluviem salutaribus opportunisque monitis et scriptis instruere, defendere et confirmare. Atque hic haud possumus, quin vobis in mentem revocemus monita et consilia, quibus, quatuor abhinc annis, totius catholici orbis antistites vehementer excitavimus, ne intermitterent viros ingenio sanaque doctrina praestantes exhortari, ut viri ipsi opportuna scripta in lucem ederent, quibus et populorum mentes illustrare, et serpentium errorum tenebras dissipare contenderent. Quamobrem, a vobis efflagitamus, ut dum mortiferam pestilentiam librorum et ephemeridum perniciem a fidelibus curae vestrae traditis amovere studetis, eodem tempore illos viros omni benevolentia et favore prosequi velitis, qui catho- C lico spiritu animati, ac litteris et disciplinis exculti, libros isthic et ephemerides conscribere typisque mandare curant, ut catholica propugnetur et propagetur doctrina, ut veneranda huius sanctae sedis iura eiusque documenta sarta tecta habeantur, ut opiniones et placita eidem sedi eiusque auctoritati adversa de medio tollantur, ut errorum depellatur caligo, et hominum mentes suavissima veritatis luce collustrentur. Atque episcopalis vestrae sollicitudinis et caritatis erit catholicos istos scriptores bene animatos excitare, ut maiore usque alacritate pergant catholicae veritatis causam sedulo sciteque defendere, eosque paternis verbis prudenter monere, si quid in scribendo offenderint. Iam vero ea est vestra sapientia, ut probe noscatis infestissimos omnes catholicae religionis hostes acerrimum semper bellum, irrito licet conatu, gessisse contra hanc beatissimi principis apostolorum cathedram, haud igno- D rantes religionem ipsam cadere et labare numquam posse, eadem cathedra stante, quae illi innixa est petrae, quam superbae non vincunt inferorum portae [1], et in qua est integra christianae religionis ac perfecta soliditas [2]. Quocirca, dilecti filii nostri ac venerabiles fratres, a vobis enixe postulamus, ut pro eximia vestra in ecclesiam fide, ac praecipua in eandem Petri cathedram pietate, numquam desinatis una mente unoque spiritu vestram omnem curam, diligentiam et operam in id praesertim intendere, ut isti fideles Galliarum populi callidissimas insidiantium hominum fraudes et errores sedulo devitantes, quotidie magis filiali prorsus affectu ac devotione huic apostolicae sedi firmiter constanterque adhaerere, eique summo, quo par est, obsequio obtemperare glorientur. Omni igitur episcopalis vestrae vigilantiae studio nihil unquam neque re neque verbis praetermittite, quo fideles ipsi hanc sanctam sedem magis magisque ex animo diligant, venerentur, omnique obsequio excipiant et exequantur quidquid sedes ipsa docet, statuit atque decernit. Hic autem haud possumus, quin vobis exprimamus summum dolorem, quo affecti fuimus, ubi, inter alia improba scripta isthic vulgata, nuper ad nos pervenit libellus gallica lingua exaratus, ac Parisiensibus typis editus, et inscriptus *Sur la situation présente de l'église Gallicane relativement au droit coutumier*, cuius auctor iis plane adversatur, quae vobis tantopere commendamus atque inculcamus. Quem libellum nostrae indicis congregationi reprobandum et damnandum commisimus. Antequam vero scribendi finem faciamus, dilecti filii nostri ac venerabiles fratres, vobis denuo significamus, optatissimum nobis esse, ut omnis quaestio et controversia a vobis reiiciatur, quae, ut scitis, pacem turbat, caritatem laedit, et ecclesiae hostibus arma ministrat, quibus illam divexent et oppugnent. Igitur, vobis summopere cordi sit pacem habere inter vos, et pacem sequi cum omnibus, serio considerantes pro illo vos legatione fungi, qui non dissensionis sed pacis Deus est, quique discipulis suis pacem tantopere inculcare, imperare et praecipere nunquam destitit. Et quidem Christus, veluti quisque vestrum noscit, „*dona omnia suae pollicitationis, et praemia in pacis conservatione promisit. Si haeredes Christi sumus, in Christi pace maneamus; si filii Dei sumus, pacifici esse debemus ... Pacificos esse oportet Dei filios, corde mites, sermone simplices, affectione concordes, fideliter sibi unanimitatis nexibus cohaerentes.*“ [1] Ea certe quidem de vestra virtute, religione, pietate nobis inest opinio et fiducia, ut plane non dubitemus, dilecti filii nostri et venerabiles fratres, quin paternis hisce nostris monitis, desideriis, postulationibus quam libentissime obsequentes, omnium dissensionum germina radicitus evellere, ac ita gaudium nostrum implere velitis, et cum omni patientia invicem supportantes in caritate, et unanimes collaborantes fidei evangelii, pergatis alacriori usque studio custodire vigilias noctis super gregem curae vestrae commissum, omnesque gravissimi vestri muneris partes sedulo obire ad consummationem sanctorum in aedificationem corporis Christi. Persuasissimum autem vobis sit, nihil nobis gratius, nihil optabilius fore, quam ea omnia praestare, quae ad maiorem vestram et istorum fidelium utilitatem pertinere posse noverimus. Interim, in humilitate cordis nostri Deum oramus et obsecramus, ut coelestium omnium charismatum copiam super vos propitius semper effundat, vestrisque pastoralibus curis et laboribus benedicat, quo fideles vestrae vigilantiae commissi magis in dies ambulent, digne Deo per omnia placentes, et in omni opere bono fructificantes. Ac divini huius praesidii auspicem et flagrantissimae illius, qua vos in Domino amplectimur, caritatis, testem apostolicam benedictionem ex intimo corde profectam, vobis, dilecti filii nostri ac venerabiles fratres, cunctisque istarum ecclesiarum clericis, laicisque fidelibus peramanter impertimur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die 21 martii anno 1853, pontificatus nostri anno septimo.

Pius papa IX.

[1] S. August., *In Psal. contr. part. Donat.*, [opp. S. Aug., IX, 7 E.].

[2] *Litt. synodic.* Ioann. Constantinopol. *ad Hormisd. pont.*

[1] S. Cyprian., *De unit. eccles.*, [opp. s. Cypr., ed. Baluze, p. 208].

### STATUTA DIOECESIS BAIOCENSIS
1853 aprilis 1.

**Statuta dioecesis Baiocensis in Gallia, edita die** A **1 aprilis 1853, sub Ludovico-Francisco Robin, episcopo Baiocensi.**

**Exstant constitutiones in opere cui titulus:**

**Statuts synodaux du diocèse de Bayeux, publiés par monseigneur l'illustrissime et révérendissime Louis-François Robin, évêque de Bayeux.** ***[Insigne.]*** **Bayeux, A. Delarue, imprimeur de Mgr l'évêque, 1853.**

**In-12°, VIII-100 p. — Paris, Bibl. nat. B 17159.**

**Pag. VIII, haec statuta edita sunt, extra synodum, decreto dato die 1 aprilis 1853.**

### SYNODUS DIOECESANA MANDELENSIS I
1853 maii 15-7.

Synodus dioecesana Mandelensis I in Italia, celebrata diebus 15, 16 et 17 maii 1853, sub Nicolao Grispigni, episcopo Mandelensi.

Exstant constitutionis synodales in opere cui titulus:

Prima dioecesana synodus quam illustrissimus B ac reverendissimus dominus Nicolaus Grispigni, patritius Viterbiensis et Amerinus, Dei et apostolicae sedis gratia episcopus Mandelensis, et abbas S. Salvatoris Maioris, praelatus domesticus ac solio pontificio assistens, in cathedrali ecclesia Mandelensi, regnante domino nostro Pio IX, diebus XV, XVI, XVII maii MDCCCLIII, celebravit. Romae, ex typographia Scientiarum, 1853.

In-4°, 8-XII-343 p. — Roma, libr Bocca.

# CONCILIUM PROVINCIALE DUBLINENSE
## 1853 iunii 2-7.

Concilium provinciale Dublinense in Hibernia, celebratum a die 2 ad diem 7 iunii 1853, sub Paulo Cullen, archiepiscopo Dublinensi.

**Bibliographia:**

1) Acta et decreta concilii provincialis Dublinensis, Dublini habita, 1853. Dublini, sine anno [1853].

In-8. — London, Brit. Mus. 5015.

2) **Pastoral address of the bishops of the province of Dublin assembled in synod, to the catholic clergy and laity of the province.** Dublin, 1853.

In-8°. — London, Brit. Mus. 3942. 66. 8.

3) **Acta et decreta sacrorum conciliorum recentiorum, collectio Lacensis, auctoribus presbyteris s. J., e domo b. v. M. sine labe conceptae ad Lacum. Tomus tertius. . . . Friburgi Brisgoviae, sumtibus Herder, MDCCCLXXV,** col. 805-14, 1311-30.

## DECRETA CONCILII.

1. Cum synodi Thurlesiae decreta, ab omni- C bus Hiberniae episcopis lata, sedis apostolicae auctoritate iam confirmata sint et publice edita, decernimus ea esse accurate ab omnibus observanda; et pro viribus conabimur, ut quam citissime ea omnia quae in iis praescripta sunt, in usum ubique deducantur.

2. Statuimus etiam, synodum celebrandam esse in singulis dioecesibus huius provinciae, in qua statuta dioecesana ad normam decretorum Thurlesiae synodi reformabimus, si in aliqua re ab iis discrepent, et cum illis accurate ea componere operam dabimus.

3. Ne dissensiones oriantur in publicis institutis administrandis, volumus, ut in posterum capellani xenodochiorum, carcerum et praesidiorum militarium, nihil in rerum sacrarum administratione in iis innovent, neque voce aut in scriptis institutionum istarum administrandi rationem publice impugnent, nisi prius negotium episcopo proprio detulerint, cuius sententia dirigi debent. Meminerint iidem capellani, certis temporibus, status animarum et religionis observantiae in praedictis institutis episcopo rationem reddere.

4. Omnibus huius provinciae sacerdotibus in memoriam revocamus obligationem qua mysteria fidei, sacramenta, Dei praecepta et alia ad religionem spectantia, fideli populo diebus festivis exponere tenentur. Cum vero periculum sit ne haec negligantur, si de alienis ac profanis negotiis in ecclesiis agatur, districte prohibemus ne, inter missarum solemnia, quod omnino indecens esset, aut omnino in ecclesiis de rebus mere saecularibus, ut de politicis electionibus, aut aliis eiusmodi rebus agatur, quae facile dissidia inter pastorem et populum promovere valeant, et magnam animorum commotionem excitare.

5. Quod si quis de huiusmodi rebus agat, aut, spreto synodi Thurlesiae praecepto, nominatim in aliquem in ecclesiis invehatur, eum poena suspensionis aut alia pro nostro arbitrio plectemus.

6. Hortamur vero omnes sacerdotes, ut a conventibus mere politicis frequentandis, et a discussionibus de rebus saecularibus, quae magna quandoque vehementia in hisce regionibus habentur, se abstineant, ne propria dignitas in iis aliquid detrimenti capiat, et ne rixis et contentionibus cum aliis implicentur.

Si vero a parochianis sacerdotis sententia de rebus publicis exquiratur, eos privatim et cum omni caritate instruere poterit, *„nemini dans ullam offen-* D *sionem ne vituperetur ministerium nostrum."* Atque prudenter et moderate, ut decet Christi ministrum, et cum omni dependentia a proprio episcopo solicitudinem piam ostendere poterit ne quid detrimenti ex electionibus politicis aut aliis eiusmodi rebus religio capiat.

7. Optandum omnino est ut in posterum, quantum fieri potest, sacerdotes domum suam prope ecclesiam habeant; itaque, quandocumque locus vel domus congrua obtineri poterit, curet parochus ut ibi habitationem suam constituat.

8. Coadiutoribus parochorum in memoriam revocamus, parochum esse rectorem paroeciae; proinde, statuta renovamus praedecessorum nostrorum, necnon et concilii Thurlesiae, quibus ipsis vicariis vetatur ne quid, ipsis parochis invitis, innovent in parochia seu ordinent, nisi aliter ordinario visum fuerit.

9. In posterum, in hac provincia, neo-sacerdotibus nonnisi ad unum annum facultates audiendi

confessiones dandas arbitramur, et quidem post A examen peractum coram examinatoribus dioecesanis. Quotannis vero, per quinquennium, se sistere debebunt coram iisdem examinatoribus, ut, post novum theologicae scientiae experimentum, facultatum renovationem ab episcopo obtineant.

10. Si aliquando contigerit parochum aut eius vicarium vocari ad baptizandum infantem vita periclitantem in privata domo, is, accepta aqua benedicta de fonte baptismali, si tamen commode fieri potest, statim accedat, et baptismum administret absque caeremoniis in rituali Romano praescriptis, quae tamen, si baptizatus postea vixerit, et cum primum convaluerit, in ecclesia suppleri omnino debeant, servata in omnibus decreti 23 septembris 1823 forma editi a sacra congregatione Rituum.

11. Cum acatholici sub conditione sunt baptizandi, ritus in rituali pro baptismate adultorum praescripti sunt adhibendi. B

12. Si qui in aliqua paroecia diuturna aegritudine afficiantur, ita ut ex domo propria egredi nequeant, curare debet parochus, ut ipsis saepe saepius occasio poenitentiae et eucharistiae sacramenta recipiendi praebeatur. Quod si id ipse per se vel vicarium suum praestare non potest, aliorum sacerdotum opera utatur. Nemo vero sine eius consensu communionem ad aegrotos deferre debet, nisi specialiter ab ordinario ad id munus deputetur.

13. In memoriam revocamus omnium, quod cum facultas ex indulto apostolico conceditur alicui sacerdoti celebrandi duas missas eadem die, privilegium hoc legitime exerceri nequit, nisi publica necessitas, a proprio episcopo dimetienda, utriusque missae celebrationem exigat.

14. Volumus ut parochi piam consuetudinem inducere conentur missam celebrandi pro defunctis in ecclesia praesente cadavere, quantum adiuncta tem- C porum et locorum id sinant, et exequias peragendi ad normam ritualis Romani.

15. In carceribus, xenodochiis et aliis institutionibus quae publico aere eriguntur, aliquando cubiculum aliquod vel sacellum, ad usum cultus religiosi seponitur, ea ratione, ut primum sacerdos catholicus ibi missam celebret, et postea minister anglicanus vel calvinianus eodem in loco preces sui ritus peragat. Huiusmodi usum inductum fuisse dolemus, et pro viribus conabimur ut locus separatus missae sacrificio celebrando deputetur.

16. Quod si qua publica ecclesia in posterum, vel oratorium in huiusmodi locis erigatur, in qua protestantes ritus suos peragant, nunquam sinemus ut in iis missa celebretur.

17. Decretum synodi Thurlesianae ex cap. de poenitentia, num. 41 de audiendis confessionibus, accurate servari volumus. Itaque, praedicti decreti D menti inhaerentes, vetamus ne in vicis et oppidis ubi adsunt ecclesiae, et in locis omnibus quae prope distant ab ecclesiis, stationes pro confessionibus audiendis tam virorum quam mulierum in domibus privatis fiant; sed stationes in ipsa ecclesia teneantur.

18. Si qua in ecclesia nondum id factum est, iubemus ut quam primum erigantur sedes confessionales pro numero sacerdotum qui ibi confessiones audiunt, atque cratibus informentur.

19. Nisi episcopo dispensationem concedere iustum videatur, bannorum publicatio ter fiat antequam matrimonia contrahantur.

20. Matrimonia mixta sacrorum conciliorum et summorum pontificum decretis esse prohibita omnibus constat; adeoque, si quando ea esse celebranda necessitas exigat, apostolica dispensatio est petenda.

21. Si quis, nulla habita dispensatione, matrimonium mixtum ineat, matrimonium ipsum validum habendum est, ex rescripto Pii VI, 19 martii 1785. Sed qui ita contraxit, peccatum incurrit, cuius absolutionem nobis ipsis reservamus.

22. Matrimonium quod ineundum est inter aliquem qui perpetuo catholicus fuit, et personam nuper ad fidem conversam, lege civili in hac regione pro nullo habetur, nisi contrahatur coram ministro protestante aut notario publico qui *Registrar* vocatur. Praeterea, si sacerdos assistat huiusmodi matrimonio, gravibus poenis se exponit. Has ob causas et in hoc casu, licitum existimamus contrahentibus, se sistere coram notario publico, non ut vere contrahant matrimonium, sed ut incommoda quae a lege proveniunt, evitent. Non licere vero declaramus, ut ad ministrum acatholicum accedant, cum nulla id necessitas exigat. Atque idem dicendum, cum agitur de matrimonio contrahendo, habita dispensatione, inter catholicum et acatholicum; scilicet, eos se sistere coram notario publico ad evitanda incommoda supra memorata, posse, non vero coram ministro protestante.

23. Si, post contractum matrimonium mixtum, pars acatholica ad fidem convertatur, nihil vetat quominus, si partes id voluerint, nuptiae a sacerdote benedicantur.

Datum Dublinii, die 7 iunii 1853.

† Paulus Cullen, delegatus sedis apostolicae, archiepiscopus Dublinensis, primas Hiberniae, definiens subscripsi.

† Franciscus Haly, episcopus Kildariensis et Leighlinensis, definiens subscripsi.

† Eduardus, episcopus Ossoriensis, definiens subscripsi.

† Milesius Murphy, episcopus Fernensis, definiens subscripsi.

Testes adfuimus: Ioannes Hamilton, archidiaconus Dublinensis, promotor huius concilii; Iacobus Taylor, a secretis concilii; Bartholomaeus Woodlock, canonicus Dublinensis, a secretis concilii.

Praedictum exemplar in omnibus accurate concordat cum originali in quo acta et decreta provincialis synodi Dublinensis referuntur.

Datum Dublinii, die 10 iunii 1853.

† Paulus Cullen, archiepiscopus Dublinensis, primas Hiberniae, sedis apostolicae delegatus.

## ACTA CONCILII.

### COETUS PRAEPARATORIUS.

Kalendis iunii habitus est coetus praeparatorius in aedibus archiepiscopi, praesentibus illustrissimo ac reverendissimo domino domino Paulo Cullen, sanctae sedis apostolicae delegato, archiepiscopo Dublinensi et Hiberniae primate; illustrissimo et reverendissimo domino Francisco Haly, episcopo Kildariensi et Leighlinensi; illustrissimo ac reverendissimo domino Eduardo Walsh, episcopo Ossoriensi; et illustrissimo ac reverendissimo domino Milesio Murphy, episcopo Fernensi.

Plura accommodata sunt pro recto ordine concilii.

### SESSIO PRIMA.

Die 2 iunii anno Domini 1853, initium factum est concilii provincialis Dublinensis, quod iam per litteras suas antea, et per decretum datum die 2 maii proxime elapsi, convocaverat reverendissimus dominus dominus Paulus Cullen, sanctae sedis apo-

stolicae delegatus, archiepiscopus Dublinensis et A Hiberniae primas. Hora igitur decima cum dimidio convenerunt omnes, qui ad hanc synodum celebrandam invitati fuerant, in domo sacerdotali, prope ecclesiam Sanctae Mariae sine labe conceptae, in civitate Dublinensi.

Solemnis processio instructa fuit cui interfuerunt religiosi sacro habitu religionis induti, scilicet Carmelitae calceati et discalceati, Augustiniani, Franciscani, et Dominicani, necnon patres societatis Iesu, et sacerdotes e congregatione Missionis, clerici in minoribus ordinibus constituti, parochi et alii sacerdotes provinciae Dublinensis;

Superiores ordinum religiosorum in hac provincia degentes, scilicet reverendus pater prior conventus Augustinianorum in hac urbe, admodum reverendi domini patres provinciales Carmelitarum utriusque observantiae, admodum reverendus dominus pater provincialis ordinis Praedicatorum, admodum re- B verendus dominus pater pro-provincialis societatis Iesu, et admodum reverendus dominus visitator congregationis Missionis;

Deinde delegatus capituli Fernensis, capitulum ecclesiae metropolitanae Dublinensis cum dignitatibus paratis, reverendissimus dominus frater Guilelmus Whelan, episcopus Aureliopolitanus, et reverendissimus dominus frater Daniel O'Connor, episcopus Salditanus, in hac urbe degentes, et specialiter invitati; denique, reverendissimi patres concilii domini episcopi suffraganei huius provinciae cum suis capellanis, scilicet: reverendissimus dominus Milesius Murphy, episcopus Fernensis; reverendissimus dominus Eduardus Walsh, episcopus Ossoriensis; et reverendissimus dominus Franciscus Haly, episcopus Kildariensis et Leighlinensis; tandem, reverendissimus dominus archiepiscopus.

Sicque in ecclesiam praedictam perrexerunt. C

Post solemnes de more supplicationes persolutas, reverendissimus dominus dominus archiepiscopus missam in pontificalibus celebravit, cum assistentia reverendorum dominorum canonicorum.

Missa finita, concio habita est coram patribus concilii a reverendo patre Bartholomaeo Esmonde, e societate Iesu. Post concionem prima sessio habita est in eodem loco.

Caeremoniis et caeteris peractis, iuxta praescriptum pontificalis Romani, reverendissimus dominus archiepiscopus, de consilio et consensu reverendissimorum episcoporum, suffragia colligentibus concilii secretariis, quaedam, ut mos est, statuit et decrevit, scilicet: *de aperienda synodo; de modo vivendi; de praeiudicio non afferendo; de non discedendo ante finem synodi; et de officialibus.*

Officiales sequentes electi sunt: D

Promotor: reverendus dominus Ioannes Hamilton, capituli Dublinensis archidiaconus. Secretarii: reverendi domini Iacobus Taylor et Bartholomaeus Woodlock. Caeremoniarii: praedictus reverendus dominus Woodlock et reverendus dominus Iacobus Mulligan.

Deinde lectum est ab uno ex secretariis synodi decretum sacrosancti concilii Tridentini *de fidei professione emittenda,* et cum haec esset prima synodus provincialis cui episcopi huius provinciae adfuerint, omnes patres, iuxta eiusdem concilii Tridentini praedictum decretum, fidei professionem emiserunt: reverendissimus archiepiscopus quidem genuflexus coram altari, reverendissimi vero episcopi suffraganei in manibus ipsius reverendissimi domini archiepiscopi.

Postulante reverendo domino promotore, et suffragantibus patribus, futura sessio indicta est ad proximam dominicam, diem scilicet quintam huius mensis iunii.

Reverendissimus dominus archiepiscopus benedixit synodo et populo; et omnes ad propria reversi sunt.

I. CONGREGATIO PUBLICA.

Die 3 iunii, hora 10 ante meridiem, habita est prima congregatio publica in domo sacerdotali prope ecclesiam Sanctae Mariae sine labe conceptae.

Praefuit illustrissimus et reverendissimus dominus archiepiscopus. Aderant illustrissimi et reverendissimi domini episcopi suffraganei supra nominati, scilicet: reverendissimus dominus Franciscus Haly, episcopus Kildariensis et Leighlinensis, reverendissimus dominus Eduardus Walsh, episcopus Ossoriensis, et reverendissimus dominus Milesius Murphy, episcopus Fernensis, cum reverendis dominis promotore et secretariis iam memoratis.

Aderant insuper:

Venerabile capitulum Dublinense, per admodum reverendum dominum Gualterum Meyler, decanum, admodum reverendum dominum Guilelmum Yore, praecentorem et reverendissimi domini archiepiscopi vicarium generalem, et reverendum dominum Andream O'Connell, thesaurarium, qui procuratores electi fuerant;

Venerabile capitulum Fernense per procuratorem, scilicet: reverendum dominum Thomam Furlong, praecentorem et sanctae theologiae professorem;

Provinciales ordinum religiosorum in hac provincia, urbe degentes, ab archiepiscopo invitati, scilicet:

Admodum reverendus dominus Bartholomaeus Russell, ordinis Praedicatorum;

Admodum reverendus dominus Thomas Albertus Bennett, ordinis Carmelitarum antiquae observantiae;

Admodum reverendus dominus David O'Brien, ordinis Carmelitarum excalceatorum;

Admodum reverendus dominus Ioannes Curtis, pro-provincialis societatis Iesu;

Admodum reverendus dominus Philippus Dowley, visitator congregationis Missionis Sancti Vincentii a Paulo;

Admodum reverendus dominus Thomas Albertus Bennett, iam nominatus, et reverendus dominus Thomas MacNamara, theologi a reverendissimo domino domino archiepiscopo designati;

Reverendus dominus Ioannes Magee, sanctae theologiae professor, a reverendissimo domino domino episcopo Kildariensi et Leighlinensi adductus theologus;

Admodum reverendus dominus David O'Brien, Carmelitanus, supra nominatus, theologus ab episcopo Ossoriensi designatus;

Reverendus dominus Thomas Furlong, supra nominatus, a reverendissimo domino domino episcopo Fernensi theologus designatus.

Post orationes fusas de more, allocutio habita est ab illustrissimo et reverendissimo archiepiscopo de negotiis in synodo tractandis, et de ratione agendi quam omnes sequi deberent.

Ipso iubente, lectae sunt litterae sacrae congregationis de Propaganda fide, sub die 3 maii proxime elapsi, ipsi reverendissimo domino archiepiscopo datae, quas in acta huius synodi referri patres praeceperunt.

Patres quoque statuerunt, ut scriberetur epistola in nomine huius concilii provincialis ad sanctissimum dominum nostrum papam; item, ut litterae synodicae ad clerum et populum huius provinciae darentur.

Duas congregationes constituerunt patres e theologis synodo assistentibus: quarum discussioni tra-

ditae sunt quaedam quaestiones, ut de ipsis referrent A secundae congregationi publicae crastina die habendae. Quaestiones respiciebant praesertim frequentiam missionum, potiorem curam in observandis decretis Thurlesianis, sacros ritus, et alia ad sacramenta pertinentia.

I. CONGREGATIO PRIVATA.

Die 3 iunii, hora quarta cum dimidio post meridiem, habita est prima congregatio privata in aedibus archiepiscopalibus.

Praefuit illustrissimus et reverendissimus dominus archiepiscopus. Aderant illustrissimi et reverendissimi domini episcopi supra memorati, cum reverendo domino promotore et secretariis.

Patres statuerunt decreta inferius[1] posita a numero 1 ad 9.

II. CONGREGATIO PUBLICA.

Die 4 iunii, hora decima cum dimidio ante B meridiem, habita est secunda congregatio publica, eodem loco et eisdem praesentibus quibus prima.

Dum haberetur congregatio, lectis primo ab uno ex secretariis responsis quae privatae theologorum congregationes retulerunt de quaestionibus eorum discussioni traditis, theologorum in singulis casibus sententiae ab illustrissimo et reverendissimo domino archiepiscopo rogatae sunt.

Aliae deinde quaestiones eorum examini sunt propositae; praesertim de quibusdam libris utendis in scholis, ut vocant, *nationalibus*, de systemate educationis nationalis, et de universitate catholica.

Superiores religiosi se pro viribus paratos esse opus missionum, quod a sacra congregatione de Propaganda fide in epistola ad archiepiscopum Dublinensem commendatum est, promovere significaverunt. C

II. CONGREGATIO PRIVATA.

Die 4 iunii, habita est secunda congregatio privata, eodem loco et eadem hora quibus prima; iisdem praesentibus.

Patres statuerunt decreta a numero 10 ad 16.

III. CONGREGATIO PRIVATA.

Die 5 iunii, hora 10 ante meridiem, habita est tertia congregatio privata, eodem loco quo secunda, et praesentibus patribus, cum reverendo domino promotore et secretariis.

Patres statuerunt decreta a numero 17 ad 19.

## SESSIO SECUNDA.

Die 5 iunii, dominica III post Pentecosten, post missam solemnem celebratam ab illustrissimo et reverendissimo domino fr. Guilelmo Iosepho Whelan, episcopo Aureliopolitano, et concionem ab illustrissimo et reverendissimo domino archiepiscopo, habita D est secunda sessio in ecclesia Sanctae Mariae sine labe conceptae, iuxta formam in pontificali Romano praescriptam. Decreta de quibus iam in congregationibus privatis conventum fuerat inter patres, publice lata sunt.

Futura sessio indicta est ad feriam tertiam proxime sequentem, diem scilicet 7 iunii.

III. CONGREGATIO PUBLICA.

Die 6 iunii, hora prima post meridiem, post missam solemnem defunctorum celebratam ab illustrissimo et reverendissimo domino episcopo Aureliopolitano, et concionem ab admodum reverendo domino patre Bartholomaeo Russell, ordinis Praedicatorum provinciali, habita est tertia congregatio publica in domo sacerdotali eodem modo quo prima.

[1] Potius *supra* col. 841-4.

Praeter reverendos dominos theologos supra memoratos, adfuit reverendus dominus Guilelmus Carrigan, capituli Ossoriensis procurator.

Theologi, rogante reverendissimo domino archiepiscopo, retulerunt de quaestionibus eorum discussioni traditis, scilicet: de scholis nationalibus et de libris qui in eis adhibentur.

IV. CONGREGATIO PRIVATA.

Habita est quarta congregatio privata die 6 iunii, eadem hora et eodem loco ac caeterae.

Patres statuerunt decreta a numero 19 ad 23.

Statuerunt librum quemdam, auctore Murphy, vitam scilicet domini nostri Iesu Christi, ex verbis textus sanctorum quatuor evangeliorum, cum notis, referendum esse quibusdam probis et doctis sacerdotibus, a quibus emendatus, et ab episcopis probatus, iterum typis mandetur ad usum scholarum, ut sic ansa omnis ab adversariis eripiatur, qui ecclesiam catholicam accusant, quasi ipsa debito modo eruditioni religiosae fidelis populi non provideat.

Re diligenter ad examen vocata, patres censuerunt, catholicos statim admonendos esse, ne libris istis: *Christian evidences* aut *Scripture lessons* uterentur.

Necnon, absonum esse et a disciplina et a spiritu ecclesiae catholicae alienum, ut in rebus quae ad religionem spectant, catholici et acatholici una in scholis publicis erudirentur, aut ut catholici in sacris disciplinis ab acatholicis instituerentur.

Tandem, et nautas et milites catholicos monendos esse, ipsos et eorum liberos nec posse tuta conscientia, nec vero ex ulla lege civili teneri, assistere precibus acatholicorum aut catechismum protestantium addiscere.

Statutum est etiam, ut universitatis catholicae erectionem promoverent pro viribus; atque alii episcopi archiepiscopum Dublinensem rogaverunt, ut in eorum nomine, et pro eis in toto hoc negotio ageret.

Statuerunt etiam patres, supplicandum esse sanctissimum dominum nostrum papam pro officiis sequentibus, scilicet:

Officium Puritatis beatae Mariae virginis, 1 dominica post kalendas maii non impedita, officio duplici.

Officium beatae Mariae virginis sub titulo *Auxilium christianorum*, die 24 maii.

Officium sanctissimi Cordis beatae virginis Mariae, 1 dominica post festum sanctissimi cordis Iesu non impedita, festo duplici.

Officium maternitatis beatae Mariae virginis, prima dominica post kalendas septembris non impedita, festo duplici.

IV. CONGREGATIO PUBLICA.

Die 7 iunii, hora decima cum dimidio, habita est quarta congregatio publica, in eodem loco ac modo quibus caeterae.

Epistola synodica huius concilii provincialis ad sanctissimum dominum nostrum papam lecta est, necnon decreta omnia a patribus lata.

Patres emendarunt decretum de ritu adhibendo in collatione baptismatis, cum parochus, ad domum privatam vocatus, illud ibi administrat.

## SESSIO TERTIA ET ULTIMA.

Die 7 iunii, hora 11 ante meridiem, convenerunt in ecclesia praedicta Sanctae Mariae sine labe conceptae, illustrissimus ac reverendissimus dominus archiepiscopus, una cum caeteris concilii patribus, officialibus et theologis. Adfuerunt etiam supra

nominati reverendissimi domini episcopi Salditanus A et Aureliopolitanus.

Missam in pontificalibus celebravit reverendissimus dominus archiepiscopus cum assistentia reverendorum dominorum canonicorum.

Concionem habuit reverendus dominus Guilelmus Meagher, canonicus Dublinensis et parochus de Rathmines.

Deinde aperta est sessio tertia et ultima; et, servatis omnibus quae in pontificali Romano praescribuntur, rite peracta et absoluta.

Tandem factae sunt sequentes

## ACCLAMATIONES.

*Archidiaconus:* Deo, patri misericordiarum et totius consolationis auctori, gratiae.

*Chorus:* Immensa est misericordia tua, Domine, super nos, qui nos verum disciplinae regimen docere, et post diras tot saeculorum calamitates, hac prima B provinciali synodo ecclesiam nostram augere dignatus es; tibi honor, tibi laus, tibi gloria in saecula aeterna.

*Archidiaconus:* Beatissimo Pio papae et domino nostro, ecclesiae Christi pontifici maximo, cunctarum gentium obedientia, et verae fidei per totum orbem propagatio.

*Chorus:* Benignissime Deus, sanctissimum patrem nostrum ecclesiae tuae conserva, ut, eo gubernante, universae gentes tibi verum obsequium praestent, et quae dispersae sunt, in unum ecclesiae tuae ovile colligantur.

*Archidiaconus:* Reverendissimo domino archiepiscopo et praesuli nostro, caeterisque provinciae episcopis, et universo clero cum multis annis salutaris super gregem vigilantia, in laboribus constantia et omnia fausta.

*Chorus:* Deus, gratiarum largitor, infunde super C pastores tuos tui spiritus abundantiam, et corda eorum in aedificationem ecclesiae tuae accende, ut gregem eis commissum ad aeterna tabernacula ducere valeant.

*Archidiaconus:* Omnibus provinciae huius fidelibus, et cuncto populo christiano, perseverantia in avita fide, atque in mente et corpore pax Christi aeterna.

*Chorus:* Da pacem, Domine, in diebus nostris, et adversus diabolicos incursus atque haeresum omnium conatus, illibatam plebi tuae salutis doctrinam conserva; confirma in virtute gressus eius, et benignitatis tuae perpetuum illi rorem infunde.

*Archiepiscopus:* Domine, nos operarii in messem tuam missi, ministerium nostrum adimplentes, huiusque concilii decreta vigilanti animo exsequentes, digni reddamur aeterna mercede; intercedente beata et gloriosa Dei genitrice Maria, cum beatis apostolis tuis Petro et Paulo, beato Patritio, huius regni apostolo, atque beato patrono nostro Laurentio.

*Chorus:* Amen, amen, amen.

## DECRETUM

*sacrae congregationis de Propaganda fide.*

Ad tramitem sacrorum canonum, atque ut observantia decretorum plenariae synodi apud Thurles habitae, per apostolicam sedem probatae, impensius promoveretur apud ecclesiasticam provinciam Lageniam, reverendus pater dominus Paulus Cullen, archiepiscopus Dublinensis, initio mensis iunii anni huius, provinciale concilium Dublini habuit, cuius acta et decreta pro revisione et recognitione ad apostolicam sedem transmissa fuerunt. Pertractatum de iis est in generali conventu sacrae congregationis de Propaganda fide, die 8 augusti anni huius habito, referente eminentissimo ac reverendissimo domino Constantino cardinali Patritio, episcopo Albanensi, omnibusque mature perpensis, eminentissimi ac reverendissimi patres censuerunt, memorata acta et decreta concilii provincialis Dublinensis, nonnullis modificationibus adhibitis iuxta instructionem traditam reverendissimo patri domino archiepiscopo Dublinensi, esse approbanda.

Hanc vero sacrae congregationis sententiam sanctissimo domino nostro Pio divina providentia papae IX relatam ab infrascripto secretario, in audientia diei 14 mensis eiusdem et anni, sanctitas sua benigne ratam habuit et confirmavit.

Datum Romae, ex aedibus dictae sacrae congregationis de Propaganda fide, die 30 septembris 1853.

I.-Ph. cardinalis Fransoni, praefectus.

Al. Barnabò, a secretis.

## PASTORALES LITERAE EPISCOPORUM.

With sentiments of the profoundest gratitude to the giver of all good gifts for the merciful providence with which he has watched over us and our holy religion amidst the trials and sorrows of past times, and preserved us for happier days, we have to announce to you, dearly beloved brethren, the termination of the first synod of the ecclesiastical province of Leinster that has been held for the D last two hundred years.

In conformity with the discipline of the holy catholic church, this synod was convened for the purpose of promoting piety and virtue, correcting abuses, providing for the interests of religion, cultivating christian charity among all classes, and cementing more closely the bonds of union which bind us to the apostolic see, the fountain and centre of all spiritual jurisdiction.

To aid us in securing the attainment of these objects, so important for our eternal welfare, but which mere human means could not secure, we demanded your cooperation, inviting you to raise your hands in fervent prayer to heaven for your prelates, to beg of the father of lights to guide and direct them, and to assist them in their deliberations. In the same spirit, of distrust in our own strength, but of confidence in the power of prayer,

Gratissimis[1] erga bonorum omnium largitorem animis, cuius benignissima providentia inter vexationes calamitatesque superiorum temporum pro nobis et sancta religione nostra vigilavit, nosque in feliciora servavit tempora, nuntiamus vobis, fratres carissimi, impositum esse finem huic synodo ecclesiasticae provinciae Leinsteranae, quae prima post duo saecula demum habita est.

Ex disciplina sanctae catholicae ecclesiae, idcirco convocata erat haec synodus, ut excitaretur pietas et virtus, corrigerentur quae more pravo invaluissent, religionis commodis consuleretur, inter omnes ordines christiana excoleretur caritas, artius denique adstringeretur eius coniunctionis vinculum, qua cum apostolica sede, omnis spiritualis iurisdictionis fonte ac principio, cohaeremus.

His rebus conficiendis, utpote ad aeternam salutem nostram tam gravibus, iisdemque supra mere humanam industriam positis, ut pares esse possemus, vestram flagitavimus opem, hortantes vos ad tollendas cum fervidis precibus in coelum manus, exorandumque patrem luminum, ut praepositis vestris ducem se ac rectorem praeberet, eorumque consiliis adspiraret. Eadem porro tum propriarum virium diffidentia, tum orationis fiducia ducti, actionum

[1] Versio cufata ab editoribus *Collectionis Lacensis*.

we opened our proceedings by a solemn invocation A of the Holy Ghost, imploring of him who promised to be with his church all days, even to the consummation of ages, to be with us and to assist us by his lights and inspirations, and to give us all the wisdom and prudence that are necessary to feed the portion of Christ's flock committed to our care.

Having invoked the blessings of heaven upon us, we commenced and continued our deliberations with the image of our crucified redeemer before us, to teach us that the prelates of the church should know nothing but Christ and him crucified, and that they should be filled and animated with that spirit of charity which induced him to shed his blood on Mount Calvary for the salvation of our immortal souls.

It must have fallen under your observation, dearly beloved brethren, that, when we were assem- B bled before the altar of the living God, we made a solemn profession of our faith and of the obedience and veneration which we owe to the successor of saint Peter, Christ's vicar on earth. We were not called on to devise new schemes of belief, nor were we tossed about by any wind of doctrine. Our faith is that of the holy catholic church, unchanged by the lapse of ages or the vicissitudes of temporal things. As there is but one God and one baptism, so there is but one faith, and that faith, like its divine author, Jesus Christ, is the same yesterday, to-day, and for ever. By our obedience to the holy see, we are connected with the rock upon which Christ built his church, against which the gates of hell shall never prevail, and we enjoy the inestimable benefit of being joined in communion with the countless millions of catholics who are spread over the face of the globe, who all C profess the same doctrines, offer the same sacrifice, receive the same sacraments, obey the same supreme head, and thus constitute that wonderful kingdom of God upon earth, which (according to the prophet) was to consume and to break into pieces all other kingdoms, but which itself was never to have an end.

Having thus assembled in accordance with the spirit of the church, and under the influence and invocation of the Holy Ghost, we confidently trust, that the synod just terminated will be the source of many graces and benedictions to our province. We cannot, however, as yet inform you of the nature of its decisions, as before they shall be published, we shall submit them to the examination and judgment of the apostolic see, to whom the wisdom of the church reserves the right of approving, controlling, or correcting the acts and statutes of pro- D vincial councils. But, anxious to give you a pledge of our zeal for your eternal interests, and of our affection for you, we cannot separate without addressing you a few words of consolation and encouragement, and imparting to you from our inmost hearts, the benediction of the apostle, „grace and peace from God our father, and from the lord Jesus Christ."

We address you with the more confidence, being well aware, dearly beloved, of the feeling of reverence and affection with which you respond to our pastoral care, and knowing that with the instinctive discernment of the sheep mentioned in the gospel, you recognize in the words which we address to

nostrarum initium fecimus solemni invocatione sancti Spiritus, quem precati sumus, ut, qui se cum ecclesia sua fore promisisset *„omnibus diebus usque ad consummationem saeculi"* [1], nobiscum esset, nosque lumine et afflatu suo adiuvaret, easque sapientia et prudentia, quae ad pascendam christiani gregis partem curae nostrae creditam, necessaria esset, instrueret.

Sic propitiato coelesti numine, deliberationes nostras auspicati et executi sumus ante redemptoris e cruce pendentis effigiem, quo nosmetipsos moneremus, praepositos ecclesiae nihil scire debere, *„nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum,"* [2] eoque caritatis spiritu repletos et animatos esse oportere, quo ipse permotus sanguinem suum in calvaria pro animarum nostrarum immortalium salute profudit.

Illud haud dubie animadvertistis, carissimi fratres, nos, cum ante aram Dei viventis congregati essemus, solemni ritu fidem nostram et, quam sancti Petri successori, Christi in terris vicario, debemus, obedientiam et venerationem esse professos. Non enim nostrum erat nova fidei dogmata comminisci, nec circumferebamur *„omni vento doctrinae"* [3]. Fides nostra sanctae catholicae ecclesiae fides est, quam nulla temporis diuturnitas aut humanarum rerum vicissitudo mutavit. Quemadmodum *unus Dominus* et *unum baptisma*, sic *una* est *fides* [4], et haec quidem, sicut divinus eius auctor Iesus Christus, eadem *„heri et hodie et in saecula"* [5]. Nostra erga sanctam sedem obedientia illi petrae coniungimur, super quam Christus ita aedificavit ecclesiam suam, ut portae inferi adversus eam praevalere non possint, et, quod inaestimabile bonum est, cum innumerabili illa multitudine catholicorum communione sociamur, qui, toto terrarum orbe diffusi, easdem doctrinas profitentur, idem sacrificium offerunt, eadem sacramenta participant, eidem supremo capiti parent, atque ita mirabile illud Dei his in terris regnum efficiunt, quod, secundum prophetam, *„comminuet et consumet universa* reliqua *regna, et ipsum stabit in aeternum."* [6]

Quoniam igitur more institutoque ecclesiae, invocato et aspirante sancto Spiritu, convenimus, plane confidimus fore, ut modo absoluta synodus fons quidam sit, ex quo plurima divinitus beneficia et gratiae in hanc provinciam deriventur. Quanquam, in eadem quae sint decreta, nondum vos certiores facere possumus; ea enim, priusquam promulgentur, apostolicae sedis cognitioni ac iudicio subiici a nobis oportet, quippe cui ius conciliorum provincialium acta et decreta examinandi, probandi aut corrigendi sapienti ecclesiae consilio reservatum est. Sed tamen, quoniam vehementer cupimus re ipsa testari, quo studio aeternis rationibus vestris consulamus, quaeque sit nostra erga vos voluntas, facere non possumus, priusquam hinc digredimur, quin pauca ad vos, consolandi et cohortandi causa, scribamus, vobisque illam apostoli benedictionem totis animis impertiamur: *„Gratia vobis et pax a Deo patre, nostro et domino Iesu Christo."* [7]

Atque id quidem, carissimi, eo facimus confidentius, quod nobis compertum est, quanta reverentia et pietate pastorali nostrae curae respondeatis, planeque scimus, vos, insita illa evangelicis ovibus sagacitate, nostris in verbis divini pastoris vocem agnoscere, ab eius vicariis editam, vosque ad aeter-

[1] Matth. XXVIII, 20.
[2] I Cor. II, 2.
[3] Eph. IV, 14.
[4] Eph. IV, 5.
[5] Hebr. XIII, 8.
[6] Dan. II, 44.
[7] Rom. I, 7.

you, the accents of the divine pastor, uttered by his representatives, and directing you to the pastures of eternal life. You thus prove yourselves to be deeply impressed with that important lesson taught by our Lord in his gospel, that those who hear the words of his minister with respect and attention, reap the same merit as if they had rendered that tribute of honour and obedience to himself in person. We need scarcely, therefore, exhort you to continue as you have always done, to listen with respect to your pastor's words, and to seek lessons of wisdom from his lips. Ignorance of religious duties is the occasion of the ruin of innumerable souls. Of how many may it be said with the prophet: „Because they had not wisdom, they perished through their folly."

But it is not enough to be diligent in seeking religious instruction for yourselves, you should also be zealous in procuring for your children that knowledge of Jesus Christ which you so highly appreciate, being careful to imbue their infant minds with the odour of that life-giving name, and to blend its virtues and its sanctity with their entire system of education, domestic and external. Of all the duties that bind you to your fellow-creatures, this is the greatest and most responsible. Appointed by divine providence the guardians of the souls of your little ones, that have been made in the image of the living God, and redeemed by the blood of Jesus Christ, the first and most onerous of all your obligations consists in securing their religious training and instruction at all pains and sacrifices. Your children's destiny is not limited to that narrow space which passes between the cradle and the grave: we are but pilgrims and strangers upon this earth, tending to an everlasting home, for which our brief existence here below is but a preparation. If we live religiously here, we shall be eternally happy with God; whilst, if we do not fulfil our duty in this life towards our creator, we shall be miserable for an entire eternity. Should you not, then, when there is question of the education of your children, keep these maxims continually in your minds, and regulate so important a business with a view not merely to the interests of this world, but also to the concerns of eternity? Should not the sanctification and salvation of their immortal souls be your first and most anxious thought? For what doth it profit a man if he gain the whole world and lose his own soul?

Though these maxims are clear, and freely admitted by all, yet we find it necessary to repeat and inculcate them, because they are at variance with the spirit of the times in which we live, and are often practically forgotten. The tendency of the world and its votaries is to separate education from religion, to impart the knowledge of this earth and earthly things, and to forget the things of heaven; to occupy themselves incessantly with matter and all its qualities and modifications, and to forget the care of the souls that are made in the image and likeness of God; to spend their lives in running after and examining the creature that passeth away, and never to devote a moment to the consideration of the great creator of all things, in whom we live, move, and have our being. What is still worse, under the pretence of education, errors of the most fatal kind are frequently instilled into the tender minds of youth, who are often infected with the worst principles of rationalism,

A nae vitae pascua dirigentem. Ex quo intelligi potest, penitus animis vestris insedisse gravem illam Domini nostri in evangelio doctrinam, qui ipsius ministros reverenter attenteque audiant, eos tantumdem mereri, ac si ipsimet eum honorem idque obsequium praestitissent. Itaque, vix est cur vos hortemur, ut, quemadmodum semper fecistis, ita in posterum reverenter excipiatis pastorum vestrorum voces, et de ore illorum praecepta sapientiae requiratis. Nam religiosorum officiorum ignorantia innumerabiles animae pereunt. Quam multi enim sunt, de quibus dici potest illud prophetae: „*Quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam.*"[1]

Verum, non est satis religionis doctrinam vobis ipsis studiose quaerere, nisi vestris quoque liberis
B illam Iesu Christi cognitionem, quam tanti facitis ipsi, comparandam curetis, detisque diligenter operam, ut tenerae illae mentes vitalis huiusce nominis odore imbuantur, eiusdemque virtutes et sanctitas in totam puerilis disciplinae, tum domesticae tum externae, rationem influant. Omnino enim ex omnibus officiis, quae vos ceteris hominibus obstringunt, nullum hoc maius est aut cuius severior exigenda sit ratio. Cum enim parvulorum vestrorum animabus, ad imaginem Dei vivi creatis et Iesu Christi sanguine redemptis, custodes a divina providentia sitis dati, muneris vestri pars illa prima est eademque gravissima, ut ad eos christianis moribus praeceptisque instituendos nulli neque operae neque rei parcatis. Neque enim angusto hoc spatio, quo a cunabulis decurritur ad tumulum, liberorum vestrorum vita omnis concluditur; peregrini atque hospites in his terris sumus, aeternam
C quaerentes patriam, ad quam unam consequendam disposita est haec mortalis vitae brevitas. Quodsi pie vixerimus in hoc saeculo, perpetuo beati cum Deo erimus; sin vero hic, quod creatori nostro debemus, non solverimus, miserrima nos excipiet aeternitas. Nonne ergo, cum de liberorum vestrorum educatione agitur, haec vos perpetuo meminisse oportet, et in tam gravi tractando negotio, non temporalia solum commoda, sed etiam aeterna bona spectare? Nonne eorum vobis animarum immortalium sanctificatio et salus antiquissima et maxima cura esse debet? „*Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?*"[2]

Atque haec, quamvis manifesta sint et sine ulla dubitatione ab omnibus concedantur, tamen iteranda et inculcanda esse ducimus, quod ab ingenio nostrae aetatis discrepant et reipsa saepe in animis ob-
D literantur. Hoc enim contendunt mundus et mundi asseclae, ut educatio a religione divellatur; ut propagetur cognitio huius terrae rerumque terrestrium, coelestia vero negligantur; ut homines in considerandis corporibus omnibusque eorum proprietatibus et immutationibus sine intermissione occupentur, animarum vero, quae ad imaginem et similitudinem Dei conditae sunt, curam abiiciant; denique ut aetates suas conterant in sectandis scrutandisque rebus creatis, quae transeunt, ac ne minimam quidem temporis partem tribuant contemplando illi rerum omnium conditori, in quo „*vivimus et movemur et sumus*"[3]. Quodque etiam peius est, educationis obtentu, perniciosissimi errores instillari solent tenerae iuventuti, quae saepe rationalismi, scepticismi infidelitatisque pestiferis praeceptis prius

[1] Bar. III, 28. [2] Matth. XVI, 26. [3] Act. XVII, 28.

scepticism, and infidelity, before they are aware A of their danger. Almost in every country, attempts are now made to poison the fountains of knowledge. Defeated on the ground of reason and revelation, the enemies of religion have directed all their efforts to the seduction of unsuspecting youth; so that it would appear that the great question of the present day is education, and that the school is the battle-ground on which the fate of the rising generations is to be decided.

inficitur, quam horum periculum animadvertat. Ubique enim fere terrarum nunc sunt, qui doctrinae fontes veneno inficere conentur. In rationis pariter et revelationis quasi solo devicti, religionis inimici vires suas omnes ad depravandam simplicem aetatulam converterunt; ex quo apparet, omnia hoc tempore in educatione verti, et scholam quasi campum esse, in quo de fortuna surgentis aetatis dimicandum sit.

Under such circumstances, and with all the authority of the pastor's voice, which should never be absent from his flock, and which should be lifted with peculiar energy in time of trial and danger, we exhort you, dearly beloved, to be most vigilant in preserving your children from the snares that are laid for them, and to be most careful in preserving them from the dangers to which their faith might be exposed. We are particulary solicitous B for the children of the poor, for whose perversion most wicked plans have been devised. Their parents should be most cautious to keep them from those proselytizing schools established in great numbers through the country, in which they are provided with food and raiment, on the condition of renouncing the faith of their fathers. This vile system of proselytism which carries on a traffic in the miseries of the poor, and calls on them in the hour of affliction to sacrifice their consciences before relief will be administered, can never be sufficiently execrated. What are its effects? not to spread protestantism, but infidelity—not to promote virtue, but vice—not to propagate truth and religion, but lying and hypocrisy. The few unhappy individuals, for they are few—though large sums have been expended by malicious or deluded men in this unworthy traffic—the few unhappy individuals who have sold C their faith have put off all sense of religion, become hypocrites, and have the shame and degradation of apostacy branded indelibly upon them. From their fruits you will know them. If then you value the faith, the religion, the virtue of your children, preserve them from a system disgraceful in its origin and pernicious in its effects. Of its authors the words of Christ in the gospel may be understood, „woe to you, scribes and pharisees, hypocrites: because you go around about the sea and the land to make one proselyte: and when he is made, you make him the child of hell, twofold worse than yourselves."

Quae cum ita sint, quoniam pastoralis vox nunquam gregi deesse debet, ingruentibus vero procellis et periculis contentius attollenda est, quanta possumus maxima auctoritate vos cohortamur, carissimi, ut liberos vestros ab insidiis, quibus petuntur, diligentissime servetis, videatisque sollicite, ne cui periculo obiiciatur eorum fides. Imprimis vero angimur de pauperum filiis, quibus perdendis nequissima excogitata sunt concilia. Quos parentes diligentissime arcere debent ab illis scholis, quae plurimae toto late regno ad abducendos a patriis sacris pueros institutae sunt; in quibus hi aluntur et vestiuntur ea conditione, ut avitam religionem abiurent. Sordidam istam animorum pervertendorum artem atque rationem, qua miseriae pauperum quaestui habentur, et calamitosi homines sollicitantur ad prodendam prius fidem, quam exhibeatur subsidium, nemo unquam satis exsecretur. Ecquid enim sic tandem efficitur? Non ut protestantismus disseminetur, sed infidelitas; non ut excitetur virtus, sed vitium; non ut fides et religio, sed mendacium et simulatio propagetur. Pauci illi infelices (nam pauci sunt, quamvis magnae pecuniae in turpe huiusmodi negotium ab improbis vel deceptis hominibus effunduntur), pauci igitur illi, qui vendiderunt fidem suam, omnem religionis sensum exuunt, vanissimi simulatores, qui defectionis suae dedecus ac flagitium perpetuo sibi inustum circumferunt. „*Ex fructibus eorum cognoscetis eos.*"[1] Ergo si fidem, si religionem, si virtutem filiorum vestrorum caram habetis, prohibete ab illis machinationem, ut origine illiberalem, ita usu perniciosam; in cuius repertores convenit illud Christi in evangelio: „*Vae vobis, scribae et pharisaei, hypocritae, quia circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum, et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennae duplo quam vos.*"[2]

Whilst calling your attention to the wicked system of proselytism by which our poorer brethren are assailed, we cannot but caution you, dearly beloved, who have been endowed by God with the good things of this world, to avoid the example D of the unhappy parents, who, having made a god of this world, give to their children an education exclusively adapted to the idol-worship to which they have been devoted, making its riches, honours, and pleasures, the sole or primary objects of their aspirations and affections, or only intermingling enough of religion to satisfy decency of exterior forms. Neither should you be seduced from the path of duty by the conduct and representations of those parents who, after having imparted to their children in early life the benefits of religious training, do not scruple to send them at a more advanced age, the most dangerous period of youth, when the passions are strongest, and temptations most numerous and powerful, to finish their studies in institutions professedly hostile to the tenets of

Dum vobis denuntiamus malas artes, quibus pauperum fratrum nostrorum fides petitur, non possumus non commonere vos, carissimi, quicumque a Deo temporalium bonorum copia estis instructi, ne infelices illos imitemini parentes, qui, cum hunc mundum fecerint Deum, liberis suis educationem impertiunt ad illius tantum nefandi dei cultum, cui eos devoverunt, accommodatam, efficiuntque ut opibus, honoribus, oblectamentis vel unice vel maxime inhient studeantque, aut certe tantum religionis adspergunt, quantum sola externi decori ratio postulat. Neque eorum parentum vos exempla aut consilia in fraudem inducant, qui, postquam filiorum suorum teneram aetatem religiose instituendam curarunt, non dubitant eosdem iam puberes et lubricum illud iuventutis spatium ingressos, cum cupiditates maxime fervent et plurimae atque acerrimae sollicitant peccandi illecebrae, absolvendorum causa studiorum in eiusmodi instituta mittere, quae religionis nostrae dogmatis aperte infesta sunt, aut per se iuvenum fidei et moribus

[1] Matth. VII, 20. [2] Matth. XXIII, 15.

their religion, or intrinsically dangerous to their A faith and morals. The sad fruits of infidelity, immorality, and sedition, which such institutions have borne in every country, and must necessarily continue to bear, proclaim more impressively even than the solemn admonitions of the church, the folly as well as the guilt of those who sacrifice the only bright hopes and true happiness of their children, to an expediency as unprincipled in its motives, as it is frequently deceptive in its promises.

The establishment of a catholic university, so long and ardently desired, and so necessary in a country like ours, where there are so many hostile educational establishments richly endowed at the public expense, and where catholic education was so long and strictly prohibited, must deprive such persons of every pretext for the course they have pursued, furnishing, as it will, to our youth an education as liberal and comprehensive, as it will be B thoroughly religious in its spirit and principles, and constituting an era in the history of our national church. An institution so vast in its nature and importance necessarily demanded considerable time to collect the pecuniary funds requisite for the work, and could not be hastily started into existence. Now that the contributions of our own people have been so efficiently seconded by the liberality of the catholics of England and the noble generosity of our brethren beyond the Atlantic, to all of whom we can never be sufficiently grateful, and that the obstacles which for a time obstructed the agency of the venerated and accomplished scholar who fills its presidential chair, have been happily removed, we hope that its doors shall be shortly thrown open, not only to our own students, but to the catholic youth of those countries which have so cordially and generously assisted in pro- C moting its establishment. Apart from the intrinsic merit and local want of such an institution, the repeated and earnest recommendation of the supreme pastor, the slightest intimation of whose wishes, as Christ's anointed vicar upon earth, should be received by us with filial reverence and affection, whose paternal heart throbs with such a profound sympathy for our spiritual wants and interests, and whose loved and honoured name will be for ever cherished by a grateful people, as that of the first amongst their benefactors who consoled and relieved them in the hour of agonising suffering and affliction, should inspire us with an invincible zeal, energy, and perseverance, in the prosecution and promotion of a work, which the wisdom that sits by his throne and assists his councils, and the experience of the entire christian world, combine in urging as of such vast importance to the interests D of religion and literature.

Whilst instructing and exhorting you to provide for the religious education of your children, we need scarcely admonish you of the obligation you are under of exercising the strictest vigilance over the books which are placed in their hands: all books of an irreligious, immoral, and seditious tendency, or calculated in any way to corrupt the heart and mind, are to be carefully avoided. All books to be used in the public schools should be free from every contagion of error, and those which are destined for religious instruction should be approved of by your legitimate pastors. There are two little works which have been sometimes, though rarely, used by catholic children, which we now wish to see banished from their hands. The first is a little treatise on the *Evidences of christianity*, composed by a protestant dignitary, who has lately distin-

periculosa. Quo ex genere institutorum cum ubique incredulitatis, vitiorum et seditionum pestes exstiterint et porro exsistere necesse sit, id unum apertius profecto, quam vel gravissima ecclesiae monita, declarat, quam stulte quamque inique faciant qui filiorum suorum summas spes et unicam felicitatem posthabent, ut nescio quo commodo, tum a ratione alieno, tum saepenumero fallaci, potiantur.

Catholica, quae nunc conditur, universitas, iam pridem tam vehementer exoptata et his in locis maxime necessaria, quippe ubi et tam multae nobis infensae ac publico sumptu affatim instructae reperiantur scholae, et catholica educatio tamdiu severe prohibita fuerit, omnem illis hominibus causam eripiet cursus sui persequendi; quandoquidem haec nostram iuventutem excipiet cum liberali et late patenti, tum consilio et instituto penitus religiosa disciplina, eademque novam patriae ecclesiae velut aetatem auspicabitur. Quod quidem tantum tamque amplum opus non parum temporis sane postulabat ad necessariam pecuniarum vim comparandam, neque eiusmodi erat, ut subitaria opera excitari posset. Nunc cum dona a nostris populis collata tantopere auxerit catholicorum Angliae liberalitas, et fratrum, qui trans oceanum incolunt, generosa beneficentia (quibus omnibus gratias agere pro merito non possumus), et ea, quae aliquandiu obstiterant, quominus venerandus et omni doctrina ornatissimus vir, qui instituto praesidet, suo munere fungeretur, removeri contigerit; brevi speramus fore, ut disciplinarum palaestra aperiatur, non nostris solum popularibus, sed etiam catholicae iuventuti earum regionum, ex quibus ad eam instituendam tam prompte ac largiter subsidia fluxerunt. Cum vero ad ipsam talis instituti praestantiam et in locorum ratione sitam necessitatem accesserit iterata et diligens summi pastoris commendatio, cuius, ut Christi in terris consecrati vicarii, vel levissima voluntatis significatio pie ac reverenter suscipi a nobis debet, quique, ut pater, animarum nostrarum necessitatibus tam acriter commovetur, cuius idcirco carum ac venerabile nomen apud gratum populum memoria coletur sempiterna (sicut illo dignum est, qui eumdem populum unus omnium maximis affecit beneficiis, et extremis malis pressum atque afflictum recreavit et erexit); huius igitur commendatio nobis acerrimum studium, invictam fortitudinem constantiamque iniiciat necesse est ad prosequendum ac promovendum hoc opus, in quo urgendo, utpote ad religionis literarumque progressum utilissimo gravissimoque, conspirant et, quae sancti patris solio assidet consiliisque interest, sapientia et totius christiani orbis auctoritas.

Cum docendo hortandoque vobiscum agimus, ut liberos vestros pie educandos curetis, illud vix est cur admoneamini, incumbere vobis officium acerrime vigilandi, qui eis versandi tradantur libri: totum enim illud librorum genus, quod religionem, honestatem, legitimam auctoritatem impetit, aut quovis modo ad depravandos mores pertinet, studiose vitandum est. Omnes ii libri, quibus utendum est in publicis scholis, integri esse debent ab omni contagione erroris; qui vero in tradenda religionis doctrina adhibentur, legitimis pastoribus vestris probati sint necesse est. Sunt opuscula duo, quibus interdum, etsi raro, usi sunt catholici pueri, quae nunc ab iisdem arceri cupimus. Horum unum est brevis disputatio de *christianae religionis argumentis*, a viro inter protestantes ampla dignitate conspicuo scripta, qui nuper sibi famam peperit,

guished himself by his unprovoked attack on our A conventual institutions, under the hypocritical pretence of protecting personal liberty. We need scarcely state that this treatise, coming from the pen of such an author, is protestant in its principles and tendencies, and that it is not fit for the instruction of catholic children in the important question of the truth of their religion.

The other work is entitled *Scripture lessons*. It contains most difficult passages from the new and old testament, and there are questions proposed at the end of each chapter, which would open the way to the teaching of false doctrines, and which the unlearned and unwary might wrest to their own destruction. This little work appears to have been compiled for the purpose of giving a united religious instruction to catholic and non-catholic children in the same class. We reprobate such a project. Doubtless if the teacher were a catholic, B he would endeavour to give a catholic interpretation to the texts of scripture submitted to him, and catholic answers to the questions proposed: but a protestant or presbyterian would act in the same way, and under them a catholic child would not be safe. Separate religious instruction, as it was laid down by the statesman who first introduced the national system into Ireland, is the only protection for catholics. It is contrary to the spirit and practice of our holy church to sanction united religious instruction, or to sanction any instruction on matters connected with religion given to catholics by persons who themselves reject the teaching of the catholic church. In addition to the catechetical works, scriptural histories and extracts already within your reach, and with which our schools abound, it will be our care to provide scriptural lessons that may be safely placed in the hands of our C children, which will be adapted to their tender minds, and which will contribute to build up their faith, instead of undermining it—to foster their piety, instead of exposing it to perish amidst the doubts, difficulties, and conflicting errors that are sure to spring from unauthorized interpretation.

The injunction we now give you to remove the two little works just mentioned from the hands of your children, will be the more easily carried into effect as the rules of the national board do not at all require the use of them.

There is another matter connected with schools, which is not to be passed over in silence. In the military or regimental schools of this country it has been customary to make catholic and protestant children unite in common prayers, or rather to induce catholic children to join in protestant prayers. We understand that regulations drawn up in a D more liberal spirit under the present ministry give full liberty to all engaged in her majesty's service, and their children, whether in the army or navy, to serve God according to the dictates of their own consciences and the principles of the religion they profess. Catholic soldiers and sailors are strictly bound to avail themselves of these liberal concessions, and never to consent to assist themselves, or to allow their children to assist, at protestant prayers, or to take any part in protestant worship. It is not a narrow spirit of bigotry that animates us in issuing this instruction. We catholics feel it to be our duty to pray for the spiritual and temporal prosperity and happiness of all mankind. We pray for all with all the fervour of our souls; but we cannot join in prayer, we cannot participate in divine worship, with any except those who hold the same faith with us, and offer to God the same pure

dum nostra coenobia, per speciem privatae libertatis tuendae, non provocatus aggreditur. Vix opus esse ducimus ostendere, hunc libellum, a tali manu profectum, consilio et voluntate protestanticum esse, neque ex eo catholicos pueros, id quod tanti momenti est, religionis suae veritatem posse cognoscere.

Alter libellus, *Scripturae lectiones* inscriptus, difficillimos ex novo et vetere testamento locos continet. Singulis capitibus subiectae sunt quaestiunculae, quae falsis doctrinis viam aperire, et a rudibus incautisque hominibus in suam ipsorum perniciem detorqueri possunt. Apparet, hoc opusculum consutum esse eo consilio, ut catholicis et acatholicis pueris religionis doctrina communiter iisdem in scholis traderetur. Huiusmodi nos consilium improbamus. Sine dubio magister, si catholicus esset, studeret propositos scripturae locos in catholicam partem interpretari et ad illa interrogata catholice respondere; sin vero protestans aut presbyterianus, cum itidem facturus esset, nequaquam sub eo tuta foret pueri catholici fides. Separata religionis institutio, qualis ab illo viro, qui primus *nationale* scholarum genus in Hiberniam invexit, est constituta, una ratio est, quae catholicos securos praestare possit. Prohibetur enim sancta ecclesia nostra more et instituto suo, quominus religionem sic coniunctim doceri probet, aut omnino ullam cum religione connexam disciplinam catholicis tradi ab iis, qui catholicae ecclesiae doctrinam ipsi reiiciant. Praeter catechetica autem opera, et historias aliaque e libris sanctis excerpta, quae iam nobis praesto sunt et in scholis nostris abundant, concinnandas curabimus *Scripturae lectiones*, quae puerorum nostrorum manibus tuto teri possint, quaeque, teneris eorum ingeniis accommodatae, fidem non labefactent, sed aedificent, pietatem foveant, non periculo exitioque obiiciant inter dubitationes, difficultates errorumque conflictiones, quas ex non legitime probata interpretatione oriri necesse est.

Ceterum, quod vos nunc iubemus, duo illa opuscula filiis vestris de manibus detrahere, id eo erit facilius, quod scholarum publicarum leges eorum usum minime postulant.

Est et aliud cum hoc argumento connexum, quod silentio praeterire non possumus. Moris enim erat antea in militaribus vel legionariis scholis huius regionis, ut catholici et protestantes pueri ad communes inter se preces congregarentur, vel potius inducerentur catholici, ut protestanticis precibus interessent. Quamquam comperimus, his, qui nunc sunt, ministris humaniores leges iis omnibus, qui vel in terrestri vel in navali exercitu reginae militant, itemque eorum filiis, potestatem facere sic colendi Dei, ut sua cuique conscientia dictat et religionis, quam profitetur, ratio praecipit. Quare catholici milites et classiarii omnino sibi faciendum putent, ne liberaliter concessa utantur venia, neve adducantur unquam, ut acatholicorum precibus aut ipsi intersint, aut filiis interesse permittant, aut omnino se protestanticis sacris ulla ratione adiungant. Neque vero haec exili animo aut stulta quadam religione ducti praecipimus. Officium enim nostrum esse existimamus catholici, omnibus hominibus cum aeternam tum temporalem prosperitatem ac felicitatem a Deo precari. Pro omnibus impense atque intime supplicamus. At neque communiter orare, neque in divino cultu sociari possumus, nisi cum iis, qui eamdem nobiscum fidem

sacrifice which is offered on our altars. Were those A who differ from us in religion to understand our doctrines, and to know how fervently we pray for their welfare, they would not offer violence to the consciences of their servants, nor attempt to compel them to take part in prayers of which they cannot approve, and which are not sanctioned by their church.

Let the answer, then, of the catholic servant, soldier, or sailor, when attempts are made upon the sacred rights of conscience — whenever pressed to join in prayer, or assist at the religious worship of persons out of his communion, ever be: „My religion teaches me to pray *for* you, but not *with* you.“

As the sacraments constitute the necessary and essential means instituted by Jesus Christ for generating and preserving the life of grace; as, from the pouring of the baptismal water on our B head to the unction that fortifies the departing spirit for its last dread combat, the entire economy of our spiritual existence is carried on and sustained by their agency, we cannot sufficiently impress on you the obligations of gratitude you owe to almighty God for these wonderful works of his love, in which his power, wisdom, and goodness are more strikingly displayed to the eye of faith, than in all the glories of the visible creation.

These sacraments may be said to constitute in an especial manner the precious pearls of the gospel, which not only ought not to be cast before swine by being communicated to the unworthy, but which should be treated with the greatest respect and decorum, as the splendid ornaments of the mystical body of Jesus Christ, and set off with every accompaniment that may tend to display to advantage their incomparable lustre and beauty. Such an C accompaniment the church has wisely provided in her beautiful ceremonial, so appropriate, so touching, so significant and expressive in its symbolism and forms, but which can never be seen in all its grace and dignity, nor felt in all its impressiveness, unless when displayed on her own consecrated ground and beneath the hallowed roofs of her temples. It is there, in view of that altar, where the blood of Calvary, which gives to the sacraments all their efficacy and virtue, is daily offered up, surrounded by the solemn emblems of religion, which speak to the soul, and touched by the holy associations of the place, that the heart of the believer becomes duly moved and impressed with the holiness of those august and venerable institutions.

It was owing, as you are well aware, to a painful necessity, the result of a relentless persecution, that we were first compelled to administer these D sacraments in the houses of the faithful; but now that the necessity has passed away, the practices which it generated should be as far as possible discontinued, and the salutary discipline of the olden times restored.

It is true that all the injuries and humiliations which persecution inflicted on her, could not rob our holy religion of that divine beauty which characterises her as the fair and spotless spouse of Jesus Christ; that, when chained in the dust, like the captive daughter of Sion, or driven for refuge to the obscure garret or mountain cave, the light of her countenance not only redeemed and brightened the place of her abode, but caused every heart that approached her to throb with love and adoration. But now that the days of her sojourn in the desert have passed away, that the temples of religion have been thrown open to her, that she

teneant, eamdemque hostiam mundam Deo offerant, quae in nostris altaribus immolatur. Si hi, qui religione a nobis dissident, nostras doctrinas intelligerent, scirentque, quam ex animo fausta omnia ipsis precemur, profecto famulorum suorum conscientiis vim non facerent, nec tentarent eos ad participanda sacra cogere, quae neque ipsi probare possunt neque eorum sanxit ecclesia.

Itaque, catholici seu famuli, seu milites aut classici, si quid attentetur adversus sancta religionis iura, si quando impellantur ad precum cultusve societatem cum iis, qui ab ipsorum communione sint alieni, haec semper esto responsio: „Mea me religio docet orare pro vobis, non vobiscum.“

Cum sacramenta sint prorsus necessaria, a Iesu Christo instituta, generandae et conservandae vitae supernaturalis instrumenta, cumque, ab aqua baptismali capitibus nostris infusa usque ad unctionem, quae migrantem e corpore spiritum ad illud supremum et terribile certamen roborat, tota christianae vitae ratio in eorum virtute versetur atque consistat: non possumus vobis satis inculcare, quantas gratiarum actiones debeatis omnipotenti Deo pro his stupendis eius amoris monumentis, in quibus fides divinam potentiam, sapientiam et bonitatem clarius fulgentes miratur, quam in universa mundi huius aspectabilis magnificentia.

Haec sacramenta verissime appellaris pretiosas illas evangelicas margaritas, quae non modo non sunt proiiciendae ante porcos, id est, indignis porrigendae, sed etiam summa reverentia modestiaque, tamquam splendida mystici Christi corporis ornamenta, tractari debent, omnique cultu atque apparatu distingui, quo incomparabilis earum decor et pulchritudo insignius exsplendescat. Huic autem rei sapienter providit ecclesia pulcherrimis illis suis, tam aptis, tam moventibus, symbolica conformatione tam significantibus expressisque ritibus; quamquam horum nec gratia omnis et dignitas videri, nec movendi vis omnis sentiri potest, nisi cum in consecrato et proprio ecclesiae loco sanctisque templorum spatiis explicantur. Nam ibi demum, ante illud altare, in quo fusus olim in Calvaria sanguis, ex quo sacramenta omnem vim suam et efficientiam hauriunt, quotidie offertur; inter solemnia et eloquentissima religionis symbola, consonantibus cunctis loco sancto insitis quasi vocibus; ibi, inquimus, credentium animi augustorum et venerabilium illorum institutorum sanctitate afficiuntur penitus et commoventur.

Cogebat nos antea, ut scitis, dura necessitas et non intermissa persecutio sacramenta in fidelium domibus ministrare; nunc, quoniam hac necessitate soluti sumus, sequitur, ut mos, qui inde exstitit, quoad fieri potest, intermittatur, et salutaris priorum temporum disciplina revocetur.

Sancta quidem religio nostra, quamvis multis iniuriis contumeliisque afficeretur, tamen divina illa pulchritudine, qua, ut speciosa et immaculata Iesu Christi sponsa, insignitur, spoliari non potuit; et cum vincta in pulvere iaceret, sicut captiva filia Sion, aut cogeretur in obscuris latebris montiumque antris perfugium quaerere, claritate vultus sui non modo locum, in quo moraretur, honestabat illustrabatque, sed etiam omnium animos, qui propius accederent, amore ac veneratione ad se rapiebat. Nunc vero, cum iam in desertis commorari desiit, cum rursus ei templa patuerunt, ornatumque nuptialem et solium suum in loco sancto recepit; an

has resumed her bridal ornaments and her throne in the sanctuary, is it not just and meet that we should honour her by every mark of respect and homage in our power, and make her this joyful and affectionate reparation for the injuries and humiliations of the past?

It was with this view that all the bishops of Ireland, assembled in the national synod of Thurles, determined to restore the ancient discipline of the church, and decreed that the sacraments of baptism, penance, and matrimony should henceforward, as much as possible, be administered with all proper solemnity and according to the Roman ritual in our churches. We congratulate you on the happy change which has already been effected on this important point, and on the approach which has been made to the reestablishment of a discipline similar to that of other catholic countries. In order that the change may be more complete, we exhort you most earnestly to unite with your pastors in ornamenting and rendering your churches fit and proper places for the administration of the public rites of our religion. Will any exertions appear too great to effect all this, when we reflect that the same sacrifice which was offered on Calvary is renewed in our churches, and that Jesus Christ condescends to dwell day and night upon our altars?

But while attending to the external decorum of the house of God, we are to be still more zealous in preparing the living tabernacles — our souls, for a worthy participation of the sacraments, lest by receiving them unworthily, these sources of grace should redound to our perdition, and what was instituted to give us life and vigour should be the occasion of misery and death. There is one sacrament which has been sometimes approached without becoming dispositions, and by the profanation of which, great evils are inflicted upon individuals, their families, and society in general. We refer to the sacrament of matrimony, called by saint Paul a great mystery in Christ and his church, and which our divine redeemer sanctified by his presence at the marriage of Cana in Galilee. Those who are about to receive this holy rite, should not be guided by mere natural inclinations or worldly motives, but should make diligent preparation for the step they are about to take, praying with fervour, and approaching the holy sacraments of penance and the eucharist. We need scarcely add that those who do not belong to the church, who have not true faith, without which it is impossible to please God, and who do not believe that matrimony is a sacrament, cannot have the dispositions requisite to receive it worthily in the catholic church; and hence the church has wisely prohibited her children from entering into matrimonial contracts with those of a different religion. Such mixed marriages are oftentimes the occasion of grievous dissensions, and cause those who are engaged in them to lead a most unhappy life. The children of such marriages can scarcely receive a proper religious education, and it too often happens that they grow up in a state of fatal indifference to every religion, or are educated in error; so that in this way the greatest and most fatal evils are propagated. For these and other reasons many councils of the church and Roman pontiffs have strictly prohibited the contracting of mixed marriages without an apostolical dispensation, and have declared them to be

A non iustum dignumque est, ut eam omni, qua possumus, reverentiae et pietatis testificatione colamus, atque hac laetissima et amoris plena gratulatione praeteritas eius iniurias et opprobria pensemus?

Atque hoc intuentes cuncti Hiberniae episcopi, cum ad nationalem synodum Thurlesiam convenissent, instaurare statuerunt veterem ecclesiae disciplinam, decreveruntque ut sacramenta baptismi, poenitentiae et matrimonii in posterum, quoad liceret, solemni more et ex rituali Romano in templis nostris administrarentur. Congratulamur vobis, adeo faustam in re gravissima commutationem iam esse factam, paratumque aditum ad restituendam similem ceteris catholicis regionibus disciplinam. Quod quo plenius efficiatur, vos vehementer hortamur, ut, coniuncta cum vestris sacerdotibus opera, sic exornetis B vestra templa, ut in iis publici religionis nostrae ritus digne ac decore peragi possint. Num potest quidquam huius rei causa nimis grave aut arduum videri, si cogitamus, idem sacrificium, quod in Calvaria oblatum est, in templis nostris renovari, et Iesum Christum non gravari dies noctesque in sanctis altaribus habitare?

Sed externum decorem domus Dei sic curare debemus, ut studiosius etiam praeparemus viva tabernacula, id est, animas nostras, ad sacramenta digne suscipienda; ne, si indigne accipiantur, ex his gratiae fontibus pernicies in nos redundet, et, quod ad vitam nobis dandam viresque alendas institutum est, ruinae et mortis fiat occasio. Unum est sacramentum, quod sine idonea praeparatione C suscipi nonnunquam accidit, quodque indigne susceptum cum singulis hominibus eorumque familiis, tum ipsi societati gravium malorum causa esse consuevit: matrimonium dicimus, quod *„magnum sacramentum in Christo et in ecclesia“* [1] appellat sanctus Paulus, et divinus redemptor noster in Cana Galileae sua praesentia dedicavit. Itaque, qui sancto hoc ritu sunt initiandi, non mere naturali cupiditate aut humanis motibus impelli debent, sed ad illud vitae institutum capessendum diligenter parari, instando precibus et suscipiendis poenitentiae atque eucharistiae sacramentis. Illud vix necesse est dicere, eos, qui extra ecclesiam versentur et alieni sint a vera fide, sine qua *„impossibile est placere Deo“* [2], neque credant matrimonium esse sacramentum, non posse ita esse animo comparatos, ut idem in ecclesia catholica digne suscipiant; et idcirco prudenter ecclesia interdixit suis, ne cum hominibus D disparis cultus matrimonia contraherent. Solent enim saepe mixta haec matrimonia gravium dissensionum esse occasio, et ipsis coniugibus vitam infelicissimam reddere. Ut vero ex iisdem orti liberi vere religiosam educationem nanciscantur, exspectari vix potest; ac fit nimium saepe, ut vel in miserrima omnium religionum incuria adolescant, vel haereticis imbuantur doctrinis; ex quo maxima et exitiosa mala propagari necesse est. His igitur aliisque de causis, vetuerunt complures tum ecclesiae synodi tum Romani pontifices, mixta matrimonia sine apostolica dispensatione iniri, eademque illicita et legi contraria esse declararunt. Postulabat officii nostri ratio, ut vos doceremus, quae esset ecclesiae catholicae disciplina; cuius salutaribus decretis mementote vos obedire oportere, quan-

[1] Eph. V, 32.
[2] Hebr. XI, 6.

sinful and illegal. In the discharge of our pastoral duty we make known to you the discipline of the catholic church, reminding you of the obligation you are under of being guided by her salutary decrees; for, as Christ says, if any one hear not the church, let him be to thee as a heathen and a publican.

It is with regret we feel ourselves, before we conclude this letter, compelled to allude to a subject of the most painful interest at the present moment to the friends of religion and charity — the penal legislation with which our nunneries are threatened. Our regret, however, is diminished by perceiving that all that is liberal and generous in the country, and the distinguished statesmen who have the destinies of the empire at present in their hands, are decidedly opposed to this projected invasion of the rights of individuals, and to the attempt about to be made to prevent the faithful followers of Christ from walking in his footsteps and making profession of the counsels of the gospel. But yet it is not to be concealed that the unrelenting bigotry which the blood and spoliation of centuries have been unable to satiate, rages against the fold of Christ with an undying hostility, which demands the utmost vigilance, union, and determination on our part to encounter and repel. Springing up amongst us, in the midst of ruin and desolation, combining all that is exalted with all that is beautiful in our holy religion — „like the palm-tree in Cades,“ and „the rose-plant in Jericho“, and sheltering beneath its beneficent shadow the children of misery, ignorance, and want — our conventual system, which would have extorted the homage and admiration of the coldest heart and most irreligious spirit, has served but to excite the wrath and hatred of an insane fanaticism, which seeks to destroy it with its poisonous breath, or to eradicate it from the soil which it blesses and adorns.

The proudest and most prosperous people might well boast of possessing so noble and beneficent an institution, but it has been the glory and consolation of our poor country, intertwined with all her afflictions and identified with all that is pure and generous in her moral tendencies and aspirations. Doubly dear to her, as the child of her sorrow and abjection, deriving from her alone all its nourishment and support, „eating of her bread and drinking of her cup and sleeping in her bosom,“ like the lamb described by Nathan in his parable to David, it has been to her as a daughter. If, then, any proof were necessary to demonstrate the undying malice of the persecuting spirit by which we are assailed, or to urge the necessity of the utmost union and cooperation amongst catholics for the protection and defence of their religious interests, it would be found in the sacrilegious effort to profane such an institution, or to tear it from the embrace of that country whose afflictions it has soothed and whose weakness it has sustained. When an institution so dear to you is thus threatened, we exhort you to use all legitimate means of petition and remonstrance which the constitution places at your disposal, to protect it, and to make every exertion to arrest the impending persecution. Should, however, God in his wonderful ways permit fanaticism and bigotry, to have a momentary triumph over virtue and religion, it will be our duty to bear this affliction with patience and resignation, and

A doquidem Christus dicit: Qui „*ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*“ [1].

Non sine magno dolore, priusquam scribendi finem facimus, unum attingere cogimur, quod hoc tempore religionis et caritatis amicos vehementer angit; nam periculum est, ne adversus sacra virginum coenobia leges ac poenae constituantur. Quanquam illud minuit nostrum dolorem, quod intelligimus, quidquid est apud nos generosorum hominum et libertatis amantium, virosque egregios, in quorum manibus nunc est imperii fortuna, prorsus dissentire ab istorum incepto, qui privata cuiusque iura invadere cupiunt, et fideles Christi secta- B tores a sequendis eius vestigiis et evangelicis consiliis profitendis impedire conantur. Sed tamen non est dissimulandum, implacabilem superstitionem, quae caede ac spoliatione a pluribus iam saeculis satiari non potuit, immortali odio furere in gregem Christi; quod coerceri et retundi a nobis sine summa vigilantia, coniunctione atque constantia non potest. Nam hoc piorum domiciliorum tanquam plantarium, quod inter nos in media vastitate ac solitudine effloruit, et, quidquid est in sanctissima religione nostra excelsum pulchrumque, complectitur, „*quasi palma in cades et plantatio rosae in Iericho,*“ [2] totumque genus miserorum, rudium et egenorum salutari umbra protegit; hoc igitur institutum, quod vel frigidissima et inanissima pietatis pectora ad venerationem et admirationem sui compulisset, nihil aliud apud insanos istos nisi bilem atque odium commovit; quorum fanaticus furor idem aut pesti- C fero halitu exstinguere aut e solo, quod locupletat et exornat, penitus exstirpare contendit.

Hoc tam excellenti et tam salutari instituto vel opulentissimus et florentissimus populus merito gloriari potuisset; nunc autem pauperis nostri populi ea fuit gloria, id solatium; qui et res suas adversas omnes cum eo sociavit, et, si quid habet in suis moribus studiisque puri ac generosi, id totum cum eodem implicitum habet et cohaerens. Haec illi duplici nomine cara possessio; haec eius doloris et afflictae fortunae quasi alumna, quam unus ipse aluit ac fovit, *de pane* suo *comedentem, et de calice* suo *bibentem, et in sinu* suo *dormientem* [3], quemadmodum oviculam illam Nathan propheta describit in sua ad Davidem parabola; ut ipsi *esset sicut filia.* Quare, si aliquo argumento opus foret, sive ad D declarandam pertinacissimam illam malitiam, quae nos insectari non desinit, sive ad inculcandum catholicis, quanta necesse sit consensione ac virium coniunctione religionis iura tueri atque defendere; profecto satis argumenti esset sacrilega horum audacia, qui tale institutum violare, et tanquam ab eius populi complexu, cuius mala lenivit et infirmitatem sustinuit, avellere nituntur. Cum igitur bonum vobis tam carum tanto discrimini obiiciatur, hortamur vos, ut, omni, qua per leges fas est, petendi intercedendique ratione ad illud conservandum utamini, viresque omnes in id intendatis, ut imminens iniuria ab eo propulsetur. Quodsi nihilominus Deus, ut sunt mirabiles eius viae, reliquerit fanaticae superstitioni brevem de virtute et religione triumphum, nostrum erit hanc calamitatem

[1] Matth. XVIII, 17. [2] Eccl. XXIV, 18.
[3] II Reg. XII, 3.

never to allow ourselves to be betrayed into an open and violent resistance to authority. Persecution has been oftentimes our lot: its vestiges are indelibly engraved on the surface of our country; but no provocation, no trials could eradicate the spirit of submission, obedience, and loyalty with which our forefathers were animated. Let the past be the guide for the future, and whether in good or ill fame, whether protected or persecuted, let us be always good and faithful subjects of the realm. Acting in this way, we shall prove that we are guided by the spirit of the apostle thus writing in his epistle to the Romans: — „Let every soul be subject to the higher powers, for there is no power but from God, and those that are, are ordained of God: therefore, he that resisteth the power, resisteth the ordinance of God, and they that resist purchase to themselves damnation. . . . . Wherefore be subject of necessity, not only for wrath, but also for conscience sake." And of saint Peter: „Be ye subject, therefore, to every human creature, for God's sake, whether it be to the king as excelling, or to governors as sent by him for the punishment of evildoers and for the praise of the good."

The conduct of the early christians shows how fully they penetrated the signification of those inspired lessons. When commanded by imperial edicts to renounce the name of Christ, or to offer incense to idols, they constantly refused to do so, crying out that it was their duty to obey God rather than man: but, at the same time, they offered no resistance to their rulers, they obeyed them in everything lawful, and were incessant in praying for their welfare. Tertullian, in his apology, thus explains the conduct of his brethren[1]: „The religion which you persecute prohibits us from using any other arms than patience and prayer. We are determined to attempt nothing against the emperor. Those whose manners are directed by God, should not only spare their sovereign, but mankind: and what is not permitted against any other, is less allowable against our rulers. You calumniate us before the emperor as guilty of treason [in the same way as catholics are still calumniated]: we defy you to name the christian concerned in the plots and conspiracies of Niger, of Albinus, or of Cassius." Apol. 37. In another place in the same work he says: „We all pray for all the emperors, we ask for them a long life, safety for the empire, security for their families, brave armies, a faithful senate, an upright people, peace for the world, and whatsoever they can wish for as men and rulers." Ib. 30. We cannot stray from the path of duty if we walk in the footsteps of our forefathers in the faith. Like them, therefore, let us be submissive, patient, and obedient subjects; let us hate and reject everything seditious; let us give due respect to all who are placed over us, and pray for them, that God may give them wisdom and strength to know and to do what is pleasing in his sight.

We have recommended you to avail yourselves in the time of affliction and menaced persecution of the legitimate means of obtaining redress, which the constitution puts at your disposal; but you are not to forget the spiritual arms with which God has provided you, and which are always most efficacious for our protection, in the warfare in which we are engaged. In all your trials, dearly beloved, have recourse to earnest and fervent prayer. Let your supplications ascend continually to the throne

[1] Haec partim e sensu potius quam e verbis Tertulliani expressa sunt, partim ex aliis locis (c. 35 et c. 36) desumpta.

A patienter ac pie ferre, neque ullis unquam fallaciis eo nos abripi sinere, ut palam et violenter potestati resistamus. Iam saepe vexationibus fuimus obnoxii, quarum haec terra retinet impressa nec unquam delenda vestigia; nec tamen ulla provocatio vel iniuria evellere potuit illam patribus nostris penitus insitam modestiam, obedientiam, fidem. Sint nobis praeterita exemplum futurorum; et sive bene audimus, sive male, sive tuti vivimus, sive vexamur, praestemus regno, ut boni cives, inviolatam fidem. Hac ratione ostendemus, nos regi spiritu apostoli, ad Romanos scribentis in haec verba: „*Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt . . . Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter*
B *conscientiam.*"[1] Itemque sancti Petri dicentis: „*Subiecti igitur estote omni humanae creaturae propter Deum, sive regi quasi praecellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefatorum, laudem vero bonorum.*"[2]

Haec divino afflatu edita praecepta primi christiani quam penitus intellexerint, ipsorum vita declarat. Qui cum imperatorum edictis iuberentur abiurare Christi nomen aut idolis thus adolere, id se facturos constanter negabant, palam testantes, Deo magis quam hominibus obediendum esse: iidem tamen dominis suis minime repugnabant, sed, quacumque in re licebat, obsequebantur, et pro illorum salute sine intermissione orabant. Tertullianus in *Apologetico* mores fratrum suorum ita describit: Disciplina, quam insectamini, vetamur aliis uti armis nisi patientia et oratione. Nobis decretum est nihil
C moliri adversus caesarem. Qui a Deo sunt instituti, ab his *civilitas tam vere in ipsum imperatorem quam circa omnes necesse habet exhiberi. Quodcumque non licet in imperatorem, id nec in quemquam. Quod in neminem licet, eo magis nec in ipsum.* Proditionis a vobis apud imperatorem accusamur (plane sicut nunc catholici). *Unde Cassii et Nigri et Albini? . . . De non christianis.* — Alio eiusdem libri loco: „*Oramus,*" inquit, „*pro omnibus imperatoribus vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, et quaecumque hominis et caesaris vota sunt.*"[3] Nos igitur, si nostrorum in fide maiorum vestigia persequimur, a recto itinere aberrare non possumus. Simus, illorum exemplo, modesti, patientes, obedientes cives; quidquid seditiosum est, aversemur et respuamus; omnes, qui nobis praesunt, debito honore colamus, et illis
D precemur a Deo sapientiam et fortitudinem, ut, quae ipsi placent, cognoscere et exsequi valeant.

Paulo ante vos monuimus, ut, turbidis temporibus et ingruente persecutione, concessis et a lege oblatis praesidiis uteremini ad propulsandas iniurias. Nec vero spiritualia illa arma negligere debetis, quibus estis a Deo instructi; quae in hoc bello, quo implicati sumus, semper validissimum praesidium afferunt. Quidquid vobis acciderit adversi, carissimi fratres, ad diligentes et fervidas preces confugite. Orationes vestrae continenter ascendant ad thronum misericordiae; petitiones *cordis contriti*

[1] Rom. XIII, 1-5. [2] I Petr. II, 13, 14.
[3] Cap. 35 et 30, [edit. Lugdunensi, 1823, p. 190 et 176].

of mercy, and the aspirations of an humble and contrite heart will not be rejected. We should expose all our spiritual and temporal wants to our bountiful father, who will not fail to listen to the cries of his children. By prayer we are raised above all the transitory things of this earth and united to God; by prayer we participate of his omnipotence, for our divine redeemer says: „Ask, and you shall receive; seek, and you shall find; knock, and it shall be opened to you.“ Confounded at the sight of our own unworthiness, let us put our petitions under the protection of the most merciful and powerful mother of God, who is the special patroness of this country. She will intercede for us, she will act as mediatrix with her divine Son, and obtain from him for us all the graces and blessings of which we are so much in need. The glorious apostle of our country, saint Patrick, our great and distinguished patron, saint Laurence, the holy saint Malachy, and the other saints of Ireland; whom we should invoke with special confidence and fervour, will also assist us by their intercession, watch over us, and relieve us in our afflictions.

Our prayers and supplications will be more efficacious, and produce more happy results, if accompanied with works of mercy and charity. We are assured that God looks upon the merciful and compassionate with singular favour and complacency, and the efficacy of alms is spoken of in the highest terms in scripture, whilst the severest denunciations are uttered against the unmerciful and the ruthless persecutors of the poor.

„Alms,“ says the holy Tobias, „deliver from sin and from death, and will not suffer the soul to go into darkness. Alms shall be a great confidence before the most high God to all them that give them.“ Saint John adds: „He that hath the substance of this world, and shall see his brother, in need, and shall shut up his bowels from him, how doth the charity of God abide in him? My little children, let us not love in word or in tongue, but in deed and in truth.“

Never was there a time in which the spirit of charity was more necessary than at present; our country is still suffering from the effects of years of famine and pestilence: misery, affliction, and want are to be seen on every side. Should we not, therefore, endeavour to relieve our suffering brethren, and to console the afflicted members of Jesus Christ? should we not aspire to the rewards promised to the merciful and charitable? above all, should we not show by our works, that we are true disciples of Christ, who says in the gospel: „In this shall men know that you are my disciples — if you have love one for another?“ Our charity can display itself in a thousand different ways: visiting the sick, consoling the afflicted, instructing ignorance, relieving want, removing temptations, banishing sin and vice, giving good example. The rich can manifest their charitable dispositions by giving employment to the poor, and promoting habits of activity among them, and by assisting and cherishing the industrial schools which have been established in many places in the country, in which so many young persons are preserved from the evils of idleness, are taught to earn a decent livelihood by their own exertions, and are trained up and instructed in habits of virtue.

We may add, that there cannot be a safer or more useful way of distributing your charities, than by confiding them to the various societies of saint Vincent of Paul, whether consisting of gen-

*et humiliati* repulsam non ferent. Omnes nostras cum corporis tum animae necessitates ponamus ob oculos benignissimi patris: a quo non est timendum ne filiorum suorum voces minus audiantur. Oratione supra terrena haec omnia tollimur et cum Deo coniungimur: oratione participes efficimur divinae omnipotentiae, cum redemptor noster dicat: „*Petite, et dabitur vobis; quaerite, et invenietis; pulsate, [et] aperietur vobis.*“[1] Indignitatis autem propriae conscientia gravati, preces notras collocemus sub praesidio clementissimae et potentissimae Dei matris, in cuius singulari tutela est haec regio. Ipsa pro nobis intercedet, ipsa, ut mediatrix, aget cum filio, et omnia nobis ab illo dona et beneficia, quibus tantopere egemus, impetrabit. Gloriosus patriae nostrae apostolus Patritius, magnus et nobilis patronus noster Laurentius, sanctus Malachias, ceterique Hiberniae sancti, quos praecipua fiducia et pietate invocare debemus, suo item interventu nos adiuvabunt, nobis prospicient, et calamitatibus pressos recreabunt.

Sed preces ac supplicationes nostrae maiorem vim habebunt et uberiores ferent fructus, si eas comitentur misericordiae et caritatis opera. Scimus enim misericordes et pios singulari cum favore et indulgentia a Deo respici; et sanctae literae salutarem vim eleemosynae magnopere extollunt; eaedemque rursus duris et inhumanis pauperum vexatoribus tristissima quaeque denuntiant.

„*Eleemosyna,*“ inquit sanctus Tobias, „*ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.*“[2] Sanctus vero Ioannes: „*Qui habuerit,*“ inquit, „*substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate.*“[3]

Caritas nunquam magis necessaria fuit, quam hoc tempore. Haerent etiamnum in patria nostra annorum sterilium et pestilentium vestigia; miseriam, luctum, egestatem ubique videre possis. Nonne igitur danda est opera, ut calamitosos fratres sublevemus, et afflicta Iesu Christi membra consolemur? Nonne aspirare debemus ad promissa misericordiae et caritati praemia? Quodque maximum est, an non factis declarandum est, nos germanos esse Christi discipulos, cuius illa vox est in evangelio: „*In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem?*“[4] Innumerabiles sunt viae, qua nostra se caritas explicare possit; aegroti visitandi, maerentes consolandi, instituendi rudes, sublevandi egeni, amovendae malorum illecebrae, exstirpanda peccata et vitia, boni exempli vis exercenda. Divites ita caritatem suam expromere possunt, si pauperum operam adhibeant, eosque in laboris et industriae consuetudinem adducant; itemque si artificiorum scholas multis in locis apud nos institutas iuvent ac foveant, in quibus tot adolescentuli a desidiae malis arcentur, vitamque proprio labore honeste sustentare discunt, et ad colendas virtutes doctrina usuque formantur.

Illud addere possumus, nulla ratione tutius atque utilius eleemosynas collocari a vobis posse, quam si tradantur variis coetibus Vincentianis, quorum alii ex viris, alii ex matronis constant; vel eximiis

[1] Matth. VII, 7.
[2] Tob. IV, 11. 12.
[3] I Ioan. III, 17. 18.
[4] Ioan. XIII, 35.

tlemen or ladies, to the admirable religious institutions of charity and of mercy which distinguish our country, and to the excellent confraternities which abound among us; all which institutions we recommend most warmly and earnestly, as most useful and valuable, to all our beloved children in this province.

It only remains for us now, dearly beloved, to exhort you in the words of the apostle, to pursue justice, godliness, faith, charity, patience, mildness; to fight the good fight of faith: to lay hold on eternal life, whereunto you are called: to do good; to be rich in good works; to communicate to others; to lay up in store for yourselves a good foundation against the time to come: and may the God of peace, who brought again from the dead the great pastor of the sheep — our Lord Jesus Christ — in the blood of the everlasting testament, fit you in all goodness, that you may do his will, doing in you that which is well pleasing in his sight, through Jesus Christ; to whom is glory for ever and ever. Amen.

Given at Dublin on the feast of saint Norbert, in the year of our Lord 1853.

A caritatis et misericordiae institutis, quibus insignitur nostra patria; vel optimis illis sodalitiis, quorum magna est apud nos multitudo: quae nos instituta omnia, ut apprime utilia et laude digna, universis filiis nostris in hac provincia etiam atque etiam commendamus.

Unum iam restat, carissimi, ut vos apostoli verbis cohortemur: „*Sectamini iustitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, mansuetudinem. Certate bonum certamen fidei; apprehendite vitam aeternam, in qua vocati estis. Bene agite, divites estote in bonis operibus, aliis communicate; thesaurizate* vobis *fundamentum bonum in futurum.*“ [1] Et „*Deus pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti aeterni, dominum nostrum Iesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciatis eius voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram se*
B *per Iesum Christum, cui est gloria in saecula saeculorum* [2]. *Amen*“.

Datum Dublini, die festo sancti Norberti, anno Domini nostri 1853.

[1] I Tim. VI. 11. 12. 18. 19. [2] Hebr. XIII. 20. 21.

## SYNODUS DIOECESANA BALTIMORENSIS

1853 iunio.

Synodus dioecesana Baltimorensis in America septentrionali, celebrata mense iunio 1853, sub Francisco-Patricio Kenrick, archiepiscopo Baltimorensi.

Exstant constitutiones synodales in opere cui titulus:

Synodus dioecesana Baltimorensis, habita mense iunio 1853. Baltimore, Joannes Murphy, 1853.

In-12, 18 p. — Washington, catholic university. — Ipse non vidi.

P. 2-7, acta. P. 8-18, constitutiones.

## SYNODUS DIOECESANA VAPINCENSIS

1853 iulii 6-10.

Synodus dioecesana Vapincensis in Gallia, celebrata a die 6 ad diem 10 iulii 1853, sub Ioanne-Irenaeo Depéry, episcopo Vapincensi.

De hac synodo confer opera quibus tituli:

1) Constitutions et instructions synodales du diocèse de Gap, publiées dans le synode célébré les 6, 7, 8, 9 et 10 juillet 1853, par Mgr Jean-Irénée Depéry, évêque de Gap, chevalier de l'ordre impérial de la légion d'honneur, de celui de l'Eperon d'or et commandeur de celui des ss. Maurice et Lazare. *[Insigne.]* Gap, Delaplace p. et f., imprimeurs-libraires de l'évêché, rue de Provence, 1854.

In-8°, XXVII-730 p. — Gap, évêché; Gap, séminaire.

P. 623-717, „Histoire du synode diocésain de Gap, célébré au mois de juillet 1853, par Mgr Jean-Irénée Depéry, précédé d'un précis historique des anciens synodes de Gap et d'Embrun, par les notaires du synode.“

2) Extrait des constitutions synodales du diocèse de Gap, à l'usage des prêtres dans l'administration
C des paroisses, par Mgr Jean-Irénée Depéry, évêque de Gap. *[Insigne.]* Gap, Delaplace, imprimeur de l'évêché, 1853. *[In fronte:* 1854.]

In-12, 228 p. — Paris, Bibl. nat. B 21271. Haec editio manualis continet decreta quaedam extracta ab editione praecedenti.

3) Histoire du synode diocésain de Gap, célébré au mois de juillet 1853, par Mgr Jean-Irénée Depéry, précédé d'un précis historique des anciens synodes de Gap et Embrun, par les notaires du synode [les abbés J.-C. Blanchard et F. Jame]. Gap, impr. de Delaplace, 1854.

In-12, 93 p. — Paris, Bibl. nat. B 9717.

4) Synode diocésain célébré dans la cathédrale de Gap, le 17 septembre 1857, par Mgr Jean-Irénée Depéry, évêque de Gap. Gap, Delaplace père et fils, imprimeurs-libraires de l'évêché, rue du Pro-
D vence, 1857.

In-8°, 43 p. — Avignon, séminaire.

Pag. 20, mentio synodi dioecesanae celebratae anno 1853, sub eodem episcopo.

# CONCILIUM PROVINCIAE BURDIGALENSIS, CELEBRATUM RUPELLAE

### 1853 iulii 24-augusti 2.

Concilium provinciae Burdigalensis, celebratum Rupellae in Gallia, a die 24 iulii ad diem 2 augusti 1853, praeside Ferdinando-Francisco-Augusto Donnet, archiepiscopo Burdigalensi.

**Bibliographia:**

1) Concile provincial de La Rochelle, discours prononcé dans la cathédrale de la Rochelle, par monseigneur l'évêque de Périgueux, le jeudi 28

Juillet 1853, deuxième session solennelle du concile. *[In fine:]* Frédéric Boutet, imp. de Mgr l'évêque.

Sine anno [1853], in 8°, 14 p. — Paris, Bibl. nat. B 11 392.

Oratio dicta est a Ioanne-Baptista-Amadeo-Georgio Massonais, episcopo Petrocorensi.

2) Historique du concile provincial tenu à la Rochelle, sous la présidence de son éminence le cardinal Donnet, archevêque de Bordeaux. La Rochelle, Frédéric Boutet, imprimeur de Mgr l'évêque et du clergé, 1853.

In-8°, 86 p. — Paris, Bibl. nat. B 18800.

3) Decreta concilii provinciae Burdigalensis, Rupellae celebrati, anno Domini MDCCCLIII, a sancta sede recognita. Rupellae, typis Ioannis Deslandes, typographi d. d. episcopi et cleri, 1855.

In-8°, 142 p. — Autun, séminaire; Chambéry, séminaire; Lyon, abbé Martin; Lyon, séminaire; Paris, Saint-Sulpice; Sens, séminaire.

Hoc concilium celebratum est, tribus sessionibus, diebus 24 et 28 iulii, et 2 augusti 1853.

4) Mémoire justificatif présenté à l'éminentissime président et aux révérendissimes membres du concile provincial de La Rochelle de 1853; par M. le Mis de Régnon, membre de l'Académie de la religion catholique à Rome. Nantes, imprimerie Charpentier, rue de la Fosse, 32, 1855.

In-8°, 40 p. — Besançon, archevêché. Hoc opus tractat de condemnatione pronuntiata a concilio in libellum huius auctoris, cui titulus: *L'Unité catholique*.

5) Acta et decreta sacrorum conciliorum recentiorum, collectio Lacensis, auctoribus presbyteris s. J., e domo b. v. M. sine labe conceptae ad Lacum. Tomus quartus . . . Friburgi Brisgoviae, sumtibus Herder, MDCCCLXXIII, col. 641-84.

## PROMULGATIO CONCILII RUPELLENSIS.

*Ferdinandus-Franciscus-Augustus, tituli Sanctae Mariae in Via, sanctae Romanae ecclesiae presbyter cardinalis Donnet, Dei et apostolicae sedis gratia archiepiscopus Burdigalensis, Aquitaniae primas; clero et populo provinciae nostrae Burdigalensis, salutem et benedictionem in domino nostro Iesu Christo.*

Non ignoratis, venerabiles fratres, fidelesque in Christo dilectissimi, in Galliis hucusque, solis provinciis Remensi ac Burdigalensi, expleto vix triennio a synodorum fausta restauratione, contigisse sortem alterius concilii provincialis cogendi ad normam praescriptumque sacrosanctae Tridentinae synodi. Multo citius profecto Roma rediissent acta et decreta nostra, nisi moram induxisset infirmitas quae, Deo sic volente, supervenit venerabili collegae et suffraganeo nostro qui ea delaturus ac relaturus erat. Haec tandem transmissa et revisa in urbe unde lux veritatis semper dimanat, ad vos mittimus, in vestra pietate confidentes pro fideli observantia omnium quae, Domino cooperante, decrevimus.

Vos, igitur, omnes, cuiuscumque dignitatis et conditionis, quos Spiritus sanctus curae nostrae paternae commisit, hanc disciplinam reverenter suscipite, ac sedulo implete.

Ovium gregibus obedientia praeibitis, pii sacerdotes Christique ministri: „*Vos* enim specialiter estis, *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis eius qui . . . vos vocavit in admirabile lumen suum.*“[1] Videte ergo ministerium vestrum, ut illud impleatis, et honorificetis. „*Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia . . . sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam.*“[2] Laborate sicut boni milites Christi Iesu. Orationi et ministerio verbi instate; adsunt enim tempora periculosa ab apostolo praedicta, in quibus homines „*sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur*[3]. *In medio nationis pravae et perversae* . . ., lucete *sicut luminaria in mundo*[4]: *nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum*[5]; *ut is qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis*“[6].

[1] I Petr. II, 9.
[2] I Petr. V, 2-4.
[3] II Tim. IV, 3, 4.
[4] Phil. II, 15.
[5] II Cor. VI, 3.
[6] Tit. II, 8.

Et vos Christi domini fideles et charissimi filii nostri, „*exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.*“[1] Estote corona et consolatio nostra: „*Tollite iugum meum super vos,*“ ait Dominus, „*et discite a me quia mitis sum et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suave est, et onus meum leve*[2]. *Non cessamus pro vobis orantes et postulantes ut impleamini agnitione voluntatis* Dei, *in omni sapientia et intellectu spiritali: ut ambuletis digne Deo, per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei: in omni virtute confortati, secundum potentiam claritatis eius*[3]. *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis*[4]. *Cum metu et tremore vestram salutem operamini*[5]. *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quaerens quem devoret: cui resistite fortes in fide*[6]. *Nunc quoque non videntes creditis: credentes autem exsultabitis laetitia inenarrabili et glorificata, reportantes finem fidei vestrae, salutem animarum*[7]. *Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt*[8]. *Omnes enim vos filii lucis estis et filii diei*[9]. *Ut filii lucis ambulate: fructus enim lucis est in omni bonitate et iustitia et veritate: probantes quid sit beneplacitum Deo*[10]; *providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus*[11]. *Et adhuc pusillum, et non erit peccator: et quaeres locum eius, et non invenies. Mansueti autem haereditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis.*“[12]

Quapropter, volumus et praecipimus ut, quantocius et convenientius fieri poterit, concilii Rupellensis decreta, in qualibet provinciae nostrae dioecesi publicentur; monentes ex his obligationem exorituram pro omnibus ad quos spectant, statim ac sufficienter innotescere potuerint.

Datum Burdigalae, in palatio nostro, sub signo sigilloque nostris, ac secretarii archiepiscopatus nostri subscriptione, die duodecima mensis aprilis, anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo quinto.

† Ferdinandus cardinalis Donnet, archiepiscopus Burdigalensis.

De mandato eminentissimi et reverendissimi cardinalis archiepiscopi Burdigalensis:

Fonteneau, secretarius archiepiscopatus.

[1] II Cor. VI, 1.
[2] Matth. XI, 29, 30.
[3] Coloss. I, 9-11.
[4] II Petr. I, 10.
[5] Philipp. II, 12.
[6] I Petr. V, 8, 9.
[7] I Petr. I, 8, 9.
[8] Ephes. V, 15, 16.
[9] I Thess. V, 5.
[10] Ephes. V, 8-10.
[11] Rom. XII, 17.
[12] Ps. XXXVI, 10, 11.

## LITTERAE EMINENTISSIMI CARDINALIS

praefecti sacrae congregationis Concilii Tridentini

## EMINENTISSIMO CARDINALI ARCHIEPISCOPO BURDIGALENSI.

Eminentissime ac reverendissime domine observandissime.

Acta ultimae synodi provinciae Burdigalensis, ab hac sacra congregatione Tridentini iuris interprete ac vindice rite recognita, accipies una cum hisce litteris. Porro gratissimum mihi accidit ex auctoritate summi pontificis, cui res haec relata est, ac de sententia eiusdem sacrae congregationis, eminentiae tuae ceterisque eiusdem provinciae praesulibus confirmare gratulationes et laudes, quas clarissimus decessor meus cardinalis Maius pro synodo habita anno 1850 vobis large impertiverat. Supereminet in primis diligentiae laus, qua, vix elapso triennio, ad legis Tridentinae praescriptum, concilium provinciale renovastis, eiusdemque decreta huius sanctae sedis iudicio expendenda insigni animi devotione obtulistis. Sed enim huisce vestrae observantiae documentum singulariter expressum voluistis in primo synodalium actionum capite, ubi vestram vestrorumque populorum obedientiam ac fidem erga summum pontificem eiusque iudicia tanquam praecipuum fundamentum posuistis.

Deinceps, opportunissimum fuit peculiari lege cavere, ut quae salubriter in synodo anni 1850 sancita sunt, iterum commendarentur et inculcarentur. Quid enim prodest, faustis auspiciis vineam ita plantare, ut eam vitibus instruere, arboribus ditare, sepibus circumdare contigerit, nisi suo tempore plantationes diligenti cultura foveas sepesque instaures, ne aper de silva veniat, eamque demoliatur? Deinde, cum integerrima cleri vita moresque incredibili incitamento sint Christifidelibus ad religionem omnemque honestatem colendam, vestrum zelum erga Dei domum fugere non poterant ea, quae tertio capite ad rectam eiusdem cleri disciplinam saluberrime decrevistis. Dei cultus et signa religionis domi privatim exhibenda, ut omnes videant opera vestra bona, et glorificent patrem qui in coelis est, consultissime scitissimeque attentionem vestram excitaverunt. In quo solers porro pietas et industria in mentem vobis iniecit, ut, quod iam optabat divus Carolus Borromaeus, in singulis domibus tabella appendatur piis imaginibus circumornata, ubi praecipua fidei mysteria et vitae regulae fidelium oculis, praesertim puerorum, continuo ac iugiter proposita sint.

Quoniam vero ab ultima celebrata synodo, in coloniis Gallicis, Deo benedicente, tres aliae dioeceses erectae sunt, easdemque archiepiscopali istius provinciae iurisdictioni annexae, necessarium nimirum erat, quod rectissime praestitistis, ut praecedentis concilii decreta ad easdem extenderetis, quibus in iisdem coloniis pietatis et fidei germina magis magisque foveantur ac fecundentur.

Tandem, pie feliciterque totam provinciam Burdigalensem cordi immaculato beatae Mariae virginis in ultimo capite solemniter dedicastis: namque, hoc tempore quo utraque militans et triumphans ecclesia unanimiter exultat de privilegio immunitatis ab originali labe, quod summus pontifex Deiparae tributum a Deo fuisse suo decreto declaravit, indubia spes et fiducia subit illud fore, ut vestra studia laboresque in bonum gregum vestrorum suscepti uberrimam spiritualium fructuum segetem, ipsa favente, producturi sint.

Itaque, haec sibi relata audiens ingenti gaudio affectus est sanctissimus dominus noster, cuius apostolico studio debetur laus, quod pene intermissus synodorum provincialium usus velut opportunissimum huius temporis malis remedium redintegraretur. Dein, pater sanctus a clementi Dei miseratione exoptat, ut rata firmaque habeat fausta, quae in litteris sanctitati suae directis vobis pollicemini auspicia, ex eo quod Rupellae coire contigerit, ubi non ita pridem parvus recensebatur catholicorum numerus, nunc versa vice pauci numerantur haeretici, iique hujusmodi, qui proximam de sua ad fidem catholicam reversione spem faciant. Quod autem bene feliciterque e sententia res eventura sit, pignus quodammodo adesse putat sacra congregatio in eo unanimi spiritu intimaque affectus commotione, qua vos in Spiritu sancto congregatos intento ore fidelis populus intuebatur.

Quod superest, in adnexa pagella paucas quasdam adnotationes reperies ab eminentissimis patribus in synodo a vobis exhibita factas.

Adhuc ego scripsi nomine sacrae congregationis, cui praefectus sum: nunc vero singulariter impensos aestimationis meae sensus ex animo profiteor eminentiae tuae, cui manus humillime deosculor.

Eminentiae vestrae humillimus et addictissimus famulus.

A. M. episcopus Tusculanus cardinalis Cagiano, praefectus.

A. Quaglia, secretarius.

Romae, 7 martii 1855.

## INDICTIO CONCILII RUPELLENSIS.

in provincia Burdigalensi.

*Ferdinandus-Franciscus-Augustus, tituli Sanctae Mariae in Via sanctae Romanae ecclesiae presbyter cardinalis Donnet, Dei et apostolicae sedis gratia archiepiscopus Burdigalensis, Aquitaniae primas, venerabilibus episcopis provinciae Burdigalensis.*

Venerabiles fratres.

Cum nos Dominus electae vineae suae custodes instituerit, ut ei providam sollicitudinem impenderemus noxiosque ab ea surculos resecaremus, officii nostri iudicavimus, exacto triennio post habitam ultimam synodum provincialem Burdigalae, anno 1850, vos iterum, ex praescripto sacrosancti concilii Tridentini, convocare, ut simul ea quae ad religionem, clerique ac fidelium salutem conducunt, tractemus.

Iam, ut gratissimum nobis accepimus omen, alacritatem cordium vestrorum in adimplenda saluberrima huius episcopalis muneris parte, qua sanctae matri ecclesiae Romanae obsequium et honorem debitum praestituri sumus.

Volumus igitur ac mandamus, sub poenis canonicis, ut huius provinciae nostrae episcopi suffraganei omnes, qui legitimis causis impediti non fuerint (de quibus causis, si forte intervenerint, nos fore monitos intendimus), cum iis qui de iure vel consuetudine sacris huiusmodi coetibus interesse debent, in civitatem Rupellensem conveniant ad diem vigesimam tertiam iulii huius praesentis anni 1853; ut in concilio nobiscum congregati, ecclesiarum suarum necessitates, si quae sint, proponere, et quae discutienda proponentur communi concilio expendere, et consensu firmare valeant.

Non omittent venerabiles suffraganei nostri capitulis et cleris suis edicere ut, si quae habeant negotia quae ad synodalem conventum, quem in praefatam diem indicimus, deferenda censuerint, per procuratores suos synodi iudicio discutienda terminandave proponant.

Interdum, ipsi et privatim ferventer orent, et A preces publicas, iuxta sacrorum praescripta canonum indicant, ut Deus et pater domini nostri Iesu Christi suis nos benedictionibus indignos non iudicet; sed etiam actiones nostras aspirando praeveniat et adiuvando prosequatur.

Datum Burdigalae, in palatio nostro archiepiscopali, festo cathedrae Sancti Petri Romae, die 18 ianuarii anno 1853.

† Ferdinandus cardinalis Donnet, archiepiscopus Burdigalensis.

## SANCTISSIMO DOMINO DOMINO NOSTRO PIO IX PONTIFICI MAXIMO,

PATRES CONCILII PROVINCIAE BURDIGALENSIS

*Rupellae celebrati, anno Domini 1853.*

Beatissime pater.

Non sine speciali divinae providentiae ductu factum est ut Rupellae celebraretur hocce provinciae nostrae concilium, cuius acta ad pedes sanctitatis vestrae reverenter deponimus.

Illa quidem pauca numero sunt; sed multo minus quanta sint, quam unde veniant attendendum arbitrabitur vestra beatitudo: cum res satis admiratione digna sit, ex diversis orbis christiani partibus, convenisse episcopos strictissimo apostolicae cathedrae vinculo unitos, in eam ipsam civitatem quam elegerant olim fidei catholicae hostes, veluti Romanae rupis aemulam; ibique novatorum quorumdam ausus temerarios retusos fuisse, unde omnium errorum commenta impune prodierant.

Quis sperasset, in urbe nuper adhuc omni publico cultu privata, tot incessuros esse praesules infulatos, coacervatis benedicturos turbis, quae, genibus flexis, cervice pie inclinata fusisque lacrymis, C quasi rorem divinum hanc benedictionem ab animarum suarum susciperent pastoribus, quos omni honore sanctaque laetitia prosequerentur?

Deploravit quondam admirabilis ille sanctus Franciscus Salesius, non solum Genevae suae, sed etiam Rupellae nostrae miseram sortem [1], in quibus diabolus quamdam imitationem sedis Romanae simulare conatus fuerat. Quanto igitur gaudio exultare debuit, dum e coelo ibidem prospiceret oves Dei docibiles, quae nobiscum agnoscebant cathedram apostolicam omnium ecclesiarum matrem et magistram, Romanumque pontificem cunctorum christianorum patrem et doctorem, cuius examini, confirmationi aut reformationi omnia quae egeramus subiicienda non ignorabant!

[1] *Controvers.*, serm. XXXV.

In hac antiqua pseudo-reformationis arce, ubi vix quaedam familiae catholicae olim remanserant, reliquiae tantum supersunt haeresis morientis. *„Populus enim qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam, et sedentibus in regione umbrae mortis lux orta est eis.“* [1] Nec dubitandum est quin caeterae oves adhuc errantes, serius ocius, donum fidei electum feliciter agnoscant sincereque amplexentur.

Viderunt quippe unam mentem omnium; pastorum scilicet oviumque erga sedem hanc inconcussam, quae in universum terrarum orbem primatum tenet. In cunctis idem animadverterunt obsequium filialis obedientiae summo ecclesiae vertici debitae.

Et dum ad pristinam pietatem, quae in solo sponsae Christi gremio fovetur, populum fidelem revocaremus; dum antiquos recentesque errores damnaremus; dum cordi immaculato beatissimae virginis Mariae provinciam nostram devoveremus, B adeo vultus fidelium adstantium ardentes, adeo mentes eorum commotae apparebant, ut sola templi veneratio illos cohibere videretur, quin omnes simul conclamarent: „Tibi soli adhaeremus, in te sola vivemus, alma fides, fides sancta, fides catholica, apostolica, Romana. A nobis discedat in aeternum mendacii pater; discedant impia eius dogmata, ipsorumque patroni. Nullam partem habere volumus cum superbis inferorum portis. Suscipiat ac refoveat nos cor tuum immaculatum, cui nosmetipsos secum devoverunt pastores nostri, o mater pulchrae dilectionis, virgo fidei vexillum, in qua est gratia omnis viae et veritatis, tu quae cunctas haereses sola interemisti in universo mundo.“

Haec repetere videbantur pia viarum emblemata quae certatim undique collocata fuerant; haec, suo modo, recinebat virorum, mulierum, senum, iuvenum, infantium, magnorum et pusillorum religiosa exultatio.

Benignis ergo oculis respiciat sanctitas vestra haec qualiacumque nostri concilii acta, quae tot et tantis beneficiis causam praebuerunt adhuc viventem.

Caeterum, non cupimus ut ista in lucem prodeant qualia nunc sanctae sedi subiiciuntur, si mutari aut emendari debeant; sed qualia prodeunda censuerit oculatissimus iudex, quem nullus praeterit naevus, quique, prudentia coelitus irradiata, veritatem, fidem ac opportunitatem, absque ullo erroris periculo, nunquam non aptissime perspicit ac definit.

Sanctitatis vestrae pedibus provoluti, nos profitemur, beatissime pater, humillimos et devotissimos servos ac filios, patres concilii Rupellensis.

† Ferdinandus cardinalis Donnet, archiepiscopus Burdigalensis.

[1] Matth. IV, 16.

## DECRETA CONCILII.

### Caput praevium.

*Decretum de aperienda synodo.*

In nomine sanctissimae ac individuae Trinitatis, Patris, et Filii et Spiritus sancti, amen.

Nos Ferdinandus-Franciscus-Augustus, tituli Sanctae Mariae in Via sanctae Romanae ecclesiae presbyter cardinalis Donnet, Dei et apostolicae sedis gratia archiepiscopus Burdigalensis, Aquitaniae primas,

Ad maiorem Dei et salvatoris nostri Iesu Christi gloriam; in honorem immaculatae semperque virginis Mariae Dei genitricis, sanctorumque angelorum; ad laudem sanctorum Petri, apostolorum principis, Eutropii et Ludovici, huius dioecesis et ecclesiae patronorum, Hilarii, universalis ecclesiae doctoris, aliorumque sanctorum qui provinciam hanc illu- D strarunt; ad Burdigalensis, Rupellensis et Santonensis, Petrocorensis, Aginnensis, Lucionensis, Pictaviensis, Engolismensis, Arcis-Gallicae, Sancti-Dionysii et Imae-Telluris ecclesiarum decorem; statuimus, ac decernimus, de consilio et consensu reverendissimorum episcoporum comprovincialium nostrorum, hac ipsa die 24 iulii anno 1853, in ecclesia cathedrali Rupellensi, incipere et inceptum esse concilium provinciale, quod nostra metropolitana auctoritate indiximus et convocavimus, dominum Iesum humiliter et enixe obsecrantes, ut in nobis impleat quod ipse dixit: *„Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.“* [1]

Lecta sunt deinde decreta *de modo vivendi in synodo*, et *professione fidei*, prout in concilio Bur-

[1] Matth. XVIII, 20.

digalensi anno 1850, atque ab omnibus ad id ad- A strictis professio fidei canonice emissa est.

## Caput I.

*De obedientia summo pontifici eiusque iudiciis debita.*

1. Quod semper in intimo corde fovimus, quod in ultima huius nostrae provinciae synodo, nec, ut audivimus, sine aliqua summi pontificis consolatione, unanimi ore praedicavimus de divino primatu, de universali iurisdictione et plenissima successoris Petri potestate, ante omnia, volumus hic rursus, eadem omnium huiusce provinciae tam feliciter auctae episcoporum unanimitate, maiorique, si fieri possit, animi alacritate profiteri.

Imo, cum hisce tribus abhinc annis, aliqua prodierit super haec contradictio; et quoniam hoc praecipuum inter alia officium synodis particularibus incumbit, ut promulgent novas constitutiones, B sanctiones litterasque pontificias, ac etiam, ut ait Benedictus XIV, „*sacrarum urbis congregationum decreta, si quae de novo prodierint, ad universum clerum spectantia;*"[1] ut hanc, quam adeo solemniter emisimus, nostrae fidei pietatisque admodum filialis professionem factis et opere compleamus, declaramus:

2. Nos, cum maxima reverentia amplecti litteras encyclicas quae incipiunt his verbis: *Inter multiplices*, a summo pontifice ad omnes episcopos Galliarum nuper directas, easque volumus actis huius concilii annecti, quo facilius ac certius ad omnium notitiam possint devenire; reprehendentes quidquid in eis reprehenditur, reprobantes et condemnantes quidquid reprobant et condemnant; consilia, monita, agendi regulas quae a summo pontifice tanta sapientia, dilectione, pace traduntur, palam ac sine ambiguitate accipientes; toto affectu con- C gaudentes quod, ubi primum de iis litteris et earum tenore auditum est, illico tantus animorum ardor deferbuerit, cunctique repente compositi fuerint ad pacem.

3. In hac vero tam laudanda ac pene unanimi omnium docilitate, submissione, obedientia ac reverentia, indignandum nobis foret de improbo sane libello nuper edito cui titulus: *Observations sur l'encyclique*, si in animos fidelium et maxime sacerdotum valere possent quae tanta audacia et iniquitate imprudentissimus auctor effutivit. Non enim dubitavit palam asserere Christi vicarium potuisse aliqua suadere et in his litteris revera suasisse ecclesiis Galliarum exitiosa; ab ipso nos in malitiam fuisse inductos, in qua si perseveraverimus, et nos et rex noster (summum intelligit pontificem) pariter peribimus; et alia bene multa, eiusdem et forsan maioris, tum erga sedem apostolicam, D tum erga cunctos fere episcopos Gallicanos, contumeliae.

4. Et cum pari spiritu et eadem mente conflata, etiam, quod maxime lugendum, a viris ecclesiasticis, aliquot alia scripta prodierint, iisque quorumdam publica iudicia faverint, ex aperto et inveterato in aliis ecclesiae odio, in aliis autem ex animorum sibi placentium et semetipsos fallentium mala pervicacia; eadem reprobatione comprehendimus non tantum eos qui talia scribunt, sed et eos qui consentiunt et plaudunt scribentibus. Nominibus quidem parcimus, meliora de ipsis in posterum confidentes, sperantesque malum non eo usque deducendum fore ut patientia et longanimitas pastorum in offensionem ac ruinam ovium suarum vertatur.

[1] *De synodo dioecesana*, lib. V, cap. 2.

5. Insuper, duorum auctorum opera, unius nempe presbyteri Peruani[1], alterius in Taurinensi athenaeo[2] professoris, erroribus contra ecclesiasticam potestatem referta, et solemnibus sanctae sedis iudiciis damnata ac reprobata, reiicimus, et pro damnatis ac reprobatis habemus.

6. Declaramus insuper non posse, sine scandalo ac detrimento animarum, nec sine iniuria et contemptu sanctae sedis, praedicari quae, omni data occasione, aliqui palam praedicant de sacris congregationibus Romanis, quodque imprimis de sacra congregatione *Indicis librorum prohibitorum* dictitant: eius nempe decreta, a summo pontifice probata, nullius apud nos esse valoris et roboris: cui temeritati conscientia fidelium, et insita animis summae auctoritatis saluti ipsorum consulentis reverentia, indeque christianorum bibliopolarum religio et prudentia, ac ipsa iudicum civilium aequitas, hoc nostro tempore feliciter contradicunt.

7. Idcirco, non possumus non mirari simul et dolere de mentis obcaecatione, qua perculsus auctor operis cui titulus: *Histoire de l'église de France, composée sur les documents originaux et authentiques*, in octavo istius historiae volumine, non tantum renovat, sed et aggravat quae scripserat erronea in septem prioribus per decretum sacrae congregationis Indicis damnatis.

Posthabitis enim pastoralis charitatis monitionibus, lapsus suos inani conatu defendens, eadem passim recinit, videlicet:

Summos pontifices iura sua praetergressos fuisse; ad dominandum unice intentos, omnem ecclesiasticam potestatem ad se attrahere voluisse; concordata non in ecclesiae bonum, sed in proprium commodum iniisse, quae ideo nonnisi in malum religionis ubique cesserint; et cum sacra ecclesiae iura saecularis principatus saepius invaserit, eosdem pontifices sanctione canonica has impias invasiones per concordata roborasse, sicque ipsos modernum gallicanismum creasse, vel potius quodam veluti baptismo consecrasse; ipsum tandem ius concordata ista ineundi, ex dominationis appetitu in summis pontificibus ortum audet asserere, et a potestate divinitus eis concessa prorsus alienum. Caeteros eiusdem scriptoris errores quid commemoremus, de summi pontificis auctoritate, de iure liturgico, de ordinibus religiosis, de orationibus vocalibus, de mala disciplinae veteris abdicatione, imo et de antiquae, ut impie queritur, doctrinae mutatione? Notare sufficiat eius zelum amarum, animum malevolum, ignominiae paternae non condolentem, sed insultantem, bonis et ecclesiae amicis utique iniquum, eius autem hostibus perpetuo faventem, quo fit ut notis eorum calumniis historicam fidem libenter et facile concedat.

Non ita didicimus Christum eiusque veritatem. Et sane dolendum a sacerdote sic patriae nostrae scribi ecclesiasticam historiam, tot et tantis sanctorum exemplis refertam, ut in fidelium scandalum vertatur, cum et ipsa scandala sacrae litterae et scriptores ecclesiastici in divini operis argumentum et assistentiae coelestis evidentiam, indeque in fidelium eruditionem et aedificationem convertere non omittant.

[1] Opus in sex tomis Hispanico idiomate editum sub titulo: *Defensa de la autoridad de los gobiernos y de los obispos contra las pretensiones de la curia Romana; por Francisco de Paula G. Vigil;* damnatum litteris apostolicis *Multiplices*, die 10 iunii 1851.

[2] Opera inscripta: *Iuris ecclesiastici institutiones, Ioannis Nepomuceni Nuytz, in regio Taurinensi athenaeo professoris;* itemque, *In ius ecclesiasticum universum tractationes*, eiusdem auctoris, damnata litteris apostolicis *Ad apostolicae sedis*, die 22 augusti 1851.

8. Dum scripta eiusmodi sanctae sedi infensa reprobamus, absit tamen ut iis accinamus qui cum de doctrina eius familiae presbyterorum cleri instituti iamdiu addictae disputant, devotionem eiusdem et pietatem erga ipsam sanctam sedem videntur extenuare. Quod enim devotionis, pietatis et observantiae profitemur studium Romano pontifici apostolorum principis successori, ex illa ecclesiasticorum hominum familia nos hausimus praecipue.

9. Nostram autem summo pontifici obedientiam non in reiiciendis tantum erroribus vel pravis opinionibus ab ipso reprobatis profitemur; sed, quod ad nos propius attinet, in abiiciendis etiam iis usibus vel consuetudinibus, in nostras ecclesias etiam a longo tempore sensim inductis, quas ipse in suae divinae potestatis imminutionem vergere iudicaret. Nec obstabit frequentioris ad Romanam sedem recursus necessitas, vel in quibusdam arctioris disciplinae aliqua molestia.

10. Quisnam autem de sedis apostolicae in hoc iudicio vel sapientia vel aequitate diffidat, cum multa iam iuri communi derogantia, sed hodierno Galliarum ecclesiae statui necessario connexa, in ultimo nostro concilio Burdigalensi, anno 1850, probaverit; et, quod maius est, in recentioris alterius concilii decretis eas regulas recognoverit, ex quibus plurimas nostrarum ecclesiarum consuetudines, illasque maxime quae solae nobis in pretio esse possunt, non improbandas confidimus?

## Caput II.

*De observandis praecedentis concilii decretis.*

In ultimo nostro concilio Burdigalensi anno 1850, multa de fide ac moribus, de cultu divino, de vita et officiis studiisque clericorum, de piis operibus nostrae aetati maxime necessariis decrevimus; quae a clero et populo nostrae provinciae, pro illorum fide et pietate, reverenter suscepta, bono ecclesiarum nostrarum regimini multum iam, per Dei gratiam, profuisse gaudemus, et in dies magis ac magis esse profutura, plurimum in Domino confidimus.

Nunc autem rursus, per eamdem Dei misericordiam, post triennium, ex sancti concilii Tridentini praescripto feliciter congregati, venerabiles consacerdotes nostros et dilectos filios hortamur et monemus ut, prioris illius concilii omnia et singula decreta saepius legentes, ipsi observent, et a suis, quantum poterunt, observari curent.

Pauca tantum vel clariori explicatione, vel instantiori commendatione indigere nobis visum est.

### I. Quoad praedicationem in missa parochiali.

(Tit. I, cap. 5, n. 1 et 8.)

Iterum monemus parochos ut in ecclesiis ubi duae missae diebus dominicis celebrantur, intra quamlibet earum, brevem et salutarem exhortationem habeant, nisi, probata causa, episcopus dispensaverit.

Et quoniam id nostrum decretum summus pontifex maxime laudavit [1], quo iussimus omnes parochos uti catechismo concilii Tridentini, tanquam praecipuo suo themate in exponenda et evolvenda, intra missarum solemnia, doctrina catholica, non omittant animarum rectores hunc librum, si non possideant, quantocius acquirere, assidue legere, et iuxta alterutram e duabus methodis in illo propositis, populo suo explanare; de quo specialiter inquiretur ab episcopo in visitationibus suis.

### II. Quoad praedicationes extraordinarias, seu missiones et pia exercitia.

(Tit. VI, cap. 5, n. 2.)

Secundum multitudinem dolorum nostrorum, quibus diu nimis affecti fueramus in corde nostro, consolationes Domini laetificaverunt animam nostram, dum tempore nuperi semi-saecularis iubilaei, reverteretur multitudo filiorum Israel ad dominum Deum ipsorum, meliorque rerum facies et mens hominum undique appareret. His autem abundantissimis fructibus quis nesciat ortum praesertim dedisse missiones ac praedicationes, tum ab ipsis parochis se invicem iuvantibus, tum ab aliis sacerdotibus, sive regularibus sive saecularibus, tanta zeli unanimitate multiplicatas. Ideo, iteramus monita in praecedenti concilio data, vehementiusque hortamur omnes huius provinciae parochos, ut omni cura et sollicitudine in unaquaque parochia, singulis postea saltem septenniis, populo suo talium exercitiorum copiam faciant.

Hoc autem et certius et facilius praestaretur, nobisque grandis consolatio et immensa animabus utilitas obveniret, si piae liberalitates ac etiam fundationes ad hoc excellens opus permanenter applicarentur.

### III. Quoad sanctificationem diei dominicae.

(Tit. II. cap. 2.)

Dolemus rursum in hoc concilio de nunquam satis dolenda illa diei dominicae violatione, qua vel vetitis laboribus, vel nundinarum et mercatuum frequentatione, homines undique a divino cultu abstrahuntur. Hinc apud multos, caeteroquin artium suarum minime imperitos, primorum religionis elementorum ipsiusque Dei saeculis anteactis inaudita ignorantia. Hinc in populos pene innumera exundant malorum genera.

Monemus igitur pastores animarum ut oves sibi commissas opportune, importune arguant, obsecrent, ut tollatur tandem scandalum hoc de medio earum.

Monemus patresfamilias, operariorum duces, officinarum praepositos et dominos, ne amplius provocent iracundiam illius qui maledixit operi sacrilego.

Hortamur quoque ac monemus magistratus, ut fidentes in eo qui fidentibus in se benedicit, et impiorum hominum dicteria spernentes, praecipuam hanc et divinam legem observari curent, quo certius et constantius humanae leges observentur.

Hortamur tandem ac monemus episcopos ut hunc divinae legis contemptum, vel potius a Deo discessionem cohibere non desistant, sive in scriptis, sive in visitationibus suis, saepius inculcando mandatum Domini: „*Memento ut diem sabbati sanctifices.*“ [1]

Nec iam inanis et sine aliqua spe fructus est labor noster in Domino. Plurimis in civitatibus, et quidem in praecipuis, institutae sunt in hunc finem piae sodalitates, et inter notarios, mercatores alios que diversorum statuum homines pacta intercesserunt, ne quis eorum diem Domini violaret vel violantibus consentiret. Talibus certe favemus, et Deum obnixe rogamus ut crescat numerus virorum illorum per quos cito salus fieret in Israel.

### IV. Quoad liturgiae et caeremoniarum unitatem et observationem.

(Tit. II, cap. 7.)

1. Etsi iam cautum fuerit ut liturgiae Romanae usus per totam provinciam restitueretur, omnesque eiusdem provinciae dioeceses hanc salutiferam legem pio amore amplexatae, vel executioni mandaverint, vel ad eam exequendam sese accinxerint, quaedam nobis tamen adhuc statuenda visa sunt.

Liturgiae unitas unitatem caeremoniarum necessario exposcit, sive in peragendis divinis officiis, sive in solemni missarum celebratione et in perficiendis caeteris functionibus sacris.

[1] Litterae cardinalis Maii, in concilio Burdigalensi, 1850.

[1] Exod. XX, 8.

Et quia caeremoniarum leges in quatuor praesertim libris sparsae, nempe missali, pontificali, rituali et caeremoniali episcoporum, nullibi in unum authenticum codicem redactae reperiuntur, curabunt episcopi ut ex illis caeremonialibus secundum ritum Romanum quae circumferuntur, unum aliquod ab auctore probato editum eligatur.

Cum autem, praeter ecclesias cathedrales et seminaria ac presbyterorum collegia, pauciores, ob penuriam clericorum, apud nos inveniantur ecclesiae in quibus omnia ad normam caeremonialis compleri possint: idcirco, ex illo, quem elegerint, libro brevius quoddam caeremoniale seu manuale conficient, minoribus ecclesiis accommodatius, et omnibus omnino clericis pervium.

2. Quo tandem haec optanda unitas ubique facilius obtineatur, in singulis seminariis erit caeremoniarum praefectus, sacrorum rituum studiosus ac peritus; qui illarum observationi invigilet, omnesque alumnos ad eas scite exercendas informet. Eadem de causa, instituetur etiam in ecclesiis cathedralibus praefectus caeremoniarum, qui sufficienti et necessaria polleat auctoritate ut omnia secundum regulas dirigat ac moderetur. Imo, sacerdos unusquisque in sua paroecia docebit pueros modum pie ac decenter in missa ministrandi, caeteraque, prout ratio locorum tulerit, rite peragendi, iuvenesque ad cantum ecclesiasticum pro posse sedulo informabit. Volumus insuper ut presbyteri recenter ordinati, qui, ex mandato praecedentis concilii nostri anni 1850, ad subeundum de rebus ecclesiasticis examen quotannis accedent, etiam circa caeremonias, uti par est, examinentur.

3. Quod autem spectat ad vestitum, sive in choro sive extra chorum, ad sacrorum canonum normam deferendum, id postea statuetur.

### V. Quoad cultum externum sanctissimi Sacramenti.
(Tit. II, cap. 8, n. 4.)

Iterum urgemus obligationem lampadis die ac nocte ardentis coram sanctissimo Sacramento, et, quantum fieri potest, ante altare pendentis. Si deficiant fabricae facultates, piorum munificentiam in id praecipue excitari dignum est. Caeterum, sit lampas semper nitida, frequenter a sordibus mundata, et solo oleo nutrita.

Invigilabunt episcopi, ut, quo magis fieri possit, foveatur devotio erga sanctissimum eucharistiae sacramentum, praesertim solemni expositione quadraginta horarum. Quoad vero alias expositiones et benedictiones, fiant temporibus episcopo benevisis, et consuetudine laudabili probatis, servatis tamen sacrorum Rituum congregationis praescriptionibus.

### VI. Quoad pietatem erga defunctos.
(Tit. II, cap. 12.)

Cum videant concilii patres antiquam illam et adeo commendabilem religionem in defunctos paulatim decrescere, ipsorum certe officii est pastores animarum adhortari, ut totis suis viribus hanc inter fideles sibi commissos excitari atque foveri curent.

Quae in praecedenti concilio Burdigalensi anni 1850, de coemeterii cura, et veneratione huic loco debita sanximus, rursum memoranda volumus.

Populos insuper saepius invitent parochi ut pro defunctis orationes fundant sive privatim sive congregata familia, sacrificium missae offerri provideant, eleemosynas pauperibus largiantur, aliaque pia opera persolvant. Ipsos edoceant indulgentias quae fidelibus conceduntur, ut per modum suffragii eas animabus in purgatorio detentis applicent. Moneant ut ad sonitum campanae ultimum agonem aut transitum alicuius fidelium annuntiantis, ipsius animam aeterno iudici commendent. Piam praxim interdum visitandi coemeteria, et ad sepulcra mortuorum orandi, redintegrent.

Si quae sint inter hebdomadam anniversaria, officia missaeve celebrandae pro defunctis, haec in missa parochiali denuntiare non omittant.

Utile pariter foret pietati in defunctos, si curaret parochus fideles ad orientem, sacerdotes vero ad occidentem pedibus versis sepeliri, christianosque mysticam huius dispositionis significationem edoceret.

Tandem, quoniam plura sequi possent incommoda, et merito pietas fidelium offendi de exequiis praepropere factis, praescribimus ut ad nullam ecclesiasticam sepulturam ante debitum temporis intervallum procedatur.

### VII. Quoad receptionem sacramentorum.
(Tit. III, cap. 4, n. 4.)

Etsi patres concilii non sine aliquo solatio didicerint solemnes illas monitiones, quibus contra damnandas huius saeculi quasdam voluptates, bonis moribus, verae pietatis christianae professioni, et praesertim sacramentorum receptioni apertissime contrarias, fideles suos praemunire voluerunt, fuisse in plurimis provinciae civitatibus, aliqua saltem ex parte, auditas et observatas: cum tamen multum absit ut omnes sese emendaverint, iterum atque iterum omnes commoneri volunt: fideles scilicet, quanto studio illa, de quibus actum est, theatra, choreas habitusque corporis immodestos fugere; confessarios vero, quanta sollicitudine, et, si quandoque necesse evadat, quanta severitate christianos cuiuslibet conditionis ab illis arcere debeant.

### VIII. Quoad parochorum officia.
(Tit. IV, cap. 10, n. 5.)

Quae ultima decrevit synodus Burdigalensis anni 1850 de necessitate et modo visitandae parochiae, a rectoribus in diem fidelius serventur.

Ut autem huius visitationis fructus maneat et accrescat, in his omnibus locis ubi nimia parochianorum numerositas non obstiterit, „*familia quaeque*, iuxta ritualis Romani mandatum, *distincte in libro (status animarum) notetur, intervallo relicto ab unaquaque ad alteram subsequentem, in quo sigillatim scribantur nomen, cognomen, aetas singulorum qui ex familia sunt, vel tanquam advenae in ea vivunt,*" signisque ibidem appositis, indicentur tum ad sacram communionem admissi, tum sacramento confirmationis muniti, tum ad alium locum habitandum profecti. Hunc autem librum identidem pervolvant parochi, oculis et animo totam parochiam quasi lustrantes, suum gregem coram Domino considerantes, profectumque animarum attendentes et sedulo annotantes.

### IX. Quoad studia ecclesiastica.
(Tit. V, cap. 3 et 6.)

Post ultimum nostrum concilium Burdigalense anni 1850 de studiis ecclesiasticis pauca dicenda. Haec tria in praesens sufficiant:

1. Libros alumnis theologiae proponendos, summa diligentia, vel per se ipsos vel per viros idoneos, examinent episcopi, nec ullum auctorem quoquo modo suspectum ad usum scholarum approbent, quantumvis per magistri dictata vel pronuntiata corrigendum.

2. Selectos iuvenes ad aliquam facultatem theologicam mittere statueramus, sacris scientiis operam daturos, quod maxime summo pontifici acceptum fuit[1]. Romanam et Lovaniensem prae caeteris eligimus; et piae curae omnino favemus, qua Gallis nostris clericis in Urbe ecclesiasticum iam praeparatur hospitium.

[1] Litterae cardinalis Maii, in concilio Burdigalensi, 1850.

3. Nec tamen interea omittatur in nostra provincia, theologica et canonica examinatio et graduum quorumdam collatio, iuxta regulas et conditiones a nobis statutas vel in posterum statuendas, de consensu et approbatione sanctae sedis. A

**X. Quoad pravos libros.**

(Tit. I, cap. 8 et tit. VI, cap. 8, n. 6.)

Iam excitata est sollicitudo pastoralis erga horrendam perversorum librorum diffusionem. Quamvis ex tunc aliqua non inutilia tentaverint sive sacerdotes sive magistratus, tanta lues penitus non est extincta. Recrudescit enim pravorum librorum praesertim contra mores et fidem catholicam undequaque disseminatio. Non cessent ergo pastores, sive per se sive per alios, a cunctis locis et familiis, a qualibet aetate et conditione, huic pesti viam omni conatu praecludere. Denique, de propagandis sanis libris magis ac magis sint solliciti. B

**XI. Quoad institutum Propagationis fidei et sanctae Infantiae.**

(Tit. VI, cap. 8, n. 5.)

Praestantissimum institutum Propagationis fidei, quod iam enixe commendatum fuit, de novo commendamus. Sed et alteram sodalitatem, sanctae Infantiae dictam, prioris quasi sororem et adiutricem, simul nunc commendatam esse volumus: opus scilicet iam a plerisque episcopis et laudatum, et in suis dioecesibus erectum, quod etiam in Urbe nuper instituti voluit summus pontifex Pius IX; eximium sane opus, quo, ut aiunt patres concilii Ambianensis nuperrime celebrati, „*pietatis zelique laqueis colligantur parvuli etiam tenerrimi, atque, auspice Iesu infante, infantes miseros in infidelium partibus per tenues eleemosynas, et brevissimas sive suas sive matrum preces, a morte et errorum tenebris, ipsi salvatores liberant.*“ [1] C

## Caput III.

*De moribus et conversatione cleri.*

1. Iugi recolant meditatione tum episcopi, tum presbyteri, quae generatim de officiis, de moribus et conversatione cleri, non minus provide quam sapienter, in ultima synodo sancita sunt [2].

Quo enim ardentius mundani homines post voluptates terrenas inhiant, quaestus, etiam illicitos et turpes, sectantur avidius, et in altiores gradus et dignitates cupidius se promoveri student, quasi ea foret tota illorum sors et religio, eo magis decet omnino clericos, in sortem Domini vocatos, ita vitam moresque suos omnes componere, ut tota eorum conversatio continua sit et efficax harum effrenarum libidinum reprehensio atque censura.

2. Ita ergo separentur clerici ab hoc saeculo nequam, ut ipsius voluptatibus et deliciis minime implicati inveniantur. Ideoque, sive in supellectili, sive in mensa, sive in vestitu aut in aliis quibuslibet rebus, nihil habeant quod clericalem modestiam non redoleat; imprimis abhorrentes ab illa mundana mente qua conviviorum apparatu et splendore, domus elegantia et ornatu, fastuosos laicorum mores quasi aemulari viderentur: sacerdotes quippe non decet conformari vanitatibus ac superfluitatibus istius aevi, quod potius exemplo suo reformare debent, semper mortificationem Christi circumferentes, neque unquam crucem eius abnuentes. Imo, non tantum evangelicae legis, sed et patriae virtutis vindices sint ac custodes, et dum perit, eheu! etiam in vicis et villis avita simplicitas, apud clerum saltem aliquo modo servetur. D

[1] Concilium Burdigalense anni 1850, tit. IV, cap. 3 et seqq.

3. Tanquam homines Dei fugiant, monente apostolo, radicem omnium malorum cupiditatem, „*quam quidam appetentes erraverunt* etiam *a fide, et inseruerunt se doloribus multis.*“ [1] Fugiant et munera quae excaecant oculos iudicum fortitudinemque sacerdotalem labefactant: aut si fideles dona quandoque deferant, illa nobis praesertim placere intelligant, non quae sacerdotalem domum, sed quae domum Dei ornare debeant, quibusque pauperum necessitatibus subveniri possit.

4. Humilitatis evangelicae praecepta sectantes, et officio sibi commisso contenti, de meliori sorte obtinenda et potiori munere occupando, nunquam inveniantur more saecularium satagentes, neque etiam loquentes. Dum enim istud nostris temporibus non parvi dedecoris est, quod vix unquam civilia munia nisi sollicitantibus et quasi mendicantibus obveniant, nullaque modestiae et abnegationis iam supersit etiam species, haec nostri ordinis maxima laus erit, quod nullus e loco suo, etsi novissimo, cedere velit, quin audierit patremfamilias dicentem sibi: „*Amice, ascende superius.*“

5. Hortamur parochos praesertim et alios curam animarum habentes, ut abstineant ab illis peregrinationibus longinquis aut iteratis cursitationibus, in quibus tempus pretiosum facultatesque in meliorem usum impendendae absumuntur.

Quod si, necessitate valetudinis, balnea maritima adeant vel thermalia, regulas non solum christianae sed et clericalis modestiae in omnibus servare studeant, nec non et specialia, si ea de re quaedam sint, ordinarii mandata.

Praeterea, nullum opus gubernii subsidiis perficiendum inscio episcopo aggrediantur parochi; imo, suadendum ne, inconsulto episcopo, ad magistratus ordinis superioris per litteras recurrant.

## Caput IV.

*De cultu domestico et signis religionis in familia commendandis.*

Ut nihil omittatur quod ad pietatis augmentum proficiat, iis quae in praecedenti concilio nostro anni 1850, de cultu divino publico statuta sunt, hic maxime opportunum iudicavimus nonnulla de cultu domestico addere.

1. Pastores igitur animarum hortamur in Domino, ut exterioribus pietatis operibus et signis religionis apud fideles in familia coadunatos exsuscitandis ac renovandis studeant, ita ut singula christianorum tecta unam quasi *domesticam ecclesiam* obumbrent. Curent ut reviviscant piae illae consuetudines et antiquae fidei traditiones a priscis generationibus adeo laudabiliter observatae: usus videlicet orationis congregata familia peragendae, domesticarum catecheseon, piarum lectionum, coronae recitandae, salutationis angelicae ter in die ad campanae sonum dicendae, aquae benedictae, cum cereo ac palmis item benedictis, sacrarum imaginum et praecipue Christi crucifixi ac beatissimae virginis Deiparae in cubiculis servandarum, cruces in praediis erigendi, aliique huiusmodi venerabiles usus, pietati tantopere faventes, nostris vero temporibus saepius, eheu! oblivione deleti. Nobis etiam arrideret si haberetur in unaquaque familia grande quoddam volumen de praecipuis bibliorum factis et de vitis sanctorum, quasi monumentum iure haereditario transmittendum.

2. Et quoniam ex hominum indifferentia, neglectus verbi divini, quod singulis dominicis diebus annuntiatur, aliorumque mediorum ad nutriendam fidem institutorum, in causa est cur multa igno-

[1] I. Tim. VI, 10.

rentur, vel facilius e mente exciderent quae fidelibus ad rectam sui familiaeque gubernationem plurimum inservirent, valde optaremus, iuxta mentem sancti Caroli Borromaei[1], in singulis domibus appendi tabellam, piis imaginibus circumornatam, in qua praecipua fidei mysteria regulaeque vitae christianae summatim pro fidelibus cuiusque conditionis exararentur. Haec, pueris in memoriale primae communionis data, sua cuique per reliquam vitam officia ob oculos veluti in speculo poneret.

## Caput V.

*De extensione decretorum praecedentis concilii ad tres novas dioeceses provinciae Burdigalensis.*

Quod ultimi nostri concilii anni 1850 tempore, boni omnes peroptabant et proxime futurum sperabant, Dei et apostolicae sedis gratia tandem effectum est. Tres in coloniis Galliçis erectae sunt novae dioeceses, scilicet Arcis-Gallicae in insula Martinica, Imae-Telluris in insula Guadalupa, et Sancti-Dionysii in insula dicta Unionis; quae quidem prioribus dioecesibus additae, nobilem iam et amplam provinciam nostram mirum in modum nobilitant et amplificant.

Gratias igitur ante omnia agimus Deo et patri misericordiarum, qui suaviter omnia disponens, rem animarum saluti tam necessariam ad optatum finem providentia sua perduxit; item et summo pontifici Pio IX, qui, religiosis postulationibus principis tunc reipublicae praesidis annuens, dum simplices praefecturas apostolicas in veros ac perpetuos episcopatus transmutat, quemadmodum in Britannia et in Batavia reluctantibus ac tumultuantibus haereticis ac politicis, dicteria quorumdam apud nos de episcopis in vicarios papales propediem mutandis susurrantium, evidentissimis factis confutat.

Gaudemus insuper de novis fratribus, sive os ad os sive tantum per litteras notis, quibuscum, etiam inter tanta terrarum et marium spatia, arcte iungimur ab eo qui fratres *inhabitare facit unius moris in domo*[2].

Quia tamen, dum haberemus supradictam ultimam synodum provinciae nostrae, nondum institutae fuerant praefatae dioeceses, et peculiares harum regionum mores ac necessitates nobis ob oculos non essent, dubium forte videretur, an decreta tum emissa illic obligatoria fierent.

Patres vero praesentis synodi, attendentes quantum roboris auctoritati venerabilium suorum comprovincialium accederet ex illa summa decretorum iam a sancta sede recognitorum, si spiritualibus gregum illarum dioeceseon necessitatibus accomodari possent: audita speciali relatione de statu transmarinarum harum ecclesiarum, omnibus coram Deo perpensis, communi auctoritate statuunt decreta concilii Burdigalensis anno millesimo octingentesimo quinquagesimo celebrati, vim legis habere in tribus praefatis novis dioecesibus, nempe Arcis-Gallicae, Imae-Telluris et Sancti-Dionysii, ita ut inibi ab omnibus sive clericis, sive laicis, eadem veneratione atque obedientia, qua in aliis provinciae dioecesibus, suscipiantur, sive ad fidem, sive ad mores, sive ad disciplinam et liturgiam spectent haec decreta, paucis tamen exceptis quae praesenti locorum statui minus convenire videntur, et de quibus vel iam nunc vel in posterum referent episcopi et in concilio tractabunt.

## Caput VI.

*De modo fovendae pietatis in nostrae provinciae coloniis.*

1. Testes sunt multiplices pontificum Romanorum a pluribus saeculis constitutiones, quantum semper ingemuerit sancta mater ecclesia catholica super durissima servitute qua detinebantur innumeri homines in animarum suarum perniciem, et quam multis conatibus allaborare non desierit ut tanto malo medelam afferret. Nunc autem, favente Deo, cuius providentia in sui dispositione non fallitur, nova rerum facies affulsit; nosque in Domino congaudemus pro singulari suo beneficio erga tot homines qui, licet diversi coloris, fratres sunt nostri in Adamo et in Christo, et qui libertate tamdiu optata ad acquirendam libertatem filiorum Dei uti velle videntur. At, proh dolor! *„Messis quidem multa, operarii autem pauci.“*[1] De his ergo quae ad institutionem cleri et necessitates populi in nostrae provinciae coloniis pertinent, cura maxime sollicita providendum.

I. De clero. — 2. In bullis erectionis trium dioeceseon, scilicet Arcis-Gallicae in Martinica, Imae-Telluris in Guadalupa et Sancti Dionysii in insula Unionis, summus pontifex Pius IX expostulavit ut capitulum in unaquaque cathedrali harumce dioeceseon quamprimum institueretur: quod quidem valde necessarium est. Unde enim, deficiente capitulo, officium publicum, unde assistentia pontifici debita, et congrua festorum solemnitas, unde concionatorum in civitate copia, unde officialitates quae, iuxta praescriptum praecedentis concilii Burdigalensis anni 1850, institui debent?

Peroptant igitur patres concilii ut in hoc constitutiones pontificiae effectum suum iam nunc sortiantur; atque, votis ea de re ad Gallicum gubernium missis, simul adhortantur venerabiles fratres suos, quibus haec cura praesertim incumbet, ad procurandas quam citius huiusmodi institutiones.

3. Non latet patres concilii quibus nunc angustiis premantur, propter penuriam cleri, coloniae Galliarum, Martinica praesertim et Guadalupa. Post saevam pestem, quae nuper has regiones depopulata est, vix supersunt presbyteri numero sufficientes ut extrema sacramenta ministrent morientibus, quorum multi sine ullo subsidio spirituali decesserunt. Quidni vero? Parochi fere semper vicario carent, parochiae vero pleraeque latissimae sunt. Adde flagrantes aestus, aspera et continua montium iuga, quae dum aegre transcendit sacerdos, videas interim multitudinem libertorum templa obsidentium, ut ad matrimonium ineundum vel ad primam communionem disponantur, ita ut de populis istis vere dici possit cum propheta: *„Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.“*[2]

Quocirca, tantis necessitatibus commoti, et cum desideratissima cleri indigenae copia in spe tantum et semine appareat, patres concilii universos Galliarum episcopos verbis supplicibus deprecantur ut faveant coloniis, aliquot sacerdotes moribus probatissimos illis impertiendo, aut ad minus aliquot alumnos, quibus subsidia concederentur in seminariis coloniarum.

4. Caeterum, quid prodesset clericorum numerus, nisi omnibus virtutibus quae sacerdotium commendant, seipsos praeberent ornatos, muneribusque suis in hisce regionibus tamdiu fungerentur ut incepta opera perficere valerent?

Idcirco, multum commendat synodus ut sacerdotes extranei non nisi cautissime a praefatarum trium coloniarum episcopis acceptentur. Peroptat ut vigeat salutaris admodum usus, a supero nostro concilio anni 1850 praescriptus, quotannis convocandi presbyteros ad spiritalia pii secessus exercitia, et etiam, si fieri poterit, ad synodum.

5. Denique, ut presbyteri in ditescendi tenta-

[1] *Acta eccles. Mediol.*, pars VII, monit. libell.
[2] Ps. LXVII, 7.

[1] Matth. IX, 37.
[2] Ierem. tren. IV, 4.

tionem non incidant, nec turpi avaritiae nota A infamentur, instituantur, quamprimum episcopis licuerit, communia aeraria, quatenus de sorte sua iam non anxii, nec de senii saepius praematuri necessitatibus solliciti, in ministerio suo securi perseverent.

His vigentibus institutis, postea cunctis patebit colonias non esse tot et tantis periculis refertas ut sacerdotibus sint in occasionem ineluctabilem spiritualis ruinae, quod multis tamdiu persuasum esse potuit.

II. De fidelibus. — 6. Quoniam „*multam malitiam docuit otiositas*", [1] id ante omnia in his regionibus praecavendum est, ut *[lege:* ne] rusticani pueri ab artibus vulgaribus exercendis et praesertim ab agrorum cultura, propter scholas, omnino abstrahantur. Inde necessitas, praeter libros de religione tractantes, unum alium seligendi, scopo quem alumnorum magistri sibi proponere debent vere consentaneum, B ut nempe cum primis pietatis et scientiae elementis simul culturae agrorum elementa perdiscant et alia omnia a rusticanis viris scitu vere necessaria. Sed et praesertim ab infantia sua doceantur libertorum filii necessitatem laboris ab iis non esse sublatam, cum Adae peccatori totique posteritati eius dixerit Deus: „*In sudore vultus tui vesceris pane,*" [2] increpetque saepius scriptura hominem pigrum [3].

7. Hoc praemoniti, rectores animarum sedulo attendant, ex primo ad sacram synaxim accessu saepius pendere totius vitae rationem. Unde, nihil omittant ex his quae synodus Burdigalensis praescripsit circa puerorum catecheses, confessiones frequenter audiendas, ipsamque absolutionem quandoque impertiendam [4].

Iam vero iuniores pueri sic christiana fide bonisque moribus imbuti, non ad primam communionem accedant nisi cum duodecimum annum attigerint, C ordinarie saltem. Experientia enim compertum est, sic esse agendum quoad pueros indigenas. Nec tamen serius differatur communio; quo magis enim instant in ipsis tentationum certamina, eo magis indigent pane fortium roborari ac refici. Si vero de illegitimis, heu! nimis multis, agatur, longiori saepe erga illos probatione opus est quam si res esset de filiisfamilias, quorum parentes nullum, saltem publice, praebent scandalum. Imo experientia docuit hac opportuna dilatione parentes ad ineundum legitime matrimonium non raro adduci. Videndum tamen ne nimia mora in desperationem adducantur.

8. Cum ad firmandos in via salutis adolescentes multum valeant apud colonias piae sodalitates perseverantiae, provideant pastores ut in suis parochiis talia vigeant instituta, cum praescriptionibus ad ea pertinentibus iam ab ordinario approbatis. D Diebus statutis convocentur sodales, ita tamen ut nunquam in eodem loco simul adolescentes utriusque sexus congregentur.

9. Quoad adultos vero, quoniam in omnibus coloniarum parochiis multi peccatores existunt, praecipue concubinarii, cura singulari indigentes, in votis episcoporum esset ut, ex fratribus congregationis Institutionis christianae nuncupatae, istic degentibus, quidam idonei seligerentur, qui parochias, deficientibus sacerdotibus, assidue peragrantes, doctrinam explanarent christianam, concubinarios ad ineundum matrimonium inducerent, senes edocerent veritates ad salutem necessarias, omnesque ad sacramenta praepararent. Unum tamen sedulo attendendum est: cum enim tanta sit vis exempli, maxime inter rudes, nihilque a religione eos magis deterreat, quam si sacrae communioni initiati ad priorem vomitum redeant, aut legitimo matrimonio iuncti inter se continuo dissideant, serio probentur adulti et neophyti ad coelestem mensam accessuri: neque, praesertim si recenter liberti sunt, ad benedictionem nuptialem prius admittantur, quam apprime noverint coniugum officia et quidquid infelicis connubii causa esse potest.

[1] Eccli. XXXIII, 29.
[2] Gen. III, 19.
[3] Prov. VI, 6 et seq.
[4] Concilium Burdigalense, anni 1850, tit. III, cap. 4 et 5.

## Caput VII.

### *De consecratione totius provinciae Burdigalensis cordi immaculato beatissimae Mariae virginis.*

Cum in praecedenti concilio Burdigalensi anni 1850, provincia haec nostra sacratissimo cordi domini nostri Iesu Christi fuerit tam feliciter consecrata, nihil pientius, nihil animis nostris gratissimis dignius visum est quam solemnem eiusdem provinciae consecrationem peragere immaculato cordi beatissimae Mariae virginis, quam matrem in nos benignissimam et protectricem potentissimam, tot beneficiis ab illa ditati, tot auxiliis adiuti, peramanter agnoscimus. Huius autem praesidium ideo praesertim intendimus, ut, sub illius fidissima tutela, unitas fidei et charitatis inter cunctos provinciae nostrae incolas obtineatur ac promoveatur, ut etiam ora blasphemorum obstruantur, ut dierum divino cultui sacrorum, sed undequaque vetitis laboribus et officiorum ecclesiae neglectu profanatorum, sanctificatio pristina reviviscat; sicque divinis et ecclesiasticis legibus agnitis et observatis, a nobis removeamus calamitates atque flagella, quae iratus Dominus sui nominis sanctarumque legum contemptoribus, brachio extento comminabatur. Omnes ergo ad thronum misericordiae matris adeamus, et concordibus animis haec ad eam flagrantia vota mittamus:

„O cor Mariae purissimum, cor semper immaculatum, cor sine labe conceptum, regna semper, ex hoc tempore et deinceps, in omnes huius provinciae incolas, quos exultans tibi devovet atque consecrat universus huius concilii coetus. Beneficia quae quotidie in nos renovas ac multiplicas, nostram te benignissimam matrem comprobant, et vehementer desideria omnium accendunt ut sola, cum Filio tuo, regnes in cordibus nostris. Sub tuo dulci imperio, crescant in nobis sincera fides, pietas ardens, veraque Dei scientia; pastores zelo flagranti ac perseveranti illucescant; in patientia invicta, in vigilantia indefessa, in prudentia eximia, in immota mansuetudine permaneant; in sanctitate et iustitia Deo servientes, ac verbum divinum digne et assidue praedicantes, bonum Filii tui odorem ubique spargant; oves veros pastores audiant, lupos fugiant; simulque omnes ad te, clementissima regina, magis ac magis fidenter recurrant; desinant apud nos blasphemiae, sanctumque Dei nomen publice ac privatim laudetur ac benedicatur; sacrorum dierum cultus in civitatibus, in villis et in agris, inter familias et privatos, religiose observetur et adaugeatur; cuncta demum Dei et ecclesiae praecepta, prona voluntate ab omnibus adimpleantur.

„O mater piissima ac misericordiae plena, ne desinas cohibere Filii tui manum sceleribus nostris imminentem. Averte mala quae meremur, ut, te patrocinante, ad meliora reversi, gloriam consequamur sempiternam. Amen."

## Caput ultimum.

### 1. De promulgatione decretorum huius concilii provincialis.

Decreta huius concilii provincialis nemo praelo subiiciat in lucem edenda aut promulget, antequam

sanctae sedi apostolicae, iuxta constitutionem Sixti V, A quae incipit *Immensa*, subiecta fuerint. Litteris autem quibus illa probentur, a sanctitate sua obtentis, ea statim imprimantur, impressaque, a singulis episcopis, vel in synodo dioecesana, vel si celebrari nequeat, extra synodum quamprimum promulgentur.

II. De indictione futuri concilii provincialis.

Cum sacrosanctae synodi Tridentinae decretis statutum sit, ut, quolibet saltem triennio, celebrentur concilia provincialia; ut ecclesiae menti obsequamur: nos Ferdinandus-Franciscus-Augustus, tituli Sanctae Mariae in Via, sanctae Romanae ecclesiae presbyter cardinalis Donnet, Dei et apostolicae sedis gratia, archiepiscopus Burdigalensis, Aquitaniae primas, de consilio et consensu reverendissimorum episcoporum comprovincialium, proximum concilium huius provinciae anno millesimo octingentesimo quinquagesimo sexto celebrandum, loco et tempore ulterius B indicendis, iam denuntiamus et indicimus omnibus qui adesse debent.

SUBSCRIPTIONES EPISCOPORUM.

Nos Ferdinandus-Franciscus-Augustus, tituli Sanctae Mariae in Via, sanctae Romanae ecclesiae presbyter cardinalis Donnet, Dei et apostolicae sedis gratia, archiepiscopus Burdigalensis, Aquitaniae primas, his decretis a nobis, de consilio et assensu reverendissimorum coepiscoporum nostrorum, definitis, subscripsimus.

† Ferdinandus cardinalis Donnet, archiepiscopus Burdigalensis.

Ego Clemens Villecourt, episcopus Rupellensis et Santonensis, subscripsi.

† Clemens, episcopus Rupellensis et Santonensis. C

Ego Ioannes-Baptista-Amedaeus-George, episcopus Petrocorensis, subscripsi.

† Ioannes, episcopus Petrocorensis.

Ego Ioannes-Amatus de Levezou de Vesins, episcopus Aginnensis, subscripsi.

† Ioannes, episcopus Aginnensis.

Ego Iacobus-Maria-Iosephus Baillès, episcopus Lucionensis, subscripsi.

† Iacobus-Maria-Iosephus, episcopus Lucionensis.

Ego Ludovicus-Franciscus-Desideratus-Eduardus Pie, episcopus Pictaviensis, subscripsi.

† Ludovicus-Eduardus, episcopus Pictaviensis.

Ego Antonius-Carolus Cousseau, episcopus Engolismensis, subscripsi.

† Antonius-Carolus, episcopus Engolismensis.

Ego Ioannes-Franciscus-Stephanus Laherpeur, D episcopus Arcis-Gallicae, subscripsi.

† Stephanus, episcopus Arcis-Gallicae.

Ego Antonius-Adolphus Dupuch, episcopus olim Iuliocaesareensis[1], vocatus adfui et subscripsi.

† Antonius-Adolphus, episcopus olim Iuliocaesareensis.

Ego Ignatius Schwindenhammer[2], illustrissimi et reverendissimi domini Iuliani-Floriani Desprez, episcopi San-Dionysiani in insula Unionis, item et reverendissimi vicarii generalis ecclesiae vacantis Imae-Telluris in insula Guadalupa procurator designatus, subscripsi.

Ignatius Schwindenhammer, procurator designatus.

[1] In colonia Algeriensi.

[2] Superior generalis congregationis Sancti Spiritus et Sanctissimi Cordis beatae Mariae virginis.

Praesentes etiam nomina dederunt:

† Augustinus, episcopus Samiensis[1].

† Aloysius, episcopus Methonensis[2].

Concio habita in cathedrali ecclesia Rupellensi, cum aperiretur concilium provinciae ecclesiasticae Burdigalensis, ab eminentissimo et reverendissimo domino domino Donnet, sanctae Romanae ecclesiae cardinali metropolitano Burdigalensi, primate Aquitaniae, die dominica 24 iulii 1853.

*Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*
(Matth. XVIII, 20.)

Venerabiles concilii patres, vosque omnes in Christo carissimi fratres.

Illud sane animam nostram consolatur, quod tot inter variorum systematum ac doctrinarum naufragia, sospite semper et integra vigeat ecclesia vitalitate. Quam quidem esse mundi huius moralis arcem, populorumque sortem ab ipsius sive depressione sive gloria pendere, alias nunquam evidentius perspectum est.

Omnia etenim praetereunt, omnia finem habent, circa ecclesiam: ipsa autem sola manet immota, et ea, qua divinitûs constituta est, maiestate fulgens.

Quam feliciter ille navigat, quidam aiebat philosophus, qui navi tempestatibus iactata vectus, certo novit illam non esse perituram!

Ea nobis succurrunt, cum unum e multis quae nostra aetate evenerunt, reputamus, hunc scilicet habendorum conciliorum, per omnes dilectae nostrae Galliae episcopos, praecipua id permittente Dei misericordia, instauratum ordinem, diutius interruptum, quamvis multum valentem ad pastorum zelum promovendum, fideliumque pietatem excitandam.

Olim, carissimi, noverant omnes quid sit concilium: id nunc fere omnes praeterit; proinde nostrum est, coram hac immensa auditorum corona, pauca de concilio, et non sine aliquo fructu disserere.

*Concilium* vocatur episcoporum coetus legitime convocatorum, ut de his consulant quae ad fidem, disciplinam moresque pertinent. Cum coetus ille a summo pontifice praecipitur, et ab eo vocantur omnes orbis christiani praesules, *concilium oecumenicum* appellatur; *nationale* autem nuncupatur, cum unius nationis episcopi vocati sunt; *provinciale* demum cum metropolitanus provinciae suae episcopos congregat.

Tempore illo, quo fides tanquam regina mentes dirigebat, et cuilibet vitae necessitudini sociam se dabat, vehementi studio inhaerebant populi his sacris coetibus, non tam propter splendidum, quo fulgebant, apparatum, quam propter ipsam agitandarum ac definiendarum quaestionum gravitatem. Nihil enim est aequiparandum sive piae Ephesinorum exultationi, publicato decreto coelorum reginae maternitatem vindicante, sive insolito motui quo agitatus est orbis per concilia Nicaene, Lugduni, Viennae, Tridenti, Claromonte aut Carthagine celebrata.

Pro una tantum provincia regulas statuunt concilia provincialia, quippe quae in solas, quibus constat provincia, ecclesias auctoritate polleant.

Sola per se, ac remotis etiam caeteris provinciae civitatibus, quae hac laude inclaruerunt, urbs nostra metropolitana, septemdecim conciliis gaudens ac pie superba numerat. Ultimum, priore vigente publico regimine, praesidem habuit cardinalem de Sourdis,

[1] Nomine Forcade, antea vicarius apostolicus Iaponiae, ad ecclesiam Imae-Telluris in Guadalupa nominatus.

[2] Nomine Kobès, coadiutor illustrissimi et reverendissimi vicarii apostolici Duarum-Guinearum et Senegambiae.

unum e praeclarissimae et sanctissimae memoriae antecessoribus nostris. Episcopi omnes suffraganei, excepto Sarlatensi, partem in eo habuerunt: scilicet Condomensis, Aginnensis, Pictaviensis, Engolismensis, Petrocorensis, Santonensis, Malleacensis, Lucionensis, et dominus de La Brousse, ecclesiae Sarlatensis procurator.

Per duo et amplius saecula suspensa fuere concilia: media autem e procella, quae orbis eversionem minabatur, Deus, cuius impervii sunt sensus, desideratissimam hanc simul ac pacatissimam exoriri voluit nostrae libertatis aeram. Huic honor providae ac sapienti potestati ex qua tale munus accepimus!

Primum provinciale concilium nostrum Burdigalae, anno 1850, inauguravimus, paucis diebus posteaquam provinciae Parisiorum, Avenionis, Turonum, Remorum, eodem vero tempore quo suum celebrabat illustris ecclesia Lugdunensis concilium. „In hoc primo coetu," aiebat unus ex istius ultimae synodi patribus, „haud profecto intendimus res praeclaras operari. Verumtamen, praecelsae doctrinae catholicae veritates praecipuis huiusce temporis erroribus oppositae, immunis ecclesiae auctoritas, et suprema Petri potestas agnitae, nubes omnes quae a praecedenti concilio supervenerant in perpetuum dissipatae; ius commune receptum et principium unitatis in disciplina restitutum; studia ecclesiastica corroborata; novus sacerdotali zelo additus ardor; vota demum vi magna expressa ut augeatur tribus monastica, cunctisque fidei et charitatis operibus incitamenta vehementer praestita; hi erunt praecipui concilii fructus cui datum est sedere postridie atque etiam pridie forsan dirarum tempestatum, sub sereno Aquitaniae coelo, in hac religiosa hospitalique civitate, quae nos votis suis prosequebatur, quae nos insigni coluit honore, quae vultu nos salutavit amoeno, nostris se haud ingratam praebens benedictionibus per vias ubique sparsis aut frontibus parvulorum suorum impressis.

„Civitas Burdigala, quaecumque deinceps futura sint, tuis in annalibus nova laus acquisita est. Ubi enim alicui provinciae novum additum est concilium, huic et novum decus accessit; haec autem synodus in coelis simul ac in terris scripta, vinculum est quo strictius civitati aeternae iungeris."

Hoc bonum concilii, carissimi fratres, haec ex eo refulgens gloria, hi intimi habitus quibus connectuntur deinceps omnes episcopi, sacerdotes fidelesque immensae provinciae (nostra autem trans maria patet), *hi funiculi qui simul connexi rumpi nequeunt*, omnia ista bona hodie vestra fiunt, optimi Rupellenses.

Certe, postquam tanta nos exultatione comitati modo fuistis, postquam ipsa hesterna die tot filialis reverentiae signis Engolismae, Iarnaci, Connaci, Riccomonte, Santonis et Rupefortii cumulati fuimus, nemo suspicabitur in Galliam ipsiusque institutiones proxima impendere pericula, eo quod dum inimicus homo in agro patris familias zizania profuse seminat, episcopi quidam conveniant ut regnum Dei fulciant, et magna denuo immotaque proclament, quae mundi pacem asserunt, principia.

Quamvis enim orbis huius motibus haud immisceamur, tamen circa ea quae maxime filiorum nostrorum intersunt, desides esse non possumus.

Si quis autem intelligere aliquid cupiat circa haec tam incerta, aegra atque luctuosa nostrae aetatis, illud recogitet, tempora scilicet quibus populi transformantur, menti humanae semper esse periculosa: non satis ea quae Dei, ab iis quae hominis sunt, discernuntur, nullum iam percipitur discrimen religionem inter et artem politicam; confunditur quod perit cum eo quod manet semper.

Ah! filii dilectissimi, si, cum decimi octavi saeculi philosophia mundum pervertere conaretur; cum dogmata nostra veluti visiones, miracula ut mendacia, apologistae martyresque nostri quasi idiotae et fanatici reputarentur; cum auctor consummatorque fidei nostrae nomine lacesseretur, quod ne memorare quidem in fidelium consessu possum; si, caecutiente ob hanc immensam vertiginem mundo, occurrissent concilia, id est, quidam ex iis coetibus, in quibus ecclesia quasi acies ordinata, Deo duce, apparet: nihil haesitantes affirmamus retrogressuram fuisse recentiorem impietatem, in conspectu anathematum quae uno ore praetulissent [*corrige*: protulissent] nostri praesules.

Si enim ex scintilla incendium oritur, si e torrentibus permixtis flumina adolescunt, si milites sub iisdem incedentes vexillis aciem efficiunt, quae fuisset tandem vis, quae potentia episcoporum nostrorum, si, iunctis sacris capitibus, unamini voce, his fluctibus erroris dixissent: *Non procedetis amplius?*

Sed heu! venerandi illi pontifices qui tam honorifice duplicem scientiae ac virtutis coronam gestabant, post tot officia patriae, humanitati, scientiae collata, misere disiuncti vivere coacti sunt. Potestates, aut praeoccupatae aut debiliores, eos sedibus adstrictos obstinate tenuerunt. Sub specie cohibendi potestatis spiritualis usurpationes, eius irritam actionem fecerunt. Illam suspiciosa legislatio diffidentiis atque compedibus aggestis revinxit; omnia intoleranti philosophiae permissa sunt. Ecclesiae autem, in qua sola regeneratur et conservatur libertas, servitus, dedecus et saevitiae reservata fuere. Illud tamen haud inficiamur, his nostris clarissimis antecessoribus neque doctrina neque zelus defuerunt, quippe qui coeli adhuc et terrae splendoribus circumdarentur; hoc unum illis defuit, per quod in supremis discriminibus res dirimitur, invicta scilicet potentia a Spiritu sancto promissa iis qui in nomine Christi congregati sunt: *„Ubi sunt congregati in nomine meo, ibi sum."*

Interea, quantumvis clamores questusque ingeminarent, tamen rerum subversio in mentibus facta, foras se prodebat. Familia, societas quae hactenus sub Dei custodia fuerant, hominis tutelae commissae sunt. Homo Dei locum usurpavit: hoc conatus est, ut esset mensura, arbiter et dominus omnium rerum, etiam coelestium. Deinde erupit teterrima omnium, quas unquam mundus aspexerit, tempestatum; at pontifices, alii morientes, exsilium petentes alii, fidem suam sic testati sunt, ut illi de quibus exclamans ait Pascal: *„Libenter iis assentior testibus qui se iugulandos tradunt."*

Domini de Cicé Burdigalensis, de Saint-Aulaire Pictaviensis, de Mercy Lucionensis, ipsorum collegae, Petrocorensis, Aginnensis, Sarlatensis, Rupellensis, Engolismensis, et Condomensis maria transierunt, et in terra quae eos suscepit, semen deposuerunt veritatis, quo postea accrescente, aperti sunt oculi quorumdam fratrum nostrorum disiunctorum. Ultimus episcoporum Santonensium, dominus dominus de La Rochefoucauld, ad coelum properavit, dextra palmam gerens, ut coniungeretur Eutropio, Delphino, Hilario, Frontoni, Ausonio et Caprasio. Ibi, cum eis, intercedit pro dioecesibus, quae creditae sunt curae episcoporum hoc in coetu congregatorum.

Eorum supplicationibus, fratres carissimi, debemus benedictiones quas in ministerium episcoporum vestrorum effundere coelo beneplacitum est. Dies Domini paulo minus violatus, sacrae mensae convivae numero plures, et pietate paratiores, benevola susceptio facta Dei hominibus qui nos praecedunt,

dum apostolicas peregrinationes peragimus: nonne totidem sunt gratiae quas nobis quotidie obtinent ab auctore omnium donorum?

Galliae tellus, cara dilectaque patria, tibi ingrue deinceps levem tantum spiritum religionis discedere, qui etiam brevi extinguendus esset; verum enimvero quae fuisti praeclarissimis gloriae tuae diebus, eadem etiam nunc es in hoc amplissimo mundi theatro, militis scilicet atque apostoli vices, Deo iubente, gerens; miles sis, Gallia, et apostolus, atque orbem per Christi religionem, humaniorem efficias, miles nempe sanctae Dei causae, magnarum evangelii virtutum apostolus. Religionem tuendo, orbi salutem asseris: libertas enim, gloria, populorum felicitas, quasi necessario adnectuntur libertati, gloriae et quieti ecclesiae. Testes sunt omnes historiae paginae, quibus etiam ratio suffragatur, cum nihil aliud exhibeat ecclesia quam vivam expressionem eorum quibus indiget humanum genus.

Etenim illud nunquam e memoria nostra excidat, ubi ecclesiae vox audiri desierit, tunc vim feram incipere, et eas, quae populorum animos perturbant, rerum eversiones, nihil aliud esse quam colluctationem contumaciae adversus auctoritatem, et cruentum christianismi cum pravis cupiditatibus duellum.

Itaque, perseverans et sincera humanarum potestatum cum ecclesia unio, hos tremendos motus sola cohibere valet. Nonne dici potest, quocumque contraria his iudicia penetrant, hic quodammodo vias catholicae religioni praeparari, in omnibus qui recto sunt corde? Igitur, non reformidemus clamores vanos auribus nostris circumquaque resonantes: ruinis plenum est nostrum saeculum, erroris quidem non veritatis. Haec victoria recti sensus publici, et unio haec potestatum humanarum cum ecclesia, iam non solum spem, sed rem ipsam exhibent: nonne omnes catholicae nationes vexilla sua modo expanderunt, fortes, duce Gallia, mittentes exercitus, ut Petri successori restituerentur possessiones, quibus ab uno e maximis nostris regibus fuerat ditatus?

Iste consensus, concordia haec expendent ac firmabunt libertates publicas, dum eas principio ordinis aeterni religabunt. Ah! quid res vere significent: „*Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.*"

Adiuvate nos, viri fortes in bello, periti administratores, magistratus integerrimi, quorum praesentia, praesertimque religiosus habitus, solemnitati huic tantum splendorem addunt. Omnium, quae ad homines pertinent, rerum summa est religio; omnibus doloribus remedia servat, omnibus mentibus lumen.

Imperium suum in animas resumat, tuncque odia politica omnia extinguentur, divisionesque desinent quae civitates ruraque perturbant; tuncque in firma stabiliemur pace, et digne suum societas cursum persequetur.

Licet iam, carissimi, huius triumphi diem quasi e longinquo prospicere; qui, ut citius properet, ideo Rupellam episcopi vestri convenerant. Quod hic fit, iam factum est, et continuabitur in orbe catholico. Iste tot pontificum consensus, iste regularis omnium ordinum cleri concursus, tot preces, tam prona voluntas, tot in commune conatus, sub intuitu inspirationeque divina, successu non carebunt.

Qualis fuit ab initio, talis egredietur ex his novis coenaculis ecclesia, seipsam instaurando; in conspectu populorum sese ostendet, ut est, rebus spoliata quae ipsam non constituunt, terrae supereminens, ut splendore mundum repleat, eumque consolationibus recreet, propria virtute fortis, quae sola nec invidiam suscitare nec repugnationem provocare deberet.

Semper ad se devovendum paratum sacerdotium maiori etiam ardebit zelo, ut suscipiant generationes vitae thesauros, quos Spiritui sancto complacuerit ipsis per os sacrorum pontificum revelare; inter coelum terramque apparebit, ut signum melioris aevi praenuntium, e nube media, in qua fulmen adhuc resonat, finem procellarum praesagiens. Tunc populi sacerdotalem dignitatem, propter beneficia eius sanctumque, quo supra cupiditates humanas extollitur, characterum, agnoscentes, eam ubique salutabunt, spe et amore exsultantes.

Angeli dioeceseon nostrarum protectores, vestras nunc supplicationes ingeminate! Orate sacerdotes et fideles, orate famuli famulaeque Dei in sanctuariorum vestrorum silentio ac quiete; ab auctore omnium donorum postulate ut suaves huius vitae vestrae coelestis odores in eos respergat qui cum mundo colluctari coguntur. Divinam flagitate inspirationem pro laboribus quos suscepturi sunt praesules vestri, ad honorem ecclesiarum suarum oviumque utilitatem.

Tu autem, quem tam amanter tamque reverenter salutamus, pater et pastor ingentis familiae super orbem diffusae, iterum benedic nobis: ad pedes tuos, cum obsequium filialis subiectionis inviolabilisque devotionis, paucis ante diebus, sisteremus, quam pie, quam vehementer viscera nostra commota sunt, quando nos inter amplexus tuos accepisti! Ecquis scire valet quo amoris cor nostrum exarserit igne, dum nos cor premeret pontificis, qui, uti magister, totus *charitas est* [1].

Quanta effusione, quanta affectione nobiscum de hoc episcopatu loquebaris, de hoc clero, de istis Galliae fidelibus, atque praesertim de his provinciae Burdigalensis praesulibus, qui, ut splendidissimum suarum ecclesiarum titulum, vindicabunt hocce testimonium, quod nobis commemorare permisisti in uno ex augustissimis orbis coetibus [2] atque utinam omnium episcoporum, omnium sacerdotum, omnium filiorum tuorum obsequia onus apostolatus tui alleviare valeant! Utinam demum preces votaque nostra faustum accelerent diem, qui in unitate totum genus humanum constituat! „*Et erit unum ovile et unus pastor.*" Amen.

**Concio habita in ecclesia cathedrali Rupellensi, die 28 Iulii 1853, ab illustrissimo ac reverendissimo domino domino George-Massonnais, episcopo Petrocorensi, intra solemnia II sessionis concilii provincialis.**

*A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.*

(Ps. 117, 23.)

Illustrissimi ac reverendissimi praesules, dilectissimi fratres.

In has iterum voces accensum pectus nostrum erumpit, cum liceat nobis denuo adesse his sanctis ac solemnibus coetibus, qui, per ducentos annos et amplius, in Galliis interrupti, miraculo omnipotentis misericordiae Domini in nos, fuerunt restituti. Vere sacri coetus quos ecclesia concilia vocat, et quorum venerandus metropolitanus noster, his superrimis diebus, naturam et bona enarrabat.

Iam huius dioecesis antistes hunc bonum ac magnum vobis dederat nuntium, quem gestientes suscepistis: nec enim nos latet quanta alacritate, oves semper dociles, vocem audistis episcopi qui vestra gloria est, cuiusque vos iam corona estis. Pie corda vestra exultaverunt, apparentibus inter moenia vestra tot pontificibus: et, postquam incli-

[1] *Deus charitas est.* [I. Ioan. IV, 8.]

[2] *Reverentiae enim, obsequii ac venerationis erga apostolicam sedem, in qua fides praedicatur, et unitas servatur, ibi erant refertae litterae, et nihil supra.* Eminentissimi cardinalis Mai litterae super approbatione decretorum concilii Burdigalensis anni 1850.

natis reverenter frontibus, assurrexistis, paternis A benedictionibus repleti, commovistis interne viscera nostra, dum, spe et gaudio praelucentes, clara praebuistis amoris argumenta in ecclesiam eiusque pontifices.

Iterum ergo, dilecti Rupellenses, semper benedicti sitis! Tanta quippe gratia et comitate adventum nostrum suscepistis! quod solius fidei amorisque vestri inspiratio fuit.

Hodie, fratres carissimi, aperta secunda concilii nostri sessione, ab augusto illius praeside et a digno episcopo vestro designati, hanc ascendimus cathedram, maxime dolentes ex venerabilibus collegis nostris non apparere alium qui multo dignius ministerio verbi functus fuisset. Talem honorem non debemus nisi tredecim episcopatus annis, qui, post dilectissimum pontificem vestrum, nos antiquiorem provinciae huius suffraganeum constituunt. Quantumvis autem debilis sit episcopus, fortissimus est B per missionem Christi et ecclesiae.

„*A Domino factum est istud: et est mirabile in oculis nostris.*"

Ad verba redimus unde processit sermo noster: et quomodo ab hac repititione abstineremus, postquam conciliorum sanctam libertatem ex conflictu violento salientem, iuraque perspeximus inter turbines agnita, postque tempestates servata. Digitus Dei est hic.

Saepe audivi scepticum dicentem: mihi ostendatur miraculum, et credam. Quale vero miraculum evidentius, tangibilius, universalius ac perseverantius quam ecclesia ista catholica, apostolica, Romana, semper una in fide et capite suo, a decem et octo saeculis, inter revolutiones quae thronos atque coronas, institutiones et populos conterunt? Agedum, has revolutiones numerate, si potestis. Sed facilius arenas littorum vestrorum, silvarum folia, C astraque capitibus vestris superemicantia, dinumeraretis. Ego vero, quando, extra ecclesiam Romanam, has, ex una parte, commutationes religiosas et quotidianas, has inversiones politicas invicem sibi cum tam stupenda velocitate succedentes, contemplor; quando, ex parte altera, video ecclesiam hic solam semperque in petra stabilem et immotam, in eadem fide, iisdem doctrinis iisdemque constantem institutis, quae nullam, a decem et octo saeculis, mutationem subierunt, cum suo pontifice, suis episcopis conciliisque: hoc stupefactus miraculo, quod in mundo unicum est, easdem prophetae voces repetere cogor: „*A Domino factum est istud: et est mirabile in oculis nostris.*" Solum ingentis huius facti historici studium, auxiliante Deo, scepticum quempiam ad fidem deducere posset.

I. Diu nimis, apud nos, dilectissimi fratres, peni- D tus ignotum atque indigne conculcatum fuit principium istud magnum venerationis, quae fidei, auctoritati ac moribus debetur. Quot evasissemus calamitates, si semper animis insita fuisset illa religionis reverentia, quae sanciens auctoritatem, moresque protegens, longe efficacius nationes tuetur quam arma et leges!

Principatui ac moribus, dilectissimi, vires addit fidei cultus; quo decrescente, illi languescunt; quo pereunte, evanescunt. Tunc incipit societatum terribilis agonia singultiens et horribiliter concussa. Quot lacrymas, quot cruoris fluenta ecclesiae matris nostrae primogenita profudit, his vigentibus principiis deplorandis quae patriam nostram adeo inebriarunt! Horum originem et causam scire vultis? Fideliter eas exponemus.

Simul ac superba ratio, quae humilis tantum famula esse debebat, proclamata fuit magistra absoluta, universalis, solaque iudex supremus instituta fuit fidei et auctoritatis, quas eligere, respuere, resumere et tradere, pro arbitrio, poterat: statim emitti potuit lacrymabilis ille clamor tamdiu in patria nostra auditus: abeunt fides, auctoritas et mores. Illico namque in gremio modernarum societatum, iniectum est discordiae fermentum ocius serius anarchiam suscitaturum: terribilis scintilla quae immensum incendium produxit, inter debilitates saeculi praecedentis. Hae debilitates inauditae; saeculum hoc perpetuo deplorandum, a luto incipiens, inter sarcasmos et blasphemias procedens, ut in sanguine periret. Nonne abyssus abyssum invocat?

Num quemquam vestrum latet labor iste inter populos ac privatos nunquam vastare desinens? Praecedunt animi cupiditates; sequitur incredulitas: terribiles demum fiunt explosiones.

Quid non viderunt patres nostri? Mores publicos palam inquinatos. „*A planta pedis usque ad verticem non est sanitas; livor et plaga tumens*" [1] turpis ac pudendae voluptatis. Sors satanae simul cum odio ecclesiae his obtigit qui, praecedenti saeculo, philosophi vocabantur. Eorum penna fel amarissimum instillavit; os eorum sepulchrum blasphemiae et immunditiae patens, ironiam evomuit atque contumeliam in omne quod nobis sanctissimum est. Interea, peribat fides; pusillames effectae sunt terrae potestates. Auctoritas omnis, ipseque Deus inane vocabulum fuit. Ecclesia primum irrisa, mox fuit spoliata, captiva, exul, aut martyrio tradita. Sed tunc apertus est gurges qui omnia deglutivit in Galliis: fidem, auctoritatem, mores, id est religionem, patriam familiamque. Patres nostri victimae fuerunt.

Idne intellectum est, fratres carissimi? Et quantumvis cruenta fuerint praeterita documenta, numquid aetas nostra sapientior evasit? Proclamatur illa luminis aetas. Esto, si de scientia et inventionibus agatur; at, bona fide, quis nostrum fidei, auctoritatis et morum eam aetatem proclamare auderet? Procellae ac tempestates, fletus et cruor, corruptio historiaque, heu! nimium merito reclamarent.

Quando, ut iterum societas constitueretur, religio invocata est, num illa quasi principium, aut quasi merum instrumentum habita est?

Sane clara quaedam nobiliaque corda, luctuosae societatis nativas, scilicet fidem, auctoritatem atque mores, restituere voluerunt; sed vicerunt citius cupiditates fidei deletrices, imperiumque rationis, quod auctoritatis inexorabilis hostis est. Dies malos adhuc habuit ecclesia: et inter duas abyssos Gallia nutavit.

Quid tunc actum est ut illa non rueret? Numquid a religione novi aedificii lapis angularis postulatus est?

Deflendum exortum est systema quo intendebatur, legislatio sine numine, viri honestas sine religione, disciplina moralis sine dogmate, philanthropia sine caritate, philosophia revelationi infensa. Absque fide scientia spargebatur, absque instructione educatio [2]. Talis institutio audacter lumen vocabatur. Lumen quidem erat, sed mutuatum, sed pallidum astri nocturni absque fecunditate et calore. Videtis, fratres carissimi, rationem, iterum rationem, semperque rationem, nusquam fidem, nusquam quae ex ea manat auctoritatem, at structuram sine fundamento, navem absque gubernaculo et directione. Surgant venti procellaeque: naufragia et ruinae sequentur.

[1] Is. I, 6.
[2] Legendum videtur: *Absque educatione instructio.*

Per dies istos in perpetuum lugendos erga fidem, A auctoritatem et mores, quid agebant pontifices et sacerdotes Galliae nostrae? Quid homines huius saeculi? Invigilabant episcopi, speculatores domus Israël, per vim dispersi: proscripta enim tunc erant concilia. Protestabantur adversus sacrilegum laborem diebus dominicis consuetum, contra probrosam theatrorum obscoenitatem, doctrinarum pestilentiam, iuventutis scepticismum, adversus compositionem, reproductionem et circumforaneam transmissionem veneni quotidiani quod disseminant romanenses libri, libelli, commentarii, folliculi[1], usque ad remotissimos viculos vitia mortemque comportantes. Ignotum esse non ferebant pastores fidei, auctoritati ac moribus periculum imminens ex his pestilentiae cathedris, quas exhibent etiam remotissima rura, non iam solum ut aemulas catholicae cathedrae, sed ut pastori eiusque sacris documentis hostiles.

Quid, his malis diebus, agebat sacerdos? Sacerdos infelix! In civitatibus, in villis, in vicis, indesinenter repetebat: *Unum Deum coles; dies dominicos sanctificabis; luxuriosus non eris; non furaberis; omnia peccata tua confiteberis; creatorem tuum suscipies* .... E suggesto iterum iterumque dicebat: *Reddite quae sunt caesaris caesari, et quae sunt Dei Deo.* Tunc quippe, ut semper, sacerdos viriliter ac pie causa tuebatur fidei, auctoritatis et morum.

Quid agebant homines nostris in urbibus aut campis? Heu! nedum verbis et exemplis sacerdotes adiuvarent, ut fulciretur collabens undique aedificium religiosum ac sociale, hi plerique negotiis aut voluptatibus suis unice intendebant, plures somno indulgebant; quidam demolitioni operam dabant, catastrophen ne suspicantes quidem.

Istis scientia, opibus aut muneribus quandoque C claris, clamabamus interea: Cavete, abeunt fides, auctoritas, moresque: cum eis non magis quam cum igne luditur. Cavete: impugnatio religionis, societatis, familiae, proprietatis intestina impugnatio est, abyssi defossio, incendii creatio, lapidis angularis evulsio. Imprudentes, nescitis quantum vere dictum sit: *„Quia ventum seminabunt, et turbinem metent.“*[2]

Prophetas funestos atque mendaces Israël vocabat Dei nuntios.

Si vox episcoporum sinistra fuit, numquid ipsi mendaces fuerunt? Terribilis collisio facta est; terra tremuit; rivi cruoris cucurrerunt, iam fulminis fragor super capita nostra intonuerat. Si de sola religione periculum fuisset, vere nescimus utrum tali tonitru evigilassent isti systematice dormientes; quando autem mediis in procellis oculos aperuerunt; quando auribus perceperunt haec tetra sibila: D partitio bonorum; quando promiscuum vulgus in proprietates irruens conspexerunt, tunc demum intimis visceribus commoti sunt: ubi enim thesaurus noster est, ibi est et cor nostrum.

Coram tot terribilibus eventis, rem notamus, ad fidem, auctoritatem et mores redire visi sunt homines illi qui incipiebant, sero nimis, intelligere, exclusis his magnis principiis, nihil superesse aliud nisi perturbationem et anarchiam. Religionem implorarunt, ut immutabili sua doctrina, ius proprietatis tueretur, ne paternam amitterent haereditatem. Tunc coelorum filia, iniuriarum immemor, inter ebullientes animos, munus suum iustitiae et caritatis, ut semper implevit.

Dies nostros, carissimi, attingimus.

II. Severe experti, discite, adiuro vos, conscientiam interrogantes, num poenae, quas passi sumus, iustae ac dignae fuerint. Utinam nobis saltem nunc et deinceps illae prosint, cum pavores speque mentibus nostris insideant. Hinc nobis duplex expositio praesto occurrit.

Tria timere debemus, fratres dilectissimi. Iste ad religionem reditus modo a nobis memoratus, num generalis est atque completus, num dehinc constans permanebit? Satne fidei atque virtutis animis inest, ut defendatur sacer diei dominicae cultus? Quae dextra adeo potens obicem opponet insuperabilem his doctrinis religione ac societati infensis, quae intellectus et animos adhuc corrumpunt, et omnem principatum ipsis odiosum reddunt?

Inde, fratres carissimi, oriuntur nostri pavores, qui, ingenue dicimus, eo magis crescerent, quo minus vox nostra intelligeretur.

B 1. Quidam aetatis nostrae homines mirum systema somniarant, admittendo vel abiiciendo quodcumque in fide catholica suo privato sensui aut potius desideriis et cupiditatibus vel arridebat vel displicebat, philanthropiam iactantes, fraternitatem vero, sacrificium et abnegationem aversantes, ante omnia seipsos et appetitus proprios amantes: sicque fidem moresque suos aedificantes super quemdam eclectismum religiosum, quasi fidei doctrinaeque catholicae moralis principia abscindi possent. At illa, quasi catenae annuli ita inter se uniuntur, ut, uno fracto, simul catenam disrumpi oporteat.

Id sane vos qui summum obtinetis gradum vel in civitatibus, vel apud ruricolas, intellexeratis, quando nos tam dure castigabat ira divina. Ad plebes caece furentes, quasi ad incendium devorans accurrebatis, alta voce proclamantes in sola religione salutem Galliae superesse positam. Quin? Ex vobis plurimi ad religionis praescripta, quae pueri observarant, redierunt. Dominum inde benedicebamus. Ast, quid enim id tacerem? ex quo tellus non concutitur, ipsi nos tremimus, ne redeatis ad vomitum quem provocaverat venenum istud indifferentiae et cupiditatum, quod animabus vestris educatio corrupta instillaverat. Iure meritoque semper postulatis ordinem, iustitiam, pacem; sanctam divinamque proclamatis religionem Christi, quando rebellionem proscribit, quando potestatibus obedientiam, et proprietatis ius inviolabile praecipit. Cur ergo caput interdum avertitis quando, in ipsius Dei nomine, loquimur de castitate, ieiunio, abstinentia, peccatorum confessione, et communionis paschalis sacra sumptione?

Miseri aegrotantes, sine pungenti operatione curari optaretis; ast illa necessario est subeunda. Vani inquisitores remediorum societatis, adhuc inquirite, semperque investigate. Inanis porro indagatio vestra est extra fidem, auctoritatem et mores. Si sincere, ut credimus, regressi estis ad religionis principia, in iis perseverate, ne similes iudicemini nautis qui percutiunt pectus, furente tempestate, et blasphemant, sedata procella.

Numquid religiosi ac sapientes tantum eritis, dum saevit iustitia divina? Nonne Gallia nostra sat plagis, ut Aegyptus, afflicta est? Numquid Pharaonem referentes, plagam omnibus terribiliorem expectabitis, ut deinde, defixis cervicibus, in profunda demergamini, ubi tandem religio, familia patriaque in perpetuum evanescant?

*„Intelligite et erudimini qui iudicatis terram.“* Pensate quid iterum reformidemus.

2. Pavemus, carissimi, quando hebdomada qualibet, se contra altissimum positam ostendit infelix nostra societas, die precibus et quieti consecrato. Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis lacry-

[1] Hac voce significatur *feuilletons* (foliola).
[2] Os. VIII, 7.

marum fontem, ut lugeam diei dominicae profanationem?

Sic periodice, erubescentibus et offensis vicinis nationibus, Deum ipsum provocat quasi filiorum ore, his ei verbis audacter improperans: Die dominica operabor, et crapulae omnique libidini crastinam diem deputabo. Fera sacrilegaque ironia, quae frigide et undique, apud nostrates, divinam promovet vindictam.

Id iuste concedamus fratribus a fide nostra alienis, semperque cordi nostro adeo dilectis ut sanguinem, ad ultimam usque guttam, Deus testis est, pro ipsorum illuminatione et salute libenter funderemus: sancta lex diei dominicae fidelius apud eos servatur quam inter ipsos catholicos. Cur ergo, quando videmus priorum pacificam exaltationem et prosperitatem, dum nos olim tam quieti, nunc toties inter tempestates et evomendos ignes perturbamur, has benedictiones aut maledictiones cultui aut profanationi dierum sacrorum non adscriberemus?

Quamdiu laborem maledictum et sacrilegum die dominica videbimus, erga patriam nostram perstabit tremor. Quamdiu pedum pastorale manus nostra portare valebit et lingua nostra paralysi, glacie aut morte non obrigescet, contra scandalum hoc contestabimur. Si nulla potestas remaneat qua huic legi reverentia conciliari queat, tunc, corde angustato, dicere nunquam desinamus: abeunt fides, auctoritas et mores. Id neminem lateat, horum sepulcrum est profanatio diei dominicae. Iam non supererit nisi ut faciem abscondamus, nova flagella expectantes.

Grates intimo ex corde episcopali retribuamus potestatibus terrae piisque sodalitatibus, quod tentaverint exstirpare de medio nostrum cancerem hunc corrodentem. Utinam opus prosequentes, constantes, perseverantes successu tandem coronentur!

Quod autem diximus de servili opere diebus dominicis, idem dicamus de pravis libris qui novissimum timorem nobis incutiunt erga fidem, auctoritatem et mores. Fortis est, non diffiteor, episcopus, quando una manu super altari posita, altera baculum pastoralem tenens, oculos ad coelum tollit; hoc mihi fides, hoc experientia pectusque testantur, et fateri debemus non debilitates, sed timores quibus angimur, vehementer isti nos premunt, carissimi. Quomodo namque non tremerem, quasi pastor imbellis quando gregem lupi invadunt, dum recogito quod in nostra infelici Gallia, paucis abhinc annis, altissimo sole et impune, octogies centena millia librorum fidei, auctoritati et moribus infensorum circumferebant, non per maximas tantum urbes, sed usque ad humilem etiam viculum milleni homines sinistra facie apparentes? Quale nomen eis dabimus? Profecto nescimus. Parcite nobis, fratres carissimi: etiam ante crucifixum et altare prostrati, id memorare non possumus quin intime commoveantur imo indignentur viscera nostra. Potestne mater, placido pectore, conspicere parvulos suos veneno mortifero contorqueri?

Indicatur ubique effigies malefactorum: quare et nos non delinearemus effigiem horum insignium reorum qui totam Galliam peragrant, furentes incendiarii, percussores venumdati, dogmatizantes mercatores, veneficorum titulo insigniti? Vocantur isti: circumforanei propolae.

Fremant matres tale nomen audiendo; vigilent patres, domini, magistratus. Quis non contremisceret de tempore praesenti et futuro?

Equidem adhibitae sunt quaedam cautiones vigilantiaque; hae vero numquid sufficiunt? Nequaquam: id alta voce clamandum. Si minus est malum, semper tamen malum perstat, nisi evidentia negetur. Enimvero, et nos pastorales peragendo visitationes, saepius, in remotissimo etiam tugurio his occurrimus propolis qui, in regione nostra, plures victimas interfecerunt quam teterrimae contagiones aut cruentissima praelia.

Manibus plaudunt qui ad talia consilia foederati sunt: horrendos quippe successus habuerunt. Bone Deus! Quot ruinae, quot rudera, quot strages, quot sordes? Quo abiit, qui domi vigebat, fons auctoritatis protector? Et ipsa fides quomodo inter nos vivit?

Dubio procul, fratres dilectissimi, altissimis apud nos radicibus defixas fuisse necesse est fidem, auctoritatem moralemque doctrinam, ut istae penitus non interirent in tam horrendis tempestatibus. Guttatim infundite venenum; adhuc infundite, semperque infundatur: quantumvis fortis robustaque victima fuerit, tandem illa succumbet. Primum sentientur in corpore molestae tractiones; mox supervenient acres dolores, demumque lethalis singultus, frigidi sudores, agonia et mors.

Num attigimus extremam hanc lamentabilemque periodum? Nequaquam, fratres in Christo dilecti. Nondum omnia perierunt. Tribus pavoribus modo expositis quos inspirat praesens futurumque tempus, tres opponamus spei rationes.

III. Patriam protegent opera sancta quae superficiem illius operiunt; novae libertates aut potius iura antiqua ecclesiae restituta eam denuo vivificabunt; eius ad Romam reditus, et generosa augusto illius capiti devotio Galliae misericordiam et gratiam merebuntur. Salva tunc erit.

1. Fiduciam non amittamus, fratres carissimi: fides, auctoritas et mores apud nos non peribunt. Post Romam, matrem et magistram ceterarum omnium ecclesiarum, quae sub casus mortisque poena in eius gremio mutuari debent lumen et vitam, post Romam, inquio, apparet Gallia. Quondam, ingravescente procella, iura, potentia, opes, omnia demum ipsi ablata sunt, excepta fide, spe et caritate. Videte autem quot, intra semiseculum, prodigia, ipsa pauper ac debilis, his adiuta divinis elementiis, operari novit!

Millenas super patriae solum, quasi tot stellae sunt in firmamento, sorores Caritatis superseminavit providentia, sub diversis quidem nominibus ac vestimentis, cum eodem vero corde eademque anima. Ipsis subrident tanquam matribus parvuli derelicti orphanique; pauperes, aegroti, senes, infirmi, ut angelos custodes eas venerantur. Nihil miremur virginis christianae pectus aeque amans est simul ac maternum, quia mundum. En resurgunt sanctuaria collapsa; progerminant levitae; fundantur monasteria; nascuntur congregationes; optimi fratres Doctrinae christianae, nobilia illa corda, sub aspero vestimento apparent. Historiam civitatis vestrae teximus, dilecti Rupellenses; Sancti Vincentii a Paulo, Sancti Francisci Xaverii sodalitates adolescunt; bonus pastor erigitur, asylos habet innocentia, asylos poenitentia; piae fundationes denuo instaurantur; cuiusvis generis opera bona surgunt. Sancte fecunda sibi, aliisque quoque gentibus fecunda est ecclesia nostra. Solum opus Propagationis fidei sufficeret ad salvandum nos. Quae in orbe regio beneficiis eius caruit? Quae natio mirata non est martyrum nostrorum fortitudinem, apostolorum nostrorum caritatem, virginum nostrarum puritatem? Galliae tellus! semper ergo tellus eris caritatis uberes fructus deferentis. Quid! istud germen pretiosum nihil nisi mortem portenderet! Non sic, fratres, non sic erit. Porro, quantum adhuc his abundantibus fructibus addetur cum pretiosis

libertatibus iuribusque antiquis in quorum possessionem fuimus restituti!

2. Tres iniustitiae graves illatae sunt in ecclesiam cuius pontifices iam nequibant, ut hodie, sacros coetus adunare; in familiam cuius patri non supererat libertas eligendi quos vellet filiorum suorum institutores; in quemlibet privatum qui cogebatur exulare quando in ordine religioso, ad quem Deus et conscientia illum vocabant, vivere et mori cupiebat. Quid autem accidit? Postquam per duo saecula suspecti habiti sunt episcopi, qui tamen semper subiectionem et reverentiam potestatibus debitam praedicaverant, quique invite separati luctam sustinere non valebant contra generationem rationalismo et indifferentia nutritam, cum praesertim orbarentur auxilio religiosorum institutorum quae indigne fuerant proscripta: una affulsit dies in qua potentia, auctoritas, familia, in gurgitem praecipites, disparuerunt.

Sed hodie, insperato providentiae miraculo, concilia pacifice habentur; adolescentia institui potest in veneratione erga fidem, auctoritatem et mores; hodie filii sanctorum Benedicti, Francisci, Dominici, Bernardi, Ignatii, piae phalanges, milites electi, auxiliatores nobis veniunt, offerentes iuventuti optimam institutionem, fortia studia, austeras virtutes, labores apostolicos. Hodie ergo confortemur et confidamus: fides, auctoritas moresque inter nos reflorescent. Gallia quieta erit, potens ac fortis quamdiu tres istae libertates ecclesiae nostrae asserentur. Sic etiam novae catastrophes ipsi imminerent statim ac his bonis eam dispoliare tentaretur.

Nunquam errori subiacet signum hoc revolutionum praenuntium. Ad historiam nostram appello. Deus non permittet, id speramus, ut aliquando vobis dicere cogamur: haec mala vobis praediximus.

Finem faciamus, carissimi. Id agere volumus ea dignitate quae hanc nobilem decet concionem. Applaudent corda vestra, pontifices, sacerdotes et fideles.

3. Salvabitur Gallia dilectione ac pietate quibus prosequitur Romam, augustumque pontificem eius Pium IX, dilectissimum nobis patrem, grandem ac decorum huius saeculi caracterem, sub figura tam mansueta. Quantum splendebat, cum tiara pontificali, quando nobis datum est eum conspicere ipso die exaltationis eius! At quanto fulgore splendentius radiante frons illa nobilis apparere debuit postquam redimita est spinarum Domini corona, dum Pius Christi caritate intus arderet! Vices ipsi rependamus amoris quo gregem Galliamque complectitur, obedientiamque, devotionem ac filialem ipsi reverentiam exhibeamus.

Religio catholica, ut scitis, honor semper fuit gloriaque nationum; tantum vero prospera est, quantum strictiori cum capite vinculo unitur. Id satis, in Gallia, intellectum non erat, nec tanquam immensa calamitas iudicata fuerat levissima etiam nubes inter patrem supremum filiosque interposita.

Diffidentiae olim extiterant, imo prodierant, quasi tenerrimi amplexus matris nocere possent dilectissimo parvulo dum adhaeret pectori unde fortitudinem haurit ac vitam. Quid accidisset, dilectissimi, si periculosam hanc declivitatem, ad quam adhuc allicimur, semper fuissemus secuti? Brevi, cum tot aliis nationibus, speciosa Gallia nostra, Gallia intimis visceribus tam catholica, sensim a Roma divulsa fuisset, quasi palmes a vite, quasi rivus a fonte: ad sterilitatem namque et ad mortem fuisset damnata.

Deo gloria, carissimi fratres, nunquam res ad hunc statum devenient: spontaneo et unanimi motu, pontifices, sacerdotes et fideles Galliarum, iam fortiter Petro iuncti per fidem, obedientiam et caritatem, inter has omnes revolutiones, intellexerunt necessitatem vinculi fortioris cum ista cathedra quae non succumbit, cum pontifice supremo qui numquam erravit nec unquam errare potest.

Inde frequentiores istae ad tumulos sanctorum apostolorum peregrinationes; inde pronitas haec generalis ad unitatem precum et formularum liturgiae; inde e conciliis provincialibus, quae tribus abhinc annis in diversis Galliae locis habita sunt, quasi fontes amoris in sanctam sedem dimanantes. Deo servire regnare est. Mente et corde hic obedire vicario Christi, nonne hoc est libertate imperioque frui?

Id satis non erat. Quibusnam arcanis motibus providentia, plaudente orbe, nobilissimam, quae nationi credi possit, Galliae dedit missionem? Novit Deus. Neminem vero latent militum nostrorum valor, ducum peritia, omnium prona voluntas, ut Romae, ideoque orbi catholico, felicitatem et vitam restituerent in persona augustissimi dilectissimique pontificis.

Unde processit oratio, inde finem ei imponamus. *„A Domino factum est istud: et est mirabile in oculis nostris.“* Hoc duplici miraculo restitutionis Pii IX et conciliorum Gallia salvabitur. Interrogemus adhuc historiam, finiendo.

Licinius imperator concilia proscripsit: *„Praecepit* namque,“ ait Eusebius, *„ne episcopi uspiam inter se de ulla re conferrent.“* Victus Licinius cecidit. Horum Constantinus sanctorum coetuum gloriosus promotor, triumphavit, ipsumque posteri magnum vocaverunt.

Libertati quippe ecclesiae suae studet Dominus: et principes, reges, imperatores qui eam sine compedibus siverunt moveri in circulo, quem divina impressit manus, et quem nunquam transgressura est, semper gratiis ac benedictionibus fuerunt cumulati.

Venerandi in episcopatu fratres, eodem tempore, tres anni sunt, conclusimus concilium nostrum solemnibus acclamationibus, futurosque dies prospiciendo; anxii quidem, etsi Deo pacis plene confidentes, osculo fraterno invicem nos salutabamus, et post triennium, ut sacri praescribunt canones, nos adhuc conventuros spondebamus.

Cum Dominus id nos perficere permiserit, grande hoc factum inscribamus, scilicet a coetibus episcopalibus coelestes adduci benedictiones in imperia, quorum oculi sat perspicaces sunt ut bona inde fluentia agnoscant, et quorum conscia fortitudo non movetur clamoribus impietatis semper infensae religioni, societati ac familiae.

Filii in Christo benedicti, os nostrum patet ad vos; pectus quoque nostrum vobis dilatatur. Legite, scrutantes intima episcoporum vestrorum corda. Quidnam isti ambiunt nisi maiorem Dei gloriam, animarum vestrarum salutem, Galliae prosperitatem, id est, bonum vestrum temporale et aeternum.

Utinam vota nostra compleantur! Amen.

**Concio quam habuit in ecclesia sua cathedrali dominus dominus Clemens Villecourt, episcopus Rupellensis et Santonensis, solio pontificio assistens, die conclusionis concilii provincialis, 2 augusti 1853.**

*Revertentur filii ad terminos suos.*
(Ierem. XXXI, 17.)

Eminentissime cardinalis, reverendissimi patres.

Maxima repletus laetitia, Ieremias propheta Israelitis nuntiabat proximum captivitatis eorum finem, regressumque in Ierusalem unde exulabant.

Non minori exultat gaudio episcopus, diem prospiciens felicem, qua sub pastoralem eius baculum

revertentur oves errantes, sicque votum implebunt A Christi qui dixerat: „*Alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient; et fiet unum ovile et unus pastor.*“[1]

Dulcis huius spei sapore cor meum recreatur, dum sanctam hanc augustamque conspicio coronam ecclesiae principum, quos populorum nostrorum cingunt amor ac veneratio.

Vere, patres reverendissimi, concilii huius congregatio in hac dilecta civitate, quae tali nunquam refulsit honore, digna pectus meum fiducia replet, et intimis ex visceribus haec alterius prophetae verba depromit: „*Animaequiores estote, filii; clamate ad Dominum .... Ego enim speravi in aeternum salutem vestram.*“[2]

Iam incerta non est huius orationis materia: Felix status Rupellae sub fidei catholicae imperio; calamitates quae defectionem eius secutae sunt; fausta quae praebet omina futuri, praesentis con- B sideratio temporis.

I. Inspici nequeunt Rupellae origo et progressus, quin moveatur in animis pia aedificatio ex miris effectibus a religione catholica, his in locis, olim dimanantibus. Sub illius influxu, crescit Rupella et invalescit. Ab ortu, insigniter catholica, quamdam, vix fundata, celebritatem habet, eiusque gloria inter vicinas omnes enitet civitates, quae sensim coram illa evanescunt, quasi famam illius non aemulaturae.

Non dicam quanto ardore primi Rupellenses, in Terram Sanctam properarint, ut debellarent infideles ad simplicem nutum vicarii Christi. Zelus eorum et valor sub crucis vexillo, honorabiles immunitates ipsorum urbi meruerunt.

Hanc urbem ipse Deus praeclare benedixit. Vix duo triave saecula, ab eius fundatione effluxerant, C cum inter opulentissimas civitates annumeraretur. Stupent advenae inspiciendo ingentem munitionum molem, turrium audaciam ac numerum, pulchritudinem monumentorum publicorum, magnificentiam ecclesiarum quae, teste veteri chronographo, tot ecclesiis cathedralibus comparari poterant. Quodcumque enim architectura arte perfectissimum et exquisitissimum exhibere poterat, in his religiosis fabricis, quas mediae aetatis Gallia extruxerat, in simplicibus paroeciarum Rupellae ecclesiis quodammodo collectum inveniebatur. Num loquar de elegantia camerarum auro splendentium; de venustate obeliscorum quasi magice in aera prosilientium; de fulgore ornamentorum; de pretio ac multitudine vasorum sacrorum; de pompa et ordine celebrationis sanctorum officiorum? Sed prolixior esset huiusmodi narratio.

Vix monachorum ecclesiae a paroecialibus opu- D lentia superabantur.

Indoles catholica erat quasi anima Rupellensium. Inter eos, omnia fidem, pietatem coelestemque amorem spirabant. Aegre discedebatur ab hac atmosphaera pium quid et sanctum redolente, quaeque imaginem quamdam paradisi terrestris referebat.

In ecclesia principali civitatis eligebantur magistratus urbani, quos maiores vocabant. Ibi sacro vinculo se obstringebant ad obeunda fidelissime omnia muneris sui officia. Haec electio coram altaribus facta, erat deinceps species quaedam consecrationis, quae primos magistratus omni civitati obsequio et veneratione dignos praestabat.

Tunc ignotus erat spiritus ille cuiuscumque subiectionis et auctoritatis impatiens, qui saeculi huius morbidus character est. Unusquisque in sua conditione quietus manebat, ne cogitans quidem eius limites transilire. Venerationem sibi conciliabant magistratus, officia quae religio praescribit palam adimplendo. Inferiorum suorum patres et exemplum potius se ostendebant, quam superiores et magistros. Vice sua, felices se iudicabant subiecti, quod regerentur ab hominibus qui nihil ab inferioribus exigebant quod ipsi exactissime non perficerent.

Pia praesertim aedificatio oriebatur ex maxima sollicitudine inter urbem vigente, erga honorem Deo et omnibus quae ad eius cultum pertinent, debitum. Instrumentis authenticis inconcussum remanet quanto zelo in blasphemiam et impietatem animadverteretur. Haec scelera severissime puniebantur sine acceptione conditionis qualitatisve personarum. Quinimo, eo gravior poena erat, quo reus magis dignitate caeteris praeemineret.

Coram adoranda eucharistia sanciebantur pactiones gravissimae et solemnissimae.

Rupella tunc erga defunctos maximam exerebat pietatem: preces, altaris sacrificium, eleemosynae, omnia demum impendebantur, ut eorum poenae breviarentur. Devotio erga mortuos semper fidei catholicae consentanea est, et cum hac fide extinguitur. Vera charitas non refrigescit, aperto sepulchro: „*Fortis est ut mors dilectio*“, ait Spiritus sanctus.

Speciali cultu Dei genitricem honorabant patres nostri. In acta publica referebant eorum, erga Mariam, amoris et grati animi testimonia.

Si quando coelum Galliae aut civitati gratiam insignem concessisset, omnium campanarum sonitu ad solemnes Deo grates rependendas, Rupellenses invitabantur; tuncque sacris canticis religiosam in cordibus exultationem moventibus, ecclesiae resonabant.

Nihil hucusque dixi quod non innitatur monumentis certis ocius serius publicandis[1].

II. Sed, heu! pax illa placida, quam civitati dederat dulce religionis fideique catholicae imperium per quingentorum annorum periodum, invidiam inferni provocavit.

Iam tristis haeresis taedas ardentes intulerat in maiorem partem Germaniae, Helvetiae, Angliae; iam Ambosiana coniuratio christianissimo regi mortem comminata fuerat. Iam odium teterrimum, quo incendebatur contra ecclesiam, nimis famosa Elisabeth, Anglorum regina, catholicos perterruerat, non solum in ipsius regno, sed in ditionibus Scotiae, Hiberniae et etiam Galliae. Haec ambitiosa princeps desiderium praesertim insatiabile fovebat in suam potestatem redigendi Rupellam, quae, per quoddam tempus, iam olim dominationi Anglorum subiacuerat. Sed difficilis erat nova haec reductio. Rupellensium maxima pars felices vivebant in catholicae religionis gremio, et sub paterno sui principis regimine. Paucis exceptis hominibus, quorum perdita vita moralem evangelii disciplinam vix ferebat, multitudo omnis incolarum potius mortem quam fidei sacrificium elegisset.

Sed, proh dolor! inter eos quibus onus importunum erant ecclesiae leges, reperiebatur urbis gubernator[2]. Sciebat ille auxilium se inventurum apud eos omnes, quos opes abundantiaque enervaverant. His ergo protegentibus eum, ultima die maii 1562, tandem effectum est ut congregarentur in plateam

[1] Ioan. X. 16.

[2] Baruch. IV, 21, 22.

[1] Operam navat dominus Cholet, rector decanus Agrifolii, prope Rupellam, conscribendae novae historiae Rupellanae. Huius scriptoris peritia scientiaque, severae et indefessae illius investigationes, sinceram et ab omni partium studio alienam nobis narrationem pollicentur.

[2] Guido Chabot de Jarnac.

maris orae proximam, plurima Rupellensium utriusque sexus millia. Undequaque acciti fuerant praedicantes calvinianae sectae, qui, per tres horas indesinenter declamarunt contra susceptum cultus catholici ritum, atque adversus vulgata christianissimorum regum edicta. Terror quem inspirarant praesentia protectioque magistratuum, spectaculum turbae sectariorum armatorum, qui in urbem introducti fuerant, formidinem iniecerunt ne minima etiam resistentia occasionem stragis praeberet: quod diversis in locis iam acciderat. Igitur, recentes advenae opportune abutentes generali terrore ab illa seditiosa praedicatione excitato, statim vehementissimo cum impetu et horrifico tumultu, per urbis vicos et plateas discurrentes et concurrentes, atque his vocibus conclamitantes: Libertas! libertas! evangelium! evangelium! ipsis favente omnium stupore ac pavore, sacras in aedes impetuose irruperunt, pretiosis quibuscumque rebus ac omni ecclesiastica supellectili illas spoliarunt; altaria everterunt; beatissimae semper virginis Mariae et aliorum sanctorum imagines comminuerunt, vel in derisum, odium et contemptum mutilaverunt; fundatorum et insignium utriusque sexus fidelium loculos effoderunt, tumulos oblitterarunt; corpora, ossa et qualescumque eorum reliquias conculcarunt, summo dedecore huc atque illuc sparserunt, vel igni combusserunt, vel undis immerserunt; et divinos libros, sedilia, et quidquid flammis subiici poterat, in cinerem converterunt. Insuper, monasteria expilaverunt; religiosis ac caeteris ecclesiasticis summam vim, qua patrios lares, domum, urbem munusque deserere coacti sunt, intulerunt. Quid plura? Ut aliquando redeundi omnem spem illis adimerent, die 14 iunii, eorum annuos reditus ipsis eripuerunt, quos laicis, perobscuris hominibus, assignarunt; atque in ipsa illibata eorumdem monasteriorum septa et regularia loca, coniugatos viros una cum uxoribus et liberis introduxerunt[1].

Mihi vires deficerent aggredienti narrationem atrocitatum quae deinde, sex annis elapsis, patratae sunt in urbe. Huius generis fuerunt, ut catholici coacti fuerint hanc urbem homicidam fugere; et qui in ea remanserunt, nihil aliud erant quam infimae plebis homines qui nullum noverant locum quo diverterent, ut asylum miseriae suae invenirent. Ex centum triginta quinque presbyteris, qui nuper sacra munera exercebant in urbe, viginti septem trucidati fuerunt[2]; caeteri, qui evadere potuerunt, quaecumque possidebant adhuc suis persecutoribus dereliquerunt. Quadraginta quatuor cives ad consilium municipii pertinentes, exsilio traditi aut bonis suis spoliati sunt, propter suam fidei constantiam. Honor ipsorum memoriae tribuatur!

Haeresis Rupellae mansit triumphans per sexaginta et sex annos. Contemnebantur iussiones et minae regiae, praesertim ex quo plurimi magnates vicinarum regionum novis opinionibus animas manusque dedissent, et vexillum rebellionis extulissent. Quinquaginta quinque ministri moderni cultus, spoliis ecclesiae ditati, exercebant apud suos sectarios, variorum locorum transfugas, audax munus suum. Alteram Genevam de Rupella fecerunt: hic ab eis congregabantur synodi et consistoria; hic symboli conficiebantur; hic usurpabatur quaedam inspiratio, imo infallibilitas quae ecclesiae negabatur. Qui abiecerant et abrogare voluerant sacerdotium, titulo pastorum se decorabant. Qui repudiarant missionem legitimam quam exigit apostolus, fi ius sibi dabant praedicandi tanquam missi a Spiritu sancto. Tunc scelus fuit audire hanc ecclesiam quam Dominus super Petrum aedificaverat, et contra quam portae inferi non praevalebunt. Novi doctores locum invaserunt eorum quibus dixerat Dominus: „*Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit. Euntes ergo, docete omnes gentes. . . . Et ecce ego vobiscum sum, omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. . . . Si quis ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.*"

A rebellione contra ecclesiae auctoritatem, ad rebellionem contra regimen saeculare, gressus lubricus est. Ibi alia rebellio alteram secuta est. Huius temporis commentarii, quicumque fuerit cultus auctorum, nobis conservarunt propositiones authenticas apud Angliam saepe iteratas, ut novos Rupellae incolas, qui regis Galliae iugum abiicere cupiebant, adiuvarent[1]. Hanc proditionem, cui indignatio debebatur, libenter suscipere fecerunt ambitio et fanatica phrenesis. Dux Neomagi (Buckingham) classem statim armavit, et in insulam a Rete[2] irruit, nulla praemissa belli declaratione. In eo iam erat ut castello Sancti Martini potiretur; sed valor marchionis de Thoyras, insulae gubernatoris, ipsius consilia evertit.

Nunc, illustrissimi praesules, nihil vos, nec clarissimi vos adstantes, discendum a me habetis, de memoranda illa tredecim mensium obsidione, qua durante, rebellio colluctata est tanta cum pertinacitate contra religionem et legitimam auctoritatem. Mihi solum liceat admirari quomodo, diebus adhuc nostris, mentio fuerit erigendi monumentum perfidiae, velut ad glorificandam illam, eamque suggerendam saeculo nostro, quod iam pervertitur nimis tot doctrinis falsis[3].

Iuri ac sanctissimae causae coelum dabit triumphum. In insula a Rete exercitus noster victor evaserat non solum de furenti procella, sed etiam de cunctae classis Anglicae viribus, quae copiis nostris multo superiores erant. Rupellae, famosus agger, quem per mare struxerat cardinalis de Richelieu, omnia Anglorum consilia subvertit, solamque eis confusionem belli contra ius gentium incepti dereliquit[4].

Interea, dirissima fames maximum Rupellensium

[1] Urbis syndicum Renatum Berthet, virum solertem, et istiusmodi gerendis rebus aptum, qui apud quosvis notarios, caeterosque huius generis ministros et alios quoscumque, ecclesiasticorum redituum ac bonorum monumenta sedulo requireret, tolleretque cum praecipua ac speciali auctoritate, maioris et consulum syngraphis et urbis sigillo firmata, die 4 novembris constituerant.

[2] Vide *Manuale histor.*, auctore Lefebvre, priore conventus Rupellensis ordinis Praedicatorum. Rupellae apud Tussanum de Govy, 1646.

[3] A saevientibus vincti in excelsam urbis turrim, quae, ob id, turris Presbyterorum et Vinctorum dicta est, abducti sunt, anno 1568; ibique fame, siti, probris, verberibus multisque plagis cruciati, et in sincera catholicae fidei confessione invicto animo perseverantes, immaniter mactati et in mare praecipites dati sunt. Eorum autem sanguine madentes ipsi lapides, nefarium scelus sectariis uti atrocissimis et cruentissimis hactenus exprobrarunt (Lefebvre).

[1] Inter caetera, vide acta authentica in *Diario de obsidione Rupellana*, fideliter relata a P. Mervault, huius eventus coaetaneo.

[2] Quidam dicunt Ream, alii Radim, alii a Rete, caeteri Reorum, gallice *l'île de Ré*. Castellum habet in oppido Sancti Martini, in quo inclusi sunt innumeri sacerdotes tempore perturbationis Gallicae. Ibi, propter incolarum insulae religiosos sensus, multo minus passi sunt hi pii confessores quam in pontonibus Rupefortii, in conspectu insulae Aquensis (*l'île d'Aix*), quae pertinet quoque ad dioecesim Rupellensem.

[3] Declaratio conventus municipalis, habiti Rupellae, die 19 februarii 1841. Notat d. Callot (pag. 57) hanc declarationem ab auctoritate superiore non fuisse approbatam.

[4] Hic agger ad 1448 metra extenditur. Hoc grande opus cardinalis de Richelieu commisit peritiae Clementis Metezeau, Galliae architecti.

numerum iam interfecerat[1]. Qui supervixerant, in ditionem regis se dare voluissent, sed maior civitatis non solum resistebat eorum voluntati, sed minabatur aut etiam exercebat poenas crudelissimas in eos qui talem manifestabant intentionem[2]. Ah! non ipse famem patiebatur in hac misera civitate in qua vivi cito moriebantur, quia foetidam et horridam mortuorum carnem manducaverant; in qua, sicut olim in obsidione Hierosolymitana, mater in vivam filiam suam irruit, et eam devorare incepit; in qua clamores tenelli fratris contemnens, quaedam soror ipsius digitos dentibus laceravit, et discerptos suxit ut famem suam restingueret[3]. O Rupellenses, vos tanta humanitate et commiseratione nunc insignes, non amplius emittetur apud vos consilium glorificandi hunc ferum dictatorem, qui, nonnisi ad extrema adductus, tandem consensit ut fores aperirentur civitatis veris Rupellensium liberatoribus[4].

[1] Principio obsidionis, recensuit Ioannes Godeffroy, tunc maior civitatis, omnes urbis incolas, et inventi sunt viginti et octo millia; ex quibus paucissimi ferro et igne mortui sunt. Absoluta autem obsidione, nonnisi quinque millia et quadringenti superstites erant. Caeteros absumpserat crudelissima fames. Quolibet die, praesertim sub finem obsidionis, quadringenti moriebantur. Viventes vero quasi larvae apparebant. Omnia vorata fuerant: pergamena scripturarum, gypsa, stercora, imo ipsa humana cadavera. „*Quod meis oculis vidi,*" ait P. Mervault. Post obsidionem, mille adhuc et amplius interierunt ex morbis et languoribus quos, premente fame, contraxerant.

[2] Omnibus fere notus est famosus iste Guiton, maior civitatis, ex haereticis parentibus Rupellae natus initio iulii 1585, qui ad magistratum urbanum, incepta iam obsidione, electus est, die 18 aprilis anno 1628. Ostenditur, hodiedum, in basilica urbis, mensa marmorea quam pugionis ictu incidit, dicens: „*Maior ero civitatis, iuxta desiderium vestrum, sed ea conditione ut liceat mihi transfigere pectus illius qui prior de redditione urbis loquetur; imo, ipse transfigar, si unquam quid tale proponam. Quocirca, remaneat hic pugio in ista deliberationum nostrarum sede.*"

Exinde, creata est specialis commissio in qua sedebant duo municipes, duo cives et unus pseudo-minister, ut iudicarent et punirent hostium exploratores et proditores. Indoli suae non defuit Guiton: plures enim pueros manu carnificis flagellandos curavit, qui litteras secretas ad obsessores detulerant, quosdam autem viros speculatus suspectos indicari, morte plecti et eorum cadavera desuper urbis moenia proiici fecit. Primores urbis suis infensos consiliis, carceribus inclusit, quia dixerant „*eum esse tyrannum nihil de aliorum magistratuum auctoritate curantem, neque de civium calamitatibus, has potius augentem, ut crudelem suam assereret potentiam; mittentem ad pastum in segetes et olera, dum adhuc in herbis erant, iumenta sua, quae deinceps auri pondo famelicis concivibus divendebat: ignavum, ignobilem, ineptum, superbum, proditorem*". Quae quidem accusationes eo graviores erant quod a consectariis promerentur. Et talis vir dignus fuisset cui, post duo saecula, monumentum gloriosum erigeretur!

[3] Huiusmodi facta inhumana ubique indicia sunt irae divinae in quemcumque populum. Haec autem plurimaque alia non minori horrore digna, de obsidione Rupellae, narrantur non solum a catholicis, sed a protestantibus scriptoribus coaetaneis.

[4] Odiosi iuramenti sui violationem reiecit Guiton in Anglos, qui non succurrerant urbi, iuxta promissionem quam fecerant: quasi non omnia tentavissent, ut obsessis auxilium ferrent. Turpe sane est [illegible]usvis exprobrare quod rem impossibilem non egerint.

Caeterum, ut mos gereretur optimis magistratibus hodiernis, post praesentem habitam concionem, consensi ut in impressione Gallica non memorarentur quae de monumento Guitoni erigendo, in cathedrali Rupellensi coram omnibus prolata fuerant.

Expleta obsidione, iussus est Guiton a Rupella, saltem ad sex menses, recedere. Haec unica poena fuit viri qui tot civium interfector fuerat. Surgerias (*Surgères*) petiit, a consectariis hospitalitatem petens; sed illum omnes cum horrore repulerunt. Receptus est tamen Tauniaci ad Vultonam (*Tonnay-Boutonne*), unde postea pluries Rupellam rediit. Ibi, sicut constat codicibus mortuariis, vitam finivit, die 14 martii 1654, anno aetatis suae circiter 69. Utinam, post tot facinora, ante mortem conversus fuisset!

III. Ad finem properemus lamentabilis huius historiae. Gallorum exercitus, expulsis Anglis ab insula a Reto, ablatis eorum tormentis bellicis, coelum vidit manifeste favens causae iustitiae ac fidei: magna quippe pars inimicae classis Oceani undis submersa est. Quadraginta quatuor vexilla Anglorum ab eis sublata, Parisios missa sunt, ac in fornicibus basilicae Dominae Nostrae suspensa.

Diutius resistere obsessi non valebant. Iam non nisi quinque millia et quadringenti incolae in urbe remanebant. Fame quoque in ea perierat maxima pars militum sive Rupellensium sive Anglorum: qui supererant potius phantasmata et umbrae erant quam homines. Tandem, in deditionem regio exercitui venerunt, die 30 octobris 1628, et festo Omnium Sanctorum, quatuordecim turmae legionis praetorianae, sexque turmae Helvetiorum mane Rupellam ingressi sunt. Postquam ecclesia Sanctae Margaritae reconciliata fuisset[1], cardinalis de Richelieu missam celebravit, in qua primores exercitus sacram communionem receperunt. Hac die, coelum sine nubibus erat, et credi potuisset diem veris serenissimum illuxisse. Rex, post meridiem tantum huius diei memorabilis, in urbem ingressus est. Rupellenses qui eius iram, tot moti rationibus, formidare debebant, eum patrem mansuetum nacti sunt. Ipsius solo aspectu amare doluerunt quod tamdiu ei restitissent. Hymnus *Te Deum* cantatus est in ecclesia Sanctae Margaritae, quae sola remanserat paucis catholicis qui in urbe adhuc inveniebantur. Per totum cantum hymni sacri flevit rex, et propter calamitates quas infelix sibi acciverat Rupella, et gratum servans animum de victoria a coelo sibi concessa.

Per diem istum regii milites urbem peragrantes interrogabant incolas de pressuris quas passi fuerant: ipsorumque lacrymis probatum est quantum condolerent malis tam diuturnis et cruentis. Nedum de vindicta cogitarent, haec generosa corda ipsis porrigebant cuiusque generis levamen quo extrema eorum miseria indigebat.

Die tertia novembris, solemniter per urbem delatum est sanctissimum sacramentum, ut sic reparatio fieret iniuriarum in adorandam eucharistiam illatarum. „Haec reparatio salubriter commovit omnium mentes. Archiepiscopus Burdigalensis[2] ferebat sanctissimum sacramentum, duobus assistentibus abbatibus. Rex et cardinalis de Richelieu sequebantur baldachinum, quorum funiculos tenebant duces Engolismensis et Alectensis, nec non mareschalli Schombergensis et de Bassompierre. Processio peragravit praecipuos urbis vicos, nec in locum sanctum regressa est nisi post tres circuitus horas.

Catholica religio deinceps redintegrata erat Rupellae, nec tantum in urbe proficere debebat, sed in omnibus etiam locis quos invaserant novae opiniones.

Elapsis dehinc viginti annis, dominus dominus Iacobus Raoul de La Guibourgère, quem designaverat sanctus Vincentius a Paulo, Rupellam transferebatur a dioecesi Malleacensi (*Maillezais*) quae suppressa fuit. Die 18 octobris 1648, possessionem iniit huius novae sedis.

Era nova tunc coepit in his regionibus, ubi error sensim quod funeste acquisierat, amisit. Hodie protestantium numerus, si excipiantur extranei vagantes, Rupellae non attingit sexies centum: et in tota dioecesi non excedit quindecim millia[3]. Inde

[1] Quidam enim, qui in eam confugerant, durante obsidione, tormentis bellicis ibi interfecti fuerant.

[2] Henricus de Sourdis.

[3] Nihil non mentiuntur pseudo-ministri ut sectam suam numerosiorem adhuc hodie, his in partibus, fingant: sed authen-

indicari potest quot conversiones factae fuerint intra A spatium ducentorum annorum. Frustra pseudo-reformatio templa sua multiplicat; frustra, ut sibi quemdam splendorem addat, longe lateque victorias novosque proselytos iactat: ipsius circumforanei propolae et evangelistae possunt quidem aliquantisper diversis in locis quos peragrant, suscitare animorum perturbationem: semper tandem contemptum excitant et indignationem calumniis contra ecclesiam, cultum eius, caeremonias et sacerdotes, suis etiam furibundis libellis ac mendacibus relationibus. Quare non mihi liceret factum hic recensere cuius acta authentica facilem probationem exhibere possent? A decem et octo annis, ex quibus hanc dilectam dioecesim guberno, numerus abiurationum semper crevit inter pseudo-reformatos; et raro evenit ut quaelibet hebdomada quamdam huius generis consolationem non mihi afferat ex aliqua parte dioecesis meae. Quis autem potest non agnoscere B agoniam pseudo-reformationis, inter inauditos conatus quibus nititur cursum suum luctuosum prolongare? Sed ultra non proficiet: dicit enim Spiritus sanctus: *„Ante ruinam exaltatur spiritus.“* [1] Et alibi: *„Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo.“* [2]

Iam praeteriit tempus quo litterae et publicationes episcopales indesinenter lacessebantur ab his qui sibi pastorum titulum arrogant, in pseudo-reformationis castris. Tunc pacatissima etiam verba in venenatum trahebantur sensum, ea tantum ratione quod catholica essent. Violenter tentabant pseudo-ministri imprimere colorem politicum religiosis quaestionibus quae nihil huiusmodi exhibebant; iniustae scilicet suspiciones et quidam seditionis fucus in doctrinam catholicam, quantum saltem fieri poterat, inspergebantur.

Solemnes hodie gratiarum actiones tibi rependo, C ecclesiae matris meae divine fundator eiusdemque sponse coelestis, quod non permiseris his calumniosis aggressionibus animum meum concuti. Nisi illudar, in his conflictibus, nihil amisit, quinimo omnia lucrata est causa veritatis. Omnia enim nunc, sive in urbe episcopali sive in universa dioecesi, sub aspectu novo et spem omnem inspirante, apparent. Primi pastoris visitationes, inter omnes dioecesis fines exultationis manifestationes exsuscitant, quae recte intelligi nequeunt nisi ab eis qui testes earum fuerunt. Absit a me, concio illustris, ut hunc successum immeritae personae meae tribuam! Numquid infirmitatem meam ignorare possum? Numquid, hanc dioecesim ingrediendo, mihi dissimulare poteram quantum inferior essem missioni quae debilitati meae commissa fuerat! Ah! quo felicis Dei opus succedens videbam, eo amplius demirabar potentiam illius, cui instrumenta omnia idonea sunt D ad executionem consiliorum suorum; eo pronlori impulsu cum propheta exclamabam: *„A Domino factum est istud: et est mirabile in oculis nostris.“* [3]

Dicamne gratias omnes divinitus nobis concessas? Adhuc eram in metropoli orbis christiani, quando inventus est tumulus antiquus venerandum sancti Eutropii corpus includens. Redii, ut scrupuloso insisterem processui qui eius demonstravit indubiam authenticitatem. Dignatus es, eminentissime cardinalis, translationi praeesse horum pretiosorum pignorum. Comites habens plures praesules inter quos quidam honorant hodie augustum hunc coetum, testis fuisti piae exultationis immensae multitudinis hominum, qui ex omnibus Galliae partibus accurrerant, ut laetitiae nostrae participes essent. Horrendae procellae, pluviae torrentium instar de coelo irruentes, et diem decimum quartum octobris praecedentes, non portendebant nobis serenissimum diem solemque splendidissimum quem nobis impetraturus erat nostrarum regionum apostolus, ut gloriam triumphumque illius celebraremus. Haec dies nulli comparabilis, velut monumentum in dulcissimis nostris recordationibus permanebit.

Paucis post annis, quodam miraculo, Rupellae, cultus publicus restituebatur, sub protectione benevola magistratuum nostrorum. Adoranda providentia, tu ipsa praeparasti faustum hunc reditum. Eius circumstantia maxime notanda est: hoc enim ipso tempore iterum incipiebant labores ecclesiae nostrae cathedralis, a sexaginta annis suspensi. Dies erat quo debiles manus meae consecrabant dilectum angelum ecclesiae Blesensis. Saepe, in hac solemnitate memorabili, commota sunt viscera mea, et lacrymae oculos meos madefecerunt, cum pios nostros Rupellenses gaudio gestientes cernerem.

An licebat ultra exspectare tantam eorum exultationem ac religiosum habitum, anno praeterito et currenti, die quo facta est processio cum sanctissimo et maxime adorando sacramento? Quae Galliae civitas unquam se devotiorem ac zelantiorem ostendit, ut ornaret ac decoraret locos per quos deferri debebat? Ubinam alibi reperiri potuisset maior numerus aulaeorum splendidorum a summis pendentium aedificiis, symbolorum fidei omnino catholicae, sententiarum exquisitarum, sertorum viridantium, florum sparsorum, tempestate exceptitia in qua eorum carentiam ubique omnes deplorabant? Divites et pauperes, nonne cuncti aequaliter inter sese aemulati sunt ut magis honorarent Deum tabernaculorum nostrorum?

Equidem, hodie, non amplius supersunt nobis istae praeclarae ecclesiae, in quibus, ducenti anni sunt, patres nostri obsequia sua tam laeti Domino offerebant [1]; sed animae vestrae in dies mundatae ac sanctificatae gratia divina, sanctuaria erunt, christiani fideles, millies gratiora ei qui renes et corda scrutatur. Non amplius nobis restant, olim tantam spirantia aedificationem, Carmelitarum, Augustinianorum, Franciscanorum, Dominicanorum, Iesuitarum pluriumque aliorum ordinum monasteria; sed duplicem habemus familiam Sancti Vincentii a Paulo; altera instruit ac aedificat sanctuarii alumnos, et alia se devovet alleviandis infortuniis et infirmitatibus humanis; habemus filios venerabilis de La Salle, dilectissimos fideli plebi, cuius infantiam ad instructionem virtutemque informant; habemus Providentiae sacrum gynaeceum nascenti dioecesi coaetaneum, quod, omnibus calamitatibus ac perturbationibus nostris superstes, apud omnes puellulas sibi praedilectas opus suum prosequitur sanctificationis, beneficentiae et religiosae instructionis; habemus moniales Refugii, se devoventes reducendis ad virtutem ac poenitentiam animabus errantibus et effraenatis; habemus sorores Sapientiae, suo tam dignas nomine, adeoque caras iis omnibus quorum piam curam gerunt; habemus religiosas Sanctae Ursulae [2], quibus tot familiae debent fructus nun-

tica recensio facta est: desperent vel quiescant, nihil ipsorum numero addi potest.

[1] Prov. XVI, 18. [2] I. Cor. I, 19. [3] Ps. CXVII, 23.

[1] Non solum Rupellae, sed in toto spatio quod hodie occupat dioecesis Rupellensis et Santonensis, minimae etiam paroeciae, ut facile agnoscitur earum ruinis, ecclesias possidebant exquisita arte constructas, stylo vel romano vel gothico; sed, paucis exceptis, omnes vandalismum pseudo-reformationis subierunt. Una hora sufficiebat, mediante sulphurei pulveris explosione, ut earum tecta, camerae et fornices deorsum ruerent, solaque moenia starent. Nihil dico de profanationibus, de altarium eversionibus, etc., quae talia praecedebant facinora.

[2] Hae dicuntur de Chavagnes, quas fundavit pius sacerdos dominus Baudoin.

quam satis aestimandae educationis christianae et A eximiae; habemus Parvulas pauperum sorores, vivas imagines Christi erga senectutem, cuius desideria praeveniunt heroica et supernaturali devotione[1].

Non amplius possidemus clerum hunc numerosum, qui quondam sacra munera sua adimplebat, non solum in ecclesiis paroecialibus, sed in collegiatis et in monasteriis; sed habemus capitulum odorem pietatis tam in capite[2] quam in membris spargens; habemus pastores et directores animarum prudentia, zelo et scientia claros, qui, exemplo apostoli, omnia omnibus fiunt, ut omnes Christo lucrifaciant; habemus operarios evangelicos, indefessos in duris laboribus praedicationis et conversionis peccatorum.

Quot gratias coelum nobis largitum est! Quot grates ei a nobis sunt rependendae! Debitum nostrum adauxisti, cardinalis eminentissime, hanc felicem urbem designando, ut in ea provinciale conci- B lium haberetur. Non modicum superbit Rupella, quod, per paucos dies, tuam possederit celsitudinem, et cum illa, senatum ecclesiae principum, electumque genus illud sacerdotum doctrina virtutumque choro insignium, qui praesulum insistunt semitis, exhibentes se formam et exemplar gregis Christi.

Suscipite, illustrissimi praesules, ardentissimas et apertissimas gratiarum actiones, quas vobis impendit commotum pectus meum pro se, pro urbe et pro dioecesi.

Nunquam Rupellae tam sereni dies illuxerunt. Horae quas nobis consecrastis, quamvis velociores, in animis nostris remanebunt quasi balsamum sanctificans, omenque novarum benedictionum.

Coeli conditor, opus tuum perfice: a te enim, tanquam a fonte, omnia dona perfecta procedunt. Pro necessitatibus nostris, obsecramus te, „*innova signa, et immuta mirabilia; glorifica manum et bra-* C *chium dextrum.*“[3]

Praesertim efflagitamus ut, in tota hac provincia, confortes et confirmes spiritum hunc unitatis in charitate et in fide, cuius desiderio flagrabat adorandum pectus filii tui pro nobis vitae suae sacrificium iamiam consummaturi, „*ut omnes unum sint.*“[4]

Oculos aperi, Domine, eorum qui nondum intelligerent ecclesiam in unitate esse fundatam, nec eam existere posse, ubi non est unum ovile quod regat unus idemque pastor.

Hanc voluisti super Petrum aedificatam, et tam immote, ut portae inferi neque adversus illum, neque adversus eam praevalerent. Confirma fidem omnium in fide illius qui defectum in fide nescit.

Fides Pii IX inconcussa est, sicut fides Petri qui in eo vivit, quique per os eius loquitur. Utinam ab hac fide nunquam discedant huius provinciae pastores et oves! D

Istam obsecramus gratiam, auxilium implorantes Virginis immaculatae. Amen.

**Concio habita, in ecclesia cathedrali Rupellensi, cum concluderetur provinciae ecclesiasticae Burdigalensis concilium, ab eminentissimo ac reverendissimo cardinali domino domino Donnet, archiepiscopo Burdigalensi, primate Aquitaniae, die 2 augusti 1853.**

*Gratias Deo super inenarrabili dono eius.*
(II Cor. IX, 15.)

Venerandi patres, cunctique in Christo dilectissimi fratres.

Gaudium consolationesque nostras multiplicare voluit Dominus, secundum dolores et probationes quibus affligi ecclesias nostras ipsi placuerat. Post tot annos, quibus se laboribus ac praeliis separatim voverant, iterum vestrarum dioeceseon antistites potuerunt omnes congregari, scientiam ac vires in unum coadunare, ut in animabus communis nostri magistri regnum dilatarent: sic finem habuit in praeclara nostra Galliarum ecclesia iste rerum status, quem tam amare lugebat celeber Gerson, dicens: „*Nulla fuit hactenus, nec erit in posterum perniciosior pestis in ecclesia quam omissio conciliorum.*“[1]

Si, propter commune provinciae bonum, necesse fuit, ut ad paucos dies, dilectis dioecesanis nostris valediceremus; imo, si e nostris quidam fratribus ad vos e transmarinis regionibus advenerunt, nonne vos omnes plausibus excepistis legitimum huius libertatis exercitium, cuius, ut Burdigalenses, pretiosos fructus percepistis.

Intuiti estis e propinquo, optimi Rupellenses, quis sit episcoporum vestrorum animus; potuistis, hac praesertim aetate, qua homines ab invicem adeo dividuntur, deliberationum nostrarum rationem, concilii nostri speciem conferre cum iis publicis conventibus in quibus de aliis rebus agitur. Pax illa sane quae in nostro tot laboribus dedito coenaculo viguit semper, visa vobis fuit tanquam imago pacis, quam in mundum Christus detulit; illudque intellexistis, ideo tot diris populos premi angustiis, quod ignotae saepius sint doctrinae in nostris promulgatae conciliis.

Nulli alii libertati ecclesiae libertas similis est: conciliantis enim spiritus signaculo signata, non ut torrens, ruptis aggeribus, per vastatos campos sese praecipitat; flumini vero similis, potentes semper aquas moderatur, ubertatemque et vitam in littoribus a se perlustratis relinquit.

A vobis recedentes, a vestro abstracti venerabili praesule, cuius tam grata, tam constanter amabilis fuit hospitalitas, huic clero egregio valedicentes, his incolis non minori affabilitate quam sincera religione praeditis, nonne vobis aliquid eorum quae peregimus, dicere debemus?

Ex his paternis eloquiis illud discetis, scilicet a concilio Ierosolymitano, quod nascente christianismo habitum est, usque ad Rupellense concilium anno gratiae 1853 celebratum, ecclesiam circa mores inflexibilem, in suo symbolo immobilem, suam semper, prout varia requirebant tempora, variasse et temperasse disciplinam.

Discetis, nos, si quibusdam dioeceseon nostrarum consuetudinibus longo usu consecratis, indoli nostrae moribusque consentaneis, adhaereamus, haud nimium de sanctae sedis indulgentia praesumpsisse, asserendo vobis eas non fore reiiciendas.

Quid igitur fecimus in hac pia nostra solitudine? Charitatis, zeli, devotionis vincula, quibus inter nos connectimur, strinximus. Intimam nostram venerationem, filialem, erga sanctae Iesu Christi ecclesiae principem, obedientiam testati sumus. Quo strictius cum ecclesia devincimur, eo vividius Galliae, ipsius filiae dilectae, devovemur. Nonne ad hoc natae sunt Gallia ecclesiaque, ut sese mutuo sensu atque amore complectantur! Quod Deus coniunxit, nos non separabimus. Nationis laudes nobis charae, nobis sacrae sunt; nec eas magis quam ecclesiae laudes negligere atque conculcare fas est.

Quid fecimus? Cum quaedam opera nostri prioris concilii doctrinis infensa damnaremus, silere quidem ac non repellere non potuimus eas, quibus modo lacessiti sunt venerabilis Ollier filii, impugnationes.

[1] Hic memoramus tantum instituta quae in ipsa Rupella existunt, ne longior fit enumeratio eorum quibus ditantur variae dioecesis partes.
[2] *Collectionis Lacensis* editores corrigunt: *decano.*
[3] Eccli. XXXVI, 6, 7. [4] Ioan. XVII, 21.

[1] Gerson., *de potestate ecclesiae*, consid. VIII. [opp. Gers., ed. Dupin, II, 237 B].

Quod iustitiae, amoris ac gratitudinis munus libentissimo animo persolvimus.

Damnavimus errores ac vitia quae populos miseros efficiunt: vividis atque severissimis verbis designavimus, infamiaque notavimus pravorum librorum diffusionem, praesertimque hanc apostasiam magnam, quae profanatio diei dominicae nuncupatur.

In id intendimus ut florerent pietas scientiaque in educationis institutis vigilantiae nostrae pastorali commissis; et profanos auctores retinentes, quibus carere in studio litterarum difficile arbitramur, scriptoribus christianis et religioni latiorem in omnibus scientiae partibus locum tribuimus. Incitavimus omnia soli opera, quae nata sunt illuminare eos qui sunt in tenebris, allevare eos qui patiuntur, consolari eos qui lugent, sacrum mittere ignem quo vult salvator omnem accendi terram.

Quid insuper egimus? Hac nostra aetate, qua duplex viget sensuum rationisque idololatria, maxime omnium iudicavimus necessarium populis exemplum dare orationis, abnegationis et studii.

Tandem, a vobis discedentes, non alienum a nobis testimonium illud putamus, quod sibi aliquando tribuit divus Paulus: *„Scitis quomodo nihil subtraxerim utilium, quominus annuntiarem vobis et docerem vos.“*

Acclamationes ergo augustissimae Trinitati, omnium rerum principio, omnium bonorum origini! Acclamationes sanctissimo reginae coelorum cordi, cui modo nos consecravimus!

Acclamationes Mariae immaculatae, radio semper fulgenti, ab omni alieno nube, matri misericordiae, quam habemus semper, post adorandum eius filium, spem, dilectionem ac vitam nostram. Acclamationes ecclesiae Romanae, reginae ac magistrae omnium orbis ecclesiarum. Acclamationes Pio IX, qui tam forti tam quieto animo grave nunc omnium ecclesiarum onus sustinet. Utinam populi, spiritu novo afflati, ad scientiam per fidem, ad libertatem per ordinem ducti, oculos aperiant, fratres se invicem agnoscant; et longis fracti discordiis, ad pedes tandem, seu potius ad cor huius parentis requiescant, qui dextram non extendit nisi ut benedicat, osque non aperit nisi ut noxas dimittat! Acclamationes vobis omnibus, venerabiles concilii patres, vobis etiam, optimi sacerdotes, canonici, theologi, qui huc ad nostram vocem accurristis! Quanti vestram scientiam et promptum animum aestimavimus! Acclamationes vero speciales his fratribus nostris, qui de extremis mundi finibus venerunt! Haec erit insignis concilii Rupellensis gloria, habuisse inter patres, non veteris solum Europae pontifices, sed Africae etiam, Asiae, Americae pastores et quasi legatos. Acclamationes ecclesiae huius angelo! Accipiat dilectus ille praesul, hic, praesente ipsius populo, nostrae testimonium admirationis, qua scientiam et virtutes eius prosequimur! Acclamationes Galliae, semper praeclarae, semper valenti, eo quod se christianam semper praebere gestiet: securitas nationi restituta, Roma liberata, libertas educationi et conciliis reddita, inter verissimas sui augusti principis laudes computabuntur. Caeterum, de futuro non timeamus. Deus enim populos magnanimos protegit; ideo illos per viam probationum inducit, ut gloria remuneret.

Acclamationes unioni in eadem fide cunctorum Rupellensium! Faxit Deus ut era prosperitatis, pro diligentia singulari et praeclaro eorum ingenio, incipiat eis circa res sive maris, sive agrorum, sive commercii, et arrideat semper! Sciant nos personas non accepisse, cum eos omnes precibus nostris, existimatione et amore complexi fuerimus. His tantum armis uti voluimus, ut eos servaremus qui nostri sunt, et eos reduceremus, qui a nobis ideo decedunt, quoniam ipsis ignoti sumus. Utinam vehementi nostro amore eos alliciamus et nostrae charitatis vinculis irretiamus. *„Traham eos in vinculis charitatis.“*

Acclamationes nostris bellatoribus, administratoribus, magistratibus, nautis, negociatoribus, omnibus indefessis urbium atque agrorum operariis, omnibus vobis, quicumque estis, christiani fratres, sive terrae continentis sive coloniarum incolae, acclamationes vobis omnibus! Fiat, fiat! Amen, amen!

## ACCLAMATIONES PATRUM
*in fine concilii Rupellensis.*

*Secretarius concilii:* Gratias Deo omnipotenti, bonorum omnium auctori et patri luminum.

*Respondent omnes:* Gloria et honor omnipotenti Deo nostro, in cuius nomine iterum congregati sumus, qui gaudium suum innovavit et magnificavit in cordibus nostris.

*Secretarius concilii:* Beatissimo patri et domino nostro Pio papae, summo universalis ecclesiae pontifici, multi anni et aeterna memoria.

*Respondent omnes:* Magno gregis dominici pastori vires Deus addat et annos multiplicet. Urbem et orbem videat ad pacem et unitatem compositos, spiritu novo ambulantes ad aeternae pacis tranquillitatem.

*Secretarius concilii:* Eminentissimo nostro praesidi, sanctae Romanae ecclesiae principi, Aquitaniae nostrae primati, cum multis annis magnae gratiae.

*Respondent omnes:* Magnae gratiae: Dominus retribuat, et in huius provinciae bonum et honorem multos annos ecclesiae suae conservet.

*Secretarius concilii:* Reverendissimis episcopis huius concilii patribus, magnae gratiae cum multis annis.

*Respondent omnes:* Magnae gratiae, multi anni, et felix terra marique ad suas ecclesias reditus, ut populi ab ore ipsorum verba salutis audiant, et tota dilectione perficiant.

*Secretarius concilii:* Omnibus huius concilii canonicis, deputatis et theologis, boni operis praemium.

*Respondent omnes:* Benefac, Domine, bonis et rectis corde, ut cum his, qui verbum tuum bene administraverunt ab initio, partem habeant.

*Secretarius concilii:* Christianissimo Francorum imperatori, fortissimo libertatis ecclesiae et summi pontificis vindici, uberrima benedictio.

*Respondent omnes:* Custodiat eum Dominus protectione assidua, et bonae voluntatis suae circumspectione tutissima.

*Secretarius concilii:* Civitati Rupellensi et omnibus magistratibus et civibus eius, pax et omnimoda felicitas.

*Respondent omnes:* Piis ministrorum tuorum hospitibus, Domine, abundantissima superveniat tuae pietatis effusio, et fratrum omnium, sub uno pastore eodemque patre, in fide unitas et charitatis perfectio.

*Secretarius concilii:* Longinquis insularum ecclesiis nobiscum in eadem regula, uno ore, uno corde Deum confitentibus, salus et vera in Christo fraternitas.

*Respondent omnes:* Dominus regnavit, laetentur insulae: floreat in eis devota filiorum Dei libertas, et in omni opere bono fructificet.

*Secretarius concilii:* Omnibus huius provinciae Burdigalensis fidelibus, fidei, spei et charitatis augmentum, pax et gaudium de Spiritu sancto.

*Respondent omnes:* Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic haereditati tuae, et rege eos, et extolle illos usque in aeternum.

*Secretarius concilii:* Nos tandem operis tui, Domine, adiutores, fac in eadem permanentes ecclesiae tuae regula, sic huius concilii decreta servare et nostrum implere ministerium, intercedente sancta Dei genitrice Maria, cum sanctis apostolis Petro et Paulo atque Andrea, sancto Hilario, universalis ecA clesiae doctore, sancto Eutropio et sancto Ludovico, huius ecclesiae patrono, ut et nos, et plebs universa curis nostris concredita, post huius vitae labores et certamina, ad requiem et coronam perveniamus sempiternam.

*Respondent omnes:* Fiat, fiat! Amen, amen!

# APPENDIX.

## Sanctissimi domini nostri Pii papae IX
## LITTERAE ENCYCLICAE
### *ad omnes episcopos Galliarum super quibusdam controversiis.*

Dilectis filiis nostris sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus, et venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis Galliarum,

### PIUS PAPA IX.

Dilecti filii nostri et venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. Inter multiplices B angustias, quibus undique premimur pro commissa nobis, licet immeritis, arcano divinae providentiae consilio, omnium ecclesiarum sollicitudine asperrimis hisce temporibus, quibus multi nimis ex eorum numero esse videntur, qui, uti praenuntiavit apostolus sanam doctrinam non sustineant, sed ad sua desideria coacervantes sibi magistros a veritate auditum avertunt, et seductores proficiunt in peius, errantes, et in errorem mittentes[1] maxima certe laetitia perfundimur, cum ad inclytam istam tot sane nominibus illustrem, ac de nobis praeclare meritam Gallorum nationem, oculos mentemque nostram convertimus. Summa enim paterni animi nostri consolatione videmus quomodo in ipsa natione, Deo bene iuvante, catholica religio eiusque salutaris doctrina magis in dies vigeat, floreat ac dominetur, et quanta cura et studio vos, dilecti filii nostri ac venerabiles fratres, in sollicitudinis C nostrae partem vocati, ministerium vestrum implere, ac dilecti gregis vobis commissi incolumitati et saluti consulere contendatis. Atque huiusmodi nostra consolatio maiorem in modum augetur, cum ex obsequentissimis, quas ad nos scribitis, litteris, magis magisque noscamus qua filiali pietate, amore et observantia prosequi gloriemini nos et hanc Petri cathedram, catholicae veritatis et unitatis centrum, et omnium ecclesiarum omnino caput, matrem atque magistram[2], ad quam omnis obedientia et honor est deferendus[3], ad quam „propter potiorem principalitatem, necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est, qui sunt undique fideles"[4].

Neque minori certe afficimur iucunditate, cum haud ignoremus, vos, gravissimi episcopalis vestri muneris et officii optime memores, sedulam in Dei gloria amplificanda, eiusque sanctae ecclesiae causa propugnanda impendere operam, atque omnem pastora- D lem vestram curam et vigilantiam adhibere, ut ecclesiastici vestrarum dioecesium viri, quotidie magis digne ambulantes vocatione, qua vocati sunt, virtutum omnium exempla christiano populo praebeant, proprii ministerii munia diligenter obeant, atque ut fideles vobis commissi, magis in dies enutriti verbis fidei, et per gratiarum charismata confirmati, crescant in scientia Dei, et instent viam quae ducit ad vitam, ac miseri errantes ad salutis semitam redeant. Hinc pari animi nostri gaudio cognoscimus qua alacritate vos nostris desideriis ac monitis obsecundantes, provincialia concilia concelebrare studeatis, ut in vestris dioecesibus et fidei depositum integrum inviolatumque custodiatur, et sana tradatur doctrina, et divini cultus honor augeatur, et cleri institutio ac disciplina corroboretur, et morum honestas, virtus, religio, pietas undique fausto felicique progressu magis in dies excitetur et confirmetur. Atque vehementer gaudemus dum conspicimus, in quamplurimis istis dioecesibus, ubi hactenus peculiaria rerum adiuncta minime obstiterunt, Romanae ecclesiae liturgiam singulari vestro studio, iuxta nostra desideria, fuisse restitutam. Quae sane res eo magis grata nobis accidit, quod noscebamus in multis Galliae dioecesibus, ob temporum vicissitudinem, haud ea fuisse servata, quae sanctus decessor noster Pius V provide sapienterque statuerat suis apostolicis litteris septimo idus iulii anno 1568 datis, quarum initium *Quod a nobis postulat.*

Etsi vero haec omnia non sine magna animi nostri voluptate, et insigni vestri ordinis laude commemorare laetamur, dilecti filii nostri ac venerabiles fratres, tamen dissimulare non possumus gravem sane tristitiam et moerorem, quo in praesentia vehementer angimur, cum noscamus quas dissensiones antiquus inimicus inter vos excitare conetur, ad vestram animorum concordiam labefactandam et infirmandam. Itaque, pro apostolici nostri ministerii munere, et summa illa, qua vos et istos fideles populos prosequimur caritate, has vobis scribimus litteras, quibus intimo nostro cordis affectu vos alloquimur, dilecti filii nostri et venerabiles fratres, atque una monemus, hortamur et obsecramus, ut quotidie magis arctissimo inter vos caritatis foedere devincti et obstricti, atque unanimes, et idipsum invicem sentientes, omnia dissidia, quae antiquus hostis commovere admititur, pro eximia vestra virtute propulsare ac penitus eliminare studeatis, et solliciti sitis cum omni humilitate et mansuetudine servare in omnibus unitatem spiritus in vinculo pacis. Ea enim sapientia praestatis, ut quisque vestrum optime sciat quantopere sacerdotalis et fida animorum, voluntatum et sententiarum concordia ad ecclesiae prosperitatem, atque ad sempiternam hominum salutem procurandam sit necessaria atque proficiat. Quam quidem animorum et voluntatum concordiam, si unquam alias, nunc certe studiis omnibus inter vos foveatis oportet, cum praesertim, ob egregiam carissimi in Christo filii nostri Napoleonis, Francorum imperatoris, voluntatem, eiusque gubernii operam, nunc catholica istic ecclesia omni pace, tranquillitate et favore fruatur. Atque haec fausta in isto imperio rerum ac temporum conditio maiori vobis stimulo esse debet, ut una eademque agendi ratione omnia conemini, ut divina Christi religio, eiusque doctrina, ac morum honestas, pietas, altissimis ubique in Gallia defigatur radicibus, et optima atque incontaminata iuventutis institutio magis in dies procuretur, atque ita facilius hostiles inhibeantur et frangantur impetus, qui iam eorum conatibus manifestantur qui fuere et sunt constantes ecclesiae et Christi Iesu hostes.

Quapropter, dilecti filii nostri et venerabiles fratres, maiore quo possumus studio, a vobis etiam atque etiam exposcimus, ut in ecclesiae causa, eiusque salutari doctrina ac libertate tuenda, aliisque omnibus episcopalis vestri muneris partibus obeundis, nihil potius, nihil antiquius habere velitis, quam ut concordissimis animis idipsum dicatis omnes, ac perfecti sitis

[1] II Tim., IV, 3-4; III, 13.
[2] S. Cyprian., *epist.* 45; S. August., *epist.* 162, et alii.
[3] Concil. Ephes., act. IV.
[4] S. Irenaeus, *Adversus haereses*, cap. 3.

in eodem sensu et in eadem sententia, et omni fiducia, nos et hanc apostolicam sedem consulatis ad omnem cuiusque generis quaestionem et controversiam a vobis penitus removendam. Atque in primis, cum compertum exploratumque vobis sit quantopere ad rei tum sacrae tum publicae prosperitatem conducat recta praesertim cleri institutio, ne intermittatis, concordibus animis, in tanti momenti negotium curas cogitationesque vestras conferre. Pergite, ut facitis, nihil unquam intentatum relinquere, ut adolescentes clerici in vestris seminariis ad omnem virtutem, pietatem et ecclesiasticum spiritum mature fingantur, ut in humilitate crescant, sine qua nunquam possumus placere Deo; ac simul humanioribus litteris, severioribusque disciplinis, potissimum sacris, ab omni prorsus cuiusque erroris periculo alienis, ita diligenter imbuantur, ut non solum germanam dicendi scribendique elegantiam, eloquentiam tum ex sapientissimis sanctorum patrum operibus, tum ex clarissimis ethnicis scriptoribus ab omni labe purgatis, addiscere, verum etiam perfectam praecipue solidamque theologicarum doctrinarum, ecclesiasticae historiae et sacrorum canonum scientiam, ex auctoribus ab hac apostolica sede probatis depromptam, consequi valeant.

Ita porro illustris iste Galliae clerus, qui tot viris ingenio, pietate, doctrina, ecclesiastico spiritu, ac singulari in hanc apostolicam sedem obsequio spectatis, refulget, magis in dies abundabit navis et industriis operariis, qui, virtutum ornatu praestantes, ac salutaris scientiae praesidio muniti, valeant in tempore auxiliariam vobis in dominica vinea excolenda operam praebere, eos qui contradicunt arguere, ac non solum Galliae fideles in sanctissima nostra religione confirmare, verum etiam illam apud longinquas et infideles nationes sacris expeditionibus propagare, quemadmodum clerus idem summa cum sui nominis laude, religionis bono et animarum salute hactenus peragendum curavit. Et quoniam una nobiscum vehementer doletis de tot pestiferis libris, libellis, ephemeridibus, pagellis, quas virulentus Dei et hominum hostis undequaque emovere non desinit, ad mores corrumpendos, ad fidei fundamenta concutienda, et omnia sanctissimae religionis nostrae dogmata labefactanda; idcirco, dilecti filii nostri ac venerabiles fratres, pro episcopali vestra sollicitudine et vigilantia ne, cessetis unquam unanimes gregem curae vestrae commissum ab hisce venenatis pascuis omni studio avertere, eumque adversus tot errorum colluviem salutaribus opportunisque monitis, et scriptis instruere, defendere et confirmare.

Atque hic haud possumus, quin vobis in mentem revocemus monita et consilia, quibus, quatuor abhinc annos, totius catholici orbis antistites vehementer excitavimus, ne intermitterent viros, ingenio sanaque doctrina praestantes exhortari, ut viri ipsi opportuna scripta in lucem ederent, quibus et populorum mentes illustrare, et serpentium errorum tenebras dissipare contenderent. Quamobrem, a vobis efflagitamus, ut dum mortiferam pestilentium librorum et ephemeridum perniciem a fidelibus curae vestrae traditis amovere studetis, eodem tempore illos viros omni benevolentia et favore prosequi velitis, qui catholico spiritu animati, ac litteris et disciplinis exculti, libros isthic et ephemerides conscribere typisque mandare curant, ut catholica propugnetur et propagetur doctrina, ut veneranda huius sanctae sedis iura eiusque documenta sarta tecta habeantur, ut opiniones et placita eidem sedi eiusque auctoritati adversa de medio tollantur, ut errorum depellatur caligo, et hominum mentes suavissima veritatis luce collustrentur. Atque episcopalis vestrae sollicitudinis et caritatis erit catholicos istos scriptores bene animatos excitare, ut maiore usque alacritate pergant catholicae veritatis causam sedulo sciteque defendere, eosque paternis verbis prudenter monere, si quid in scribendo offenderint.

Iam vero ea est vestra sapientia, ut probe noscatis infestissimos omnes catholicae religionis hostes acerrimum semper bellum, irrito licet conatu, gessisse contra hanc beatissimi principis apostolorum cathedram, haud ignorantes religionem ipsam cadere et labare numquam posse, eadem cathedra stante, quae illi innixa est petrae, quam superbae non vincunt inferorum portae[1], et in qua est integra christianae religionis ac perfecta soliditas[2]. Quocirca, dilecti filii nostri ac venerabiles fratres, a vobis enixe postulamus, ut pro eximia vestra in ecclesiam fide, ac praecipua in eamdem Petri cathedram pietate, nunquam desinatis una mente unoque spiritu vestram omnem curam, diligentiam et operam in id praesertim intendere, ut isti fideles Galliarum populi, callidissimas insidiantium hominum fraudes et errores sedulo devitantes, quotidie magis filiali prorsus affectu ac devotione huic apostolicae sedi firmiter constanterque adhaerere, eique summo, quo par est, obsequio obtemperare glorientur. Omni igitur episcopalis vestrae vigilantiae studio nihil unquam neque re neque verbis praetermittite, quo fideles ipsi hanc sanctam sedem magis magisque ex animo diligant, venerentur omnique obsequio excipiant, et exequantur quidquid sedes ipsa docet, statuit atque decernit. Hic autem haud possumus, quin vobis exprimamus summum dolorem, quo affecti fuimus, ubi, inter alia improba scripta istic vulgata, nuper ad nos pervenit libellus gallica lingua exaratus, ac Parisiensibus typis editus, et inscriptus: *Sur la situation présente de l'église gallicane relativement au droit coutumier*, cuius auctor iis plane adversatur, quae vobis tantopere commendamus atque inculcamus. Quem libellum, nostrae Indicis congregationi reprobandum et damnandum commisimus.

Antequam vero scribendi finem faciamus, dilecti filii nostri ac venerabiles fratres, vobis denuo significamus, optatissimum nobis esse, ut omnis quaestio et controversia a vobis reiiciatur, quae, ut scitis, pacem turbat, caritatem laedit, et ecclesiae hostibus arma ministrat, quibus illam divexent et oppugnent. Igitur, vobis summopere cordi sit pacem habere inter vos, et pacem sequi cum omnibus, serio considerantes pro illo vos legatione fungi, qui non dissensionis sed pacis Deus est, quique discipulis suis pacem tantopere inculcare, imperare et praecipere nunquam destitit. Et quidem Christus, veluti quisque vestrum noscit, „dona omnia suae pollicitationis, et praemia in pacis conservatione promisit. Si haeredes Christi sumus, in Christi pace maneamus; si filii Dei sumus, pacifici esse debemus. ... Pacificos esse oportet Dei filios, corde mites, sermone simplices, affectione concordes, fideliter sibi unanimitatis nexibus cohaerentes[3]." Ea certe quidem de vestra virtute, religione, pietate nobis inest opinio et fiducia, ut plane non dubitemus, dilecti filii nostri et venerabiles fratres, quin paternis hisce nostris monitis, desideriis, postulationibus quamlibentissime obsequentes, omnium dissensionum germina radicitus evellere, ac ita gaudium nostrum implere velitis, et cum omni patientia invicem supportantes in caritate, et unanimes collaborantes fidei evangelii, pergatis alacriori usque studio custodire vigilias noctis super gregem curae vestrae commissum, omnesque gravissimi

[1] S. August., *in psal. contr. part. Donat.*
[2] *Litt. synodic.* Ioann. Constantinopol. *ad Hormisd. pont.*
[3] S. Cyprian., *de unit. eccles.*

vestri muneris partes sedulo obire ad consummationem sanctorum in aedificationem corporis Christi. Persuasissimum autem vobis sit, nihil nobis gratius, nihil optabilius fore, quam ea omnia praestare, quae ad maiorem vestram et istorum fidelium utilitatem pertinere posse noverimus. Interim, in humilitate cordis nostri Deum oramus et obsecramus, ut coelestium omnium charismatum copiam super vos propitius semper effundat, vestrisque pastoralibus curis et laboribus benedicat, quo fideles vestrae vigilantiae commissi magis in dies ambulent digne Deo per omnia placentes, et in omni opere bono fructificantes. Ac divini huius praesidii auspicem, et flagrantissimae illius, qua vos in Domino amplectimur, caritatis testem apostolicam benedictionem, ex intimo corde profectam, vobis, dilecti filii nostri ac venerabiles fratres, cunctisque istarum ecclesiarum clericis, laicisque fidelibus peramanter impertimur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die 21 martii anno 1853, pontificatus nostri anno septimo.

Pius papa IX.

*NOTA. — Duo alia documenta, cum ad rem conciliariam nihil faciant, hic omittimus. — Editor.*

## SYNODUS DIOECESANA RUTHENENSIS
1853 mense iulio.

Synodus dioecesana Ruthenensis in Gallia, celebrata mense iulio 1853, sub Ioanne-Francisco Croizier, episcopo Ruthenensi.

Exstant constitutiones synodales in opere cui titulus:

Statuts synodaux du diocèse de Rodez, publiés en juillet 1854, par monseigneur Croizier, évêque de Rodez. *[Insigne.]* Rodez, imprimerie de Carrère ainé, libraire, imprimeur de l'évêché, 1854.

Minori in-12, 84 p. — Paris, Saint-Sulpice.

Pag. 8, haec statuta edita sunt in synodo dioecesana celebrata mense iulio 1853.

## SYNODUS DIOECESANA MOLINENSIS
1853 augusti 10-2.

Synodus dioecesana Molinensis in Gallia, celebrata diebus 10, 11 et 12 augusti 1853, sub Petro-Simone-Ludovico-Maria de Dreux-Brézé, episcopo Molinensi.

Exstant constitutiones synodales in operibus quibus tituli:

1) Synodus dioecesana Molinensis, celebrata ab illustrissimo et reverendissimo d. d. Petro-Simone-Ludovico-Maria de Dreux-Brézé, Dei et apostolicae sedis gratia episcopo Molinensi, anno Domini MDCCCLIII. Molinis, ex typis P.-A. Desrosiers et filii, d. d. episcopi et cleri typographorum, MDCCCLIII.

In-4°, 2 f. - 92 p. - 1 f. — Autun, séminaire; Paris, Bibl. nat. B 3425.

P. 6, 26 et 39, haec synodus dioecesana celebrata est, tribus sessionibus, diebus 10, 11 et 12 augusti 1853.

2) Synodus dioecesana Molinensis, celebrata ab illustrissimo et reverendissimo d. d. Petro-Simone-Ludovico-Maria de Dreux-Brézé, Dei et apostolicae sedis gratia, episcopo Molinensi, anno Domini MDCCCLIII. Parisiis, apud Jacobum Lecoffre et socios, via vulgo dicta du Vieux-Colombier, 29, 1854. *[Initio:]* Paris, typographie de Firmin-Didot frères.

In-8°, 80 p. — Annecy, séminaire; Paris, Bibl. nat. B 17292; Paris, Saint-Sulpice.

P. 8, haec synodus dioecesana celebrata est a die 10 ad diem 12 augusti 1853.

# CONCILIUM PROVINCIAE CASSELIENSIS
celebratum apud Thurles
1853 septembris 1-6.

Concilium provinciae Casseliensis in Hibernia, celebratum apud Thurles, a die 1 ad diem 6 septembris 1853, sub Michaele Slattery, archiepiscopo Casseliensi.

**Bibliographia:**

Acta et decreta sacrorum conciliorum recentiorum, collectio Lacensis, auctoribus presbyteris s. J., e domo b. v. M. sine labe conceptae ad Lacum. Tomus tertius ... Friburgi Brisgoviae, sumtibus Herder, MDCCCLXXV, col. 815-44.

### DECRETUM
*sacrae congregationis de Propaganda fide.*

Ineunte mense septembri superioris anni 1853, cura reverendi patris domini Michaelis Slattery, archiepiscopi Casseliensis, concilium provinciale pro ecclesiastica Momoniae provincia in Hibernia habitum est, ut sacrorum canonum statutis, ac votis quoque per apostolicam sedem pansis, fieret satis. Omnibus absolutis, reverendo patri domino Guilelmo Keane, episcopo Rossensi, peculiariter commissum est, ut per eum acta et decreta memoratae provincialis synodi apostolicae sedi ex praescripto submitterentur, idque per memoratum antistitem diligenter fuit praestitum. Porro, eminentissimorum patrum sanctae Romanae ecclesiae cardinalium congregationis de Propaganda fide examini proposita haec omnia fuerunt, in generali conventu habito die 2 maii 1854, itidemque, referente eminentissimo ac reverendissimo domino Raphaele tituli Sanctae Mariae supra Minervam cardinali Fornario, omnibus mature perpensis, censuerunt commendandum esse studium, quod reverendus pater dominus archiepiscopus Casseliensis atque episcopi synodi participes ostenderunt, ut religionis incremento, animarum saluti atque ecclesiasticae disciplinae melius in dies instaurandae provideretur: acta vero atque etiam decreta, nonnullis[1] modificationibus adhibitis, iuxta traditam instructionem probari posse.

Hanc vero sacrae congregationis sententiam sanctissimo domino nostro Pio papae IX ab infrascripto eiusdem sacrae congregationis secretario relatam, in audientia diei 7 huius item mensis, sanctitas sua benigne ratam habuit et confirmavit.

Datum Romae, ex aedibus dictae sacrae congregationis de Propaganda fide, die 12 maii 1854.

J.-Ph. cardinalis Fransoni, praefectus.

*(Locus † sigilli.)*

Al. Barnabò, a secretis.

[1] Modificationes litteris cursivis insertae propriis locis sunt.

### ACTA CONCILII.

Anno salutis humanae 1853, illustrissimus ac reverendissimus Michael Slattery, archiepiscopus Casseliensis, obsequens et nihil gratius habens quam ut obsequeretur litteris sacrae congregationis de Pro-

paganda fide, metropolitanis Hiberniae die 3 maii 1853 datis (in quibus declaratur quantopere intersit haberi in Hibernia synodos tum provinciales tum etiam dioecesanas, quo solemnius evulgentur statuta concilii nationalis Hiberniae apud Thurles habiti, aliaque religioni utilia peragantur), concilium suae provinciae Casseliensis, litteris indictionis prius tempestive missis ad omnes qui de iure aut consuetudine interesse deberent, divina misericordia favente, inchoavit in metropolitana sua ecclesia apud Thurles, in festo sanctae Rosae Limanae translato, die videlicet septembris 1.

Litteris indictionis promptius parentes, pridie solemnis concilii apertionis, id est die 31 augusti, in civitatem Thurles convenerunt quotquot sunt in provincia episcopi, excepto episcopo Limericensi, qui postridie ante solemnem inchoationem concilii advenit; nempe, simul cum illustrissimo ac reverendissimo Michaele Slattery, archiepiscopo Casseliensi; illustrissimus ac reverendissimus Cornelius Egan, episcopus Kerryensis; illustrissimus ac reverendissimus Nicolaus Foran, episcopus Waterfordiensis; illustrissimus ac reverendissimus Guilelmus Delany, episcopus Corcagiensis; illustrissimus ac reverendissimus Timotheus Murphy, episcopus Cloynensis; illustrissimus ac reverendissimus Guilelmus Keane, episcopus Rossensis; illustrissimus ac reverendissimus Daniel Vaughan, episcopus Laonensis; illustrissimus ac reverendissimus Patritius Fallon, episcopus Fenaborensis. Simul advenerunt reverendissimus frater Bruno Fitzpatrick, abbas Cisterciensis de Monte Mellerario, et theologi et canonistae a reverendissimis patribus advocati, qui omnes ab illustrissimo ac reverendissimo archiepiscopo Casseliensi, atque a seminarii praeside caeterisque directoribus benigne excepti sunt intra septa seminarii Thurlesensis Sancti Patritii, ubi concilii deliberationes habendae erant. Reverendus metropolitanus, memor verborum apostoli: „*Oportet episcopum . . . hospitalem* esse [1]," tres ex episcopis in aedibus suis excepit, hospitioque durante synodo habuit; caeteros vero episcopos cum omnibus canonistis ac theologis in collegio Sancti Patritii locari fecit.

Eadem die, scilicet 31 augusti, hora tertia post meridiem, in sacello seminarii in unum convenerunt, congregationem privatam praeparatoriam habituri, reverendissimi patres, rocheto et mozzetta induti, quemadmodum et in omnibus aliis concilii congregationibus, tum particularibus tum generalibus, induti sunt. . . . .

Omnibus patribus [in hac congregatione praeparatoria] visum est, abbatem de Monte Mellerario admittendum esse cum voce decisiva, tanquam de privilegio, quod et statim factum est; et immediate post hanc privatam episcoporum congregationem habendam esse primam congregationem generalem, in qua legenda essent quae in hac privata episcoporum congregatione statuta sunt. Caetera quae a patribus in hac privata sua congregatione statuta sunt, iam nunc videbuntur in iis quae in immediate subsequente generali congregatione acta sunt.

Statim igitur post dictam congregationem privatam,

CONGREGATIO PRIMA GENERALIS

habita est in sacello seminarii [2] hora 4 post meridiem, praeside illustrissimo ac reverendissimo archiepiscopo Casseliensi, concedentibus iisdem dominis dominis episcopis Kerryensi, Waterfordiensi, Corcagiensi, Cloynensi, Rossensi, Laonensi, Fenaborensi, cum abbate Cisterciensi de Monte Mellerario; praesentibus etiam canonistis et theologis rite convocatis, veste talari, palliolo et bireto indutis, et sedentibus in ordine consecrationis suorum respective episcoporum, praetermissa omni quaestione dignitatis uniuscuiusque ecclesiae.

Inchoante domino domino archiepiscopo, recitatus est genibus flexis, facie versa ad crucem archiepiscopalem columna in medio posita infixam, hymnus *Veni creator*, cum precatione *Adsumus*, ut est in pontificali Romano, per quam orationem initium uniuscuiusque congregationis generalis factum est.

Iubente praeside, lecta sunt, quae sequuntur, acta nempe in prima congregatione particulari episcoporum.

1. Procuratores capitulorum ecclesiae metropolitanae et ecclesiarum cathedralium provinciae, si qui sunt, habituri sunt vocem consultativam. Excepto procuratore ecclesiae metropolitanae, qui exspectatur, nullus praeterea aderit, ut videtur, vel quia nullum aliud exstat capitulum, vel quia nemo praeterea deputatus est.

2. Theologi seu canonistae electi sunt et eliguntur:

Ab illustrissimo ac reverendissimo archiepiscopo Casseliensi, reverendus dominus Patritius Leahy, theologiae doctor et professor, seminarii Sancti Patritii apud Thurles praeses, praecentor capituli metropolitanae ecclesiae Casseliensis;

Ab illustrissimo ac reverendissimo episcopo Kerryensi, reverendus dominus Ioannes O'Sullivan, parochus ecclesiae dictae Kenmare et vicarius generalis;

Ab illustrissimo ac reverendissimo episcopo Waterfordiensi, reverendus dominus Michael Burke, parochus ecclesiae Sanctorum Petri et Pauli apud Clonmel et vicarius generalis;

Ab illustrissimo ac reverendissimo episcopo Corcagiensi, reverendus dominus Dominicus Murphy, parochus ecclesiae Sancti Finbarri in civitate Corcagiensi et vicarius generalis;

Ab illustrissimo ac reverendissimo episcopo Cloynensi, reverendus dominus Patritius Duggan, parochus ecclesiae dictae Doneraile et vicarius generalis;

Ab illustrissimo ac reverendissimo episcopo Rossensi, reverendus dominus Michael O'Hea, parochus ecclesiae Rossensis et vicarius generalis;

Ab illustrissimo ac reverendissimo episcopo Laonensi, reverendus dominus Ioannes Kenny, parochus ecclesiae dictae Ennis et vicarius generalis;

Ab illustrissimo ac reverendissimo episcopo Fenaborensi, reverendus dominus Iacobus Howly, parochus ecclesiae dictae Tipperary et vicarius generalis [1].

3. Ut facilius expediantur negotia concilii, illustrissimus ac reverendissimus metropolitanus, cum consilio et consensu comprovincialium episcoporum, eligit tanquam officiales eos quorum nomina sequuntur. [*Vide infra decreta n.* V.]

4. Decreta promulganda in prima sessione solemni sunto: *De aperienda synodo; de modo vivendi in concilio; de praeiudicio non afferendo; de non discedendo; de officialibus; de professione fidei.*

5. Distributio temporis quotidiana sit haec:

Hora 6 matutina, omnes surgunt; orationi, meditationi, horarum recitationi vacant.

---

[1] I Tim. III, 2.

[2] Erant duae lipsanothecae, a Roma asportatae, una ex dextro latere altaris, altera e sinistro. Erant etiam super suggestum sancta evangelia cum libro canonum sacrosancti concilii Tridentini.

[1] Theologus illustrissimi ac reverendissimi episcopi Limericensis, qui postridie advenit, erat reverendus T. Call, parochus ecclesiae dictae Newcastle et vicarius generalis.

Hora 8, missa synodalis, cui intersunt quotquot A ipsi non celebrant.

Hora 8 cum dimidia, ientaculum et relaxatio.

Hora 10, congregatio generalis, nisi aliter visum fuerit.

Hora 12, recitatio vesperarum et relaxatio.

Hora 2 pomeridiana, congregatio particularis, nisi aliter visum fuerit.

Hora 4, prandium, quo durante legatur, iuxta placitum illustrissimi ac reverendissimi metropolitani, pars aliqua novi testamenti, vel vita alicuius sancti, vel liber quivis spiritualis.

Hora 6, visitatio sanctissimi sacramenti et relaxatio.

Hora 7, recitatio matutini cum laudibus.

Hora 8, coena et relaxatio.

Hora 9, oratio vespertina.

6. Ut labores synodi dividantur, patribus visum est theologos partiri in congregationes particulares, B quibus singulis praeficientur duo episcopi, alternis vicibus praesides futuri. Ordinatae autem sunt congregationes, ut sequitur.

Prima habebit praesides illustrissimum ac reverendissimum dominum episcopum Kerryensem,

Illustrissimum ac reverendissimum dominum episcopum Waterfordiensem;

Theologos, reverendos dominos patrem Leahy, I. O'Sullivan, M. Burke.

Secunda habebit praesides illustrissimum ac reverendissimum dominum episcopum Corcagiensem,

Illustrissimum ac reverendissimum dominum episcopum Cloynensem;

Theologos, reverendos dominos D. Murphy, P. Duggan, M. O'Hea.

Tertia habebit praesides illustrissimum ac reverendissimum dominum episcopum Rossensem,

Illustrissimum ac reverendissimum dominum C episcopum Laonensem;

Theologos, reverendos dominos I. Kenny, I. Howly.

Quarta habebit praesides illustrissimum ac reverendissimum dominum episcopum Limericensem,

Illustrissimum ac reverendissimum dominum episcopum Fenaborensem;

Theologos, reverendos dominos I. M'Donnell, T. Coll.

(Huic congregationi ascriptus est etiam abbas Cisterciensis de Monte Mellerio.)

Quo vero facilius et accuratius expendantur quaecunque in synodo tractanda sunt, citiusque absolvantur eius labores, tota rerum materia dividetur in varias quaestiones distribuendas inter congregationes theologorum, quorum erit scripto referre quid de illis iudicaverint. Porro hic est elenchus quaestionum: ***de fide, de summo pontifice, de episcopis, de metropolitanis, de vicariis generalibus et foraneis,*** D ***de personis Deo consecratis, de parochis et coadiutoribus seu vicariis parochorum, de baptismo, de confirmatione, de eucharistia, de poenitentia, de extrema unctione, de ordine, de matrimonio, de cultu divino, de vita, moribus et scientia clericorum, de universitate catholica Hiberniae, de seminariis ecclesiasticis, de decretis concilii nationalis Thurlesensis, de synodo dioecesana, de synodo provinciali, de promulgatione testium synodalium, de promulgatione decretorum huius concilii provincialis.***

Praeterea, singulae congregationes theologorum seorsim in totidem aulis collegii convenient, quocunque tempore expedire visum fuerit, quod ut plurimum erat vespertinum, ad discutiendas in communi et viva voce, post maturum examen per unumquemque secum privatim factum, quaestiones sibi propositas: qua peracta discussione, secretarius congregationis exarabit, iuxta sententiam maioris partis congregationis, brevem de quaestione relationem seu conclusionem in forma decreti, postmodum in congregatione generali ulterius discutiendam.

Etenim, in proxime futura congregatione generali, postquam secretarii singularum congregationum relationes de quaestionibus iis commissis legerint ab initio ad finem, absque interruptione, unde sensus et generalis tenor relationis melius apprehendantur, tunc secundo easdem relationes singulatim per sententias legentur, et, sententia post sententiam, quid[1] necessarium vel utile, expendetur. Theologi interrogati, prout res postulare videbitur, suam sententiam plena cum libertate, sed modeste et absque strepitu vel contentione, coram episcopis aperient, ut ita decretorum materia plene agitata matureque perpensa sit.

Hac duplici discussione facta, tum in congregatione particulari theologorum, tum etiam in congregatione generali, eadem materia tertio demum expendetur in congregatione privata episcoporum proxime futura; ubi, quatenus necesse, elaboranda sunt decreta, et ad formam adhuc magis emendatam redigenda. Quo facto, in congregatione generali proxime subsequente, decreta legentur in ista forma magis emendata, in qua etiam sunt approbanda in solemni sessione.

7. Prima sessio solemnis habebitur, in ecclesia metropolitana Thurlesensi crastina die, nempe 1 septembris, hora 10 ante meridiem.

Secunda sessio habebitur eodem loco et eadem hora, die 3 septembris, nisi aliter pro circumstantiis visum fuerit.

8. Omnes emittent sequentem promissionem de silentio servando quoad res gestas concilii:

„Promitto, me nihil ex iis quae dicentur sive in congregationibus privatis episcoporum, sive in congregationibus generalibus, sive in congregationibus theologorum particularibus, esse revelaturum, quod possit detrahere vel reverentiae concilio debitae, vel honori cuiusvis personae. Promitto insuper, me nulla decreta conciliis criptis publicis divulgaturum, antequam typis demandata fuerint reverendissimorum patrum auctoritate."

Omnes et singuli simul dixerunt: *Ita promitto.*

Insuper, patribus placuit ut in celebratione huius synodi adamussim servarentur ritus praescripti in pontificali Romano et caeremoniali episcoporum; et si quid praeterea desiderandum, id suppleri voluerunt ex caeremoniali quo usa est synodus nationalis Thurlesensis, extracto ex actis conciliorum [celebratorum] Beneventi et Romae sub Benedicto XIII, et ex actis conciliorum Mediolanensium aliisque fontibus.

## SESSIO PRIMA.

Anno 1853, anno octavo pontificatus sanctissimi domini nostri Pii divina providentia papae noni, die 1 septembris, feria quinta, festo sanctae Rosae Limanae translato, iuxta litteras indictionis, concilium provinciae Casseliensis in civitate Thurles solemniter apertum est.

Prima sessio hora 10 ante meridiem celebrata est in ecclesia metropolitana, ad hoc impensis haud parvis, splendide ab illustrissimo ac reverendissimo archiepiscopo ornata.

Aderant illustrissimus ac reverendissimus archiepiscopus Casseliensis cum omnibus episcopis comprovincialibus, nempe episcopis Kerryensi, Limericensi, Waterfordiensi, Corcagiensi, Cloynensi, Rossensi, Laonensi, et Fenaborensi. Aderat praeterea, non quidem ex iuris necessitate, sed in signum unionis fraternae, illustrissimus ac reverendissimus

[1] Editio: *qua.*

Ioannes Briggs, episcopus Beverleyensis in Anglia, populo Hiberniae propter eximiam suam caritatem numquam obliviscendus, episcopis et clero Hiberniae carissimus, archiepiscopo Casseliensi vinculis amicitiae coniunctus, omnibus honoratus et honorandus. Aderat quoque vir venerabilis et admodum reverendus frater Bruno Fitzpatrick, abbas Cisterciensis Monasterii vulgo dicti Montis Mellearii, in provincia Casseliensi. Praeterea, procurator capituli metropolitanae ecclesiae Casseliensis, reverendus Iacobus McDonnel, qui hesterna die aberat, exhibitis litteris procurationis, admissus est a patribus ut partem haberet in concilio cum voce consultativa, et huic primae sessioni interfuit. Interfuerunt insuper theologi synodi, cum multo clero non solum ex dioecesi Casseliensi, sed etiam ex dioecesibus tum vicinis, tum distantibus, necnon extraprovincialibus.

Omnibus gaudio fuisset ire processionaliter a seminario Sancti Patritii ad ecclesiam metropolitanam, ni obstitisset lex Angliae. Enimvero haec lex poenalis prohibet ne catholica religio exhibeatur, neve ministri catholici appareant cum vestibus sacris ordini suo propriis, in viis aut locis publicis. Porro, procedendo a collegio Sancti Patritii ad ecclesiam metropolitanam in civitate Thurles, transeundum esset per viam publicam interiacentem. Quo igitur occluderetur os loquentium iniqua, nullaque causa praeberetur hostibus ecclesiae catholicae nostros praesules incusandi quod leges Angliae temere violassent, archiepiscopo et caeteris patribus melius visum est nullam habere processionem extra ecclesiam et circumiacentem aream.

Proinde, convenerunt omnes in aedes archiepiscopi, ecclesiae metropolitanae vicinas, et in sacristiam ei annexam, unde cantando hymnos[1] *Veni creator, Ave maris stella* etc. processionaliter perrexerunt in ecclesiam, per eam, et per aream circa eam, ordine sequenti:

Crux processionalis ecclesiae a subdiacono sine manipulo portata: alumni collegii Sancti Patritii cum choro, in vestibus talaribus et superpelliceis; clerus civitatis Thurlesiae et dioeceseos Casseliensis et aliarum dioeceseon, indutus vestibus talaribus, superpelliceis et biretis, parochis habentibus insuper stolas rubri coloris; theologi seu canonistae synodi; notarius et secretarii; crux archiepiscopalis portata a subdiacono in vestibus sacris; dignitates, cum pluvialibus rubris; promotor concilii; diaconus et subdiaconus missae; abbas Cisterciensis de Monte Mellerio cum pluviali rubro et mitra de lino; episcopi, cum pluvialibus rubris et mitris auriphrygiatis; archiepiscopus, indutus amictu, alba, cinctu, cruce pectorali, stola, pluviali rubro et mitra pretiosa.

Postquam processio, redeundo intra ecclesiam per portas principales, pervenerat coram altari magno, sedit synodus in alta navi prope sanctuarium ad hoc exstructa et tapetibus ornata. Sedit archiepiscopus in throno super navem posito, cum illustrissimo ac reverendissimo Ioanne Briggs, episcopo Beverleyensi in Anglia, a dextris, episcopis comprovincialibus et abbate Cisterciensi in hemicyclo dipositis, theologis synodi hinc et inde, et caetero clero in scamnis extra ecclesiam, pietatem et sensus vere christianos exhibens, necnon reverentiam omnimodam erga patres.

Dominus archiepiscopus, pontificalia ornamenta assumens cum pallio, solemniter celebrat missam de Spiritu sancto.

Finita missa, tunc ad normam pontificalis subiunguntur antiphona *Exaudi nos, Domine etc.* cum psalmo LXVIII *Salvum me fac etc.*; invocatio *Adsumus* cum oratione; litaniae sanctorum; evangelium secundum Lucam, IX, 1-6; hymnus *Veni creator*; et allocutio.

Finita allocutione, dominus archiepiscopus sermonem habet de disciplina ecclesiae et de fatis ac fortunis illius eius partis quae in Hibernia, auspice sancto Coelestino papa fundata, ab usque *(sic editio)* tempore sancti Patritii ad diem praesentem duravit ac durat. Haec concio, episcopo christiano vere digna, vix dici potest quantum animos omnium affecerit, et modo dicendi et gravitate verborum atque sententiarum. (Exemplar mittitur, quod hic pro inserto habeatur.)

Peracta concione, promotor instantiam facit ut approbetur decretum *de aperienda synodo*. Unus ex secretariis, lecto decreto et annuente metropolitano, suffragia patrum colligit, interrogans, modo usitato, num placeat decretum, et responso unanimi per *placet* accepto, illud ad metropolitanum defert, qui pronuntiat: decretum placuit patribus; itaque decernimus huius concilii provinciae Casseliensis initium fieri et iam factum esse.

Promotore instante, caetera decreta hesterna die lecta, scilicet *de modo vivendi in concilio; de praeiudicio non afferendo; de non discedendo; de officialibus; de professione fidei*, probantur, metropolitano pronuntiante: decreta placuerunt, ideo agendae Deo gratiae; patribus respondentibus: Deo gratias.

Promotore iterum instante ut nomina vocentur, et dicente metropolitano: ita decernimus et mandamus, omnes, qui interesse debent, nominatim vocati respondent: *Adsum*.

Postmodum, postulat promotor ut solemnis professio fidei a synodo emittatur secundum formam a Pio IV praescriptam; quam professionem fidei catholicae, ista forma iuratam, et flexis genibus, omnes illico emittunt, patres quidem singulatim, sacerdotes vero synodales post eos bini et bini.

Indicta tandem secunda sessione ad sabbatum proxime futurum, diem nempe 3 septembris, et benedictione solemni reverendissimi archiepiscopi accepta, omnes eodem ordine, quo ventum erat, processionaliter discedunt; et sic finem habet prima sessio.

Immediate post primam sessionem, theologi in variis congregationibus expendunt quid circa quaestiones sibi propositas relaturi essent in secunda congregatione generali postridie habenda.

### SECUNDA CONGREGATIO GENERALIS.

Die 2 septembris, hora 10 ante meridiem, in congregatione generali secunda, praeside illustrissimo ac reverendissimo archiepiscopo Casseliensi, post invocationem *Adsumus*, consederunt omnes concilii patres simul cum caeteris rite convocatis: et materia decretorum *de fide; de summo pontifice; de episcopis; de metropolitano; de vicariis generalibus et foraneis; de personis Deo consecratis; de parochis et coadiutoribus seu vicariis parochorum*, inter theologos modo antea dicto agitata et perpensa, post tres horas absoluta est congregatio per antiphonam *Sancta Maria, succurre miseris etc.*, et orationes *Concede nos famulos tuos etc.* et *Agimus tibi gratias etc.*

Obiter observandum venit, eundem fuisse modum incipiendi et concludendi omnes congregationes.

In hac congregatione ad longum disserebatur, inter alia, de systemate proselytismi quo acatholici, in quibusdam partibus provinciae Casseliensis, pauperum catholicorum animos a fide avita pervertere aliquamdiu attentarunt et adhuc etiam attentant. Quoniam vero quaestio erat de re omnium gravissima, nempe fide populi, diligentissima inquisitio

[1] *Collectionis Lacensis editores: hymnum.*

facta est eo fine ut tum mali origo, et praesens magnitudo, et circumstantiae prae oculis omnium ponerentur, tum ut apta remedia adhiberentur, tum etiam ut plane perspiceretur num aliquatenus officio defuissent sacerdotes, et ita, dormientibus pastoribus, lupi rapaces ovile Christi invasissent.

Theologi, fere omnes vicarii generales, interrogati singulatim de rerum statu in propriis dioecesibus, testimonium unanime perhibuerunt de vigilantia pastorum, excepto uno vel altero ab episcopo censurato. Simul assignarunt ut veram causam mali, quantumcunque demum sit, ex una parte miseriam quarundam regionum, et ex altera parte nequitiam missionariorum protestantium, qui ad hoc missi sunt, et locupletes facti a fanaticis Angliae societatibus, fidem et conscientiam pauperum pecunia et escis et vestitu emere cupientibus. Hi tamen missionarii, aiebant theologi, parum proficiunt in missione iniqua, nisi quod ipsi ditiores facti sunt et fiunt; unde, ut adhuc magis ditescant, freti adiutorio patris mendaciorum, successum clamitant, magnitudinem proselytismi longe ultra rei veritatem sine scrupulo exaggerant, et ita Anglos, fanaticos aeque ac divites, decipiunt in spem perversionis universae Hibernorum propediem eventurae.

Addiderunt praeterea theologi, malum hoc proselytismi in dies rapide minui, proselytos quotidie ad ecclesiam reverti, conversiones protestantium augeri, sibique persuasum esse, acatholicum proselytismum brevi finem habiturum, si modo Deus bonus fructus terrae et abundantiam concedat.

Tandem, praeter vigilantiam et zelum sacerdotum constantem, verbi Dei praedicationem, aliaque media idonea repellendi conatus acatholicorum, omnes iudicarunt valde utilem fore institutionem missionum, ut suggerunt litterae sacrae congregationis de Propaganda fide, datae metropolitanis Hiberniae, die 3 maii 1853.

Sententias theologorum propria experientia roborarunt, iudicio confirmarunt episcopi, ipsi quoque singulatim interrogati ab illustrissimo ac reverendissimo domino archiepiscopo.

[Eadem die secunda congregatio privata episcoporum et tertia congregatio generalis habitae sunt.]

Hodie abiit illustrissimus ac reverendissimus Ioannes Briggs, episcopus Beverleyensis in Anglia, secum ferens omnium preces pro felici reditu in patriam.

## SESSIO SECUNDA.

Die 3 mensis septembris, sabbato, in commemoratione immaculatae conceptionis beatae virginis Mariae, sessio secunda celebrata est in ecclesia metropolitana eodem fere ordine ac apparatu quo prima.

Sacra solemniter faciente illustrissimo ac reverendissimo domino domino episcopo Waterfordiensi, interfuere omnes patres cum theologis synodi.

Missa celebrata, patres induuntur amictu, pluviali rubeo et mitra, et peraguntur ritus in pontificali praescripti usque dum ad finem allocutionis ventum est; quando illustrissimus ac reverendissimus dominus dominus episcopus Corcagiensis, antea a metropolitano rogatus ut concionem faceret in secunda sessione, insigni qua pollet eloquentia ut et doctrina, synodum et adstantes alloquitur per duas fere horas integras. (Exemplar sermonis mittitur, et hic pro inserto habeatur.)

Post sermonem, postulante promotore ut approbarentur per synodum decreta in praecedentibus congregationibus sancita, scilicet *de fide, de summo pontifice, de episcopis, de metropolitanis, de vicariis generalibus et foraneis, de personis Deo consecratis, de parochis et coadiutoribus seu vicariis parochorum*; et secretario more solito sciscitanti respondentibus patribus, decreta, ut lecta, sibi placere, metropolitanus Deo agendas gratias pronuntiavit, et dixerunt omnes: Deo gratias.

Praeterea, instante promotore, indicitur tertia et ultima sessio feria tertia, die septembris 6, nisi ad aliam diem transferenda postmodum videretur.

Demum, ab archiepiscopo data solemni benedictione, omnes discedunt eodem quo venerant ordine.

### SERIES CONGREGATIONUM
### *inter sessionem secundam et sessionem tertiam.*

Eadem die, nempe 3 septembris, habitae sunt congregationes, scilicet quarta generalis hora 2 pomeridiana, et tertia privata episcoporum, in quibus tractatum est, praeambule in priori, definitive in posteriori, de baptismo, de confirmatione, de eucharistia, de poenitentia. In die dominica, 4 scilicet septembris, duae itidem congregationes, quinta generalis hora 10 ante meridiem, quarta privata episcoporum hora 2 pomeridiana, in quibus similiter tractatum est de extrema unctione, de ordine, de matrimonio, de cultu divino, de vita, moribus et scientia clericorum. In feria secunda, scilicet 5 die septembris, tres etiam congregationes, nempe sexta generalis hora 10 ante meridiem, quinta privata episcoporum hora 2 pomeridiana; in quibus, sicut antea, tractatum est de universitate catholica Hiberniae, de seminariis ecclesiasticis, de decretis concilii nationalis Thurlesensis, de synodo dioecesana, de synodo provinciali, de promulgatione testium synodalium, de promulgatione decretorum huius concilii provincialis, de subscribendo decretis huius concilii; et demum congregatio generalis septima et ultima, in qua coram omnibus lecta sunt a principio ad finem decreta concilii, postridie in tertia et ultima sessione per synodum approbanda.

Absoluta congregatione, illustrissimus ac reverendissimus archiepiscopus episcopis a secretario legi fecit litteras, quas ad summum pontificem cum decretis concilii, sanctae sedis iudicio subiiciendis, missurus erat, quasque patres ore unanimi probarunt.

In his congregationibus, praeterquam quod ex decretis apparet, nihil dignum memoria speciali actum est, nisi quod refert ad stationes confessionum in domibus fidelium. Synodus unanimiter voluit eas impraesentiarum retinere vel permittere, quamvis omnibus desiderandum esset, eas esse rerum circumstantias ut omnino tolli possent et confessiones nonnisi in ecclesiis, excepta causa infirmitatis, exciperentur.

Palmare argumentum pro iis retinendis erat, († quod) saltem in provincia Casseliensi, quicquid sit de aliis partibus, ubi forsitan neque mos est generalis neque circumstantiae eaedem, pro iis abolendis praesens non esse tempus idoneum, quando nempe haeretici contra fidem populi conatus faciunt haud spernendos, quibus retundendis nihil efficacius excogitari potest quam stationes confessionum. Stationes enim instituunt quam arctissimam relationem inter pastores et plebem; praeterquam quod nihil, nequidem minimum, in paroecia contingere potest inscio pastore, qui, dum stationes habet, non solum singulas partes paroeciae perlustrat, sed ubique quasi praesens est.

Talis erat sententia omnium theologorum (vicariorum generalium, uno vel altero excepto) et episcoporum de hac quaestione interrogatorum.

Plures insuper asseruerunt in quibusdam partibus, ubi pastores sustulerant stationes, necesse devenisse[1]

[1] Id est: *factum esse.*

ad priorem consuetudinem eas habendi reverti, A propterea quod multi negligebant confessionem etiam annuam, dum antea nemo fere neglexerat, saltem in partibus ruralibus.

Asseruerunt praeterea, eam esse paupertatem in locis haud paucis, ut una et eadem vestis exterior, una et eadem die inservire soleat diversis personis eiusdem vel etiam diversae familiae ad adeundam successive stationem confessionum: quod quidem fieri non posset, si non nisi in ecclesia essent confessiones.

Difficultatem praebere videbatur locus in statutis concilii Thurlesensis, qui sequitur: „Hortamur parochos, ut, quantum fieri potest, confessiones in ipsis ecclesiis audiantur, et nullibi audiantur nisi in locis decentibus, et ianuis patentibus: *mulierum vero, praeter casum necessitatis, nonnisi in ecclesia, et ad sedem confessionalem*."[1] Sed hic locus, ut omnibus videbatur, non obstat quominus retineantur stationes B confessionum absque ulla distinctione personarum vel locorum, tum quia eadem statuta Thurlesensia eodem loco[2] numero immediate sequente (n. 42) et alibi[3] supponunt ut licitas stationes consuetas absque ulla distinctione; tum quia hic locus ad summum non est nisi hortativus, cum vox *hortamur* in principio sententiae afficiat non solum primam clausulam, sed etiam subsequentem de confessionibus mulierum.

Certe, aiebant omnes, si subsequens clausula quoad confessiones mulierum sit praeceptiva, statim sequitur abolendas esse stationes confessionum et pro viris et pro mulieribus. Nam, spectando notiones receptas et quidem sanas, ut videntur, stationes pro viris solis essent quid vere singulare; praeterquam quod suspiciones contra sacerdotes excitarentur in mente populi, qui adeo non suspicatur neque locum habet suspicandi virtutem sacer- C dotum, ut eos in maxima reverentia semper habuerit et habeat. Unde, quaestionem practice spectando, si nullae erunt stationes nisi pro viris tantum, nullae omnino erunt stationes; et praeterea, per hanc interpretationem, si non discordantia, saltem intellectu difficilia valde efficientur, quoad hoc, ipsa statuta Thurlesensis concilii, utpote hic re et effectu prohibentia, alibi vero permittentia, stationes confessionum.

Ex decreto *de seminariis* apparet placuisse patribus ut, quo melius instituantur alumni servitio ecclesiae destinati, ex dioecesibus nullum seminarium dioecesanum habentibus transmitterentur ad aliquod seminarium in provincia Casseliensi probatum a patribus. Seminarium vero, quod ad hoc patres uno ore probarunt, est seminarium Sancti Patritii apud Thurles.

In congregatione quinta privata episcoporum, D proponente archiepiscopo, placuit tertiam et ultimam sessionem habendam esse die 6 septembris.

## SESSIO TERTIA ET ULTIMA.

Die septembris 6, celebrata est sessio tertia et ultima, finemque habuit concilium.

Hora 10 ante meridiem, a collegio Sancti Patritii perrexerunt omnes patres et sacerdotes synodi ad ecclesiam metropolitanam, quae eodem ornatu fulgebat quo in prioribus sessionibus, et etiam frequentiorem clerum et populum continebat.

Post missam solemnem ab illustrissimo ac reverendissimo episcopo Corcagiensi celebratam, et post antiphonam, psalmum, orationes, evangelium, et hymnum *Veni creator*, ut in pontificali, surgit illustrissimus ac reverendissimus episcopus Rossensis, a metropolitano prius rogatus, et per duas horas concionem habet ad synodum et adstantes, rerum copia necnon pietate et doctrina insignem. (Exemplar concionis, quod mittitur, pro hic inserto habeatur.)

Tunc instat promotor ut omnia decreta synodi numero viginti novem, hesterna die lecta, nunc solemniter per synodum approbentur, quod et more solito fit. Hic vero est elenchus decretorum: *de aperienda synodo; de modo vivendi in concilio* [etc.].

Lecto et probato decreto pro subscriptione decretorum, post illustrissimum ac reverendissimum metropolitanum, caeteri patres, quisque loco et ordine suo accedentes ad altare, subscribunt decretis.

Lecto demum et approbato decreto *de fine praesentis synodi*, illustrissimus ac reverendissimus archiepiscopus declarat finem huic concilio fieri et iam factum esse.

Postea, e suggestu cantatae sunt a secretario concilii, respondentibus omnibus, solemnes acclamationes quae sequuntur:

*Secretarius:* Deo patri misericordiarum et Deo totius consolationis et gratiae, omnis laus, gloria et honor.

*Responsio:* Amen, amen, amen.

*Secretarius:* Beatissimo domino nostro Pio IX papae, summo sanctae et universalis ecclesiae pontifici, christiani nominis in omnes terrarum partes propagatio, cunctarum gentium obedientia, pax vera, diuturna prosperitas.

*Responsio:* Domine Deus, sanctissimum patrem nostrum ecclesiae tuae conserva; mitte illi auxilium de sancto, ut, eo gubernante, gentes omnes illuminentur, et quae dispersae sunt in unum ecclesiae tuae ovile colligantur.

*Secretarius:* Reverendissimo domino Michaeli, archiepiscopo nostro, huius synodi praesidi, et patribus reverendissimis, salutaris vigilantia, in laboribus constantia, et felix exitus.

*Responsio:* Omnipotens Deus, super pontifices nostros benedictionum tuarum dona multiplica.

*Secretarius:* Serenissimae nostrae reginae ac principibus christianis, zelus iustitiae et pacis foecunditas.

*Responsio:* Princeps coelestis, terrenos principes custodi.

*Secretarius:* Civitati Thurles et toti provinciae Casseliensi, tranquillitas, salus et divinarum gratiarum abundantia.

*Responsio:* Benedic, Domine, filios tuos, et esto in circuitu populi tui ex hoc nunc et usque in saeculum.

*Secretarius:* Decretorum huius provinciae observantiam salutarem omnes qui hic adsumus unanimi voto a Deo bonorum omnium largitore humiliter imploremus, intercedente deipara virgine Maria domina nostra, cum beato Michaele archangelo, cum beatis apostolis Petro et Paulo, et beatis patronis nostris, beato Patritio, beato Alberto, beato Brendano, beato Munchino, beato Otterano, beato Finbarro, beato Colmano, beato Fachnano, beato Flannano, et omnibus sanctis huius provinciae.

*Responsio:* Fiat. Amen, amen, amen.

Completis acclamationibus, osculum pacis sibi invicem dant et valedicunt, illustrissimus ac reverendissimus archiepiscopus et reverendissimi episcopi.

[1] Decreta synodi plenariae Hibernensis apud Thurles: *de poenit.*, n. 41.

[2] Stola violacea et vestis talaris adhibeatur a sacerdotibus ... cum confessiones in ecclesiis aut stationibus excipiunt. *De poenit.* n. 42.

[3] Volumus ut praxis administrandi sacramenta in ecclesiis, in quantum commode fieri poterit, introducatur. *De sacr.* n. 3.

Dat reverendissimus dominus archiepiscopus solemnem benedictionem, denuntiat secretarius indulgentiam 40 dierum, cantat diaconus *Recedamus in pace*, et respondent omnes *In nomine Christi*; quibus factis, omnes recedunt processionaliter cantando *Te Deum*.

Sic feliciter absolutum est concilium provinciale Casseliense, quod per septem dies duravit; septem congregationes generales, quinque privatas habuit; et viginti novem decreta examini et iudicio sanctae sedis apostolicae subiicienda tulit.

Hic, ad coronidem addendum est, omnes et singulas propositiones in decretis huius synodi contentas, ab initio ad finem, [a] patribus fuisse definitas ne quidem una voce de qualibet una propositione dissentiente.

Die subsequente discesserunt illustrissimi ac reverendissimi patres et theologi, illustrissimo ac reverendissimo archiepiscopo grates rependentes uberrimas, nec quidem indebitas, tum propter summam benignitatem qua, plus quam auctoritate labores synodi ad finem feliciter perduxerat, tum etiam propter eximiam hospitalitatem qua, nihil infectum relinquens, omnium necessitatibus providere curaverat.

## LITTERAE

*de indicendo et convocando provinciae Casseliensis concilio.*

Michael Slattery, Dei et apostolicae sedis gratia archiepiscopus Casseliensis, etc.

Illustrissimis ac reverendissimis fratribus episcopis, aliisque huius provinciae Casseliensis ecclesiasticis, qui de iure vel consuetudine synodo provinciali interesse debent, salutem in Domino.

Cum sacrosanctum et oecumenicum concilium Tridentinum praescribat ut „*provincialia concilia, sicubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris canonibus permissis renoventur*“ [1]; cumque epistola sacrae congregationis de Propaganda fide ad metropolitanos Hiberniae, data die 3 maii

[1] Conc. Trid., sess. XXIV, *[de reform.*, c. 2].

A [anni] proxime elapsi significet, religioni apud nos promovendae valde profuturum, si in Hibernia, iuxta concilii Tridentini praescripta, habeantur concilia provincialia atque etiam synodi dioecesanae, in quibus decreta synodi nationalis Thurlesensis solemnius evulgentur et alia negotia gravia tractentur: idcirco, nos, ad Dei omnipotentis laudem et gloriam, et ad bonum spirituale totius huius provinciae Casseliensis, synodum provincialem, in ecclesia nostra metropolitana Thurlesensi, inchoandam 1 die septembris proxime futuri, in festo sanctae Rosae Limanae, quae faveat precibus, et diebus sequentibus celebrandam terminandamque indicimus et convocamus.

Proinde, reverendissimos fratres comprovinciales episcopos et alios ecclesiasticos, qui de iure vel consuetudine interesse debent, in Domino hortamur, et, quatenus opus est, iubemus, ut ad synodum provincialem celebrandam die et loco supradictis nobiscum B adsint.

Singuli episcopi secum adducere poterunt, tanquam theologum vel canonistam, unum sacerdotem doctrina insignem rebusque ecclesiasticis versatum; moneantque capitula, si existant, suarum respective ecclesiarum cathedralium ut per procuratores assistant. Meminerint etiam caeremoniale episcoporum suggerere ut, ad plenius divulgandam synodum, schedula diem et locum synodi notificans, ecclesiae cathedralis valvis affigatur [1].

Idem caeremoniale postmodum addit: „Rursus tribus proximis diebus dominicis ante dictam diem (nempe, inchoationis concilii) conveniens erit, si tam in ipsa ecclesia metropolitana per concionatorem, quam in singulis parochialibus per parochos, iterum atque iterum denuncietur; populi fideles ad devotionem, orationes, ieiunia, sacramentum poenitentiae, sanctae eucharistiae sumptionem, aliaque C pia opera adhortentur: ut actio huiusmodi, Deo opitulante, dignum sortiatur exordium, felicemque et fructuosum progressum et exitum habeat.“ [2]

Datum apud Thurles, sub signo sigilloque nostro ac subsignatione secretarii nostri, die 30 iulii 1853.

Michael, archiepiscopus Casseliensis.

*Locus † sigilli.* P. Leahy, a secretis.

[1] Lib. I. c. 31.
[2] Ibid.

# DECRETA CONCILII.

## *I. De aperienda synodo.*

In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti.

Nos, Michael Slattery, ecclesiae metropolitanae Casseliensis archiepiscopus, ad laudem et gloriam Dei et salvatoris nostri Iesu Christi; ad honorem beatae Mariae semper virginis, Dei genitricis, sanctorum apostolorum Petri et Pauli, sancti Patritii, sancti Alberti, aliorumque sanctorum qui hanc provinciam illustrarunt; ad communem huius provinciae utilitatem, cultus divini augmentum, ecclesiasticae disciplinae restitutionem; et ad solemnius divulgandum tum etiam ad observandum et exsequendum statuta concilii nationalis Thurlesensis anno 1850 habiti: decernimus, consultis et consentientibus confratribus nostris episcopis comprovincialibus, hac ipsa die 1 septembris inchoandam iamque inchoari synodum huius provinciae, quam tanquam metropolitanus, per litteras indictionis datas 30 iulii huius anni, rite convocavimus.

Faxit Deus ut quod eius nomine indiximus concilium rite procedat, et ad finem feliciter perducatur, et ad maiorem Dei gloriam tendat.

## *II. De modo vivendi.*

Quoniam non possumus „*cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*“ [1], et non modo orandum, sed etiam orationi instandum [2], et Domino vivendum [3]: ideo, non satis ducaD mus quod, ad divinum auxilium obtinendum, populos fideles per provinciam sparsos adhortati fuerimus, ut faciendum suggerit caeremoniale episcoporum, „*ad devotionem, orationes, ieiunia, sacramentum poenitentiae, sanctae eucharistiae sumptionem, aliaque pia opera*,[4]“ nisi et ipsi instantes simus obsecrationibus et orationibus [5], „*et iuste et pie vivamus*,“ [6] in omni cordis humilitate sperantes ut haec synodus, „*Deo opitulante, dignum sortiatur exordium, felicemque et fructuosum progressum et exitum habeat.*[7]“

[1] II Cor. III. 5.
[2] Coloss. IV, 2.
[3] Rom. XIV. 8.
[4] Caeremoniale episcoporum, lib. I. c. 31.
[5] I Tim. V, 5.
[6] Tit. II. 12.
[7] Caeremoniale episcoporum, lib. I. c. 31.

Ut igitur in nobis adimpleatur benedictio pro- A missa a Christo dicente: „*Ubi... sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*,[1]“ haec synodus omnes et singulos praesentes monet et enixe hortatur, ut in Domino ambulantes ita ut sint *irreprehensibiles coram ipso*[2], preces Deo pro hac synodo assidue fundant simul cum fidelibus huiusce civitatis; sanctissimum missae sacrificium vel quotidie celebrent vel celebrando adsint; horas canonicas devote recitent; publica ecclesiae officia attente peragant; „*obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones*[3]“ offerant pro una, sancta, et catholica Dei ecclesia, pro beatissimo papa nostro Pio IX, pro ecclesia Hiberniae, et pro omnibus hominibus, ut fidei incrementa videamus.

In actionibus concilii, seu publicis seu privatis, omnes meminerint quam necessarium sit ante oculos habere apostoli verba, sapientiam et pietatem spirantia: „*Omnia honeste et secundum ordinem fiant*[4], B *omnia vestra in caritate fiant.*[5]“ Unusquisque igitur ita sermonem componat, ut, dum libere sententiam profert, aliis exemplum sit moderationis, et ita synodi deliberationes non modo non turbet, sed etiam consilio adiuvet, modestia ornet.

*III. De praeiudicio non afferendo.*

Praeterea, statuimus ut quocumque ordine sedeant qui huic synodo intersunt, nullum exinde praeiudicium cuilibet obveniat, quoniam, ex ordine nunc servato et servando, nec ius acquiritur nec amittitur.

*IV. De non discedendo.*

Insuper, in virtute sanctae obedientiae et sub poenis canonicis, prohibetur, ne quis ex iis qui synodo interesse tenentur, ab ea discedat antequam dimissa fuerit, nisi causa a patribus cognita et pro- C bata, et facultate rite obtenta.

*V. De officialibus.*

Quo rite et faciliter synodi negotia expediantur, sequentes tamquam ministri eius constituti sunt et constituuntur.

Promotor: reverendus Michael Burke, Waterfordiensis, et parochus Clonmelensis.

Secretarii: reverendus Patritius Leahy, Casseliensis, praeses collegii Sancti Patritii apud Thurles; reverendus Dominicus Murphy, vicarius generalis dioeceseos Corcagiensis, et parochus Sancti Finbarri in civitate Corcagiensi.

Notarius: reverendus Thomas O'Carroll, Casseliensis, et professor in collegio Sancti Patritii apud Thurles.

Magistri caeremoniarum: reverendus Thomas O'Connor, Casseliensis, et parochus Templemoren- D sis; reverendus Guilelmus Morris, Casseliensis, et parochus de Borris-Ileigh.

*VI. De professione fidei.*

Cum talis, ut plurimum, sit fides credentium qualis est fides docentium, sinceri fide esse debent pastores qui alios verbo veritatis erudire tenentur. Cumque omnes id uno ore profiteri debeant quod et in simplicitate cordis credunt, quoniam, ut ait apostolus, „*corde... creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*[6]“: ideo, fidei sacrosancti concilii Tridentini firmiter adhaerentes, eiusque decreto libenter obsequentes, orthodoxae fidei professionem, iuxta formam a sede apostolica praescriptam, emittimus, auspicantes hanc synodum per fidem et in fide.

Professio fidei iuxta formam Pii IV. [*Vide supra col.* 36 A - 38 A.]

## TITULUS I.

### Fides.

*De fide.*

Notum est, haereticos omnibus nervis contendere in quibusdam huius provinciae locis, ut a fide catholica pauperes seducant, praesertim distribuendo pecuniam, versiones haereticas sacrae scripturae, et tractatus venenosos acatholicos. Quamvis negari non potest, quosdam, paupertate et miseria pressos, fidem ore tenus, non corde, aliquamdiu auro vendidisse; attamen, post diligentissimam factorum inquisitionem, omnibus tum episcopis tum theologis, qui sunt fere omnes vicarii generales, singillatim interrogatis de statu propriae dioeceseos, omnes et singuli episcopi solemniter declarant coram hac synodo, numerum apostatarum exaggeratum esse et adhuc exaggerari longe ultra rei veritatem; conatus haereticorum, quamvis audaces nimis, nullum habuisse successum, qui timorem excitare debeat ne populi pars aliqua magna a fide desciscat; se conscios non esse negligentiae in hac sive ex parte sui sive ex parte sacerdotum quibus concredita est cura animarum in locis, ubi proselytismus maxime vigere dicitur; omnes e contra tum episcopos tum sacerdotes (uno vel altero sacerdote excepto qui ab episcopo statim punitus est), nihil non fecisse quod facere possent et deberent pastores vigilantes et zelosi; hoc malum proselytismi, quantumcunque demum fuerit, ortum duxisse ex temporum calamitate et miseria pauperum, fame et pestilentia proximis annis ultra modum aucta; proselytismum nunc in dies valde decrescere; per sex ultimos menses fere nullum esse apostatam; plurimos apostatas quotidie in sinum sanctae matris ecclesiae reverti, multosque protestantes, eosque nonnisi puris motivis ductos, catholicos apud nos fieri; et spem demum fulgere, si Deus bonus „*fructus terrae dare et conservare*“ dignetur, fore ut brevi nihil amplius audiatur de apostasia catholicorum in Hibernia.

Quamvis autem talis sit rerum status, quoniam pretiosa margarita fidei diligentissime custodienda est, et perditio etiam unius animae, per sanguinem Christi redemptae, boni pastoris lacrymis lugenda est: haec synodus pro munere suo in Domino obsecrat, necnon mandat, ut omnis sacerdotalis cura adhuc impendatur ad retundendos audaces haereticorum conatus, qua sarta tectaque servetur populi fides, „*humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo.*[1]“ Quapropter, haec synodus sequentia statuit, quae quidem fere omnia iam antea sat generaliter in praxi servata, si non statuta fuerunt.

Neque fideles ipsi legant nec alios audiant legentes scripturas in linguam vernaculam versas et absque probatis commentariis; quas scripturas contra sanctissimas ecclesiae regulas missionarii protestantes, ut vocantur, ubique disseminant. [*Caeterum, quoad libros haereticorum aliorumque impiorum, serventur decreta sacrae congregationis Indicis, et fideles per parochos admoneantur de censuris aliisque poenis contra inobedientes inflictis. — Additio curata a s. congregatione de Propaganda.*]

Saluberrimae ecclesiae regulae de lectione et usu sacrae scripturae ab omnibus serventur.

Summopere caveant fideles a scholis protestantium, non exceptis iis quae vocantur *industriales*,

[1] Matth. XVIII, 20.
[2] Coloss. I, 22.
[3] I Tim. II, 1.
[4] I Cor. XIV, 40.
[5] Ibid. XVI, 14.
[6] Rom. X, 10.

[1] Hebr. XI, 6; Conc. Trid., sess. VI, c. 8, de iustif.

ubi, industriae fovendae specie, insidias faciant fidei A catholicae.

In quantum fieri potest et prout prudens fuerit, instituantur et institutae foveantur *scholae industriales* in quibus nullum erit periculum fidei et morum catholicae iuventutis, et ubi erudiri poterunt in fidei veritatibus.

In diebus saltem dominicis et festis solemnibus, iuxta concilii Tridentini praescriptum, nitide et simpliciter annuncientur catholicae religionis veritates, et a sacerdotibus ipsis crebrae fiant rudium et parvulorum catecheses.

Instituantur piae sodalitates virorum et mulierum ad catechizandum.

Propagentur per parochias boni libri; in quem finem valde commendamus bibliothecarum parochialium institutionem per parochos.

Missiones et piae apostolicae praedicationis exercitia vehementer exoptamus. Licet enim ex hisce B mediis extraordinariis non omnes omnem bonum fructum accipiant, multi tamen per ea vel iam iusti iustificantur adhuc, vel peccatores convertuntur ad Deum. Quapropter, strenue exhortamur parochos, ut viros verbo et opere potentes, vel regulares vel saeculares, prout ab episcopis fuerit ordinatum, interdum probante episcopo advocent, et ita salutare missionis beneficium plebi subministrent.

Opus pium, quod vocatur *Propagationis fidei*, quodque, his temporibus calamitosis, ad tutandam fidem catholicam in Hibernia valde fructuosum fuit, omnibus et pastoribus et fidelibus in Domino commendamus, sperantes ut opus tam pium pro viribus promovere velint et studeant.

## TITULUS II.

### Hierarchia, etc.

*De hierarchia et de personis ecclesiasticis; de summo pontifice.*

Quoniam Christus dominus noster super Petrum eiusque successores aedificavit ecclesiam, cum sancto oecumenico concilio Florentino profitemur, „Romanum pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque ecclesiae caput, et omnium christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem ecclesiam a domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse: quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur.“

Quamobrem, quod ab usque *(sic)* diebus sancti Patritii nunquam non fecerunt maiores nostri, oculos semper convertimus ad Romanam ecclesiam, D omnium ecclesiarum matrem et magistram, ad quam, ut ait Irenaeus, *„propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire ecclesiam.“* [1]

Neque agnoscimus solum necessitatem profitendi eandem fidem cum sede Romana, ita ut credamus quae credenda docet, sed etiam servandi debitam obedientiam in iis quae facienda iubet, et, inter alia, libenter obsequendi constitutionibus quae ex fonte omnis sacerdotalis unionis dimanant, docendique fideles ut eas tanquam normam agendorum agnoscant et revereantur.

Insuper, salutaribus regiminis ecclesiastici regulis inhaerentes, huius concilii provincialis decreta sanctae sedi recognoscenda submittere unanimes statuimus.

[1] Iren., lib. III, *contra haer.*, c. 3.

*De episcopis.*

Magna certe sublimisque episcoporum dignitas, quippe qui sint apostolorum successores, Christi legati, ecclesiae principes; magna etiam sollicitudo eorum qui attendere debent non sibi solummodo, sed etiam gregibus, cum eos posuerit Spiritus sanctus regere ecclesiam Dei [1].

Eorum est, depositum fidei custodire, errores a populo fideli pellendo, ignorantiam extinguendo, insidias haereticorum detegendo, et totis viribus [se iis] opponendo.

Eorum est, invigilare ne in proprias dioeceses abusus irrepant; et si qui deliquerint, „illa apostoli est ab iis servanda praeceptio ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia, cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus caritas quam potestas. Sin autem, ob delicti gravitatem, virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate severitas adhibenda est.“ [2]

Eorum est, verbum Dei praedicare, apostolo dicente omnibus episcopis quod dicit Timotheo: *„Praedica verbum, ... opus fac evangelistae, ministerium tuum imple.“* [3]

Quod quidem facere tenentur per se, cum sacrosanctum concilium Tridentinum dicat, eos teneri per seipsos, si legitime impediti non fuerint, ad praedicandum [sanctum] Iesu Christi evangelium [4]. Si vero impediti fuerint, viros idoneos assumere teneantur ad huiusmodi praedicationis officium salubriter exsequendum [5].

Munus etiam gravissimum episcoporum est curare ut parochi digni, quibus committatur cura animarum, populo christiano praeficiantur, et ut in iis, sicut in C vicariis, eluceat vitae integritas, doctrina, ecclesiastica disciplina.

Similiter episcopi, iuxta concilium Tridentinum, propriam dioecesim per seipsos, aut, si legitime impediti fuerint, per suum generalem vicarium [6], aut per alios ad hoc officium deputandos, visitent.

Singulis annis, si fieri potest, episcopi pro clero suae dioeceseos spiritualem secessum habeant, et collationes ecclesiasticas statis temporibus.

Inter iura et officia episcoporum annumeranda est institutio christiana iuventutis, unde omnino vigilare debent ut seminaria vel scholas non frequentent, ubi metuendum sit ne fides vel mores eorum laedantur, et praeterea pro viribus laborare ut catholica educatio promoveatur.

Animo etiam reputent, ad eos pertinere curam miserabilium personarum, quasi ipsis hanc provinciam Christus mandaverit per verba prophetae: *„Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.“* [7]

His omnibus officiis tot ac tantis rite perfungi non poterunt, nisi constitutiones concilii Tridentini super residentia servent.

Meminerint demum episcopi, se teneri singulis decenniis sacra apostolorum limina visitare, ac statum ecclesiarum suarum sanctae sedi referre.

*De metropolitano.*

Constat, perantiquam esse in ecclesia dignitatem metropolitani, eumque esse caput provinciae cum quo uniri debent omnes et singuli episcopi.

[1] Act. apost. XX, 28.
[2] Conc. Trid., sess. XIII, c. 1, *de ref.*
[3] II Tim. IV, 2 et 5.
[4] Conc. Trid., sess. V, c. 2, *de ref.*
[5] Ibid.
[6] Conc. Trid., sess. XXIV, *de ref.*, c. 3.
[7] Psalm. IX seu X, 14, sec. Hebr.

Peculiaris iurisdictio metropolitano competens diversa complectitur iura, ex quibus praecipua sunt: episcopos comprovinciales necnon et alios, qui de iure aut consuetudine interesse debent, ad synodum provincialem convocare, in eaque praeesse; causas ecclesiasticas, summo pontifici non reservatas, et ad metropolitani tribunal per appellationem a suffraganeis secundum canones delatas, iudicare; sede episcopali in provincia vacante, vicarium capitularem, si intra octo dies a capitulo non fuerit provisum, nominare; et in unum convocare die et loco praefixo parochos et canonicos vacantis dioeceseos, ut tres idoneos viros commendent, e quibus summus pontifex eligat, si velit, unum qui dioecesi vacanti praeficiatur.

*De vicariis generalibus et foraneis.*

Unus vel alter sit vicarius generalis in singulis dioecesibus. Et, quo onus grave humeris suis impositum episcopi facilius ferre valeant, quandoque optimum factu est, si, praeter vicarios generales, quosdam alios digniores sacerdotes eligant tanquam *decanos rurales* seu *vicarios foraneos*, ut vocantur, qui ex officio, praeter specialem curam suarum parochiarum, super aliorum sacerdotum vita teneantur invigilare, de statu religionis in suo decanatu ad episcopum referre, eiusque mandata ad alios transmittere, et alia munera adimplere quae ipsis ab episcopi arbitrio fuerint concredita.

*De personis Deo consecratis.*

Moniales, votis Deo consecratae, in Hibernia ut plurimum subiiciuntur episcopo, cuius est videre ut constitutiones suas diligenter servent, et ad finem instituti assequendum assidue laborent.

Praeter ordinarium confessarium, ad id specialiter approbatum, alius extraordinarius bis aut ter in anno praebeatur.

*De parochis et coadiutoribus seu vicariis parochorum.*

In pascendis ovibus parochi sunt episcoporum cooperatores, et sub parochis coadiutores seu vicarii parochorum, qui nullam alicuius momenti consuetudinem tollere aut inducere praesumant, inconsulto ordinario, eiusque mandata et monita ad officium pastorale rite explendum attinentia prae oculis accurate habeant, ut servetur unitas tantopere a Christo domino et ab apostolis commendata, qua in singulis dioecesibus non minus ac in universali ecclesia unum erit ovile et unus pastor.

Parochi meminerint, vicarios esse eorum cooperatores, quos honorent ut fratres ordine, benigne tractent, ipsosque ecclesiasticae virtutis exemplo et longioris experientiae consiliis ad munia pastoralis officii rite obeunda informent. Vicarii vero nunquam obliviscantur quod sint adiutores tantum; ideo parochorum auctoritati in regimine parochiae et sacro ministerio subsint, nec quidquam absque eorum licentia innovare sibi assumant.

Et parochi et vicarii ponant custodiam ori suo et ostium circumstantiae labiis suis, ne alteruter quidquam de fratre in ministerio, praesertim apud laicos, dicat, quod famam eius vel honorem etiam minimum laedat. Unum cor et unam animam habeant, ut experiantur „*quam bonum et quam iucundum, habitare fratres in unum*"[1].

## TITULUS III.

### Sacramenta.

*De baptismo.*

[Sacerdotes moneant eos, ad quos pertinet, ut recens nati, quamprimum fieri potest, pro baptismate deferantur ad ecclesiam, vel ut sacerdos advocetur quotiescumque sint in periculo mortis, aut quando sine periculo vel gravi incommodo, e loco nimis dissito adduci nequeant, tunc enim in privatis domibus baptizentur, prout statuitur in synodo nationali Thurlesensi. — *Additio curata a s. congregatione de Propaganda.]*

Ad munus patrini non sunt admittendi infideles, haeretici, schismatici, excommunicati et interdicti nominatim, aut infames.

Ne sub conditione quidem iterandum baptisma, cum nulla occurrit prudens ratio dubitandi de prioris baptismi validitate: sed tunc solum eo (scilicet baptismate sub conditione) uti licebit, cum prudens et probabilis subest dubitatio, an quis fuerit rite baptizatus, nec, diligenti praemissa indagatione, potuit rei veritas innotescere[1].

Unde, iterandum baptisma sub conditione quando rationabile dubium est de priori baptismate, non vero etiam sub conditione iterandum quando prioris valor est moraliter certus.

Forma in rituali Romano praescripta pro baptismo conditionali, servari debet.

„Quamprimum fontes baptismales in ecclesiis parochialibus erigantur," aiunt decreta synodi nationalis Thurlesensis[2]. Quod fieri iubemus in iis locis ubi iam antea non est factum.

Fons baptismalis decenter et diligentissime custodiatur, seraque claudatur.

*De confirmatione.*

Quoniam vita hominis militia est super terram, haudquaquam satis est quod in baptismate homines regenerati sint ad vitam, sed oportet ut quotquot renati sunt, praeterea in confirmatione roborentur ad certamen spirituale a christianis in hac lacrymarum valle certandum.

Quod salutare chrismatis sacramentum, si aliis temporibus nec praetermittendum nec longius differendum, nunc certe, quando fideles tot tantisque periculis obnoxii sunt, eos iterum iterumque monere debent pastores quanti intersit, ut nec ipsi hoc robur christianorum negligant, nec filios aut servos negligere sinant.

Nonnisi sufficienter edocti praecipua fidei mysteria, necnon et divinae religionis rudimenta, ad hoc sacramentum sunt admittendi: unde crebris catechesibus piisque adhortationibus disponantur.

Cum ad dignam confirmationis susceptionem requiratur status gratiae habitualis, curent pastores ne quis accedat confirmandus absque praemittendo sacramentalem confessionem.

Curent etiam ut omnes confirmandi adsint, cum, in principio ritus, episcopus extensis manibus profert orationem *Omnipotens*, etc., neve discedant antequam totus ritus perficiatur.

*De eucharistia.*

Quae in synodo nationali Thurlesensi de frequenti sanctissimi sacramenti visitatione statuta sunt, tam pro fidelibus quam pro clero[3], fideliter observari exoptamus.

Exhortamur ut detur benedictio sanctissimi sacramenti in iis locis ubi commode et cum debita solemnitate fieri potest, et episcopus probaverit.

Oportet ut, ab ineunte tempore quadragesimali, pastores denuncient fidelibus legem concilii Lateranensis dicentem: „Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio sacerdoti, . . . . . suscipiens re-

[1] Psalm. CXXXII, 1.

[1] Bened. XIV, *de syn. dioec.*, lib. VII, c. 6, § 9.

[2] Cap. XI, n. 6, [*supra* col. 161 A].

[3] Cap. XIII, n. 20 et cap. XVII, n. 20, [*supra* col. 168A et 168C].

vereatur ad minus in pascha eucharistiae sacramentum."

Pastoris etiam erit, vim et efficaciam sanctissimae eucharistiae populo explicare, simulque monere de triplici obligatione quoad eius receptionem, nempe eam suscipiendi 1. semel saltem in anno, 2. in Paschate, 3. a proprio sacerdote, nisi de eius licentia, quam quidem haud difficulter pro prudentia et caritate concedat; ab alio vel alibi quam in propria paroecia communionem paschalem recipere permittatur.

Ne fidelibus frequenter communicare volentibus copia confessarii desit, statuimus ut quolibet sabbato per annum, necnon in vigiliis festorum de praecepto, omnes sacerdotes, tam parochi quam coadiutores legitime non impediti, in ecclesia per sufficiens tempus ad audiendas fidelium confessiones se sistere teneantur.

Cum experientia constet, fideles ad communionem induci obtuitu indulgentiae lucrandae, et frequentationem tam commendandam sacramentorum eucharistiae et poenitentiae per pias sodalitates magnopere promoveri, optandum est ut confraternitas sanctissimi Sacramenti, vel aliae sodalitates, quae devotionem erga hoc sacramentum in populo augent, in singulis paroeciis, episcopo probante, instituantur, vel iam institutae foveantur.

Quo ordo servetur, neve scandalum oriatur ex eo quod indigni huiusmodi sodalitatibus adscribantur, nemo in posterum inter membra admittendus est absque proprii parochi seu coadiutoris approbatione in scriptis.

Omnes qui prima vice communicant, non solum ad diiudicandum corpus Domini idonei esse debent, sed et rite dispositi. Quapropter, per catecheses frequentes, easque non quasi ex impulsu momenti, sed cum praevia meditatione factas, mature instituantur.

Prima communione peracta, saepe saepius admoneantur parvuli de necessitate perseverandi in gratia et proinde frequenter accedendi ad sacram synaxim: quoniam, inter media ad perseverandum quam maxime efficacia, annumeranda est eucharistiae frequens et digna susceptio.

Posteaquam pueri primam confessionem vel communionem fecerint, confirmationemve susceperint, pastores nullo pacto in animum inducant credere, non amplius opus esse instructione catechetica. Quin potius adhuc solliciti, et, si fieri potest, sollicitiores sint circa eos, utpote generatim multiplici tentationi obnoxios, et instituant catechismum *perseverantiae*, ut vocatur; tum ut magis magisque evolvantur christianae religionis veritates iis qui nunc indigent instructione ampliore ciboque solidiore, tum etiam ut pietas et fervor non serventur duntaxat sed et augeantur.

„*Christianae pietati magis conforme*" est „*ut vivifici sacramenti participatio iis etiam, qui ob grave delictum sententia capitali damnati sunt, petentibus, alioquin recte dispositis, non denegetur*" [1]. Ideo, una ex diebus mortem praecedentibus, puta pridie executionis, imo ipsa die, pro circumstantiis, volumus, ut christianus morte plectendus corpus Domini suscipiat ad solamen et tutamentum animae in hora exitus, dummodo nullum sit irreverentiae periculum.

Pueri in mortis periculo constituti, non modo possunt, sed debent sanctissimo viatico muniri, etiamsi primam communionem nunquam [2] fecissent, dummodo cibum istum coelestem et supernum a communi et materiali discernant.

„Quanta cura adhibenda sit," ait concilium Tridentinum, „ut sacrosanctum missae sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitarit *maledictum* in sacris litteris eum vocari, qui *facit opus* Dei negligenter [1]. Satis etiam apparet, omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut, quanta maxima fieri potest, interiori cordis munditia et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie, peragatur." [2]

Quamobrem, ordinarii locorum episcopi ea omnia prohibere „atque e medio tollere sedulo curent ac teneantur quae vel avaritia, . . . . vel irreverentia, . . . . vel superstitio induxit" [3].

„Cuiusvis generis mercedum conditiones, pacta . . . . necnon importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones, potius quam postulationes, aliaque huiusmodi, quae a simoniaca labe, vel certe a turpi quaestu non longe absunt, omnino prohibeant." [4]

[Quamquam sacerdotes accipere possint quidquid a fidelibus pro eleemosyna missarum libere offertur, non praesumant tamen exigere ultra quod a lege vel consuetudine legitima in singulis dioecesibus statuitur. — *Additio curata a s. congregatione de Propaganda.*]

„Moneant etiam . . . . populum ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus dominicis et maioribus festis, accedant," [5] ibi adfuturi missae parochiali pro ipsis speciatim celebratae, et audituri verbum divinum, ipsis et pro ipsis praedicatum, utiliaque monita ipsis propria. Verumtamen, non est imponendus laqueus conscientiae, adigendo eos sub gravi ad hanc prae alia missam, quandoquidem non in sola propria ecclesia, sed et in alia praecepto ecclesiastico satisfieri potest, praesertim si concionem sibi idoneam alibi audiant.

Caute et absque ulla specie sordidi quaestus missarum, excitanda est pietas et caritas viventium erga animas fidelium defunctorum; unde probamus pias societates apud nos in hunc finem institutas quae vocantur Purgatorianae, easque latius extendi volumus, quo animae fratrum in purgatorio, his sacrificiis purgatae a poenis quas pro peccatis patiuntur, „*locum refrigerii, lucis et pacis*" sortiantur.

Una missa anniversaria in singulis dioecesibus quotannis celebretur pro proxime defuncto episcopo, ut praescribit caeremoniale episcoporum [6]; et similiter alia missa pro defunctis episcopis et sacerdotibus uniuscuiusque dioeceseos.

Semel quotannis, per triennium ab ordinatione, iuniores sacerdotes integras missalis rubricas, ut et ritualis Romani quoad sacramentorum administrationem, legere teneantur; et de his in collationibus ecclesiasticis non solum ii, sed et alii interrogentur.

In missis celebrandis et in cunctis ecclesiae officiis, caeremoniae et ritus ab ecclesia adhibiti exacte serventur, ut omnia rite et ad aedificationem fiant; haec etenim omnia Christifidelium pietatem quam plurimum excitant, animosque ad coelestia desideria erigunt.

Quocirca, presbyteri commentarios probatos de his ritibus tractantes legere studeant, quo scientia ipsi praediti et sacras functiones peragere valeant ut ministros Dei decet, et populo explicare, quae

[1] Bened. XIV, *de synodo dioec.*, lib. VII [c. 11] sec. 3.

[2] Fortasse *nondum*; Bened. XIV, *de synodo dioeces.*, lib. VII, c. 12.

[1] Ier. XLVIII, 10. „*Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter.*"

[2] Conc. Trid., sess. XXII, decr. *de obs. et evit. in cel. missae.*

[3] Ibid.

[4] Ibid.

[5] Ibid.

[6] Lib. II, c. 36.

sit vis et significatio et sanctitas caeremoniarum A quas adhibet sancta mater ecclesia.

*De poenitentia.*

„Magnopere vero," ut dicunt patres Tridentini, „ad christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur. Unde merito pontifices maximi, pro suprema potestate sibi in ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia quae a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem episcopis omnibus in sua cuique dioecesi, in aedificationem tamen non in destructionem, liceat." [1]

Haec igitur potestas prudenter admodum est exercenda, ne alioquin reservationes subditis aut confessariis sint onerosae, et; sacramenti poeniten- B tiae ministrorum coarctata potestate, sanctae matris ecclesiae piae menti contrarius effectus subsequatur. Pauca igitur, eaque atrociora et graviora, crimina sunt reservanda, quae praeterea verbis claris exprimi typisque mandari necesse est, ut confessariis plane innotescant.

„Quamvis," sapienter ait Benedictus XIV, „praedicta facultate reservandi casus possit episcopus semper et quandocunque voluerit, uti; multis tamen nominibus decet ut illam potius in synodo quam extra synodum exerceat." [2]

Cum sit ars artium regimen animarum, confessario opus est caritate, necnon prudentia et scientia, in hac salutari directione exsequenda. Poenitentiam non praescribat impossibilem vel nimis difficilem, quam probabile est poenitentem nunquam adimpleturum esse, vel quia non poterit, *vel quia viribus aut conditioni ipsius minus congrua iudi-* C *cabitur*.

„Si in ulla re," dicit sanctae memoriae Leo XII, „servanda est mediocritas, in hac potissimum servetur necesse est, ne vel nimia facilitas absolvendi facilitatem afferat peccandi, vel nimia difficultas alienet animos a confessione, et in desperationem salutis adducat." [3]

Pastor bonus sui gregis agnellos praecipua cura fovet. Ideo parvulos ad confitendum allicere studebit, ut peccata confiteri assuescant, et, si digni inveniantur, etiam ante tempus primae communionis absolvantur, quoniam, ubi semel ad annos discretionis pervenerint, lege confessionis sacramentalis obstringuntur. Meminerint igitur pastores huiusmodi parvulos identidem per annum ad sacrum tribunal vocare et ad absolutionem, si idonei sint, omni studio disponere. Haec pastoralis sollicitudo teneros gregis agnellos a labe peccati vel omnino D salvos custodiet vel absque mora purgabit, unde ea puritate animi gaudebunt, qua insigniti ad ipsum agnum Dei in sancta eucharistia accedere permittantur.

Quamvis optandum sit, et quam maxime, fidelium confessiones semper in ecclesiis audiri, ea tamen sunt rerum adiuncta in hac provincia ut consuetudo habendi stationes confessionum in domibus fidelium, absque magno religionis detrimento impraesentiarum prorsus aboleri non possit.

[Decretum synodi Thurlesianae, ex capite de poenitentia, num. 41, de audiendis confessionibus [4], accurate servari volumus. Itaque, praedicti decreti A menti inhaerentes, vetamus ne in vicis et oppidis ubi adsunt ecclesiae, et in locis omnibus, quae prope distant ab ecclesiis, stationes pro confessionibus audiendis tam virorum quam mulierum in domibus privatis fiant, sed stationes in ipsa ecclesia teneantur. — *Additio curata a s. congregatione de Propaganda.*

*De extrema unctione.*

Cum, inter pastoralis sollicitudinis munia, maximi momenti sit infirmorum cura, unde aeterna eorum salus pendet, per viscera misericordiae Dei et salvatoris nostri Iesu Christi hortatur haec synodus omnes sacerdotes curam animarum habentes, ut gravi morbo laborantes nullo pacto negligant, adeoque media opportuna instituant parochi, ut vel ipsi vel coadiutores de periculo aegrotantium certiores fiant, idque tempestive.

Curent parochi, ut quoad tempus, ordinem etc. B visitandi infirmos, sint regulae fixae, easque servandae, in quantum necessaria cura infirmorum patitur. Si sit regula dioecesana hac super re, ea servetur.

Quando subitanei et valde periculosi casus occurrunt, sola regula sit ut sacerdos vocatus statim eat ad visitandum infirmum.

Monendi sunt fideles, *et praesertim qui eorum curae incumbunt*, ut sacerdotem advocent, dum periculose aegrotans adhuc integra mente et ratione gaudet.

Meminerint sacerdotes, se frustra sacramenta conferre quibus desunt dispositiones requisitae. Quapropter, memores verborum apostoli, „*omnibus omnia factus sum ut omnes facerem salvos* [1]," qua maxima possunt caritate laborent, ut infirmos ad fidem excitent, ad spem erigant, ad diligendum Deum tanquam omnis iustitiae fontem moveant, C aliisque dispositionibus piis informent.

Haud denegandum hoc sacramentum pueris ad sacram communionem nondum admissis, qui, in periculo mortis positi, intelliguntur doli capaces.

Sedulo evitent sacerdotes quicquid etiam speciem captandi testamenta habet. Ideo, quamvis oporteat monere aegrotantem de rebus temporalibus sicut et spiritualibus componendis, vetamus ne sacerdotes rei testamentariae sese immisceant, nisi id postulet iustitia aut caritas; tuncque, propriae famae tutandae causa, prudens erit adhibere, si fieri poterit, unum vel alterum testem, qui eorum agendi rationem vindicare et supra suspicionem ponere queat, si fortasse disceptationem aliquam postmodum suboriri contigerit.

Ad evitandas contentiones rebus non compositis saepe eventuras, bene erit si sacerdotes noverint formalitates a lege civili praescriptas, ut, ubi ne- D cesse est, alios edocere valeant quomodo rite iuxta leges condatur testamentum.

Sanctum oleum infirmorum quotannis, feria quinta in coena Domini, benedici debet, et in ea quantitate quae pro toto anno omnibus sufficiat.

Quo facilius sanctum oleum sacerdotes renovare queant, si forte deficiat, necesse iudicamus ut asservetur in loco nitido et securo, in singulis oppidis ubi collationes theologicae habentur.

*De ordine.*

Omnes ecclesiasticos viros enixe hortamur satagere, ut inquirant et dignoscant, et ad pietatem singulari studio instruant, pueros „quorum indoles et voluntas spem afferat eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros," ut ait concilium Tridentinum [2].

[1] Sess. XIV, de poenit., c. 7, *de cas. res.*

[2] *De synodo dioeces.*, lib. V, c. 4.

[3] Encycl. ad omnes patriarchas etc. de extensione iubilaei anni 1825.

[4] *Supra* col. 168 C.

[1] I Cor. IX, 22.

[2] Sess. XXIII, *de ref.*, c. 18.

Quando seminaria vacant, parochi et vicarii invigilent vitae et moribus seminaristarum, et si quid noverint graviter indignum, quod proinde notam mereretur, ad episcopum deferant.

*De matrimonio.*

Praescribente concilio nationali apud Thurles habito, ut „oblationes, occasione matrimoniorum fieri solitae, vel omnino tollantur, vel saltem intra iustos limites coarctentur," quilibet huiusce provinciae episcopus in propria synodo dioecesana, ad sanctorum canonum tramites habenda, praescriptionis concilii nationalis executionem urgeat.

Quodsi alicubi inveniatur sacerdos qui et fideles gravare, et se suumque sacrum ministerium dedecorare exactionibus rigorosis et exosis non haesitaverit, poenis plectatur pro delicti gravitate ab episcopo imponendis.

## TITULUS IV.

### Cultus divinus.

*De cultu divino.*

„Inter innumera quae salvator noster Iesus Christus sanctae ecclesiae beneficia contulit, eximium sane locum obtinet cultus sacratissimi sui cordis, quem sub ea forma, qua nunc insignitur, ultimis hisce temporibus sponsae suae inspiravit . . . Studeant igitur et sacri verbi praecones, et qui curam gerunt animarum, huic devotioni tum sibi magis ac magis intelligendae et comparandae, tum etiam animabus, iis praecipue quae perfectiora aemulantur, aperiendae et inculcandae . . . Piis fidelibus auctores sint, ut confraternitati sacratissimi Cordis Iesu, tam multis amplisque indulgentiis ab apostolica sede ditatae, sese aggregent, vel iam aggregati tali ac tanto nomine digniorem in dies vitam agant." [1]

„Praecedentem cohortationem nostram imperfectam putaremus, nisi etiam quotquot in nostra provincia sacro ministerio incumbunt ad cultum immaculati cordis Deiparae adaugendum excitaremus. Neque enim unquam a filio seiungenda mater. Namque, uti ait sanctus Bernardus, opus est mediatore ad mediatorem Christum, nec alter nobis utilior quam Maria." [2]

Valde commendamus rosarium beatae Mariae virginis, utpote praxim devotionis omnibus christianis, praecipue rudibus qui legere non valent, omnino idoneam necnon et fructuosam.

Gaudio esset nobis devotionem *mensis Mariani*, ut vocatur, in singulis paroeciis videre institutam.

Praeterea, pietate filiali ducti erga dilectissimam matrem Domini et nostram, et cupientes eius cultum magis ac magis quotidie promoveri, illum praesertim qui beatissimae virgini ut absque labe originali conceptae exhibetur, humiliter a sancta sede deprecamur, ut, precibus non nostris dumtaxat, sed etiam tot episcoporum totius orbis christiani cedens, tamquam doctrinam ecclesiae definire [dignetur] almae redemptoris matris conceptum immaculatum omnino fuisse, atque ab omni prorsus originalis culpae labe immunem.

Ad promovendam pietatem valde conduceret, si, praeter ea quae ad sanctificationem dierum dominicarum et festorum praecepta sunt, fideles aliis etiam, prout opportunum fuerit, piis exercitiis vacarent.

Hortamur itaque ut, saltem in oppidis huius provinciae, praesertim insignioribus, vesperae sin-
A gulis diebus dominicis et festis de praecepto solemniter celebrentur.

Quo vero hoc fiat, non modo sacerdotes ipsi divinam psalmodiam decenter peragere calleant, sed etiam curent cantum Gregorianum addiscendum esse a quibusdam e laicis piis, qui in cantandis vesperis aliisque ecclesiasticis officiis partem habere idonei sint.

Si qui forsan abusus in quibusdam locis hos dies dedecorent, in id omnem zelum exerant sacerdotes ut e medio prorsus tollantur, nilque sit quod diem Domini eiusve ecclesiae sanctae festa dedeceat.

## TITULUS V.

### Disciplina.

*De vita, moribus, et scientia clericorum.*

Clericos omnes iterum atque iterum hortamur
B ut ita vitam componant ne cui dent offensionem; quinimmo, facti forma gregis, se praebeant exemplum bonorum operum, unde fideles desumere queant quod imitentur [1]. Idcirco, semper prae oculis habere debent ea, quae de vita et moribus clericorum sancita sunt a summis pontificibus, a sacris conciliis, praesertim a concilio Tridentino, ac novissime a concilio plenario Hiberniae, quod summatim enumerat tum quae praestanda, tum quae vitanda sunt a clericis.

Clericis vetamus ne in causis saecularibus pro aliis, praesertim laicis, sponsores seu fideiussores fiant, nisi gravissimam aliquam causam habeant, et praeterea unde huiuscemodi obligationi satisfacere queant.

Ut ignorantiam fugiat sacerdos, meminerit verborum scripturae: „*Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi;* [2]" et ut scien-
C tiam divinam anhelet, et „*sapientiam omnium antiquorum* exquirat *sapiens* [3]", in memoriam revocet quod a Spiritu sancto alio loco dicitur: Qui edocti fuerint fulgebunt quasi „*splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates* [4]".

Sacerdotes igitur nullatenus sibi persuadeant, obligationem vacandi studiis ecclesiasticis pro ipsis cessare simul atque a seminario egrediuntur, quasi vero absque studio diuturno, praesertim sacrae scripturae et theologiae moralis, difficultates ministerii fere quotidianas possint solvere cum discretione, concionari cum effectu, absolvere cum fructu, vel etiam retinere quae semel in scholis didicerant.

Quoniam in multis regionibus huius provinciae viget usus linguae antiquae Hiberniae, viderint episcopi ut sacerdotes sui, ibidem curam animarum gerentes, linguam Hibernicam ita calleant ut mini-
D sterio sacro fructuose fungi possint.

*De universitate catholica Hiberniae.*

Adimplentes voluntatem sanctissimi domini nostri Pii IX, ut „collatis viribus, catholicam academiam, ad illius instar quae per Belgii antistites in civitate Lovaniensi fundata est, in Hibernia quoque erigendam episcopi curarent" [5]; obsequentes praeterea litteris recens a sacra congregatione de Propaganda fide acceptis; et demum exsequentes decreta synodi nationalis Hiberniae de hac re gravi; enixe hortamur ut episcopi et sacerdotes per totam hanc qua patet provinciam pro viribus satagant, ut quamprimum beatissimi patris desiderium per erectionem

[1] Ex decreto concilii prov. Remensis anni 1853, c. 10, [Mansi, Concil. XLIV, 890 D].
[2] Ibid., c. 11 [l. c., col. 891 C].

[1] Tit. II, 7.
[2] Osee IV, 6.
[3] Eccli. XXXIX, 1.
[4] Dan. XII, 3.
[5] Rescriptum de collegiis Reginae, 9 octobris 1847.

catholicae universitatis in Hibernia consummetur. A Quamobrem, volumus ut, omni quo fieri potest modo, cooperatio in hunc finem ab omnibus praestetur.

*De seminariis ecclesiasticis.*

Quod rationi omnino congruum itidem experientia evincat, institutionem catholicam iuventutis a teneris annis incipiamus necesse est, si in semitis iustitiae eam incedere, fructusque uberes pietatis aetate maturiore ferre velimus. Idque si necessarium in saecularibus; quanto magis in iis quos Deus vocat ad statum longe sublimiorem, nempe Christi sacerdotium.

Ideo, auctoritati concilii Tridentini[1] inhaerentes, statuimus, ut seminarium ecclesiasticum quamprimum erigatur in qualibet huius provinciae dioecesi, quae huiuscemodi seminarium iam non habet, et impensas necessarias supplere valet.

Quodsi propter circumstantias fieri non potest, B episcopi curent ut pueri statui clericali destinati, ad collegium aliquod in provincia ab iis nunc approbandum[2], transmittantur, ubi bonis moribus, et pietate, et disciplina ecclesiastica a tenera aetate informentur.

*De decretis concilii nationalis Thurlesensis.*

Quamvis decreta concilii nationalis Hiberniae, anno 1850 hic apud Thurles habiti, iam antea in dioecesibus huius provinciae in forma minus solemni accepta, divulgata et executioni mandata fuerint, verumtamen non modo expedire, verum etiam oportere iudicamus, praesertim quia id vult sancta sedes per litteras a sacra congregatione de Propaganda fide ad metropolitanos Hiberniae, die 3 maii 1853 datas, ut nempe in hac synodo provinciali et in synodis provinciae dioecesanis decreta praedicti concilii nationalis Thurlesensis solemniter evulgentur. C

Quapropter, dicta decreta cum omnibus suis partibus, prout a sancta sede emendata, iam nunc omnes et singuli profunda, qua par est, reverentia denuo accipimus, utpote sedis apostolicae iudicio munita, eaque, quanta possumus auctoritate, iubemus per totam hanc provinciam servari ab omnibus, tum ecclesiasticis tum laicis, quatenus ad eos referunt[ur].

*De synodo dioecesana.*

Ut adhuc melius executioni mandentur decreta concilii nationalis Thurlesensis, accuratiusque serventur praedictae instructiones sanctae sedis, etiam iubemus eadem decreta divulgari (quod et in quibusdam dioecesibus iam factum est), per synodos in singulis provinciae dioecesibus; quae synodi dioecesanae in alios etiam fines, iuxta concilium Tridentinum, quotannis celebrentur[3].

*De synodo provinciali.*

Episcopis huius provinciae nihil gratius esse potuit quam ut, annuente et iubente sancta sede, saluberrimas synodos provinciales, tot saeculis interruptas, iam iterum viderint in Hibernia renovatas. Iis igitur est in voto, triennio quoque, iuxta concilium Tridentinum, suae provinciae synodum celebrare, dummodo rerum et temporum circumstantiae permiserint, quippe qui cum eodem concilio Tridentino credant, „*provincialia concilia* ... *pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque in sacris canonibus permissis*,[4]" habere multum utilitatis.

[1] Sess. XXIII, *de ref.*, cap. 18.

[2] Ab episcopis approbatum est collegium Sancti Patritii apud Thurles.

[3] Sess. XXIV, *de ref.*, cap. 2.

[4] Sess. XXIV, [cap. 2].

*De promulgatione testium synodalium.*

Nos Michael Slattery, Dei et apostolicae sedis gratia archiepiscopus Casseliensis, antiquum atque probatum de testibus synodalibus institutum sequentes, ad hoc officium, de consensu reverendissimorum coepiscoporum nostrorum, seligimus, instituimus et pronuntiamus eos, quorum nomina sequuntur:

Pro dioecesi Casseliensi, reverendos dominos I. McDonnell, parochum ecclesiae Casseliensis, et I. Howly, parochum ecclesiae Tipperariensis, vicarios generales.

Pro dioecesi Kerryensi, reverendos dominos I. McEnnery, parochum ecclesiae dictae Tralee, et I. O'Sullivan, parochum ecclesiae dictae Kenmare, vicarios generales.

Pro dioecesi Limericensi, reverendos dominos B T. Coll, parochum ecclesiae vulgo dictae Newcastle, et R. Cussen, parochum ecclesiae dictae Bruff, vicarios generales.

Pro dioecesi Waterfordiensi, reverendos dominos M. Burke, parochum ecclesiae dictae Sanctorum Petri et Pauli apud Clonmel, et D. O'Brien, praesidem collegii Sancti Ioannis apud civitatem Waterfordiensem, vicarios generales.

Pro dioecesi Corcagiensi, reverendos dominos D. Murphy, parochum ecclesiae dictae Sancti Finbarri, vicarium generalem, et I. O'Brien, parochum ecclesiae dictae Bandon, vicarium foraneum.

Pro dioecesi Cloynensi, reverendos dominos I. Russell, parochum Cloynensem, et P. Duggan, parochum ecclesiae dictae Doneraile, vicarios generales.

Pro dioecesi Rossensi, reverendos dominos M. O'Hea, parochum Rossensem, vicarium gene- C ralem, et M. Madden, parochum ecclesiae dictae Clonakilty.

Pro dioecesi Laonensi, reverendos dominos I. Kenny, parochum ecclesiae dictae Ennis, et T. Blake, parochum ecclesiae dictae Roscrea, vicarios generales.

Pro dioecesi Fenaborensi, reverendos dominos I. Sheehan, parochum ecclesiae dictae Ennistymon, vicarium generalem, et P. I. Ryder, parochum ecclesiae dictae Glenaragah.

*De promulgatione decretorum huius concilii provincialis.*

Quoniam constitutio sanctae memoriae Sixti V, quae incipit verbis *Immensa aeterni*, commisit eminentissimis ac reverendissimis patribus cardinalibus congregationis concilii Tridentini interpretibus munus recognoscendi necnon et corrigendi D decreta a conciliis provincialibus lata: idcirco, stricte prohibetur, ne decreta huius synodi provincialis imprimantur aut promulgentur, donec prius a sancta Romana ecclesia, matre et magistra omnium ecclesiarum, iuxta praedictam constitutionem recognita fuerint. Deinde vero, litteris a sancta sede acceptis, typis edantur, et ab episcopis provinciae in suis respective dioecesibus, in synodis in hunc finem habendis, quantocius iuxta canones promulgentur.

*De subscribendo decretis huius concilii.*

Nos Michael Slattery, Dei et apostolicae sedis gratia archiepiscopus Casseliensis, admonemus reverendissimos patres omnes qui huic synodo intersunt et interfuerunt, ut post nos singuli, loco et ordine suo accedant ad altare, et iis quae in hac synodo sunt decreta subscribant.

† Ego Michael, archiepiscopus Casseliensis, definiens subscripsi.

† Ego Cornelius, episcopus Kerryensis, definiens A subscripsi.

† Ego Ioannes, episcopus Limericensis, definiens subscripsi.

† Ego Nicolaus, episcopus Waterfordiensis, definiens subscripsi.

† Ego Guilelmus, episcopus Corcagiensis, definiens subscripsi.

† Ego Timotheus, episcopus Cloynensis, definiens subscripsi.

† Ego Guilelmus, episcopus Rossensis, definiens subscripsi.

† Ego Daniel, episcopus Laonensis, definiens subscripsi.

† Ego Patritius, episcopus Fenaborensis, definiens subscripsi.

† Ego fr. Bruno, abbas Cisterciensis Montis Mellearii, de privilegio admissus, definiens subscripsi

Patritius Leahy, praeses collegii Thurlesensis.
Dominicus Murphy, vicarius generalis et parochus ecclesiae Sancti Finbarri in civitate Corcagiensi, a secretis synodi.

*De fine concilii.*

Nos Michael Slattery, Dei et apostolicae sedis gratia archiepiscopus Casseliensis, de patrum consilio et consensu, declaramus huic provinciali concilio finem fieri et iam factum esse

## SYNODUS DIOECESANA TARBEIENSIS
1853 septembris 25-7.

Synodus dioecesana Tarbeiensis in Gallia, cele- B brata diebus 25, 26 et 27 septembris 1853, sub Bertrando-Severo Laurence, episcopo Tarbeiensi.

Exstant constitutiones synodales in opere cui titulus:

Statuts et réglements du diocèse du Tarbes, publiés à la suite du synode célébré en septembre 1853, la 8me année du pontificat du pape Pie IX, par l'illustrissime et révérendissime Bertrand-Sévère Laurence, évêque de Tarbes. *[Insigne.]* Bagnères-de-Bigorre, typographie de J.-M. Dossun, place Napoléon, 1855.

In 8°, 2 f.-IV-280 p. — Chambéry, séminaire.

P. 175, haec synodus celebrata est diebus 25, 26 et 27 septembris 1853.

P. 182: „Un de nos illustres prédécesseurs, monseigneur de Poudens, publiait, il y a 148 ans, anno 1705, p. 183], des ordonnances synodales qui sont encore les statuts les plus récents du diocèse de Tarbes; 56 ans plus tard, monseigneur Pierre de la Romagère de Ronsecy, ... les publiait en forme de mandement et dans leur intégrité primitive.“

## SYNODUS DIOECESANA LEMOVICENSIS
1853 octobris 18-21.

Synodus dioecesana Lemovicensis in Gallia, celebrata a die 18 ad diem 21 octobris 1853, sub Bernardo Buissas, episcopo Lemovicensi.

Exstant constitutiones synodales in opere cui titulus:

Statuts synodaux du diocèse de Limoges, publiés dans le synode général tenu du 18 au 21 octobre 1853, par Mgr l'illustrissime et révérendissime Bernard Buissas, évêque de Limoges, prélat de la maison de sa sainteté, assistant au trône pontifical. Limoges, Barbou frères, imprimeurs-libraires, 1853.

In-12, XII-216 p. — Paris, Bibl. nat. B 17 165. Paris, Saint-Sulpice.

## SYNODUS DIOECESANA CONSTANTIENSIS IN GALLIA
1853 novembris 8-11.

Synodus dioecesana Constantiensis in Gallia, celebrata a die 8 ad diem 11 novembris 1853, sub Iacobo-Ludovico Daniel, episcopo Constantiensi.

Exstant constitutiones synodales in opere cui titulus:

Décrets du concile de Rouen et statuts synodaux du diocèse de Coutances. *[Insigne.]* Coutances, chez Daireaux, imprimeur-libraire de monseigneur l'évêque, 1853.

In-8°, 161 p.-1 f. — Grenoble, séminaire; Paris, Saint-Sulpice.

P. 33-82, titulus: Decreta concilii provincialis Rothomagi habiti, ab illustriss. et reverendiss. d. d. Ludovico-Maria-Edmundo Blanquart de Bailleul, Dei et apostolicae sedis gratia, archiepiscopo Rothomagensi, primate Normanniae, anno repar. sal. MDCCCL, mense julio; a sancta sede recognita et approbata.

Pag. 83-161, titulus: Statuts synodaux publiés par monseigneur Daniel, évêque de Coutances, en 1853.

Pag. 125, haec synodus dioecesana celebrata est a die 8 ad diem 11 novembris 1853.

## CONSTITUTIONES DIOECESIS BITURICENSIS
1853 novembris 21.

Constitutiones dioecesis Bituricensis in Gallia, editae die 21 novembris 1853, ab Iacobo-Maria-Antonio-Caelestino cardinale du Pont, archiepiscopo Bituricensi.

Exstant constitutiones in opere cui titulus:

Statuts du diocèse de Bourges, publiés par ordre de son éminence monseigneur le cardinal Du Pont, archevêque de Bourges. *[Insigne.]* Bourges, P. A. Manceron, imprimeur de son éminence, 1853.

In-8°, V-160 p.-16 p. (casus reservati). — Bourges, séminaire; Chambéry, séminaire; Paris, Bibl. nat. B 17 161.

P. III et VI, haec statuta edita sunt extra synodum, decreto dato die 21 novembris 1853.

## SYNODUS DIOECESANA DIVIONENSIS
1853.

Synodus dioecesana Divionensis in Gallia, celebrata anno 1853, sub Francisco-Victore Rivet, episcopo Divionensi.

Exstant constitutiones synodales in opere cui titulus:

Statuts du diocèse de Dijon, donnés par mon-

seigneur François-Victor Rivet, évêque de Dijon. A *[Insigne.]* Dijon, Douillier, libraire, imprimeur de l'évêché, rue des Godrans, 1854.

In-8, 2 f.-79-XCII p. — Autun, séminaire; Paris, Bibl. nat. B 17 163.

Haec statuta edita sunt in synodis celebratis annis 1852 et 1853.

## SYNODUS DIOECESANA NOVARCENSIS
### 1853.

Synodus dioecesana Novarcensis in statibus Foederatis Americae septentrionalis, celebrata anno 1853, sub Iacobo Roosevelt, episcopo Novarcensi.

Exstant constitutiones synodales in opere cui titulus:

Statuta dioecesis Novarcensis quae post synodum I^am^ a. D. 1853, et II^am^ a. D. 1868, a rev^mo^ Iacobo Roosevelt Bayley, fe. mf. *(sic)*, celebratas, in synodo dioecesana tertia, diebus 8 et 9 maji 1878 habita, tulit et promulgavit illustr^mus^ et rev^mus^ Michael Augustinus Corrigan, episcopus. Neo-Eboraci, Benziger fratres, 1878.

In-8°, 161 p. — Roma, Propaganda.

## SYNODUS DIOECESANA REMENSIS
### 1853.

Synodus dioecesana Remensis in Gallia, celebrata anno 1853, sub Thoma-Maria-Iosepho Gousset, archiepiscopo cardinali Remensi.

Exstant constitutiones synodales in opere cui titulus:

Synodi Remensis ab e^mo^ et r^mo^ Thoma-Maria Iosepho, s. R. e. tit. S. Callixti, presbytero-cardinali B Gousset, archiepiscopo Remensi, anno Domini MDCCCLIII habitae, statuta. *[Insigne.]* Remis, ex typis P. Regnier, bibliopolae, MDCCCLIII.

In-8°, 82 p.-1 f. — Paris, Bibl. nat. B 17 290; Reims, ville.

P. 37-82, appendix documentorum ad hanc synodum attinentium.

## STATUTA SYNODALIA DIOECESIS SAN-CLAUDIENSIS
### 1853.

Statuta synodalia dioecesis San-Claudiensis in Gallia, edita anno 1853, sub Ioanne-Petro Mabile, episcopo San-Claudiensi.

Exstant constitutiones synodales in opere cui titulus:

Projets de statuts synodaux du diocèse de Saint-Claude. *[In fine:]* Saint-Claude, imprimerie d'Enard, 1853.

Parvo in-8°, 94 p.-1 f. — Besançon, archevêché.

[illegible]